BIB. COLL.
VALGIR. S.J.

Digitized by Google

X 662/202

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SYLLOGES EPISTOLARUM

A

VIRIS ILLUSTRIBUS SCRIPTARUM

TOMUS II.

QUO

JUSTI LIPSII,

ET ALIORUM

VIRORUM ERUDITORUM,

MULTAE ETIAM MUTUAE

EPISTOLAE

CONTINENTUR.

BIBLIOTHÈQUE S.J.
Les Fontaines
[illegible] - CHANTILLY

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO

PETRUS BURMANUS.

PRODEUNT dicto tempore, duo iterum Syllogesnoſtrae volumina: Secundum, quod reliquas *Lipſii*, & ad eum virorum illuſtrium & doctorum epiſtolas complectitur. Quibus deinde Variorum & Inſignium doctrina hominum, quas vel Academiae noſtrae, vel privata ſcrinia ſuppeditarunt, Epiſtolas adjecimus. Quartum vero totum fere *Heinſii* & *Graevii*, animarum, quibus candidiores & infucatae amicitiae vinculo conjunctiores nullum ſeculum inter eruditos cognovit, mutuis Epiſtolis abſolvitur, niſi quod in calce, ut voluminis modus foliorum juſto numero abſolveretur, *Perizonii* & *Heinſii* epiſtolas, varia & recondita eruditione refertiſſimas, ſubjecimus. Si votis & deſideriis eruditorum per omnem Europam, qui quam accepta & grata ante annum emiſſa volumina exſtiterint, undique epiſtolis ſuis mihi teſtati ſunt, & certatim collectas & in bibliothecis publicis & privatis ſervatas Epiſtolas Illuſtrium virorum obtulerunt huic Syllogae inſerendas, ſatisfacere plene vellem, nullum fere finem labori meo proſpicere poſſem. Sed & faſtidii multorum, qui jam dapibus his ſaturati, ſe onerari tam continuis & longis ejuſdem guſtus epulis aegre ferre videntur, ratio eſt habenda. Me quoque ipſum jam taedium ingloriae & moleſtae induſtriae ſubire incipit, qui ab aliis, nec minus utilibus, ſtudiis tantum temporis ſubduci mihi agnoſco: quare ſatius viſum fuit unicum tantum his quatuor volumen adjungere, quod *Nicolai Heinſii* cum Literatorum Principibus in Germa-

 nia,

Digitized by Google

nia, Gallia & Italia commercii Epiſtolaris monumenta exhibebit, nec prioribus elegantia dictionis, & materiae dignitate, ullo modo concedet. cui etiam indices Virorum, quorum Epiſtolae hîc dantur, aut in quinque his voluminibus mentio fit, & rerum & verborum, quae hîc tractantur, & denique Auctorum veterum, quorum loca emendantur vel illuſtrantur, exhibebit, ut ita unusquisque, qui non omnes perlegere velit, ſeligere illas maxime epiſtolas poſſit, ex quibus ſtudiis ſuis èmolumentum accedere poſſe arbritretur. Intra vero anni decurſum, & forte brevius, ſummam me laborioſo huic magis, quam ad famam & nomen illuſtri, operi manum impoſiturum, ſi Deus vires & vitam dederit, ſpero. Vale, erudite & aeque lector, & conatus hos laudabiles, & in uſum rei literariae prompto & volenti animo ſuſceptos, ſtudio & favore proſequi perge. Leidae; Idibus Novemb. CIↃIↃCCXXV.

JU-

Digitized by Google

JUSTI LIPSII,
ET
VIRORUM ERUDITORUM
AD EUMDEM
EPISTOLAE.

EPISTOLA DCCXXVI.

J. LIPSIUS

Guilelmo Daſſonvillio, Chriſtophori filio.

PRomiſſi mei nuper facti non immemor fidem libero, & quae mihi viſa ſtudiis tuis conducere, breviter & methodo quadam ſcripſi. habes eam hîc incluſam. Addo autem univerſe & praemitto, duo mihi videri, in quibus vir talis, genere & inſtituto, & opibus, verſetur atque ſe applicet; *Politica* & *Hiſtorica*. Ad rempublicam enim conſilia tua ſpectare ac vergere mihi perſuaſum eſt, certe debent. & ſi non alius, pater tuus eo vocet. nec illud praecogitandum, & ſibi objiciendum eſt, non praeſtabo in ea parte. haec & illa mihi deſunt: quia, ſi quid natura non dedit, induſtria poteſt addere, quam Deus, januam & aditum ad clauſtra & penetralia ſapientiae fecit. Igitur *Politica*, quae pars Philoſophiae vel praeſtantiſſima & utiliſſima, *Ethicam* imprimis velut baſim & fulcrum, cui innitantur, quaerunt. Haec legere te ſuadeo & diſcere: a quibus? ab ipſo illo omnium artium Principe Ariſtotele, cujus libri exſtant: ſed & a noſtro Seneca, quem in hoc genere non dicam vinci ab aliquo, ſed veniſſe, quo nemo ivit aut ibit. Hunc ſerio lege, formabit animum imbuetque honeſtiſſimis & ſaluberrimis ad omnem vitam praeceptis. ſed & quaedam ad Politicam ipſam dabit. Iiſdem ſi jungis Hebraeam, id eſt, Orientalem Ethicam, quae eſt in libris Sapientiae Salomonis, Eccleſiaſtis, & Eccleſiaſtici, valde e re erit. Incredibile, quam multa ibi vere, prudenter, fortiter expreſſa. Poſt *Ethica* deinde ad *Politica* tranſi. id eſt a privata vita (quae ſtabiliri ante omnia debet) ad publicam, & concipe, quî alios regas, poſtquam te coeperis. in his chorum omnem ducit idem ille Ariſtoteles, non legendus ſolum ea parte, ſed pene ediſcendus. Poſt eum, aut juxta, cen-

ſeo rempubl. aut leges addas, haud peccabis. imo & illic hauries, quae ad uſum tuum apponas. Tertio, & firmatis jam melioribus judiciis, ſi venia tibi (ad Theologos ſpectat) legendi *Machiavelli* erit, haud improbem, aut diſſuadeam, non quia illum ex animo probem: habet enim infinita falſa aut fallacia, habet & impia: ſed quia juvat malitiae illas calles quoque noſſe, non ad utendum, ſed ad vitandum. Ire te per eas nolo, mane in ſplendida, tuta ac regia noſtra via. ſed videre cupio & noſſe ac dijudicare errores, qui ſpecie ſubtilitatis per ſenticoſa illa incedunt. Quo fructu? ſeſe compingunt aut impediunt, perdunt eos, quibus adhaerent & haec adſuadent. Vide igitur tantum: poſt haec autem ad *Hiſtorica* deſcende; ad amoenum illum & ridentem campum, in quo tot virtutum, tot conſiliorum velut flores aut ſtirpes. Semina etiam multa occulta & per terram ſparſa, quae eruenda ſunt, & id eſt, in quo lectio maxime ſe exerceat, & fructus mox ferat. Nihili eſt res & eventa modo legere, inquirere oportet in cauſſas, in conſilia, in adjacentia; & videre non ſolum, quid evenerit, ſed etiam humanis rationibus cur evenerit, & nectere principia illa cum ſuo fine. Ille mihi vir erit, ille uberem meſſem referet, qui faciet, & ductores huic rei capiet ipſos hiſtoricos, qui a ſe cauſſas ſaepe promſerunt, & alibi veluti digito ad inveniendum praeiverunt. In eo genere Thucydides, Polybius, Tacitus, Guicciardinus, Cominaeus, & ſi qui tales. atque utinam multi! illorum labor de noſtro demat, eorum prudentia valde noſtram formet. ſed ubi non illi, pro nobis faciendum eſt, & quomodo id commodo in adjunctis habes. Praeivi enim tibi de tota hiſtoria ſubtilius fortaſſe, quam opus aut uſus tibi ſit, ſed excerpes aut uteris quae voles. In ipſis Politicis hoc non praeeo. ipſa enim ſibi methodus, & ſive illa Ariſtotelis, ſive noſtra, ſive alia placet; facile in tabulas redigere & praecepta. ſed & hoc facile (cum lectio multa accedet) ſubnotare & ſeligere ex hiſtoriis monita aut exempla, quae huc & ad quamque partem conducent. Iſta ſunt, nobiliſſime Domine, quae viſa monere breviter. faxit Deus, ut ſic cum fructu tuo, ſicut meo affectu, qui & tibi & ampliſſimo parenti ſum addictiſſimus. Lovanii IIII. Id. Septemb. CIↃIↃXCVI.

Ipſa methodus Studiorum, quae huic Epiſtolae adjuncta fuit, deſiderabatur in codice epiſtolarum.

EPISTOLA DCCXXVII.

CHRISTIANUS BRUNONIUS

J. Lipſio S. D.

Lovanium.

AD focum dederat matutinum me frigus, cum haut multo poſt accepi tuas. Mihi vero gratiſſimae fuerunt, ac perinde jucundae. Tenebamur deſiderio nimiſquam acri, ſingularumque exſpectatione horarum torquebamur. Amor id, immo ardor facit. quem tu Amorem non minus religioſe ſedulo-

que,

Digitized by Google

que, quam egomet, habes. Et ſubverere, me pudor a ſcriptione ac verecundia ut ſiſtant? ſcriptione, inquam, libera. Ita ſcilicet hortatiunculae iſtuc, quod in extrema epiſtola tua, interpretor. Parum fortaſſis probe, vere tamen effabor, intra adfectum tuo-meum eſſe pudorem. Litterarum quidem uſum ingerit amor, uſus libertatem. quam non deſeram ego aut deſtituam, non mehercule magis, quam ſtudium hoc erga te fidemque noſtram. Apud me fucus ſit atque ambitio pura puta, ſiquid obtegas curioſe aut ſimules in amicum. praeſertim ſiquando hic ipſe talis, id eſt, verus, ſimplex, apertus, &, caput addo, firma ſtabilique fide. Ego autem, ſiquidem evaleret in me frontis mollities plus, quam comitas ſimplicitaſque ingenii Lipſiani, & ſim ingratus & depuduero. Nec vero *Wiltzios* habeam, aut *Polliones*, aut *Leemputios* mille, quam unum Lipſium, potiores. Hos ego vix novi etiam. extimavi ſpeciem illam ſi excipio notitiae. Tu autem ex me, iſtiipſi in te quam adficiantur? Mihi vero tenebrae ſunt hîc & caligo. Quid dicam? quid autem non dicam? Angor mediusfidius ſiquando alias, & torqueor: eo magis quod te haecipſa haut ſane leviter & a ſummo quaerere videam & ſciſcitari. Sumus, mi Lipſi, rerum *Wiltzii* atque etiam morum modice prudentes nos ac periti. Tum *Pollionem* etiam *Leemputium*que vix libavimus. etſi illum aliquanto magis, quam iſtum. Hercule verum ut loquamur, Amicitiarum grande momentum vertitur in temporibus. Et vulgo quidem ſcenae ſerviunt in hoc benivolentiae, ut ſic dixerim, theatro. Opinor, intelligis quid ipſe velim. Ago circuitu etiam. ſed tamen rectum rigidumque veri iter premam vis & inſiſtam? Age. Temperat hosipſos atque aurigatur Fortunae fraenum quantum caeteris in rebus, tantum, immo non paullo magis, in adfectu erga te, nec minus de te judicio. Pugnant quidem, & acriter calideque pugnant in praecepta rituſque religionis antiquae & *Pollio* & *Wiltzius*. Nec injuria inter primores ponam & capita adverſantium fidei propalam Chriſtianae. *Wiltzium* ferunt, cum praetor ob coetus, ut fit, ſacraque clandeſtina nonnullos poſtulaſſet, praeter ceteros fremuiſſe Adſeſſorum, adeo quidem, ut nec clamoribus temperarit acerbiſſimiſque minaciis: inter ſilentium pene collegarum ac ſtuporem. Jam vero in circulis optimatium & ſermonibus impuriſſimus, ſiquid hujus generis incidit, tuus ille *Pollio*. Sed hunc tamen ipſum quivis a moribus amet, atque ingenio alioquin ad modeſtiam facto, niſi ſi ita norit. In altero illo, ut damnes iracundiam ac tumorem, ita lenitatem comitatemque requiras. Haec de ipſis ego. exquiris, in te quid ipſi aut ſentiant, aut loquantur? Tibi illud haut temere; hoc facilius, ſed & verius, dicam. Conſtantiam ecce carpunt & adrodunt tuam, notumque olim *Lipſium* quaerunt, quod ajunt, in *Lipſio*. Rides? ſit id quidem firmitudinis hujuſque ipſius Conſtantiae, quam hi noſtrates ſuggillant inepte barbatuli. Gemis? opinor quod ad ſe tempora eos turbaeque adtraxerunt, quos Fides & Virtus debuit. Et exſpectas ſcilicet, de *Leemputio* quid adferam. Ego vero, mi Lipſi, hunc differo. Haec adhuc immatura res atque importuna epiſtolae: huic ſane omnino. Ero, ut confido, uberior, ubi plenius homi-

nem deguſtaro. Itaque ingenia vides haec temporaria, pendenteſque animos, & quocumque tulit Fortuna, ſecutos. quid autem ſecuturos? perſpicis, ſcio, & proſpicis jam tu, qui Politicarum artium civiliumque gnarus. Sed haec hactenus. libenter his in rebus ἐναχολαίζω σοι; magis etiam in privatis atque meis: & idipſum, te auctore, cum voluptate, atque etiam fructu. Etſi utrumque nos ſubinde quo neſcio animi faſtidio deſtituit. Langor, inquam, premit, & prohibet valide qua ſtilo, qua libellis. Sed eſt, puto, ignavia. Mi Lipſi, incredibile eſt quam jaceam. Quis vero aut quid erigat ac confirmet? Tu quidem diffitus es, & alio tum coelo, tum etiam ſolo. At enim monitiunculis ac ſcripto ſuſcitabis. Vereor ut imbecilliores hae, quam ſint me reſtituendo, vel etiam firmando. At Honeſtas & Utilitas quo vocant, eundum. Eſt quidem: ſed mihi gradus male agilis, iſtuc ut proferam. Tamen ne deſim mihi aut obſim ipſe, connitor inter utramque ac pauxillatim adſurgo. Certum eſt illud, valde jampridem, valde vigor ille priſtinus flaccuit & imminuit. Tu, amabo mi Lipſi, juva & reſtitue. Sed tamen lente, non nihil etiam egimus. Epigrammata ſcito nobis pangi dudum, & (ſi dis placet) ad exemplar Iberi quodammodo vatis. ita tamen ut nuſquam quidquam libidinis aut laſciviae. Probene, obſecro te, in hac aetate? Nam quin hiſce moribus adpoſite huicque aevo, nihil ambigo: quibus Catones pauci, plures Apicii. At illud etiam me mordet, quod vix ſatis intexere decenter ritus priſci nonnihil & conſuetudinis videbamur. Luſimus nimirum pleraque (pleraque autem? immo univerſa) ad Romanos illos vetuſtoſque mores. Sed quid haec loquimur? mihi ſcilicet ac Muſis, ſiquid ſecius. Et ſunt, ne erres, tabellis impoſita deletitiis, in ſpongiam, Ajacis Auguſtaei ritu, momento incubitura. De edictis, mediusfidius vere tu atque ex oraclo. Ego autem hîc haereo, nec moturum credo in triennium. Id parentibus viſum, quibus me haut gravatim praebeo: quidquid hoc eſt temporis, ſcriptoribus terendis prolaturus. Poſt, cum bono Deo, in Italos cogitamus, doctrinae veteris cupidine. Ecquid placet? Utar enim tuo (nec blandior) judicio. Niſi tamen hocipſo abuſus jamnunc, tam lacinioſa praeſertim epiſtola. Nec illud neſcio ab imperitiſſimo quoque fieri, per adfectationem & delicias. Me autem fluxus neſcio quis ac ſpiritus provehit ultra quam velim, non modo quam fas & decorum eſt. ſed inhibeo. Valebis, mi Lipſi, & nos amabis. Ultrajecti, ad XIV. Kal. Novembr. ↀↀ. IↃ. XCVI.

Eſt reſponſio ad Lipſianam, inter Gudianas CXII. ubi *Bruningius* dicitur, & ita vocatur etiam *Valerio And* Bibl. Belg. pag. 133. qui domeſticum *Lipſio* fuiſſe dicit. hîc tamen expreſſis literis ſe *Bruneninm* appellat. & credo noſtra lingua *de Bruyn* vocatum fuiſſe.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA DCCXXVIII.

J. LIPSIUS

Antonio Wingio, Priori in Abbatia Laetienſi.

EPiſtolam tuam lubens vidi, ut nuper te ipſum, & in te veterem & non fictam probitatem. Atque eam cum modeſtia (nihil blandior) quae non ſolum vos inprimis decet, Deo & religioni ſacros, ſed etiam nos, quos alia ſtudia & alia vita cum vanitate ſaepe habent. Ego vero apud te aperire me volo, & fateri nihil eſſe, quo magis nunc mihi placeo, quam quod non placeo, & quod recto oculo video & metior res humanas. Enimvero ridere mihi lubet, cum erectos & animi plenos quoſdam video, ob neſcio quid ingenii, doctrinae, ſcriptiunculae, quod oſtenderunt & vulgarunt. Heu quae iſta ſunt? primum tenuia, nec quidquam ad illos, non dico veteres, ſed nec medios, qui ante centum circiter annos fuerunt. Quid nos hodie ad *Politianum*, & *Hermolaum* aliquem ſumus? Et pone ſupra illos eſſe, a quo ſumus? quid noſtrum eſt? Ingenium, memoria, judicium palam a Deo. nec ſcriptio quidem melior, niſi illo inſpirante & dirigente. Quid ergo ut noſtra jactamus? ſuperna omnia & aliena ſunt, aut vitioſa inhaerent, & ſemper haec inhaerent, ut terram etiam noſtram in nobis & parvitatem ac pravitatem agnoſcamus. Ego ita affectus ſum, toto pectore hoc profiteor: non magna ſunt, quae agimus, non nos magni, qui agimus. & ſiquid eſt melius, ab uno illo eſt auctore & fonte boni. ſed iſta quid ad rem, aut tuam epiſtolam? nihil, niſi quod lubet & juvat philoſophari apud eos, qui Philoſophiae ejus capaces ſunt, & ſimul me aut exſtimulare aut firmare. At nunc ad epiſtolam. Mittis Vegetium manuſcriptum, videbo & utar, & judicium meum ſcribam. etſi vereor, ut vix aliquid ſit, praeter ea, quae jam viſa & notata. Quaeris de notis, quibus dijudicari libri veteres poſſint? ſunt triplices, a *materie*, *forma*, *modoque* ſcribendi. *Materie*, ut membrana, non charta ſit, & quidquid in iſta ſcriptum, ſcito pervetus non eſſe. *Forma*, quae eſt in modulo laterum, ut grandiuſculae & conſpicuae ſint, ac raro tenues illae & arctae habent aevum. In *modo* denique, ut rara compendia ſint, ut exprimant litteras atque etiam diphthongos. nam quae crebris illis implexionibus conſtant & compendiariis notis, ſunt aevi recentioris. facit & ipſe aſpectus librorum, & quaedam ab uſu judicatio, quam ſcripto nemo promat. ita poſſum dicere; & de ſtudiis meis, eſſe me in Politicis monitis & exemplis. Ita enim inſcribo, & philoſophamur & hîc aliquid, ut videtis. Deus mihi det ſtudia & ſtilum dirigere ad ejus gloriam, commune & meum bonum. Reverendiſſime Domine Prior, vale, & fratrem [1] D. Canonicum amanter ſaluta. Lovanii v. Kal. Decemb. CIↃIↃXCVI.

1 Ad *Hieronymum Wingium*, Canonicum Tornacenſem, etiam aliquot epiſtolae in Centuriis ad Belgas, & quem egregiis laudibus ornat *And. Catullus* in Tornaco pag. 114. Tertius Frater videtur *Philippus*, ad quem eſt Epiſtola 1. Cent. ad Belg. 7. & qui Romae obiit, ut ſcribit *Lipſius* 111. Cent. ad Belg. 7.

EPI-

EPISTOLA DCCXXIX.

JOH. BAPTISTA SACCUS

J. Lipſio S. D.

Levanium.

ET mihi parumper vaca. Litteras tuas poſtrid. Kal. Decembr. datas accepi, quarum lectione ſumma jucunditate perfuſus ſum: niſi quod moleſte tuli alteras periiſſe. inde enim duplex mihi jactura: tum quia carui ea voluptate, quam ex illis percepiſſem, tum quia praeterlapſa eſt occaſio operae meae tibi citius navandae in eo, quod de Catapulta praeſertim & Balliſta requirebas. Quo avidius eandem nunc mihi iterum oblatam arripui, & angulos omnes hujus urbis, & arcem ipſam, (armamentarium enim aliud publicum non habemus) diligenter excuſſi: ſed nihil, quod te juvare poſſit, reperi. Dum autem animo meditor undenam poſſim extra hanc urbem aliquid ejuſmodi machinarum eruere, nuntiatur provinciae praefecto, me litteras abs te habere, de hiſce machinis agentes. Qui, ut tui, & rerum tuarum ſtudioſiſſimus eſt, confeſtim jubet me ad ſe cum litteris accerſiri. accedo poſtridie: ſaluto: indico cur adeam, gaudet, &, tu igitur, inquit, litteras a Lipſio cum mandatis? ajo, & promo. accipit exemplar idiographum: geſtit legere, ſed reſtitat ad manum minutiorem, facile tamen lecturus, ſi adniti voluiſſet, & niſi ego praevertens exemplum a me notioribus characteribus deſcriptum eidem exhibuiſſem, munus etiam legendi mihi depoſcens, ſi permitteret. capit exemplum, operam meam nihil moratur. legit ipſe: perlegit ore compoſito & placidiſſimo, & quidem tam expedite, facile ut intelligeres ſtilum tuum eſſe illi quam familiariſſimum. Submiſſius tamen, quae de ſe ipſo ſcripta erant, percurrens, pudore quodam ingenuo ſuffuſus. Perlectam epiſtolam ſervat: in qua cum ſcriptum animadvertiſſet, te opus tuum de Machinis ad me mittere parſiſſe, veritum, ne mihi gravis accideret impenſa vecturae; nos, inquit, te ſine jactura noſtra hujuſmodi codicis compotem faciemus, quippe qui alterum jam domi habebamus, emptum de bibliopola, priuſquam Lipſius ſuum ad nos mitteret: & cum dicto codicem emptum promi jubet, quem dat ipſe mihi humaniſſime in manus, eleganter ſane compactum; addens, longe ſibi chariorem eſſe eum, quem tu miſiſſes, uti donum a te profectum, & aliquot verbis tua manu adſcriptis inſignitum. Accipio laetus, & illi tunc, ut tibi nunc, propter quem eo munere donatus ſum, ingentes gratias ago. Mox addit, habere ſe quoque litteras a te graviſſimas & humaniſſimas, quas viciſſim promit, & mihi dat legendas. perlego ſcriptas eleganti forma, pendente interim Principe ab ore meo, & gravitatem illarum utroque admirante, quarum etiam exemplum petenti mihi Princeps non denegavit. Is multus deinde fuit in tuis laudibus, cum egregia amoris in te ſui ſignificatione, in qua tamen judicium non requireres. Ajebat, ſe plurimi quidem facere te ob excellentem multiplicemque doctrinam, ſed multo hercle pluris propter animi ando-

Digitized by Google

dorem & virtutem, quam in te eximiam esse, multorum, qui te penitus nossent, litteris & sermone cognovisset. Ostendebat se lucubrationes omnes tuas magna cura pervolutasse, quarum indicem tua manu descriptum habebat in iis litteris, quas ad ipsum dederas. Docebat in illis insignem quandam, & praeclaram ubique eruditionem cerni: sed inprimis admirabatur acerrimum ingenium judiciumque tuum in monumentis veterum auctorum, praesertim historicorum, perscrutandis; quibus intelligendis magnam lucem praetulisses. Addebat praeterea, te virum esse multarum rerum usu & cognitione praeditum, qui ex ipsis etiam patriae turbinibus & procellis magnam tibi prudentiam comparasses. Commendabat summopere, quae de Militia Romana superiore anno ederas: ex quibus praecipua quaedam dogmata ad hodiernam militiam formandam transferri posse animadverterat, quae tecum libentissime communicaturus esset, si tui praesentis copia daretur, quod non in postremis votis sibi esse significabat. Probabat maxime judicium munificentiamque Regis nostri, qui te Historiographi sui titulo jure meritoque decorasset: de quo tibi ex animo gratulabatur. & licet intelligeret esse te ingenio tam admirabili, ut munus quodcumque litterarium egregie sustinere posses; tamen existimabat te scribenda potissimum historia fore longe praestantissimum. avebatque in eo genere aliquid a te scriptum videre, quando non deesset seges & materia rerum a multis fortissimis Ducibus, his & superioribus temporibus tum in Belgio, tum in Gallia & alibi gestarum, quas tu scribendo ab interitu vendicare, & immortalitati asserere posses: felicemque omnino ducebat illum, cujus tu egregia facta litterarum monumentis inseruisses. Ad extremum percontatur, ecquid de machinis, quas cuperes, explicarem? neganti mihi studium, operam auctoritatemque suam omnem ad eam rem perbenigne pollicetur & defert: adjiciens, non dubitare se, quin in Hispaniis multa adhuc tela poliorcetica reperiantur, quibus usa fuisset antiquitas, quorum etiam nonnulla in aliquot oppidis suis asservari meminisset. Et quia spes erat, Comi, in aedibus Jovianis aliquid cujusmodi cuperes inveniri, datum est negotium, mandante Principe, praefecto illius arcis, qui re diligenter curata nihil tamen invenit. Tandem cum intelligerem apud Allobrogum Ducem extare librum luculentissimum de hujusmodi machinis manuscriptum, quem Urbinatium Dux illius genitori quondam dono dedisset, Principem moneo: qui protinus partes sibi sumit scribendi ad Allobrogem, ut ejus libri copiam ipsi faciat ad aliquot dies, uti facturum spero. Interea ipse quoque per amicum studeo, ut Urbino, ubi hujuscemodi rerum multae adhuc reliquiae (ut fertur) permanent, aliquid mittatur, quod in rem sit. Denique omnem lapidem moveo, ut tuo desiderio satisfiat. quidquid erit, faciam te statim de eo litteris certiorem. Reliquum est, suavissime Lipsi, ut intelligas amari te plurimum & aestimari in hac civitate, in primis vero a Principe & Gubernatore ipso: de cujus erga te humanitate & affectu licet multa dixerim, velim tamen tibi persuadeas, me pauca pro rei magnitudine dixisse. Longum esset recensere eos omnes, qui tibi animo sunt addictissimi: sed duos tantum viros virtute, no-

bilitate, gratia auctoritateque praestantes nominabo, qui te amantissime salutant, seque tibi totos devovent: *Camillum Trottum* Senatorem amplissimum, & *Federicum Quinctium*, fisci Regii patronum. Hos tu si invicem amaveris, & cum ad me scribes, resalutaveris, nihil alienum ab humanitate tua, & illorum merito feceris. Ego de honore tibi a Rege nostro habito gratulor. neque tibi tantum, sed Regi ipsi, & aevo nostro, quod per hanc occasionem magis etiam abs te illustratum iri video. Quod ais, non misisse te ad me opus de machinis, ne me gravares impensa, magnam in eo cum mihi, tum tibiipsi injuriam facis; qui & me tam pusilli angustique animi esse censes, & tua scripta, quae non chara sunt auro contra, tam parvi aestimas. Ego meam non remisero, nisi quod primum opus ediderís, illius exemplum statim per tabellarium ad me miseris. tu de tua videris. Vale, Lipsi integerrime. Mediolani sex. Kal. Febr. ↀ.ɪɔ.xcvii.

EPISTOLA DCCXXX.

JOH. BAPTISTA SACCUS

J. Lipsio S. D.

Lovanium.

Nihil amantius, nihil diligentius fieri potuit a Comestabile, Gubernatore nostro, quo tuo desiderio, in eo, quod de catapulta & ballista petis, satisfieret. Qui, ubi omnes totius fere Italiae angulos litteris quoque scriptis excussit, ut vestigium aliquod illarum machinarum reperiret, tandem ab ea spe undique dejectus, ad Allobrogum Ducem totus conversus, unis atque alteris litteris petiit, ut sibi de illo libro commodaretur, quem Urbinatium Dux olim Philiberto dono dedisset. Cumque liber is in infinita propemodum aliorum librorum multitudine lateret, nec facile erui posset, dato tandem negotio *Gabrio Buschio*, Mediolanensi, viro probo atque industrio, tui studioso, & harum inprimis machinarum peritissimo, qui de illis etiam egregie scripsit, repertus est & allatus. Liber est ex membranis totus compactus, holoserico textu viridis coloris superindutus. Epistolam habet in fronte Latinam *Francisci Georgii* Senensis, operis auctoris, ad Urbinatium Ducem, manuscriptam. Deinde sequuntur plurimae variaeque machinarum formae, tum ad rem bellicam, tum ad caeteram architecturam pertinentes, stylo ipso diligenter depictae, non typis expressae: mutae tamen, ut quae nullo prorsus argumento, aut interpretatione explicentur. earum omnium Comestabilis vult sibi exempla desumi: sed prius exercerpi jussit eas, quae tibi usui esse possint. Id egregie praestitit idem, quem paullo ante nominavi *Buschius*; deditque mihi aliquot exempla jussu Comestabilis, additis Italico sermone argumentis, ac litteris ad me suis. quae omnia ad te mittuntur: ut intelligas amari te ex animo ab hoc principe, omniaque tibi ab ipso esse paratissima. Nec dubito, quin tu vicissim illum colas atque observes, daturusque operam sis, ut tanti he-

rois

rois virtus & humanitas monumentis litterarum tuis magis etiam illuſtretur. Is epiſtolam ad te ſcribit. Salutat te *Buſchius*. ego in aere tuo totus ſum. Vale. Mediolani Idibus Majis. ↀↀ. IↃ. XCVII. mitto ad te exemplum earum litterarum, quas menſe Februario tibi ſcripſi, quod neſciam an tibi redditae fuerint.

EPISTOLA DCCXXXI.

J. LIPSIUS

J. Baptiſtae Sacco S. D.

Mediolanum.

HAud ita pridem ſcripſi & reſpondi Illuſtriſſimi Gubernatoris, tuiſque literis, mi Sacce. nunc iterandi cauſſa eſt; adoleſcens iſte, quem vides *Ericus Puteanus*, ore, ingenio, doctrina, vita probus, & quem in Italiam veſtram traxit cupiditas ſola viſendi & diſcendi. Scito ex optimo genere eſſe, & quos Prometheus (ut cum Poëta fabuler) de meliori luto formavit. Fac periculum ſi voles, in Graecis, Latinis, in Mathematicis, Aſtrologicis, Philoſophicis, Muſicis quoque. Videbis non tinctum his omnibus, ſed imbutum. Itaque ſerio & libens eum tibi, & per te aliis commendo, notum mihi & ex diſciplina hac mea profectum. Commendo inquam, ſive quis Principum virorum uti eo quaſi pro Secretario volet (nam & pingit ſcite) ſive adoleſcentes nobiles pro magiſtro & rectore. Fortuna quidem ejus eſt, ut ſine adminiculo conſiſtere in locis exteris non poſſit. haec de *Puteano*: & de me quid opus eſt, cum illum habes? Pete, dicet omnia, quae amor aut curioſitas velit ſcire. ad Conneſtabilem brevi, cui Militiam meam recuſam mittam & caſtigatam. Vale. Lovanii Nonis Sextilis CIↃIↃXCVII.

Vid. ad Italos Epiſt. LVII. cui de *Puteano* teſtimonium *Lipſii* adjungitur, & in qua epiſtola *Sacci* mentio fit.

EPISTOLA DCCXXXII.

JOH. BAPTISTA SACCUS

J. Lipſio S. D.

Lovanium.

OVir humaniſſime, & benigniſſime, quanto me beneficio nuper obſtrinxiſti, *Nicolaum Micaultium* litteris tuis mihi commendans! neque enim ita hebeo, quin intelligam, voluiſſe te ea commendatione apud illum, imo apud omnes meipſum commendare, uti dignum amicitia tua, & qui cum Lege illa Pythagoraea, omnia communia habeas: quo nihil mihi poteſt eſſe cum jucundius, tum honorificentius. Sed quemnam virum mihi commendaſti? eum certe, qui ore ipſo, ſermone, moribus (ut nulla generis, & fortunae ratio habeatur) vel ſummo ipſi Pontifici, ad quem proficiſcitur, ſeſe com-

Digitized by Google

mendare poſſit. adde, comitatum aliquot viris praeſtantiſſimis, & adoleſcente uno nobiliſſimo, affine ſuo, quorum fulgore non domus noſtra tantum, ſed urbs haec tota mehercule radiabat. Satisne? nondum. virum, qui te mihi lingua prius diligenter effinxiſſe non contentus, tuam ipſius effigiem, penicillo, & coloribus ad vivum expreſſam oſtendit: quam ego ſtatim ori cum adpreſſiſſem oſculabundus, is (ut me bearet) illam mihi inter pudorem, & cupiditatem fluctuanti ultro detulit, ac dimiſit. Baſilicum vero munus! quo & Princeps ipſe, ad quem poſtea *Micaultium*, una cum affine, ac Lombardo deduxi, captus eſt: ita ut primum illud exemplum illico ſibi deſtinaverit, poteſtate mihi facta alterum deſumendi, quod ab artifice quodam eximio curatur, ſimul & aliud exemplum, quod Romam mittam, expingitur. Sed non erit hic finis expingendi: ſiquidem ad pictorem tota urbs (viros intelligo) confluit, ſpectatum, & petitum. inter quos *Lodovicus Septalius*, medicus apud nos inſignis, & tui nominis ſtudioſus: qui ex ipſis oris tui lineamentis, & colore affirmat longe abs te abeſſe periculum tabis, aut phtyſis? polliceturque te (favente Deo) vivacem adhuc in multos annos fore. Quod ego cum tibi, tum aevo noſtro gratulor: jubeoque te dehinc omnem non dicam ſolicitudinem (non enim cadit hic affectus in tuam conſtantiam) ſed ſuſpicionem imminentis fati deponere, & hilariter vivere: quodipſum amuletum optimum eſſe ſcito ad averruncandos ejuſcemodi morbos. Caeterum uti ipſe *Micaultium* exceperim, uti Princeps; malo te ex ejuſdem *Micaultii* litteris accipere. Illud ſane perincommode accidit, quod & Princeps diſceſſum parabat, ut Reginae adventanti occurreret; & *Micaultius* ipſe nimia feſtinatione gaudium noſtrum corrupit. vix enim biduum hîc peregit, pollicitus tamen ſe in reditu diutius manſurum. ei, & affini teſtimonia dedi meae in ipſos voluntatis, chirographo meo adnotata in utriuſque eorum Albis. Illa inferius adſcripſi, ut inde conjicias quaenam tibi gratiae pro amicitia talium virorum a me debeantur, & habeantur. Tu, ſi vis intelligam me tuae commendationi ſatisfeciſſe, fac ut alios mihi quamſaepiſſime commendes. Epiſtolarum tuarum novum foetum avide expecto, &, ſi frontem ponere licet, ambitioſe. quid ita? jam ſcis. immortales cenſeo, quos ibi tantum nominaveris. Admiranda tua quin acceperimus, dubitare te amplius non puto, de quibus iterum Princeps, ego iterum, atque iterum te monuerimus. Exempla in primis ad Politica tua hîc expetuntur. *Puteanus* adhuc cum reliquiis morbi luctatur, liberiore campo, nempe ruri, quo ſeceſſit una cum Comite *Altaempſio*, & ipſo quartana laborante. Illi ſalutem a te per litteras nuntiavi; quam tibi, ſuaviſſime Lipſi, in hoc diverſorio terreſtri diuturnam, ſed in coeleſti domicilio aeternam voveo. Mediolani quinto Kal. Novembr. ∞.ıɔ.ııc.

Hoc amplius, quo nil amplius, ampliſſimo Lipſio debeo, *Nicolaë Micaulti*, decus Belgiae, quod amicitiam tuam, quam ego ut adipiſcerer, libens in Belgium uſque perreptaſſem, ultro ipſe mihi in patria, atque in aedibus meis conciliavit. In hac igitur extrema pagina nomen do inter amicos tuos: ordine, ſi merita noſtra ſpectes, praepoſtere, ſi adfectum, qui ſemper idem

I.

I, bone, quo virtus tua te vocat, i pede fauſto,
Grandia laturus meritorum praemia Romam.

Te, generoſe adoleſcens, *Engelberte Dubois*, opera humaniſſimi Lipſii, unaque nobiliſſimum affinem tuum *Nicolaum Micaultium*, Animas, quales neque candidiores Terra tulit, neque queis me ſit devinctior alter, cognovi; & merito veſtro utrumque amo, aeternumque amabo. Cujus promiſſi ſyngrapha manus haec apud te eſto.

Reſponſio ad Cent. ad Ital. Epiſt. LVIII.

EPISTOLA DCCXXXIII.

JOH. BAPTISTA SACCUS

V. C. *J. Lipſio* S. D.

Lovanium.

FAuſtiſſimus nobis fuit adventus Reginae noſtrae, hoc etiam nomine, quod multos habuit in comitatu tibi perquam familiares, & recens iſtinc profectos: inter quos vir doctus *Petrus Pantinus*, quocum vetus erat antea mihi conſuetudo, olim jam in aula Cath. Regis inſtituta, nunc vero tui nominis commemoratione validiſſime aucta. Quamdiu hîc manſit, manſit autem diu, frequenter una fuimus: aliquoties etiam conviximus, convivia ipſa ſermonibus de te jucundiſſimis condientes, non ſine ſolemni poculorum libatione ſaluti Lipſianae. Is de tuo ſtatu, ſtudiis conſiliiſque omnibus me erudivit, & eandem ſpem, quam *Micaultius* de tuo in Italiam adventu nobis injecit: quae utinam ne nos fallat! Illud certe inter nos pactum velim, ut, ſi; imo cum in Italiam veneris (ſic enim ominor) Mediolanum videas, & ad me recta venias, accepturum te ſi non laute, ſaltem laete, atque hilariter. Erit hoc nobis non modo gratiſſimum, verum etiam glorioſiſſimum: qui magis adduci debes, ut mihi obſequare. Adiit me poſtremo *Petrus Craſſus*, Belga, amicus tuus, ideoque meus; qui diu in Italia verſatus iſtuc redit. commendavit mihi neſcio quid negotii, quod ego diligenter curabo: petiitque num aliquid ad te vellem. non licuit per temporis anguſtias, & aſſiduas occupationes meas homine diutius frui. tantum has ei litteras ad te dedi. Vale, clariſſime Lipſi, & nos ama. Mediol. XIIII. Kal. Martias CC.IↃ.IC.

Reſponſio ad Centur. ad Ital. LXV. & ad hanc reſpondet Lipſius Epiſt. LXX.

EPISTOLA DCCXXXIV.

JOH. BAPTISTA SACCUS

J. Lipſio S. D.

Lovanium.

SErius ad te ſcribo, ſed ſerioſius, quia ſeriem ad te mitto rerum, quas Princeps noſter fortiter, & feliciter apud vos geſſit. Mitto inquam illius juſſu. jubendi autem occaſio haec fuit. Eram forte ſuperioribus diebus in procubiculo Principis, negotii cauſa admittendus. Commodum ibi mihi redditur epiſtola tua, qua me de *Lampugnani* notis (vere notae ſunt impuri illius hominis) admones, & de tuis diſpunctionibus. vix ea perlecta introducor. negotio tranſacto tria inquam verba de rebus Belgicis a Lipſio habeo, quae te fortaſſe, Princeps, & pigeat, & juvet audire. Excitatus ipſe ad nomen tuum, & ad nuntium; virum ait memoras inſignem, & mihi chariſſimum: ecquid ab eo nuntias? tunc ego reſoluta epiſtola poſtrema verba recito, nempe. [2] *Publica noſtra peſſime habent, quam diſpari facie ab illa, quam Praefectus veſter vidit, aut fecit!* eaque e veſtigio Hiſpane reddo non illubente Principe: qui nihil eo nuntio, uti non inopinato commotus, & neutiquam ea laudis ſignificatione elatus de te ſtatim & percontari, & amanter atque honorifice loqui coepit; magnopere gaudens (ut videbam) quod tui ornandi & augendi auctor ipſe fuiſſet. Me vero dicente, quantum illi deberes te aeternis litterarum monumentis magna cum ipſius haude teſtatum reliquiſſe; audi, quaeſo, quam praeclarum tibi dederit judicii ſui teſtimonium prudentiſſimus, idemque religioſiſſimus heros. Laudari quidem, inquit, a tanto viro non diſplicet; ſed nae ego haud paulo malim illius precibus D. O. M. commendari, cui illas gratiſſimas fore exiſtimo, ut hominis puriſſimi atque innocentiſſimi: idque per te eidem, cum ſcripſeris, ſignificari cupio. Pollicitus ſum: addens, cupere me vocem illam exaudiri a nonnullis, qui te parum orthodoxum aliquando ſuſpicati ſunt. tum vero Princeps iterum, ac ſaepius teſtari, ac dejerare hominem neminem noſſe, qui tibi ſit animi pietate, morum ſanctitate, vitaeque innocentia anteponendus. Quaeſivit amplius, quid in ea epiſtola praeterea contineretur. narravi de notis, & diſpunctionibus. utraſque poſtulavit. dixi me unas tantum habuiſſe, quas Comeſtabili Caſtellae miſiſſem: utprimum alias habuiſſem, allaturum. Habui: attuli: diſceſſi: redii poſt aliquot dies, mandata quaedam accepturus ad Rhoetos, quo me Princeps legat. dat; atque una commentariolum hunc rerum Belgicarum ad te mittendum. perlegi domi, & confeſtim illum cum his litteris ad te miſi. Animadverti quidem in eo ſermonis quandam denſitatem parum diſtinctam: ſed ea nihil oberit, quominus omnia percipias, diſponas, illumines, atque amplifices, ſi uſus venerit. nam licet Princeps nihil amplius injunxerit, quam ut mitterem, teque ſuo nomine ſalutarem;

1 Reſponſio eſt ad v. Centur. Miſc. Ep. XIV.
2 Haec verba in Epiſtola edita deſunt.

Digitized by Google

rem; haud obſcure tamen indicat, haec abs te aliquando illuſtratum iri. De *Lampugnano* ſcito illum (quiſquis ſit) toti Italiae ſtomachum moviſſe ineptiis ſuis, & ſycophantiis. Sed quo magis inviſae fuerunt nebulonis illius notae, eo gratiores & jucundiores tuae diſpunctiones fuere. Sena, aut ſeptena omnino earum exempla huc pervenere, quae ego omnia praeſtinavi, & amicis diſtribui: qui ea lectione adeo delectati ſunt, paene ut exclament tanti fuiſſe blateronem illum in te ſcripſiſſe. *Puteanus* noſter Lauretanam aedem, atque inde Romam cogitat. tempus, & commeatum a Senatu petiit, & obtinuit, reditum brevi pollicitus. proficiſcendi cauſa votum eſt, & cura perquirendorum librorum inſignium inſtruendae bibliothecae publicae, *Federici* Cardinalis *Borromaei* auſpiciis & impenſa inſtituendae. Faveat Deus, & te, vir clariſſime, Reipublicae litterariae diu ſervet incolumem. Mediolani poſtridie Kal. Martias ∞. IↃ. CIII.

Solicitus ero de his litteris, donec reſcribas: quia video cordi eſſe Principi, ut commentariolus ſuus ad te perveniat.

EPISTOLA DCCXXXV.

FABIANUS BIACOVIUS

J. Lipſio S. D.

Lovanium.

JAnus *Douza* F. ſpes illa gentis Batavae, & amor tuus, mi Lipſi, fuerat anno ſuperiore in Sarmatia noſtra, gentemque illam, quam viperam voluerunt eſſe illi,

Queis meliore luto finxit praecordia Titan

vidit. Gratulabar patriae meae, quod eam aeſtate adulta vidiſſet, qua non poterat illa non utique eſſe affabilior, quam ſi vidiſſet nunc gelu rigeſcentem; ipſe profecto, ut ad Gorgonis caput, riguiſſet. Quid vero ipſe de nobis ſentiret, cum interrogarem; aut ille renidebat; aut non uſquequaque vituperabat, aliquando, credo, ut mihi placeret & genti meae, laudabat. Gaudebam, & triumphabam judicio illius. Veniebant vero in mentem illa Sileni ὑπορχήματα ad ſuum Cyclopem

Ω᾽ καλλίστου ὦ κυκλώπιον,
Ω᾽ δισπόλιστε

eumque quod ita prudentia talium ex Ulyſſe πανῶν ſuaderet, non nimium reprehendebam, cum apud nos de nobis tacitus eſſe vellet. Sed gentem meam nil moror, ad te venio & ad tuos. Jamprimum illud noſti, quam aliena ſcrutemur potius, & malimus ſcire, quam noſtra; itaque non miraberis, ſi quae de te ex illo quaeſivi, tibi in aurem regeſſero, ſimulque gratulabere tibimet ipſi, quod famae tuae ſupervixeris, quod etiam & ἐν Σκυθῶν ἐρημίαις te norint & noſſe velint. Tu interea περὶ πολυπραγμοσύνης Plutarchum, nec περὶ λογοποιίας Theophraſtum leges, ſed eſto mihi magnus ille Demoſthenes, & gaudeas

deas etiam in Sarmatis δακτυλοδείκτους esse. Res ita se habuit. Quaerebam eruditissimum juvenem, ubinam locorum hoc tempore esses, & quando Lugdunum Batavorum reliquisses; promptissime ille utrumque retulit, referebatque annos, quibus te carere coepit sua Batavia, & locum, in quo nunc habitares. Sciebam ego istorum utrumque, antequam *Douza* mihi narraret, & fortasse eo ipso tempore, quando haec fiebant, sed quia a fama audieram, mihimetipsi diffidens ὀφθαλμοὺς ipsos tuos malebam de te interrogare. Cum vero hac in re promptissimum se mihi & lubentissimum dedisset, occoepi esse audacior, & fueram, si bene memini, λεύκη σάθμη ἐπὶ τοὺς λογους, passimque & indiscriminatim interiorem etiam vitam tuam scrutabar, & tanquam aliquem a memoria, quaerebam. Dic sodes, cur Lugduno vestro discesserit Lipsius, cur amicos illos, quos inter magnum olim certamen fuit, quis illum magis amaret, deseruerit? Ὦ δυσχάριστον τῶν πυκνῶν Φιλημάτων; Quomodo vero ille potuit ἀμφιδέξιον parentem tuum relinquere? parentem, qui jure licet glorietur

Εἶμι μὲν ἐυθώρηξ Ἐνυαλίῳ πολεμιστὴς,
Εἰμὶ δ' καὶ δεξάπτων ἐλικωπὶς Ἀπόλλωνος.

Dii boni quae illae lacrymae fuere? qui discessus? qualia σφοπμπλικά; Erubuerat jucundissimus ille juvenis, meamque curiositatem silentio puniit, ne tamen me contempsisse videretur, ajebat, patriae tuae tibi amorem fuisse maximum, quem cum non posses humanitus ferre, horrendam istam secessionem cogitasti. At ego ille, cujus sitim non restinxerat tam brevissima responsio, quin potius magis incenderat, tristissimus illum sermonem de te abrupi, & me ad alia retuli, nihil remittens de voluntate mea, quae fixa fuerat, omnia de te quaerere, invenire. Destinatum erat *Douzae* tuo tacere, & gratissimo rubore ora genasque pulcherrimas perfundere; ego vero, ne in me deinde apud suos postularet, ex interdicto unde vi, desieram ἔτων αἰκοσὶ ἢ θυμῷ. Quid facerem? ardebam discendi causas cognoscere; at tuus *Douza* Sigalion alter erat, & nimium ἀοινα ista συμπόσια fugiebat: bene certe imbutus praeceptis tuis, quae tu in Italiam discedenti cuidam dederas; quanquam ut inter Sarmatas Aeneadum dolos inveniret timendum non erat, Ἀμαθίσιοι eramus (ut dicebat Simonides de Thessalis) ἢ ὡς ὑπ' αὐτῷ ἐξαπατᾶσθαι. Quievi tamen, & meam miseram sortem deplorabam, qui occasionem deinde dicerer habuisse; nec illa uti sciviſse, sine dubio stultitiae condemnandus, qui pulcherrimum bolum faucibus amitterem meis, cogitabam insuper de leni aliquo, ut inquit Lyricus, tormento, at ille tanquam Δρυὸς ἢ κεραίου λυκόιχνος omnibus vineis fuit. Ultra nil poteram cogitare, mi Lipsi, hominemque Pythagoraei silentii ne mea garrulitate ἐις πύρετον caderet, vivum & integrum in Bataviam dimisi. Commodum ille discesserat, at ego omnes dolos artesque Pelasgas in fratrem illius, qui Cracoviae manserat, vertebam. Erat is *Georgius Douza* adolescens eruditissimus modestissimus. Ego igitur

Μίξας μειλιχίη βαίον φόβον, ὅτλα καὶ αὐτὴ
Βομβήσασα μέλισσα κορύσσεται ἐξ κεντρῷ.

Sic

Sic ad illum in Cyclopis antrum veniſti, o Douza; Ulyſſem ergo ſi ſapis imitare, & iſtum Polyphemum jucundiſſimo ſermone οἰνωμένον παθίζει. Sua enim cuique voluptas eſt, & ego ſcio τὴν μουσικὴν οἶνος μᾶλλον μεθύσκουσιν. Quod ſi tu mihi, ſodes, de tuis beatioribus terris, quae volo, narraveris, facies enimvero mihi jucundiſſimum acroama, & ego non jam cum Catullo naſus, aut cum Argo oculus, ſed cum aliquo ex Perſarum principibus auris eſſe volam Quod vero palmarium erit & ἀξιοθεμάβευτον, Sarmatam hunc vides, quem non aliter vinces, niſi Syrenum cantu, aut illo Baccho, non miſſurus certe ſum, niſi cruoris plenus. Quare ut quaedam gens, referente Seneca, nubibus, quae grandinem ferebant, ſanguine litabat, quem acuto graphio digito expunxerat; Sic tu fulmen iſtud irarum, aliquo ſermone ἀποτρέπτου places, ſimulque praeſens periculum evita. Expalluerat meus *Douza*; ſed tamen ut Martiam prolem agnoſceres, iram non metum pallore condiderat, & ad me. Mira tua ſedulitas eſt, mi Bircovi, & vereor ne inepta ſit; at vero quam ſuavis & vafer es, cum te Sarmatam eſſe crepas; οὐκ ἐστὶ ἐν σοὶ Σαρμάτης, οὐκ ἐστὶ, aut ſi eſt, ut Philippus pervicaciae, quam ex Macedonibus hauſerat, aſtus Graecienſes cum magno malo Graeciae miſcuerat: ſic & tu ἀδιατρεψίαν iſtam callide & male cum Itala comitate miſcuiſti. Quid enim ſunt tuae preces? niſi πανδανάγκαι, quid minae? niſi ἀπειλαὶ μεμιγμέναι δεήσεσιν; Erubui ad hanc vocem, mi Lipſi, plenam neſcio cujus dulcedinis; & quis ille eſt tam ſui contemptor, qui non etiam affectet talem laudem, factuſque animoſior & pleniſſimus bonae ſpei, tanquam futurus voti mei compos, ſic coepi. Italorum quidem nondum provinciam vidimus; & ſi aliquando dabitur illam videre, ſequar *Lipſii* tui praeceptum, & faecem iſtam Gottorum, & Longobardorum, Simiarum & Vulpecularum in homines μεταμορφῶσιν fugiam; nor ne audis principem vatum veriſſime praecinentem.

Ἐχθρός γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πυλῆσιν
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει.

itaque & ego Μισῶ τὰς δασυπόδους ἀλώπεκας. At tu, quaeſo, quam in me aſtutiam vidiſti? nae tu ipſe callidus & malus es, qui καλόν μοι τοῦτο ὄρνιθος ἐγκωμίδιας, ut illa vulpecula Aeſopi corvum laudando deludere voluiſti: Sed quando te mihi das, & concinnas obedientem, ſpero me auditurum a te, quod volo. Age ſodes narra mihi iſtud, quod a fratre tuo ſcire non potui

Quamvis multa meis exiret victima ſeptis.

Victima, inquam, a qua nec Mercurius ipſe abhorruiſſet ἐκ τῶν λιτῶν πλουτιζομένων. Quid iſtud eſt? ait Douza. Narra mihi, inquam, cur *Lipſius*, deliciae orbis Batavi, a vobis abierit? veſtrique tanquam Pelopidarum oblivi-ſci potuerit? at quomodo Lugdunum veſtrum ſiccis oculis abeuntem aſpexit? cur non retinuit? cur aliquo Cupidinis clavo non fixit: nec dulces oculos parentis tui vidit, cum abiret πᾶ τὰς Φρύνας ἐκπεπόμφασι; Videbar Douzae orationem aliquam parare, litaque abrupit. Ut Retiarius olim in arena cantabat. Non te peto, piſcem peto; Sic & tu videris, non me petere, ſed *Lipſium*; me tamen petis, haec in noſtros fabricata eſt machina muros. Sed non cae-

labo te dulciſſimum omnium, quos inter Sarmatas vidi, omnem rem, quam accipe. Lugdunum noſtrum aegre carere coepit Lipſio, homine poſt homines natos doctiſſimo, humaniſſimo, optimo. Te, Bircovi, video in illius amorem abſentis, ignoti, praecipitem ruere; quid faceres, ſi tibi nunc ſeſe ille daret, ſi liceret jucundum os, oculoſque ſuaviari. Sed, quod ſcias, non ſolos tangit Atridas iſte dolor; id eſt illos, quos Muſae noſtrae amant, etiam principibus ille, ac illis, quibus Bellona magis amica eſt, jucundiſſimus eſſe ſolet; adeo omnes illum amant, admirantur; ut nihil illi magis timendum ſit, quam Nemeſis, comes illa fortunae filiorum, rebus laetis ſtatuens modum creſcendi. Quanquam nec iſta nimis timenda eſt illi viro, qui novit faelicitatis propriae cumulum modeſtia ſua diruere; & in tanto fortunae faſtigio rerum adverſarum non obliviſci. Itaque ut ad meos lares veniam, quod ille a nobis diſceſſerit, talis vir, ſive talis heros, doluimus univerſi: Et ſenſerat ille ante futuras noſtras preces, imminenteſque lacrymas viderat; quibus illum proſequeremur, aut fortaſſe de ſententia flecteremus: itaque ſine ſupremis oculis, ſine extremo vale, tanquam rediturus, iter illud longum, ne dicam perpetuum, ſuſcepit. Sed nos hac in re, ah nimium ſecuri; ille in amore noſtro, quo illum efflictim deperibamus, τρυφερος, & tanquam imparium contemptor, at

Εἰ δὲ δικης ἐφθαλμὸς, ὃς τὰ πάνθ' ὁρᾷ.

Poſtquam de reditu illius deſperavimus, varias inibamus cogitationes de divortio iſto Lipſiano. Reſne noſtras habere nobis juſſit Lipſius? Lipſius ille, quo nullus nobis magis amabatur, quo nullus nos magis amabat? O Dî, o Muſae, Dicebant quidam. quod & frater meus attigit, illum patriae ſuae deſiderium ferre non potuiſſe, & imparem illi igni, quem intimas perurentem medullas in mediis undis ſenſerat Vlyſſes; alii; ſed digito labellum, melius iſta taceri poſſunt. Impatiens ego tantae injuriae, non me continui, quin, & tu tergiverſator eris, apage te cum iſto ſilentio tam importuno, mihique moleſto. Heus taceo, inquit *Douza*. Pone metum, inquam ego, ſecurus ſis ἐξαυδᾶ μὴ κεῦπτε νόῳ. Non ego Tiberius, qui tua verba caviller, aut aliquis ex Sabini inimicis Latiaris, ut molles in calamitate animos tuos ad lacrymas deducam; jungam tecum queſtus, parem interea tectum inter & laquearia aliquos, qui non minus turpi latebra, quam deteſtanda fraude ſeſe abſtrudant foraminibus, & rimis aurem admoventes. Erexi juvenis animos omnemque caliginem metus diſpuli, tum ille. Dicebant alteri, Lipſium religionis ſtudio diſceſſionem a nobis paraviſſe; nec enim poterat aequo animo illius vaſtitatem in noſtra civitate aſpicere, quanquam enim non procul erat quoddam oppidum, in quo religioni palam vacare poſſit; nolebat tamen adeo miſere & παρηγῶς religioni ſuae ſtudere, & apertum aliquod coelum, & liberum illi quaerebat, cogitabat. Paulo ante vivebat Diis hominibusque odioſiſſimus ille [1] *Diodorus*, qui aciem ſui calami in ejus Politicorum quaedam capita ſtrinxerat: hominemque interrogatione publica perculit. vidiſti forte librum? Non ego, inquam, vidi: At Lipſii adverſus Dialogiſtam? Vidi iſtum, & legi. Vidiſti igitur ſimul & animum illius candidum, niveum, ingenuum, quam tela alia contemptu

1 *Theodorus Cornhertius.*

ptu ipſo ſpernat, alia levi declinatione vitet: ſunt & illa, quae aperto pectore excipit, & ſpolia verecundiae ſuae ultro det. Vidi, jucundiſſime Douza, vidi, & ut ingenue fatear, quod ſentio, ardentiſſime pugnam illam ſpectabam, & ut olim Scipio pugnam Maſſaniſſae & Aſdrubalis ſpectans, dicere ſolebat, quia ἄγωσι συνειχθεὶς πυκίλοις οὐπω ὧδε ἡδῆναι. ſic & ego, numerabamque me (ô audax meum factum) quartum inter illos qui ἀφροντίδες ſimilia praelia viderunt ἐν τῷ Τρωικῷ πολεμῷ, τὸν Δία λέγει τὸ Ἰδης καὶ τὸν Ποσειδῶνα ἐκ Σαμοθρᾴκης, τὸν Σκιπίωνα ἐκ Λιβύης, καὶ φαίδιανον ἐκ τῆς Σαρματίας. At nobis, mi Bircovi (excepit *Douza*) non nimis amoenum hoc ſpectaculum fuit bellicum, ex illo enim omnia

In pejus ruere ac retro ſublapſa referri

Spes Lugdunenſis. Quomodo obſecro? Attende ſi lubet. Lipſius antea Lubentiae, & Vitulae operatus, totamque vitam ſuperiorem in amoenitate transigens, repente tanquam peſtifero ſydere perculſus, incipit omne, quicquid in illo fuit jucundi & laeti, perpetua anxietate exurere atque triſtiſſimos mores induere. Cum enim in politiſſimo illo & doctiſſimo Politicorum libro, unam in Regno debere eſſe religionem aſſeveranter pronunciaſſet, atque ille turpiſſimus *Diodorus*, & infantiſſimus eum majeſtatis reum impudentiſſimo ſuo rictu proclamaſſet, tanquam eum, qui *urendos ſecandoſque* illos, qui unionem religionis turbarent, ſuaderet; perdolitum eſt vehementer Lipſio, quod ſe apud ampliſſimos Ordines traduceret, tanquam illum, qui Bataviae ſacros aliquos ignes inferret. Et cum illa impuriſſima bellua Granvellani quoque amicitiam Lipſio objiceret, quaſi apud eum δόγματα iſta περὶ μίνα θ discidiſſet: & hoc illi doluit, quod ignotas virtutes, & ignota bona, nova vitia & mala homo ille ſincipitis vacui appellaret. Atqui alia mens erat pacatiſſimo Lipſio, nec ille inter eos ponendus erat, qui vel Aculeones vel Curiones erant; & Granvellani amicitia ille ſemper apprime delectabatur, quae tanti erat, ut omnibus, nedum Lipſio eſſet expetenda. Obſtupui ad iſtos ſermones, mi Lipſi, & ut τὴν σκαφὴν, σκαφὴν dicam, cuinam religioni, remoto ſipario fores in Batavia addictus, incipio quaeritare. Haerebat hîc aqua *Douzae*, & Proteus eſſe volebat, nunc in has, nunc in alias partes ſe vertens de ſuo corio ludebat; Sed Orci galea praeſto non erat, effugere me non potuit. Acrius ergo pudorem illius aggredior; ille cum videret me obſtinatum eſſe velle in quaerendo, noviſſime, ait, Se omnino quae religio tua fuerat neſciviſſe; nec quenquam ſcire potuiſſe; at poſtquam impatientis *Diodori* contumelias ferre coepiſti, & ſcriptione illa incanduiſti, ſuſpicari omnes coepiſſe, te Catholicae Romanae Eccleſiae unum eſſe, quod bellorum illorum graviſſimorum temporibus ſtrenue diſſimulaſti. Atque ut me ex illius ſermone efferam, narrabat, cum te omnium oculi diligentius deſignarent, quomodo viveres; multaeque jam tibi aures eſſent, quae tuorum dictorum arbitrae fuerant; non poteras diutius tam anxiam vitam degere; nec religionem volebas amplius diſſimulare; ſed repetito more ex veteribus Romanis, amicitia tua omnibus hoſtibus Catholicae religionis interdixiſti, & libris tuis, internunciis luculentiſſimis mentis tuae,

primo quoque tempore adhaerere te Romanae Eccleſiae, ſtatui faelici, teſtatus es. Ne mentiar, mi Lipſi, gratulabar mihi de iſto colloquio *Douzae*, & amabam προδωσόμενον ſuorum, ſed nec προδότην odi. Cur enim oderim? Scio digniorem commiſeratione quam odio eſſe, praeſertim in cauſa religionis, in qua veriſſimum illud oraculum de Sectis Galeni eſſe poteſt, a te olim relatum; Οὕτως ἄρα δυσπότρεπτόν τι κακὸν ἐστὶν ἡ περὶ τὰς αἱρέσεις φιλονικία καὶ δυσεκκλιτὸν ἐν τοῖς μάλιστα καὶ ψυχῆς ἁπάσης δυσπατώτερον. Ad te nunc venio, mi Lipſi. Flos unice noſtri aevi, cui unice gratulor & mecum omnes boni, tui nominis ſtudioſiſſimi; quod lucem iſtam unius Religionis, quam hactenus premebas, orbi univerſo extuliſti, & nos amplius dubitare non es paſſus.

Τίς ποθεν εἰς ἀνδρῶν; ποθὶ τοὶ πόλις, ἠδὶ τοκῆες;

Quaerebamus enim, quod ſcias in omnibus aureolis tuis ſcriptis, cujuſnam religionis eſſes, & quia poteramus facile refelli, ſi te noſtrum, id eſt, Catholicum aſſeveranter pronuntiaremus, vehementer dolebamus, & verebamur, ne quid Andria, id eſt eruditiſſima illa Leyda tua, adferret tibi mali. Sciebamus enim illic pulcherrimum orbis atque unicum Athenaeum eſſe, & ut cum Comico dicam, σοφῶν ψυχῶν φροντιστήριον, quod cum ſplendore litterarum, & amore facile te in ſui admirationem & amorem rapuiſſet; ne aliquid de ſcabie illa turpiſſima & foediſſima haereſeῶς tibi allineret, non mediocriter pertimeſcebamus. Ipſa commoratio tua inter illos, quos tu politiſſimos, jucundiſſimos, tertio quoque verbo appellabas, cujus non animum ſuſpicaciorem paulo ante perſtringeret? praeſertim cum ſciremus & Curatores illius Academiae & Profeſſores magna ex parte haereticos eſſe. Timebamus ergo, mi Lipſi, de te μὴ τὴ ῥυμῇ τῆς Φοερᾶς καθάπερ ἀπὸ χειμαῤῥοῦ βίας καταυρῆναι, Imo quod ille ſenex de Menelao olim dixit Ἐκβαρβαρῶσαι χρονίῳ· ὧν ἐν βαρβάροις, idem & de te coeperamus ſuſpicari, Οὕτως ἄρα καὶ τὰ ἄδικα φοβίζῃ τοῖς ἐρῶσι καὶ μενοῖς ἐφθαλμοῖς μαρῦσι πιστεύσαι. Veſtigio enim cum nobilem & ingenuam vocem tuam audivimus, & plane oculis ipſis te Catholicum hominem agnovimus, amori noſtro gratulabamur, quod in eum hominem ferretur, qui illo quam maximo dignus eſſet. Etiam, mi Lipſi, quod mirere, imo quod indignere, auſus eſt non ita pridem *Niegeſſevius* noſter, epiſtolam tuam ad facundiſſimum *Bentium*, quae inter duos perire debuerat, vulgare; & Calendis ipſis Januarii, quibus ſolemus omnes eſſe laetiſſimi, proceribus coram Regni noſtri, de tua epiſtolari laetitia, quam haberes, quod Catholicus eſſes, triumphare. Ego ipſe, mi Lipſe, poſtquam aſpexi hanc, totus prae laetitia vix apud me eram, & indentidem illa Laconum ingeminabam, κοιμᾶσθων οἱ νόμοι τήμερον, & ut hominibus noſtrae fidei gratificarer; iras etiam tuas flocci pendebam; φενεχίαν tu appelles licet, & hominum fidem clames, tanti apud me erat tamen illa laetitia, & amor in te, mi Lipſi. Quod vero in te lubentiſſimi vidimus; idem in aliis avidiſſime ſpectaremus. Satis diu hoc jam ſaxum volvunt, quouſque tandem Afranii ſimulantes erunt?

Quidve petunt? quae religio? aut quae machina belli?

Πολλοῖ quidem ἐν Ἀρκαδία βαλανηφάγοι. Sed medius fidius omnes fungi non ſu-

ſumus, nec l'ἵππος ἵππους παιδὶς βλίχητα τίκτει. Eruditionem, quam pulcherrimam Orbi univerſo oſtendunt, in illis ingenue exoſculamur, quod religionem ſuam diſſimulent, probare non poſſumus. Cur enim probemus? Academia vetus deſiit, de omnibus nunc dubitare non licet, & ut prudentiſſime eruditiſſimus & humaniſſimus inter meos, *Valentinus Pontanus* ſolet dicere, Qui adhuc dubitat, quae nam inter iſtas religio optima ſit, eum ego ſtultiſſimum dixerim, nec capitis ſani. Tot ſaeculis unica illa floruit, nec floreſcere deſinet, ante ſupremam illam mundi totius, quam credimus, ἐκπύρωσιν. Tot illa gentes in gremio ſuo fovit, aluit, ex barbaris, impiis politas, Dei ſcientes fecit; tot & nunc convertit, ipſa nunquam mutabilis, numquam concuſſa, mediis in undis tranquilla. Illa, de qua meritiſſimo jure poſſis dicere, Ὅτι ἐστὶ ἀληθῆς κρείττων μίας ἐλικεγνίσεως, καὶ μόνας ἀρχεγονάπεως. Et quis erit adhuc, qui ejus autoritatem defugere audeat? qui tanquam ὠδαφρονῆντος δεσπότου ſervus ἀρχαῖον πεῆγμα eſſe clamet illi obedire, illius majeſtatem revereri? Dulciſſimum & honeſtiſſimum omnibus ſaeculis fuit mori pro Catholica religione: caeterae quam ἐναντίαι ſint, vel inde cognoſcimus, quod eas iſti profiteri erubeſcant. Neſcio quomodo profiteantur; cum nihil illis inconſtantius, mutabilius, perverſiuſque ſit. Pari ratione affectet pictor nebulam, aut ſonum, aut bullam pingere, aut Polypi, aut Chamaeleontis pellem. *Lutherus* apud eos dux fuit, qui ſibi fidens regebat examen; ſequuti ſunt illum plurimi, & ſpretis puriſſimis illis & ſanctiſſimis Eccleſiae principibus, belluam illam ſecuti ſunt, mancipium ventris, impuriſſimum transfugam, ſtygmatiam ſacerrimum. Iſte mox exolevit, ſucceſſit alter, κακὸς κέρακος κάκιον ὠόν impiiſſimus *Calvinus*, ſed & iſtum audio jam ſperni. Succedunt alii mox ſpernendi. Viperarum partum eſſe jures, mi Lipſi, non ſectarum; quarum nulla naſcitur nova, niſi ante veteri ſublata, eaque ſua parente. Vulgus cum iſtam mutationem rerum, & religionum videt, nec intelligit, quid mirum? in Boeoto aëre illud ubique naſcitur, & ἀναισθησίαν quandam innatam habens, ruit magis quam ſequitur iſtos. Vos certe miror, eruditiſſimi viri, qui ſolem iſtum clariſſimum unius Religionis orbi, diſſimulatione veſtra invidetis, imo tollitis. Oſtenderetis vos libere & audacter quid in religione ſequendum ſit, mora nulla intercederet, tot animas, quae in peculio Orcus ſuo numerat, caelo vindicandi. Nunc cum Diſſimulatiuncula iſta veſtra vobis unice placet, ignorantes & inſcii non prudentiae opinionem nobis debetis, ſed impietatis. Ego neſcio, alter ille dubitat, cujuſnam religionis ſitis, ego opinor Catholicos, alter Calvinianos, tertius Atheos, ille Schiſmaticos; ſurgit aliquis Labeo incorruptae libertatis, & vos omnes impios. Certeque cera dignos pronunciat, ipſiſſimos Epicuros, qui omnia τὰ περὶ θεῶν χλεύην ποιοῦσι, καὶ γέλωτα εἰς τοὺς νόμους καὶ τὰς λόγων ὁμοιοθείας μεταδιώκοντες, εἰ κενοδοξίας ἄυρα ὥσπερ ἀφελοῦσι τὰς πίστεις τρεφόμενοι, εἰ δοξῆς καὶ ματαιότητος. ἄθλιοι δ' ἦλθε μὴ ὄναρ ἀληθοῦς θρησκείας γενόσθαι δυνάμενοι

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θήρια, γαστέρες ἀργαί.

Videt iſta vulgus, vident oculi aliqui prudentiae, illud non intelligit, iſti,

aut damnant inconſtantiae, impietatis, haereſeωs; aut ſannae aliquo genere percellunt, digniſſimos utraque contumelia, quia & minores itis ſtultiſſimo vulgo, dum inconſtanter; & Democriti pulmones meriti; tam ſtulti. Neminem hîc tango apud te, mi Lipſi, nolo nimium ſuſpicax apud eos videri: nolo mihi illorum odia comparare; ſed noſti illos qui ſint, quid σὺν ὄνειρον σοι. Quae vero finis iſtius illorum εἰρωνείας, utinam ille, qui Socratis olim fuit, ut ſcurrae Attici vocentur; ferendum eſſet iſtud hercle, ſed vereor ne excidant, & hoc cognomine, & pro ſcurris, impii, athei, impuriſſimi aliqui haeretici appellentur. Nonne audiunt Platonem ἰουδαίζοντα libere intonantem, τὸ πλαγίον, καὶ ποικίλον ἀπατηλὸν ἦθος ἀγενέςατον, ὥσπερ τὸ δίβυ, καὶ ἄπλαςον, καὶ ἀνυπέλλον, λόγων βελήμασι, καὶ βελημάτων λογοῖς συναδόντων. Mea ſic eſt ſententia, mi Lipſi, ſimulationem diſſimulationemque in aliis utcunque ferendam, at in religione nunquam, laudoque illos, qui implacabiliter excanduerunt aliquando; cum haereſeωs crimine involvebantur. Video enim quid ſapientiſſimus Rufinus ſcribat. *Eſſe quidem* (inquiens) *glorioſum Chriſti exemplo patienter injurias tolerare: at unam notam haereſeωs, qui ferat, vel diſſimulet, non eſſe Chriſtianum.* Idem quanta poteſt animi contentione, clariſſima exclamat voce, ſanctus ille Eremita Hieronymus. *Nolo in ſuſpicione* (ajens) *haereſeωs quenquam eſſe patientem.* Tacebit ergo aliquis, & ſilebit tunc, cum haereſeωs poſtulatur? nunquam, nunquam. Iraſcatur malo, excandeſcat, fulminet etiam, quam ut per patientiae ſuae ἀκαιρίαν, nomini illius teterrimum illud dedecus inuratur. Eloquarne, Humaniſſime Lipſi, quod ſentio, an mihi timendi erunt illi δεκαντωδεῖς Ἑλληνίων παιδες, ne in me virulentos illos calamos ſtringant? Sed ſtringant illi licet, ego cum Diſſimulationem vitupero, diſſimulans non ero, & quae mala venerunt, aut porro venient ex iſta ἀνωμαλία quorundam (diſſimulationem volui dicere) referam apud te, nec timeo illud magni Regis μάνθι κακῶν ἐπίων. *Turnebus* tuus (cum *Turnebum* dixi, amores tuos & delitias, Galliarum ſolem, normam virtutis, βιβλιοθήκην ἔμψυχον intelligo) ille inquam, vir nonne fuerat καθολικώτατος? Heu fatum illius? Indulſerat quibuſdam in verſiculis ingenio ſuo, & liberius in bonos viros luſerat; illico reperti ſunt, qui hominem jam demortuum in ſuſpicionem haereſeωs vocarent, & non Catholicum. (ô nefas, ô mores) appellarent. Scilicet ſi vincerent] atque quod concupierant haberent, conſultum exiſtimabant non male ſuis rebus; ſi abſentem & qui ἐ δάκνει eodem periculo, quo ſe involverunt, immiſcerent. Sed debuerant utique parciores eſſe in manes viri innocentiſſimi, nec illos laedere, qui laeſerunt neminem: Jura ſepulchri violatoribus infamiam irrogant, at iſti μηχανορράφοι, in quibus omnia ἐλικτὰ κἀδὲν ὑγιὲς, qui non jam ſepulchrum Herois illius, ſed innocentiam vitae aggreſſi ſunt, & turpiſſimum, foediſſimumque ſtygma ſanctiſſimae illius memoriae inurere voluerunt, qua cruce, quo patibulo, qua ſcrobe digni ſunt?

ζεῦ, μὴ λάθοι σε τ' δ' ὃς ἀπὸ κακῶν.

Praeſtiterat certe quicquid illud fuit verſiculorum ἰφάιςῳ βορὰν ex illis facere, quam iſtis polypis iſtam πόφαιν relinquere. Sed ille quidem humanitus pec-

peccavit & ſuo exemplo oſtendit, verum eſſe illud Caſſiodori. *Nullam poteſtatem eſſe, quae qualitatem famae ſuae de ore hominum poſſit auferre.* Nuper vero cum audivimus funeſtum illud, & toti orbi deplorandum edictum, in innocentiſſimos viros in Galliis; cum juſſa eſt abire in exilium ipſa virtus, Religio, pietas, ut nihil honeſti oculis occurrere poſſit, ut ſceleratiſſimi quique in caede atque incendiis bonorum graſſarentur; an non vidimus ſimilem ἀπροσεξίαν, ne dicam Ἀπραξικοπίαν *Paſſeratii* tui: Volebat ſcilicet vir ille, eruditione magnus, fama celebris, δῆμῳ πιστὸς ξυλλόγῳ, & cujus lacrymas expectabamus, hujus amarulentiam ante vidimus. Atqui, mi *Paſſerati*, ſi auxilium illi a te litis illius habere non poterant, χρείαν γὰρ βασιλεὺς, haberent utique vel ſolatium: carerent utroque, veſcerere genio, ingenioque tuo ex malo alieno laetanti; non haberent utique ſannas illas, quae ſcurras aliquos magis ex trivio decent, quam viros eruditos. Dionyſio olim quaerenti a Platone, quiſnam foret ſtatus Athenienſium, nihil reſpondiſſe fertur ille, at nebulas Ariſtophanis illi miſit; cognoſceret ex illis, quid de illa Repub. ſentiendum eſſet, in qua liceret ſcurrae illi talia; Nos vero etiam vobis tacentibus poſſumus cognoſcere, quid de Lutetia, ocello illo Galliarum, ſentiendum ſit, in qua *Paſſeratio* tantum licuit. Sed heus tu redivive Ariſtophanes, occident tibi iſti ſoles aliquando, Dii boni, quam luculentam materiam dederis omnibus Eumenidum natis, Haereticis inquam illis, de te ſuſpicandi, convivia, libellos, publica, privataque complendi, clamitandi, te vixiſſe haereticum, communes illis te habuiſſe amicos, communes inimicos. Quo enim pacto melius de aliquo, aut verius judicatur? Scite jucundiſſimus Theophraſtus, εἰ κοινὰ τὰ πάντα φίλων, μᾶλιστα δεῖ νομίζειν φίλους εἶναι τῶν φίλων κοινούς. At quanto melius & generoſius, tu, Juſte Lipſi, de illis judicaſti, qui cum & antea nunquam illos verbo laeſeras; nunc poſtquam emancipaſti, te ex illa crudeliſſima ſervitute, PATRES SOCIETATIS JESU, non alias Catholicae fidei cohortes, quam PRAETORIAS nominare voluiſti: nunc, *Paſſerati*, & verbis illude ſuperbis; plus apud litteratiſſimos viros una litterula poterit Lipſii, quam illa tua Ἀμαρτικὰ univerſa. Sed nec nobiliſſimus *Iſacius Caſaubonus*, qui jure poterit dicere poſtea, cum canuerit, quod olim Auguſtus Ἀνύσαμεν νέοι γέροντες, ἀ νέοι γέροντες ἤκομεν; Iſacius ille, qui cum in quodam carmine Φιλοβασιλεὺς καὶ Φιλέρημος eſſe vellet; cum liceret, non tamen irae ſuae amplius permiſit, quam ut Φεύγων ἐβαρίζοντα illum appellaret, qui volebat occidere, (utar illius verbis)

Τὸν καὶ ἐν ὑσμίνῃς νίον Ἕκτορος, ἠδ' Ἀχιλῆα
Καὶ θώμιδ' ἄνδρας μειλίχιον στέλλειν.

Caeteros ne quidem verbo laeſit: Mirumne optimi patris degenerem filium eſſe, aut probi praeceptoris diſcipulum improbum aſpicere? plena vox illae animi perdite audacis Ἐρείτω Φίλος σὺν ἐχθρῷ, at illa melior.

Πημανεῖν μὲ πάντας ἵεμαι, ἀλλὰ κακιζομένους,
Καὶ σωζεῖν ἀγαθοὺς ἐξ ἀρχῆς δύναμαι.

Sed jacta eſt alea inquit ille. Te, Paſſerati,

— a

— ἃ κὰτ' ὄρη μ᾽ μάτηρ
Ἄρτιμις ἰσμένα τοῖς δαμαθασα
Ὀλισειεν, ὃς ἐπ' ἦμον λόχον ἴδας πεσῶν

At redibis fortaſſe cito ad te, &

Qui nunc is per iter tenebricoſum,
Illuc unde negant redire quenquam.

ad dias luminis oras, & ad odium iſtius, quod nunc amare coepiſti, venies. Fallorne an jam audio iras illas defervescentes, & *Paſſeratium* meum occinentem cum Steſichoro.

Οὐκ ἐστὶ ἔτυμος λόγος τοῦδε σοῦ.

Sed de illo hactenus, & neſcio quo me aeſtus ingenii mei & calami deduxit, ut inducerem in animum καλαμόδοας eſſe, iſta certe ſacra aliter non conſtant, vara vero, ut eſt in proverbio, vibiam ſequitur. Profuerit hoc illi neſcio, illud ſcio, quod elegantiſſime Democritus ad Hippocratem ſcripſit, ἐλλέβορος ὑγιαίνουσι μὲν δοθεὶς ἐπισκοπῆ διάνοιαν, μεμήνοσι δ᾽ κάρτα ὠφελεῖν ἔωθεν. Ad te redeo, clariſſime Lipſi, gratulorque tibi δὶς καὶ τρὶς, quia in vero tuo vultu tandem apparuiſti; & Neoptolemus eſſe Sophoclis maluiſti, quam Ulyſſes.

Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄρισος, ἀλλ' εἶναι θέλω,
Βαθεῖαν ἀύλακα Διὸς Φρενὸς καρπούμενος
Ἀφ' ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα.

Dum finio epiſtolam, ſemel eloquar, quod diu circumrodendum eſſet, libentiſſime primo quoque tempore *Joſepho Scaligero*, illi viro, de quo veriſſime illud dici poteſt.

Παὶ ἐπ' ἀληθείᾳ πεπλάσμενον ἐκ Δίος ἔργος,

illi, inquam, viro gratularer, ſi permitteret aliquando haereticos mendacia dicere, qui eum aſſidue pingunt finguntque ſuum, & palam (quod illius majores factitarunt, qui maluerunt fortunarum detrimentum aliquod pati, quam veritatis; veri & ſoli Veronenſes) oſtenderet ſe Religionem illam ſequi, quam illa urbs cum Petri & Pauli ſanguine ſuſcepit, ex qua nunquam deerunt cohortes illae ſanctiſſimorum eruditiſſimorumque virorum; & verum illud effatum Ariſtidis, licet non de tali milite, qualem nos intelligamus. Ὅτι ἴως ἂν τὴν χώραν αὐτὴν μὴ δυνώνται πύες ἐξίδρας ἀνασῆσαι, μηδὲ κινώσαντες, οἰχίσῃ, ἀλλ' ἀνάγκη ἢ μένειν ἐφ' αὐτῆς τὴν οἰκουμένην ἀμηχάνον ἐπιλιπεῖν ἐκείνην πληθὴ στρατιωτικά. Et ne mentiar aviditſime iſtud quaerebamus in illa luculenta epiſtola, in qua imaginem ſuorum &

Αὐτὸς ἑαυτὸν ἐν εἰκόνι χράψειν ἄρισος Ἀπελλῆς

Sed nec deſperamus illum brevi nos compotes voti noſtri facturum δαῖμος εὐγενῆας χαρακτῆρ. In quo omine utrique deſinamus, tu legendo, ego ſcribendo. Vale, Elegantiſſime Lipſi, & ſi quid inepta ſedulitate offendi, ſtultitiae noſtrae ignoſce; animum, qui in te pronus, agnoſce. Cracoviae. Calend. Febr. Milleſimo Quingenteſimo Nonageſimo ſeptimo.

Εἰς

Εἰς τὸν Δικαίου Λιψιάδην
Οὐκ ἔτι θελγομένῳ ἄξεις νεότητα Δίκαιε
Λιψίαδα, ἀ πόλεων αὐτονόμους ἀγέλας,
Οὐκ ἔτι κοιμάσεις πλέμεα βρόμον, ἐχὶ χάλαζαν
Πετροβόλων λέξεις, ἀ Σειρὴν πρᾶπιδας,
Ὦλιο γὰρ. σὲ δ' πολλὰ κατωδύσαντο μαθηταὶ
Σαρματικοὶ, ἔξαρχ' δ' ἔχοχα Προχνίκι',
Μυρόμεν' καίρυκ' ἄρειτας, γλύκιερον τόμα κόσμυ
Χρυσολύρης μάσης, ἦον ἰυσιφάνευ.
Ad. Iuan. Eumel'.

EPISTOLA DCCXXXVI.

GUILIELMUS BARCLAIUS J. C.

V. Cl. *J. Lipſio* S. P.

Lovanium.

MUlti apud me multa honorifice & ſaepius de te praedicarunt: at nemo hactenus liberius, & libentius, quam hic juvenis cognatus meus, cui has ad te commiſi. Alii effecerunt, ut ad genii & ingenii tui notitiam, brevi, & quaſi compendiaria verarum laudum tuarum via, penetrarem: hic vero ut in eam, januis patefactis, plane pleneque ingrederer, amiciore & familiari magis colloquio, perfecit. Ubi autem non pauca tua in ſe collata beneficia mihi commemoravit, quae ego in meipſum nec opinantem collata reputo, ita fui animo affectus, ut eum hinc diſcedere, ſine aliquo ſtudii erga te noſtri teſtimonio, nefas ullo vix reſolvendum piaculo judicaſſem. Amplector eruditionem tuam, nec minus mores: illa te ſcriptis orbi notum atque illuſtrem, hi bonis omnibus amabilem utique & charum reddiderunt. Eſt mihi in manibus opus, cui titulum dedi, [1] *de Regno & regali poteſtate adverſus Monarchomachos*, id ſe diuturna jam ſervitute preſſum queritur, & manu ut mittam poſtulat: idem faciunt & ex amicis noſtris multi: ſed ego tantiſper differo libertatem, dum teſtibus fide dignis, de me deque Repub. bene meritum ſe oſtenderit: neque enim illi in ſua cauſa teſtificanti fidem habeo, nec mihimet ipſi; caeca nos ſaepe φιλαυλία, ut ſcis, occaecat: qualequale eſt, honorificam

1 Hic liber editus antea Londini 1609. a filio *Joanne*, deinde Hanoviae A. 1612. ſimul cum libro de *poteſtate Papae*. Vide *Baillii* Lexicon de Patre & filio. contra librum ultimum ſcripſit *Bellarminus* tractatum *de ſummi Pontificis poteſtate in rebus temporalibus*; cui Filius oppoſuit *Pietatem*, ſive *Vindicias publicas pro Regibus ac Principibus, & privatas pro Gul. Barclajo parente.* & licet ſuſpectus eſſet Romanenſibus, tamen poſtea Romam cum vocatus eſſet, ampliſſimo honorario donatus eſt. vide *Jan. a Coſta* ad Decretum lib. 11. Tit. 1. p. 343. *Cambdenus* Epiſt. cxxix. dicit a Paulo v. accepiſſe mille aureos, & filium 300. Vertiſſe librum Regis Angliae contra potentiam Papae ſcribit *Lingelsheimius Bongarſio* Epiſt. cxix. De *Barclajo* praeter citatos a *Bailio* vide *Conringiana* pag. 199. & 306. & 309. & nuper *J. F. Fellerum* in monumentis ineditis Trimeſtri x. pag. 539. de ejus commentario in Statium non magnifice ſenut *Barthius* ad Stat. IV. Theb. 796.

cam de te mentionem ante biennium jam factam continet. Est mihi cum variis ingeniis conflictandum, sed plurimum malis, eorum nempe, qui Regna in respublicas, vel, quod verius est, Monarchias in Anarchias resolvere conantur. At bonis placere, quam non displicere improbis, multo mihi satius est. Remitto ad te hunc Cognatum & cognominem meum, qui licet, ut ex ipso didici, vix ulla apud te commendatione egeat, tamen hac nostrae commendationis accessione, erit, ut spero, tibi commendatior. Mitto & hoc amoris erga te mei pignus certissimum, missurus aliquando, si Deus voluerit, multo charissimum: meum nempe gnatum unicum, literis, ut in tam tenello aetatis flexu, Graecis ac Latinis probe instructum. Vix dum excessit ex ephebis, & philosophiam serio meditatur atque velut impetu quodam in id fertur, meque importune urget, ut te docentem audiat: audiet, ut spero, speque fruetur sua. Interim Vale. Pontimussi. XIX. Cal. Majas. CIↃ. IↃ. LXXXVII.

EPISTOLA DCCXXXVII.

GUILIELMUS BARCLAIUS

J. Lipsio.

Lovanium.

OBvius mihi venit noftras ille, qui nuper in Galliam. narravit mihi pericula, quae evasit in itione, pericula certe grandia, sed evasit certe, & fortuna. In reditione, viatici jacturam passus est, praeterea nihil. Quos consulo, incutiunt mihi metum, nihil juvant. sed *alea jacta est*, ibo; *fata viam inveniant*. Dedit mihi animum secretarius Domini Praesidis, suadetque Vervinum tutius eundum. cujus sententiam, nisi quid melius audiero, sequar. Harum lator cupit se mihi comitem adjungere, cujus causa distuli profectionem meam in diem crastinum. videtur non alienum rationibus meis, si vestro interventu vellet Bruxellae pauculos aliquot aureos ille D. Praesidis secretarius a me recipere, reddendos Vervini a servo aliquo ejusdem D. Praesidis. Res tanti non est, ut requirat scriptionem tuam, satis est si scripserit *Rubenius*, quod vehementer velim, tuo jussu, haud dubie, ut ille scribat, & iste negotium curabit. scripsi audacius ad te etiam in negotiolo, ut videas velle me vel aliorum beneficia proficisci ab amore tuo. quo quaecunque finita sunt sua ipsa jocunditate mihi certe quidem jocundiora. Vale. persuadeas tibi velim, annum ante inversas ducturum vices,

Quam tua sub nostro mutetur pectore cura.

Iterum Vale. Bruxellae VIII. Idus April. CIↃ. IↃ. XCVIII.

EPI-

EPISTOLA DCCXXXVIII.

J. LIPSIUS

Guilielmo Barclajo.

Lutetiam.

LItteras tuas, mi Barclaji (talis es, atque eris) aut fero reddi, aut non reddi, magis eſt ut doleam, quam mirer. Quis tempora, turbas, fraudes etiam neſcit? eripiuntur, aperiuntur, abjiciuntur: & fit miſellis, quod ipſis hominibus ſolet, ubi fides non eſt & candor. Sed beata pax, cujus plenam lucem certamque vidimus, haec atque alia reſtituet, & vias has miſſitandi muniet diu neglectas. Equidem etſi languens, & quod ſequitur, ignavus, non parcam tibi ſcribere, quem verbis obligavi: ſed & factis velim. non ſumus τῶν χρηστολόγων, ut ſemel hoc dicam. Ad rem igitur: tuas ternas paene eodem tempore accepi, & unae ex iis me hilararunt. Erant enim de quiete aliqua jam tua, & loco certo apud *Paullum Moraeum*, quem virum, praeter ingenii & doctrinae, hoc quoque nomine amo. Amo inquam, quia te non amat ſolum, ſed curat. Ad eum ecce ſcripſi. Puto & ad *Stephanum Turnebum*, qui benevole & diſerte ſane ſcripſit. De *Thuano* quid dicam? ſolet me amare, nec cauſſam equidem dedi cur mutaret. Siquid audies, ſcribes: imo & de aliis, ſiqui in nos in alterutram partem inſigniter affecti. Etſi in bonam, ſpero plures.. nec odia ſane provocavimus, & noſti mite illud καὶ ἤπιον ingenii noſtri. Quod ad *Marcilium*, amicum habeo, & litteris notum: neque neſcio tamen liberiorem judicii, & linguae eſſe, quod vitem ipſe magis, quam damnem. Cuique ſui mores. Tu, mi Barclaji, ſi me audis (& debes ex animo monentem) [1] modeſtiam inprimis indues, imo & animi quoddam frigus, ſi vivere, amari, provehi vis in externa illa gente. Quae neſcio quomodo exterorum fovens, & inſitam hanc benignitatem habet: ideoque & cedi, & faſces ſubmitti ab exteris, ſuo jure cupit. Mei omnes valent, te ſalutant & amant: tu me, qui nunc praeter ſolitum languebam, an & deficiebam? Neſcio, ille videbit, qui me fecit: & idem, cum volet, diffinget. Vale. Lovanii poſtr. Kal. Sextil. ∞.ıɔ.xcviii.

Exemplar Teſtimonii mei, quod cupiebas, hîc habes.

1 Idem monet Lipſius in epiſtola eodem anno ſcripta Centur. III. Miſc. XXXIII.

EPISTOLA DCCXXXIX.

J. LIPSIUS

Guilielmo Barclajo S. D.

Lutetiam.

EGo vero libens ad te ſcribo, & in ea loca, quae amamus. Nolo mihi imputari hanc opellam: delector ipſe, cum uſurpo, & praeſertim cum

vos tales video ſic impetu ferri ad bona & honeſta. maneat illa mens, creſcat illa mens, & magis magiſque incaleſcat a concepto igne. Gaudeo augeri illic non ſtudioſorum tantum numerum, ſed & doctorum. Quorum inter apices ſi *Caſaubonus* illic ſtabilis eſt, vere dicam eos beatos; Sed & *Janum Wouwerium* amo jam olim, & placet eum ibi eſſe, & quidem familiarem tuum. Modeſtum ingenium eſt; Germana probitas, ut quidem novi. De Tacito noſtro, una re dolet recudi, quod ſunt in eo mihi non pauca, vel addenda vel immutanda. Cur Typographi non ſignificant? vendibilior liber, & addo, utilior eſſet. Sed vos ſupplete. parum eſt, ego an alius moneat, ſi moneantur. *Joſiam Mercerum* novi & os vidi in Batavis, & ſemper amavi. Saluta, ſaluta, una [1] *Franc. Douſam*, amatum mihi inter omnes *Douſas*. unum excipio, qui utinam nunc eſſet! *Franciſcum Pythaeum* bis amo. nam & ipſe meretur, & a fratre aliquid in eum derivo, etſi externa hereditas ad liberos ivit. Sed ipſe hanc affectus in parte cernat, imo ex aſſe, ſi volet. Mei te amant, & ſalvere jubent, ipſi brevi ſcripturi. *Goſpaeano* noſtro feliciter acclamo & ſophos. nam hic audimus eum propitiis Venere & Gratia docere. Saluta, & redamare certo nuncia. Plura non poſſum, etſi libet: tabellarius abit, & heri veſperi demum tuas accepi. Lovanii, Nonis Octob. ∞.IↃ.XCVIII.

1 Vide ſupra Epiſt. CCXXXIV.

EPISTOLA DCCXL.

J. LIPSIUS

Guilielmo Barclajo S. D.

Lutetiam.

QUi has dabit, filius Praeſidis *Brullarii* eſt, egregii & ampliſſimi viri, nec indigna eo proles. Is cras abit, nec nunc inter vota & ſacra ſatis vacat ad omnia diſtincte & κατὰ μέρος reſpondere. Gaudeo tamen, quia tibi bene ſatis & honeſte eſt: ac voces ad nos etiam manant creſcentis ibi tuae famae. Sit ita longum, imo magis magiſque ſurgas; ſed ita, ut eruditio tecum & virtus. Solida ſi ſpectes, ſuperſtrues famam firmam & ſubſidere metuentem. De Tacito noſtro coepto excudi, iterum dico, vellem praeſciſſem. Sed nunc numero quid mittam? Pergant cum bono Deo, ſi coeperunt: & haec tamen pauca, ſeorſim quae ſcripſi, tu videbis, & (niſi ſerum ſit) intexes & reſcribes. Statium etiam te docere, gratum eſt: alti & ſublimis ingenii poëtam, ſi quiſquam fuit. Eſt apud me Silvarum liber manu deſcriptus, nec nimis tamen vetus. In eo lego, ubi eſt vulgatum: Equo Domitiani,

Qui feſſus bellis aſſertae munere prolis,

Lego, inquam, *adſcitae munere prolis*: & vox ea magis apta ad Adoptionem. Ibidem,

— *hinc Julia templa tuentur*,

Ha-

Habet is codex; *Julia tecta.* quod rectum cenſeo, & *Baſilicam Juliam* capiendum. Alias, duo haec templa Julia turbant. & mihi id factum in *Admirandis.* Ibidem

Aurea captivi crinem tegit ungula Rheni.

Credam aptius, *terit ungula*, ut habitum equi magis repraeſentet, ſublato pede quaſi ſtringentis & adhaerentis caput Rheni. In Epithalamio Stellae

— *& olenti ſpargere thymbra*:

bonum eſt, nec improbum quod in ſcripto, *ſpargere nimbo.* Jaculationes illas florum, fortaſſe & odorati imbris intellegit: quae, bona metaphora, ſunt *Nimbi.* In Calendis Decembribus:

— *Jam bellaria adorea pluebant.*

Intellego, nec damno. quid tamen ita ſcriptus,

Jam velaria linea pluebant?

An ad vela amphitheatri ſive theatri reſpectum, & quaſi ex illis iſte nimbus, an pluvia! Scripſi de iis in Amphitheatro. Ibidem

Molles Cajoli Laguncalique.

In ſcripto, *Lagunculique.* certum, *Lucunculique.* In Lacrymis Etruſci:

— *& immitem potuit Phryga flectere ſupplex.*

Vetus *potuit Styga.* Sermo de Orpheo eſt, & notum Platonem ab eo exoratum in ſua Eurydice. Ad Claudiam uxorem:

— *ter me vidiſti Albana ferentem*
Dona comes ſanctoque indutum Caeſaris auro.

Vetus: *ter me nitidas Albana ferentem, dona comas.* Serta intelligit: nec ipſa uxor in Palladio certamine, opinor, ei comes. Sed avocor. vale: tecum Goſpeanus, quem amo, & gaudeo ad Hellenica ſe dare. a tuo juniore Barclajo nihil ego litterarum, videat cui datae. Lovanii Poſtr. Kal. Novemb. ɔɔ. Iɔ. XCVIII.

Alias ad *P. Moraeum* noſtrum, nunc animo ſalutatum.

Hanc ex Autographo deſcriptam nuper edidit *Jo. Mathias Geſnerus* Duci Saxoniae Weimarienſi a bibliotheca, in gratulatione ad Sereniſſimum Principem ac Dominum ſuum, quod natalem LXII. attigerit pag. 75. ſed in quibuſdam aberraſſe virum doctum deprehendet lector, qui utramque epiſtolam conferet: edidit idem vir doctus alteram *Lipſii* epiſtolam ad *P. Wanerium* cognatum ſuum, quem ego plane ignoro, & niſi autographum *Lipſii* viderim, vix credam illam epiſtolam a *Lipſio* exaratam: ita tota dictio a *Lipſii* ſcribendi conſuetudine abhorrere videtur: argumentum etiam neſcio quem alium auctorem fuiſſe indicat judicent, qui poſſunt.

EPISTOLA DCCXLI.

J. LIPSIUS

Guilielmo Barclajo S. D.

Exteriam.

MIrum eſt de tuis epiſtolis ſcriptis, & non redditis: certe ego, ubiubi culpa, nullas a tribus menſibus accepi. At de te & cogitatio, & ſermo tamen fuit. Quid ſi etiam brevi videamus? ſed delibero an euntes in Ita-

liam, an ex ea redeuntes. Tu in itu malles; & de reditu, quod nollem, paene desperas. Quis Phoebus tibi mentem movet? falsus, ut spero, & mei ac patria me habebunt. Confide Genio & fato nostro, quod fraudes istas aut scelera occulta vincet. Si tamen aliter, fiat quod futurum est: & ubicumque, sine querela aut renisu cadam. Nonne & hîc mortalis sum? nonne satis etiam naturae & famae, non dicam gloriae, vixi? Vixi, vixi, veni mea Parca quando voles, & volentem ad meliora atque aeterna illa loca abduce. Sed ante tamen, non nego, videre Galliam vestram gestio: vota igitur mecum interpone ut fiat, & laetus ac libens libentes ibi amicos amplectar. Sed ut nunc puto, in reditu & rationibus meis magis sic conducet. De Epistolis meis edendis, o nefas! o Galli, non Galli, si permittitis! Ego publice damnabo, ego ad Regem voce aut scripto accedam, si opus. Vides me indignari, quidni in re tam indigna? Vale, & manibus pedibusque resiste & interpella. Antverpiae, Kal: Jun: ∞.ıɔ.xcix.

EPISTOLA DCCXLII.

SCIPIO GENTILIS

Cl. V. *J. Lipsio* S. D.

Lovanium.

NUnquam antehac ad te scripsi, deterritus & verecundia quadam mea subrustica, & aspectu magnitudinis tuae. Nam haec res, quae alios allicere ad scribendum solet, me (ut dixi) deterruit ac revocavit semper. longissime etiam ab eorum ambitione remoti sumus, qui se digito coelum putant attingere, si, cum ad magnum aliquem virum nulla saepe ratione scripserint, ab eo literarum aliquid sibi rescriptarum ostentare possint. Te & tua scripta sane credas quenquam pluris feciſſe ac facere, quam Scipionem Gentilem, gloriari quoque soleo, me unum de auditoribus tuis fuisse: quo tempore non magis auditorium, quam domus mihi tua patuisset, si uti voluissem. nec tamen vel colloquiorum tuorum vel humanitatis plane expers Lugduno discessi. Postea nunquam tecum, perpetuo cum libris tuis fui. At tu me, quod ruborem mihi fere incussit, & Francofurto olim per popularem tuum humanissime salutavisti, & nuper literis ad collegam meum datis eodem (sic accipio) honore impertivisti, & quidem manu tua, cum essent caetera aliena scripta. Veterem amicum appellavisti. ergo ego jam non verecundus & rusticus, sed lapis aut caudex sim, nisi scripsero. Tacuissem tamen & hoc tempore, nisi *Joachimus Camerarius* his ipsis diebus ad me misisset Disputationes politicas *Scipionis Ammirati*, sermone Italo scriptos in Cornelium tuum. qui etsi mentionem tui, quod sciam, nullam facit, tamen legi vel audiri Taciti nomen non potest, quin tuum quoque simul (ut ita dicam) legatur & audiatur. & quod in praefatione scribit (vidisse enim te arbitror) ea praecipue causa motum se, ut hunc authorem eligeret, quod in omnium jam manibus versaretur,

tur, id ad te unum pertinet, qui ut verſaretur, effeciſti. Nam ante te quis Tacitum legebat? non certe populus. De hoc igitur Politico immenſum eſt, quam cupiam judicium tuum intelligere. & num hunc innuere volueris in praefatione ad Tacitum tua. Nam *Annibal* quidem ille (ſiquid judicii mei eſt) nihil ad hunc *Scipionem*. quanquam illum vix inſpexi. nec operae erat. Hic mihi non multum nugari videtur aut ludere, niſi forte offendit prolixitas, quam tu commune vitium hujus aevi alicubi vocas, ego magis civitatis Florentinae. ne meum etiam videri poſſit, finem faciam. Bene vale, & ſi nos, id eſt literarum amantes omnes, valere vis, quamplurima ſcribe, remque Romanam, ut inſtituiſti, illuſtra. Altorphii Kal. Maji. 1597. Hic, qui has literas ad te, ut opinor, perferet; adoleſcens eſt Norimbergenſis VII viri filius honeſtiſſima familia natus. Gratiſſimum mihi feceris, vehementerque ad honorem meum pertinere putabo, ſi intelligat ex te me abs te diligi.

EPISTOLA DCCXLIII.

J. LIPSIUS

Petro du Fardin S. D.

Athum.

CONſuetudo mihi tecum etſi non interceſſit, tamen cum iis, in quorum locum ſucceſſiſti, & laudabiliter nunc tenes. Schola veſtra Athenſis alumnum me habuit, & ſalutari doctrinae ſucco puerum aut adoleſcentulum me pavit. Itaque jure faveo, & quanquam *Petrus Torrentius*, *Joannes Feſtuca*, veteres mei Profeſſores obierunt, tamen manet affectus & inclinatio in ſucceſſores. Atque in te jure, quem communi teſtimonio feliciter & utiliter regere audimus hanc juventutem. Deus porro proſperet, & animum vireſque det perſeverandi, & hac tam minima parte Eccleſiam & Rempub. juvandi. Ego toto animo juvo, & incrementa (ſi poſſum) procurem; uti nunc civis quidem noſter filium eo cum matre mittit, quem ut commendatum a me habeas, amanter rogo, & me quoque utere, ſi quid commodum aut utile tibi a Lipſio eſſe poteſt. Lovanii VI. Kal. Junias CIↃIↃXCVII.

EPISTOLA DCCXLIV.

J. LIPSIUS

Nicolao Micaultio S. D.

MEmorem te mei, ſed & promiſſi tui, litterae loquuntur: quas legi equidem libens, & maxime ea parte, quae de reditu Praefecti maritimi Aragoniae (Graeci *Amir-halium* vocarunt, compoſita ex Arabico & Graeco voce) quae de ejus, inquam, reditu narrabat. Bono Deo venerit, bona attulerit, uti ſpero. Si rumoribus hic noſtris (ſcis officinam fabellarum eſſe) credas,

das; regna & nuptias affert. quae tamen non ſolum noſtri hîc forenſes & ſubroſtrani jactitant, ſed litterae ex Italia identidem confirmant. nolim haec temere de Principum rebus conſiliisque ſpargi: ſed quid agas? *Gazettae* Italorum haec non in aurem, ſed palam & ubique gentium divulgant. Fiat, fiat, & vota noſtra conſonant, & ipſius merita: quae creſcent in dies, ita virtus & prudentia ejus pollicetur. Ambianum ſunt qui premi aut periclitari velint, ſunt qui rident conatus hoſtium: & falli poſſum, ſed inter hos ſum ego. Rideo, inquam, ſi ſerio viſum noſtris ſubvenire: ſi pax non diſtinet, aut diſſipat, de qua ipſa litterae ſunt & ſermones. Credere me iis dicam? mentiar, optarim veraces fortaſſe eſſe: ſed magis optarim concordiam cum Batavis, & reliquum limitem liberum, augendo noſtro Regi. Sed vota ſunt: illi obdurant, nec niſi metu, minis, ferro, fortaſſe flectentur. Plura a te, cum redieris. nec enim ita clauſa Aula eſt, ut non aliquid emanet: etſi probo mehercules clauſam ab iſto Prorege eſſe. Paucos in vulgus ſermones de publicis eſſe, decorum eſt, & expedit: & aliarum, ſuarumque rerum, plebs eſto. *Vanden Brandium* Conſiliarium de ſilentio meo queri, gratum eſt: ergo amat, ergo deſiderat. & quo magis, ego aſtu, ut faſtuoſae amicae, paulliſper torquebo. Sed extra jocum, amo & ſcripturio, ſed quod argumentum eſt? faciam tamen brevi, nunc ſalutem ipſi, & *Boiſotto* optimo & tranquilliſſimo ſeni mitto. Sed ante omnes; adfini tuo Audientiario, qui me inter beneficia habet, & *Praefecto Lingenſi*, itemque *Canonico* fratribus. Salve & tu, mi amice Micaulti: Lovanii, cum ad ſollennia mea, id eſt lectionem irem. VII. Kal. Julias. ∞. IↃ. XCVII.

Haec epiſtola ad *Micaultium* ſcripta paullo ante ejus iter Italicum, quod menſe Auguſto ſuſcepiſſe docet Epiſtola *Lipſii* ad Italos LVIII. qua eum *Sacco* commendat, & genus & dotes ejus laudat. vide & ſupr. ad Epiſt. DCXXI.

EPISTOLA DCCXLV.

J. LIPSIUS

Nic. Micaultio S. D.

Romam.

INfelicem iſtam ſortem, quae nec nunc litteras meas paſſa ad vos venire! Atqui iterato ſcripſeram ad Illuſtriſſimum illum, ut debebam, & ad te, ac miſi per fratrem tuum Audientiarium, uti monebas. Miſi & Antverpienſi via, quo ſecurior res eſſet. Litterae illae datae erant VI. Kal. April: & interea tertias quoque miſi, in quibus ad Illuſtriſſimum *Columnam* item adjunctae. Ita tres jam ad noſtrum Illuſtriſſimum dedi; & in ſecundo faſciculo erant ad [1] Illuſtriſſimum *Baronium*, in tuam gratiam ſcriptae. Puto jam certe acceperis, & videbis nec amore nec ſcriptione ab eo victum. *Berſaeus* ſive *Monmorantius* ad nos nondum appulerat: atque ita litteras Illuſtriſſimi *Baronii* nondum vidi. Mitto tamen hîc juncta exemplaria iterum, ſi forte priores periiſſent. Itinerarium veſtrum accepi. & o Principis illius benignitatem, & veſtram

1 Vid. ſup. Ep. DCXXI.

ſtram item diligentiam! ego vero huic amori reſpondebo, & quanquam multi (& praeſertim Aula vel Schola noſtra) diſſuadeant, vano emanſionis metu: tamen veniam, & Principibus illis viris me ſiſtam, jucundius vel victurus, vel etiam moriturus poſt hunc aſpectum. Ex animo loquor & ſcribo. Quod ad monita veſtra in Itinerario, pleraque omnia probo, & ſervabo. De pecunia autem transſcribenda, mihi commodius videbatur in duas tantum partes dividi: & unam Antverpiae accipi, alteram Mediolani. Cauſſa eſt, quia non poſſum (puto tamen quod via Germanica, ſed puto.) firmiter decernere, qua via ad fines Italiae ſim venturus: quia vel bellum & periculum, vel contagio & peſtis in aliquo loco, poſſunt decreta noſtra ſubito immutare. Itaque meo judicio Antverpiae pecuniam ſi habeam, ego ipſe ſubito in itinere jubebo eam Francofurtum vel Lutetiam (uti res erit) transſcribi. Nam Lutetiam quod nomino, multi Gallicanum iter ſuadent, ut tutius & hoſpitiis melius: & amici ibi valde me, ad tranſeundum ſaltem, invitant. Sed videbo, & D. Protonotarii etiam (ſi adhuc ibi) conſilium audire velim, cui hac in re merito acquieſcam. Haec ita minuta ad Principem non ſcribo, per te magis decore dicenda & curanda. Velim autem ut in tempore literas permutationis ſine cambii accipiam, quia tempus ſtatim labitur, & ego me ad iter dabo (cum bono Deo) initio ipſo menſis Septembris. Comites aliquot jam habemus honeſtos & idoneos; De *Richardotis* pater rem totam mei judicii & ſententiae fecit, quam nondum tamen tuli ob cauſſas. Via nobis otioſa non erit, & Itinerarium ſtruam, cui aliquid inaedificabo, quod & poſteri legant ac ſpectent. Ex ipſo itinere identidem ad Illuſtriſſimum noſtrum ſcribam, & de via reddam certiorem. Itaque de lectica aut eſſedo ad Apennini tranſitus in tempore licebit videre. *Deſboyſio* ſalutem & gratiam dicito, pro opera navata. Ad *Saccum* ſcribam jamnunc: & omnino Comeſtabilem videbo, qui mihi ſcripſit a Rege (niſi quid interea mutatum) in ſua praefectura ſe confirmatum: quod non dolet, ut inquit, mei illic videndi cauſſa. Vale, mi Micaulti, & quamprimum ſignifica, quid mearum acceperis. Lovanii, Pridie Idus Majas. ∞.ıɔ.xcıx.

EPISTOLA DCCXLVI.

MATTHAEUS RADERUS

V. Cl. *J. Lipſio* S. P. D.

Lovanium.

IGnoſce, Lipſi doctiſſime, quod Davus ad Oedipum. Mihi ſane verecundiae fuiſſet ad te ſcribere, niſi me *Andreae Schotti* noſtri litterae impuliſſent, ut auderem, quod equidem optabam ſemper, ſed retinebat pudor, ne per ambitionem affectare tuam amicitiam viderer. Nunc ejuſmodi res eſt, ut nemo ſanus, ubi cauſſam cognoverit, factum meum jure poſſit reprehendere. Inſtitui, voluntate majorum meorum, commentari aliquid ad Martia-

lis epigrammata, quod in uſum ſit gymnaſiorum noſtrorum, ea ratione, ut obſcaenis detractis, nec meis vel alienis repoſitis (quod in epigrammatario facillimum eſt, cum epigramma non pendeat ab epigrammate) purus putus Martialis praelegatur: illud ne juventutis honeſtas violetur aut offendatur; nam

Παιδ' ἐτ' ἐόντα χρεὼν δὴ καλὰ διδασκέμεν ἔργα.

Hoc, ne vel noſtra pro alienis venditemus, vel parum feliciter ingenio poëtae reſpondeamus, frigent enim plerunque aliena ſenſa, praeſertim diſtorta a mente & ſententia ipſius auctoris. Probavit nuper has cogitationes meas *Andreas Schottus* cum hac iter Antverpiam haberet, & hortatus eſt vehementer ut ſuſceptam curam urgerem, ad eamque rem, ex itinere, indicem copioſiſſimum in Martialem a *Joſepho Langio* concinnatum, & Argentinae editum ad me tranſmiſit, ſimulque per litteras docuit ſe Lovanii ex te cognoviſſe, collecta tibi quaedam & conſcripta in eundem poëtam, foreque, ſi peterem abs te, uti impetrarem. Quod ego, niſi ex aliorum ſermone, qui te familiariter noverunt, ſpem concepiſſem, & vero tuam ipſius ſingularem & humanitatem & animi liberalitatem, ſcriptis tuis omnibus velut imaginem impreſſam, cognoviſſem, petere non tentaſſem. Quare ignoſce, mi Lipſi, ſi, quod jam orbis terrarum facit, ego quoque faciam, & ad commune Muſarum oraculum properem, atque conſilium inde auxiliumque petam. Collegi jam haud pauca partim ex criticis tuis, partim aliis aeternis curis, quas in litteras miſiſti. Sed ſi quid repoſitum, quod nondum prodiit, habes, quaeſo te, per communia Muſarum ſacra ſpemque publicam juventutis, communica nobiſcum. Addes commentario noſtro ſingulare ornamentum, & efficies, ut vel hoc uno nomine liber omnibus gratior optatiorque exeat, ubi teſtimonio publico noſtro conſtiterit, nos abs te plurimum adjutos eſſe. Vale. *Pontanus* noſter, Collega meus, & tuorum laborum aeternus admirator, te plurimum ſalvere jubet. Auguſta Vindelicorum e Collegio Societ. Jeſu. 6. Cal. Auguſti. M. IↃ. XCVII.

Reſpondet *Lipſius* Centur. III. Miſc. Epiſt. 30. & *Raderus* ex ineditis *Lipſii* epiſtolis fragmentum profert in judiciis doctorum virorum, quo eum *Lipſius* hortatur, ut properet editionem. profert & ex *Scaligeri* Epiſt. 159. ad *Velſerum* elogium commentarii ſui. ſed vellem & horum virorum judicia exhibuiſſet de caſtratione Poëtae, (quem qui integrum nolit legere vel edere, elegantius faceret, ſi plane abſtineret) quae legi poſſunt in *Lipſii* Satyra Menippea. pag. 640. & in *Scaligeri* Epiſt. 245. & 246. quibus adde epigrammata a *Crinito* producta Animad. Philol. tom. III pag. 18. adde quod offendere ipſis rebus liceret, edita a Radero & expoſita eſſe epigrammata multo liberiora & obſcaeniora illis, quae reſecuit. Utilem vero ejus commentarium & doctum fatemur, & nihil impedit, quo minus *Barthii* judicio, quod promit ad Stat. VI. Theb. 6. ſubſcribamus. vid. *Claver.* ad Perſ. Sat. IV. p. 188. & *Lingelsh.* Epiſt. in Actis Literar. *Struvii* Faſc. VI. p. 10.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA DCCXLVII.

J. LIPSIUS

Philippo Ayalae, Curatori Aerari Regii.

Bruxellam.

LEgi ſcriptum [1] fratris tui ſuper pace; quam animo optat, re non ſperat, eoque diſſuadet. Volebas judicium meum, breviter dabo. Scriptum veſtrum probum prudenſque eſt, bene diſpoſitum & argumentis rationibuſque ſatis firmum. Non tamen ea accuratione aut fine ſcriptum (facile hoc video) ut edatur: & publica illa ejus ſcripta longe antecellunt. Enimvero principibus viris oſtendi, non abs re ſit: & peccatum in hac re ſemel iterumque cenſeo, cum pacem obtulimus, imo paene petiimus, quo fructu, niſi amiſſae aut certe labefactatae authoritatis. Atqui id fulcrum & baſis eſt, cui magnitudo haec rerum eſt innixa: & frater tuus eam partem pulchre tractat. Ego vero nec a pace, nec a mentione ejus abhorreo: ſed tunc denique cum maturitas erit, & ſpes probabilis aliquid conficiendi. Quae nunc ubi eſt? hoſtes in rebus laetis, & (ut ipſi putant) tutis agunt: quibus pacem oſtendere, quid eſt niſi revelare metum? Vim & terrorem infer, & tum de pace denique confer: fortaſſe frangi ſic pertinacia poſſit, & ſanitas inſeri ac modeſtia diu amiſſa. Sed haec alias, & cum iterum tempeſtivum erit: nunc adoleſcentem hunc Scotum genere, ſed olim ex mea diſciplina, commendatum tibi velim, ut conſilio vel auctoritate juves, auxilio omnino dignum. Ingenium & doctrinam ſuae aetatis habet. Nobilis & Clariſſime Domine vale, & ſerio atque in animo tuum eſſe me cenſe. Lovanii, III. Non. ∞. IↃ. XCVII.

1 *Balthaſaris Ayalae*, qui ſcripſit de jure, officiis bellicis & militari diſciplina. vide Valer. Andr. Bibl. Belg. & Sweertii Athen. Belg. hic vero liber de pace non exiit.

EPISTOLA DCCXLVIII.

JOANNES MEURSIUS

J. Lipſio V. Cl.

Lovanium.

QUae humanitas tua eſt, Vir magne, amorque erga literas eorumque ſtudioſos, non aegre feres ſcribtionem hanc ab adoleſcente tui nominis amantiſſimo obſervantiſſimoque profectam. Amo enim venerorque jure viros magnos & ab eruditione claros; tu, ſpero, immo vero confido, non ſpernes hunc animum. Teſtandae itaque obſervantiae fructus ſtudiorum meorum puerilium & παιδικὰ ἀθύρματα mitto ad te, quae ſi grata fuiſſe intellexero, pretii abunde retuliſſe me judicabo. Velim autem (ſi inſpicere modo has nu-

1 Reſpondet ad hanc, ſed breviſſime, Lipſius Ep. CXIV, inter Gudianas pag. 197.

nugas libebit) ſevere corrigas, atque id etiam atque etiam a te peto. In proximas nundinas Auctarium dabimus, in quo retractationes aliquot emendationum, quae poſt editionem relegenti diſplicuerunt; ſiquidem, ut ajebat Crates, *ἀδύνατον ἀδιάπτωτον εἶναι*. Dabimus & ad Macrobium Curas Secundas, forte etiam Catonem de Re Ruſtica. In Auguſtino de Civitate Dei ſi quid item juvare potes, rogo ut facias. Vale, vir magne, & redamare me nominis tui amantiſſimum obſervantiſſimumque ne dedignere. Lugd. Bat. Prid. Kal. April. anno cIↃ. IↃ. xcviii.

Hoc paene imprudens praeterieram. De [2] Germanico quid cenſes? verſionemne iſtam Arateam & commentarium eſſe unius auctoris? non credo; nec mihi videtur: & ut illam Germanico libens aſſignarim, hunc tamen ut aſſignem non facile inducar. Teſtis mihi ecce inſignitus unus ille locus in Prognoſticis, ubi de Luna. *Eadem Luna, eadem Diana, eadem Proſerpina vocatur. id eſt, coeleſtis, terreſtris, & infernalis. De qua quidam.*

Denique cum Luna eſt, ſubluſtri ſplendet amictu,
Cum ſuccincta jacet calamis, Latonia Virgo.

Atqui verſus iſti Prudentii ſunt e libro primo adverſus Symmachum, quomodo itaque potuit citare Germanicus aetate tanto ſuperior? Judica, vir clariſſime, & reſcribere dignator; meruit certe id, audenter dicam, mea in te obſervantia, quam non aſpernabere, ſi te novi.

2 *Barthius* id credidit lib. x. Adv. 21. & xlvii. 18. ſed idem tamen ſuſpicatur, forte *Fulgentium* eſſe auctorem commentarii. multa enim in *Fulgentio* ad verbum eadem reperiuntur: vide *Muncheri* Diſſertat. de Hygino, qui oſtendit Chriſtianum fuiſſe.

EPISTOLA DCCXLIX.

JOANNES MEURSIUS

V. C. *J. Lipſio* S. D.

Levanium.

Literas tuas hodie accepi, vir maxime. Ego vero etſi vehementer te antea cum veneratione quadam mentis tacita amaverim, nunc tamen multo magis idipſum facio, cum dignum me habueris, cui reſponderes. Et animum profecto addidiſti, quem detrahunt nimis, qui ea ſectanda clamitant, quae ad farinas; & ab elegantioribus his litterarum ſtudiis omnibus modis abſterrent, certe conantur. Vix credas quam tardarit haec res impetum ingenioli mei, qui tamen regliſcit paullulum, & vires reſumit refocillatus tuo ſole. utinam, utinam per tempora haec turbida, & patriae ſtatum, complecti te liceret, & loquentis ab ore pendere, arrectisque auribus Muſicum illud nectar haurire. Plane exiſtimarem me quovis Craſſo beatiorem. Vale, literarum columen, & me, quod facis, amare perge. Dom. *Scaliger* viciſſim te ſalutat, quem ſcito ſtrenuum laudum tuarum praeconem. Lugd. Batav. Matralibus. cIↃ. IↃ. xcviii. Deſerto S. Theologiae ſtudio, Juri me applicui: magis hoc ar-

arridet, & Genio meo longe convenientius. Nec tamen ideo committam, ſpero, quin AETERNITATEM COGITANS Deum meum & pietatem conſtanter colam. Hoc volebam neſcius ne eſſes. Iterum vale.

EPISTOLA DCCL.

JOANNES MEURSIUS

V. Cl. *J. Lipſio* S. D.

Lovanium.

CUm *Anakema* tuus, V. Cl. jam etiam meus, iter ad vos repeteret, & aliquid quoque a me peteret, nefas exiſtimavi non parere homini amico, & in re tam mihi grata, & tibi debita. Vera enim voce: tantum eſt tuum in omnes litteratos, & literarum ſtudioſos meritum, ut qui non, quicquid poſſint, id totum tibi ſemper debere ſe profiteantur, merito maximae ingratitudinis apud tribunal illud Gratiarum accuſentur. Tu fortaſſe, quae eſt animi tui modeſtia, non agnoſces; interim verum hoc eſſe nulli non conſtat. Atque utinam ſane permutare ſaltem inter nos literas libere poſſemus, quando ſermonibus frui non licet. quam vellem! & tu, confido, non nolles. o tempora, quando videbimus! *Jupiter, ut bellorum omne genus pereat!* Audi votum Deus, & fluctus hos patriae pluſquam decumanos ſemel tranquilla: ſolus tu potes. Quid ſupereſt! praeter preces, & patientiam, nihil: & hae, ſpero, impetrabunt tandem, quod peccata noſtra cogunt negare. Tu V. Cl. Vale, & me ama, ego te aetatem. De ſtudiis quaeris aliquid? *De Gloria* nuper edidi, diſcipulorum cauſſa; puto vidiſſe. Nunc poëmata quoque: ſi tanti erunt, aut ſi placere poſſe animum induxero, mittam per occaſionem, quae utinam mihi ſemper ex voto. Si illud *De Gloria* vidiſti, quaeſo judicium: quo polles, & quod mihi ſupra omnia. Iterum Vale. VIII. Kal. Junias. Hagae Comitis. CIↃ. IↃC. II.

EPISTOLA DCCLI.

NICOLAUS RHEDIGER A STRISA

J. Lipſio.

Lovanium.

NObiliſſime & clariſſime Vir. Proſpere & pene ſupra votum mihi cecidit praecipitata illa & iners ad *Monavium* de te ſcriptiuncula. Ego te quidem, Lipſi, a primis pene vitae ac ſtudiorum incunabulis ſingulari quadam veneratione ſum proſecutus. Amare quoque coepi non ita nuper. Illud publico tuo in rem literariam merito: hoc in me & meos privato & quaſi domeſtico. Publicas tui colendi cauſſas non recenſeo. Hae enim mihi cum omnibus, qui literas amant vel tractant communes. Amandi duas has habui, amorem

primum illum tuum ſingularem in *Thomam Rhedigerum* agnatum meum: deinde etiam in meipſum; quorum illum publicis literarum monumentis conſecraſti, hunc privatis ad Ill. *Duditbium* & nobiliſſ. *Monavium* ſcriptionibus non ſemel es conteſtatus. Cui quidem tuae in me affectioni ego pari ſemper animi cultu ac propenſione reſpondi. Sed reſpondi tacite & ex diſſimulato, neque ſperare unquam vel potui, vel etiam debui, ut ex hoc quaſi puſillo amoris ſemine ſolida haec & firma inter nos amicitiae ſtirps naſceretur. Nam cum ita exiſtimarem interiorem magnorum atque illuſtrium virorum amicitiam non niſi a magnis expetendam, ſatis mecum feliciter agi putabam, ſi mihi quaſi in veſtibulo amicitiae tuae conſiſtere, & communi illo tuo & vulgari in eos, qui te atque literas venerantur affectu frui liceret. Neque alia ſane mente ego nuper ad *Monavium* de te ſcripſi, cum ille mihi ſalutem tuis verbis nunciarit, quam ut oſtenderem tuum hunc in me adfectum a me maximi fieri, & *Monavium* quaſi teſtem mutuae meae erga te voluntatis atque obſervantiae advocarem. Verum tu, vir ſumme atque clariſſime, nimis ambitioſus verecundiae meae interpres hoc ita accipis, quaſi ego te ad arctiorem inter nos amicitiae ſocietatem contrahendam provocem, ſcriptiſque ad me humaniſſimis literis non modo comiter ac prolixe te mihi offers, ſed etiam cauſas, quae te ad me amandum impellant, commemoras. Ego vero, mi Lipſi, hoc tam benignae atque innoxiae interpretationis jus non modo libenter tibi in mentem meam concedo: verum etiam mirifice lactor me aliud agentem hoc conſecutum, quod a ſummo ſtudio dataque opera ſperare vix potuiſſem. Nam etſi non ignoro, quam ſit tua humanitas omnibus prona atque obvia, minimeque faſtidioſa: tamen nunquam putavi futurum, ut tu me pene ante diligeres, quam deligeres, & cum maximorum hominum amicitiis tu unus omnium maxime floreas atque adeo abundes, te in humilem iſtam & multis nominibus imparem amoris ſocietatem atque conjunctionem demitteres. Tu omnium mortalium aequorum & iniquorum judicio inter ſummos maximus; & in quo natura oſtendit, quouſque progredi doctrina ac ſapientia humana poſſit. In me, ſi literarum ſtudium olim majori a me diligentia, quam ſucceſſu cultum, nunc vero aliarum occupationum injuria an beneficio pene abjectum excipias, nihil eſt, quod magnopere probes aut commendes. Verum facile, qui amant, ſibi amoris cauſſas fingunt, & admittunt inter quoſdam ad amicitiam, non quod ea digni ſint, ſed ut ſint. Sive autem hac, ſive alia mente me immerentem in amicorum tuorum numerum recipis; ego & errore & judicio tuo pariter delector, & auguſtum illud amicitiae tuae ſacrarium, quod mihi tam benigne aperis, lubens ingredior. Tu, quo me loco colloces, pro prudentia tua videris. Ego ſane quemcunque nactus fuero, omni ſtudio enitar, ut ſi alia re non poſſim, ſaltem auguſta & ſancta clariſſimi nominis tui veneratione & gratiae pro hoc tam prono, & prolixo in me affectu referendis cupiditate ac promtitudine tibi ſatisfaciam. Literae meae cujus generis ſint, vides. Si tamen his legendis aliquando vacare libuerit, faciam ut majorem voluntatis tuae, quam pudoris mei rationem a me haberi intelligas. Publica e *Monavio* noſtro, quem nihil

pene

Digitized by Google

pene rerum publicarum fugit, cognoſces. In Hungaria vicina adhuc quidem omnia ſatis pacata & quieta. Metuimus autem ne *ιαλαπία* iſtam graviſſimae paulo poſt tempeſtates conſequantur. Fama enim eſt, atque utinam fama tantum! Turcarum Tyrannum Jaurini popularium tuorum ingenio ac virtute nuper recuperati, & Tranſylvaniae ac Walachiae jactura irritatum, tantas adverſus nos copias adducere, quantas majorum ipſius nemo. Tranſylvanus Princeps, qui non ita pridem occulto fati decreto paterno Imperio ſe abdicavit, nunc apud nos vivit; pene privato ſimilis, ſi praeſentem ipſius condicionem eum praeterita fortuna compares. Miſſus eſt nuper in poſſeſſionem ditionum Oppolienſis ac Ratiborienſis, quas neque terrarum ſpacio neque fructibus valde amplas quaſi, *γλιὸ πρὸ γνὸς*, in ſatisfactionem a Caeſ. accepit. E Tranſylvania, cui nunc Caeſ. nomine cum imperio praeeſt *Iſtfanfus* Baro Hungarus, nuper latrunculi quidam Poloni a Bathorianis Tranſylvaniae Imperium ſibi ereptum dolentibus, ut ferunt, conducti magnam vim pecoris abegerunt, & gliſcunt in ipſa quoque Tranſylvania factiones, quae, ut ſperamus, Sereniſſimi Archid. Maximiliani adventu propediem opprimentur. Vale, Lipſi clariſſime & Rhedigerum tuum amare perge. Datae e Striſano noſtro Kal. Auguſti 1598.

Eſt haec reſponſio ad Cent. ad Germ. xxxviii. in qua *Themam Rhedigerum* (de quo vide ad Epiſt. v.) vocat Fratrem hujus *Nicolai*, quem ipſe *Nicolaus Agnatum ſuum* appellat, ſed plures ex hac familia fuiſſe ejuſdem nominis puto, & poſtea ex aliis epiſtolis videbimus.

EPISTOLA DCCLII.

FRANCISCUS SFORTIA,

S. R. E. Cardinalis,

J. Lipſio.

Lovanium.

ILluſtriſſime Domine. Teſtimonium amoris erga te mei, quod ex *Fulvii Urſini*, aliorumque literis te intellexiſſe affirmas, ita verum eſt, ut veritatem ipſam pene ſuperet. Oritur autem laudibus ab iis, quas cum nomino Romano, ac rei militaris amatoribus promeritus es. Tu enim res Romanas e tenebris eruiſti, atque eas renovando illis, & militiae quandam quaſi formam dediſti. Ego vero, qui patria Romanus ſum, qui majorum meorum inſtituto, qui patris educatione, qui propria animi propenſione, licet praeſens dies alios mores expoſtulet, rerum bellicarum ſtudioſiſſimus exſtiti, & vix adoleſcens in Belgiis iſtis tuis nonnulla Martis munera obivi, non poſſum non ſummopere laetari, nomen Romanum, militaremque diſciplinam tuis praecipue laudatis praeconiis extolli, ut mehercule maxime extolluntur libro illo, quem ad me miſiſti, quo ego mirifice delectatus ſum. Si enim ſtilum intueor, novum quendam Latini ſermonis candorem, atque leporem agnoſco. ſi res ipſas, quas praeſtringit, contemplor, omnia miro quodam ordine excogitata

ac

ac digesta admiror, tibique ideo sancte polliceor, cum Romae ero, me diligenter curaturum, ut Pop. Rom. tanti ornamenti non immemor, publicum aliquod specimen pro memoria tua conservanda, & tua dignitate augenda proferat. & licet multa, eademque optima a te sperare liceat, illud tamen maxime optandum est, ut postquam antiquorum monumenta instauraſti, ita imperatorum, ac Ducum, qui extincto Rom. Imperio floruerunt, illustrare non dubites: etenim tibi sese tales offerent, ut cum priscis illis jure optimo conferendos fore judices, & ex eorum praeclaris facinoribus aperte cognosces, aetatem nostram florentissimis Romanorum ac Graecorum saeculis non invidere; quod ego plane demonstrare posse confiderem, si tu mecum esses. Hoc autem commode ut efficiatur, te proximo anno, quem vocant sancto, ut apud me Romae diverseris invito. Ego nanque ad te mittam, qui te istinc Romam adducant, & illinc cum libuerit in patram reducant. Apud me vero, cum liberaliter, tum honorificentissime tractaberis, & socios ac comites uti ipse voles habebis. Interea bene vale. Datum Ferrariae die 15. Novembris. 1598.

Est responsio ad Centur. ad Italos Ep. LII. & ad hanc respondet Lipsius ejusdem Centuriae Epist. LXIV.

EPISTOLA DCCLIII.

AEGID. SCHONDONCHUS

Cl. *J. Lipsio.*

Lovanium.

SIhui diu. modo dolor arripit stylum, styli immemor. Scis Doctiss. JUSTE, aequum esse, Amicis τὰ βαίους μιᾶδιδόναι. Nunciabas mihi istic nuper mortem magni *Ortelii*, cui frustra adesse properabas morienti. Mors praevenit. Vicissim hinc alius ego obitum nuncio. Hac hora decessit *Livineius*. Percutio te, sat scio. Heri sub noctem sanus foco ad mensulam assidens, pecuniasque numerans, horrendo gelu crus linguamque occupante, subito ruit in ignem, quo pecuniae ceciderant & ipse ruiturus, ac in favillam vertendus, ni casum casu levasset adcurrentis vetulae manus. Haec una domi, absentem omni parte viciniam frustra magnis clamoribus vocare, quae lapsum, ut potuit, sustinens, tantum non igne correpta. Tandem Deo nescio quam mulierculam necessitati destinante, succursum est, ostio domus fortuito connivente. Nonnihil ad se reversus, sed sine voce, inunctus est. Hodie mane repente evocatur R. P. Rector. comitor, *P. Schotto* post horas aliquot sequente. Heu! quod spectaculum! neque vox, neque sensus. Illico opera nostra tres adesse jussi Doctores Medici. Incisae venae, stricti pedes, cucurbitae dorso & infra magno numero admotae. Nihil omnibus actum consiliis. Conati signum notitiae elicere, velletne absolutionem sibi a peccatis impendi, bis lenem manus motum obtinuimus. Absolvimus. Heu ut misere ἀσημοὶ ἴκετο! Sub meridiem occubuit ei vitae sol, & ipse sol litteratorum. Deinceps

ceps ne dic, mi LIPSI, κλαυσὸς Ἰωάννης· θνητὸς λέγε. Occidit, occidit communis amicus *Livineius*. Commendo Animam tuis, Patrumque precibus, Multum enim valet deprecatio JUSTI assidua. En, ut vitae clepsydra sensim effluit, immo subito subinde insistit! Testamentum quaesitum. repertum anni XCII. Quare voluntas illa ultima minime ultima. Una occidet, metuo, Bibliotheca ejus Graeca (electa si qua alia) Ortelianae fato, quam quàm vidi distrahi! Tu, sero, sapientius. Tua vitabit Libitinam, par tuis, quae Orbi edidisti aeterna, judicio, ingenio, ordine, stylo, materia. Vidit id olim Romae (dum orereris) frater meus *Petrus Schondonchus Sirleto* Cardin. domesticus, perquam peritus Graec. & Histor. Ejus tum vox, *Oritur aeternum Astrum*. Ac sane providisti ne possis mori. Cantor jam cecinit. Immo, vix cecinit. Tacuit dum totus tandem conticuit τοὺς καλάμους ἔψας. Utinam haec Magno Theologo *Lessio* nostro curae. Tu, Amicissime LIPSI, cura, & hominem commove. Det Ecclesiae, quod hactenus negat Famae. Scripsit sapientissime. Probo *Delrium*, qui profundum illud immensae Eruditionis cornu in dies effundit. Utrique a me salus, quibus, Tibi cum primis, Vir Clarissime. Annum hunc aliosque felices precor. Vivamus ut vivamus. laboremus de viatico. parum restat viae. Alioquin Εἰ πίον ἀ δειλοὶ καμάτως κ' οὐς ἔφαγε πονέυμες; Vale, mei subinde memor. Dies non effluit, quin in augusto Sacrificio LIPSII, huic animo insculpti, meminerim, cujus vultum colore expressum minuta tabella scribenti studentique perpetuo objicit. Antverpiae e Coll. Societ. JESU CIↃ.IↃ.XCIX. XIII. Januar.

Respondet ad hanc Lipsius Centur. III. ad Belgas XLVII.

EPISTOLA DCCLIV.

AEGID. SCHONDONCHUS

C. V. *J. Lipsio* S. D.

Lovanium.

VOcant sensim, Magne LIPSI, μίλια illa τεμαχίζια. Iter magnum etiam ἰυζώνῳ αἰτῷ. Dum ita vis, i; tantum redi. Des illud Pietati ac Romanis: hoc LIPSIO ac Αιψιοφίλοις. Redi, inquam, in medio plausu, theatro adhuc sonante. Nosti Romam. Quid te teneat? Mensae Italae, fugis. & hîc rariores boleti. καθημιεχνὸν illud χαῖρε; Pauxillum restat aevi. cur carpant? Italus aër? nec eum sui ferunt. Vim faciat illa anno seculari sacro in Urbem commeantium vis? plerumque e tanta colluvie lues. quis foris quaerat? nascitur domi. Assidua postulatio scriptionis? eris ἀδιάλ@. Proinde si metuis uncum, ne te hinc move. Sufficiat Romam ulnas sustulisse, parasse amplexus. cognoscent posteri. Si vero is rediturus; salva res. Renunciet tum LIPSIUM ROMA ROMANUM. addat STATUAM, si volet. plus e te Gloriae hausit, quam refundet. Tu tantum redi. Ignosce Schondonchi calamo

Digitized by Google

omnia metuenti. Timeo Principes illos Purpureos, quos offendas invitus, maxime Ducem Tarpeium. Sane facilius inibis, quam abibis Roma. Viae porro moleſtias qua potes leva. moeſtus ſiquidem audio corpori aegre fuiſſe. Eras hîc nuper Divus Auguſtus. forte Animae σκαφίδιον plus aequo ſaburrarint Antverpienſium ἀφέσεις, pene dixerim ἀναφέσεις, & quae pridem noſti μακρόδυπνα. Jam vide rem lepidam. Queſtus nuper es plures offerri viae comites. probavi paucitatem. modo rogor augere numerum. quî poſſim? quî auſim? Egone te, mi Lipsi, onerem, qui libens pro te opprimar? tamen rogor ac pene cogor. Proinde, ſi locus eſt & pluribus Umbris, En terſenis viae ſociis, velut ἀγαλλίδιον tributis, ire libeat, ſenis pridie praeeuntibus quaſi Famae prodromis & epuli ſtructoribus; totidem tecum aſſumtis; ſenis iterum porro conſequentibus, qui pervolantis Famae quaſi λάψανα colligant: en tibi comitem novum. Enixe rogat Nobiliſſimus Vir D. *Gaille* Burgenſis una cum Conjuge, filium *Laurentium Deechbroot* Brugenſem tuis adſcribas. Si ſine moleſtia fiet, aſſume, da id Patriae meae. Maturabit interea Duaci licentiae laurum. Sin aſſumi nequeat, ſciar ſaltem efficaciter poſtulaſſe. Nam licet rogem, ſcis quî rogem. nolim oneri eſſe. Avent ex me mentem tuam cognoſcere, ut ὀδυπορικὰ parent. Graſſus audio accedit. Quas Roma extulit, certe maturas reddet. Vivit noſter *Pantinus*. num infulandus? Scis nuper thecae meae extortam [1] SICAM TRAGICAM ea manu, quam pelli nefas. Velim Magni Lipsii de ea cognoſcere judicium. Nec enim vivit, quem Justo juſtius audiam. Tutius quidem laterem, ſed ut Cacum quemdam e ſede ſilentii protrahunt. Arripe quaeſo calamum cygneum, candide mone, & Schondonchum tuum hoc etiam beneficii fune devinci. duc obſequentem. Deum ſolum ſpecto, cui his aſparagis lito, ut tu Hecatombe. Vale, Vir Clariſſime, aeternum care. Ego R. P. *Delrio*, Dominus *Hoins* etiam tibi multam ſalutem. Antverpiae e Collegio Societatis Jesu, XVII. Julii, CIↃ. IↃ. IC.

1 A. 1598. Junii XXII. Leidae ultimo ſupplicio animadverſum eſt in *Petrum Panne* Iprenſen, qui a Jeſuitis Duacenſibus ſubornatum ſe in caedem Mauritii Naſſovii confeſſus erat. quam Labem Jeſuitis eximere tentavit *Franciſcus Coſterus* Jeſuita, & alius edito libello ſine nomine auctoris & typographi, quorum breviarium videre eſt apud Borrium lib. XXXV. Hiſt. Belg. p. 27. noſter etiam Jeſuita vertit latine librum, *Sicam Tragicam* Comiti Mauritio, a Jeſuitis, ut ajunt Calviniſtae, Leidae intentatam, quam *Franciſcus Coſterus* Belgice edidit, & adverſus calumnias Lugdunenſium Batavorum defendit. vide Alegamb. Biblioth. Scriptorum Societatis Jeſu. pag. 3. ubi vita *Schondonci* narratur. ut & apud Valer. Andr. in Bibl. Belgic. in hujus Sicarii cogitatum ſcelus numiſma cuſum a Zelandiae rerum maritimarum curatoribus, quo *Petrus Panne* Mauritium petens conſpicitur, dum Hiſpanus alter olivam praeferens pacem oſtentat, cum his verbis *Pacem oſtentat; ſed hoc agitur.* ab altera parte, *Deus cauſſam noſtram agit.* vide Loonii Hiſtoriam Belgic. vide & Sander. de Claris Brugenſibus pag. 14. *Admiranda hujus ſeculi* volebat edere, de quibus agit *Lipſius.* v. Centur. Miſc. 86. vid. & ſup. ad Epiſt. LXXV.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA DCCLV.

AEGID. SCHONDONCHUS

Cl. V. *J. Lipſio* S.

Levanium.

POſtremis meis te, Antverpiam invitabam. verum didici deinde ex Moreto ad Nervios abiiſſe. Scin' modo quae me tellus? Tenemus extremos hominum Morinos. Hactenus Antverpiae conſuêram Italis & Hiſpanis: jam audio Anglus, datus Rector Collegio Anglorum, ubi mihi quotidie centum amplius capita in ἰσαπείῳ. Ablegavimus diebus hiſce Romam Juvenes ſelectos tres; ſedecim Hiſpalim ac Valleſoletum; aliquot item in Angliam ſacerdotes. poſtremum heſterno die. Ad lanienam, inquies. Abiere certe (utar ſapientis voce) ut victimandi. Si quid ſubinde in Anglia per nos curatum voles, inde in familiam hanc noſtram commeant ultro citroque. Abes quidem tu jam longius, mi Lipſi; at Schondoncho non abes. Amor, Ectypoma liberique tui (ψευδογεγφῶ & libros ſcribam?) quos victuros edis, te mihi quotidie ob oculos. Modo vicinior quoque *Jamotius*. at pene intra teli jactum popularis noſter Epiſcopus *Blaſaeus*, Doctor *Gioli*, *Ogerius*, aliique φιλέλληνες. Incluſas accipio Roma. colligo e meis uſpiam ſubſtitiſſe. Agnoſces caram [1] *Hemelarii* manum. Spectat Hagam, ut matri porrigat manum in Haereſium ſalo fluctuanti. Suadeas, vir Conſultiſſime? vix credam. Multa me ab hoc conſilio deterrent. Doce quaeſo, qua mente ſis, ut tecum optimo Adoleſcenti conſuadeam ἐμοῦμαδόν. Docti tuum hîc Senecam mecum expectant. faveritne valetudo, ignoro. Vale, Vir Clariſſ. tecumque magnus *Leſſius*. Audomaropoli IX. Octobris ipſo D. Dion. Areop. CIↃ. IↃCI.

1 Vid. ſupr. Epiſt. *Hemelarii*. DXLII. & Lipſii III. Centur. ad Belg. LXXIX. & IV. Cent. Miſc. 81, quae eſt ad hanc reſponſio.

EPISTOLA DCCLVI.

AEGID. SCHONDONCHUS

J. Lipſio V. Cl.

Levanium.

VEreor mihi ſuccenſeas, & parum officioſe, qui ſileo tam diu. Silui calamo, non affectu, quo toto totum amplector & circumfero Lipſium. Quotidie tecum loquor; & quocum in hac vita libentius? quid doctius tangam? pridem rapueras me ſcriptis & affectu, praeſertim Stoicis, quod Opus viſum mihi ſenilis judicii, ſed viridium tibiarum. ſiquidem πολλὰ δ' ἄναυτα, κάπυτα, πάεχυπί τι, δοχμιάτ' ἦλθον. Multum in eo doctrinae, judicii, famae: ſed in DIVA HALLENSI plus ſolidae, & non amplius humi ambulantis

gloriae. O, mi Lipſi, ſic ſaepe, ſic aſſurge, ſic vitam fini. Ex quo Opus illud adſpexit lucem, praeter quotidianam in Miſſae ſacrificio tui memoriam, offero quothebdomadis ipſo ſemper Sabbato ſacrum B. V. pro D. T. faciamque dum vivam. Auxiſti amorem, imo is ſeptuplum accenſus eſt quam accendi ſolet, poſtremo ſcripto D. V. ASPRIMONTANAE, quae te Illuſtrem ſuum Hiſtoriographum diu ſervet. Regis magnae Britanniae de Miraculis a te editis, quod accepi ex Anglia, judicium jam aliunde cognoris. Vale, Schondonchi tui ſubinde memor. Audomar. e Coll. Anglorum, VII. Jul. M. DCV.

EPISTOLA DCCLVII.

J. LIPSIUS

Aegidio Schondonchо.

Audomarum.

SEmper tu, mi pater, non benevolus tantum, ſed beneficus, & munera etiam literae tuae ſecum ferunt. vel nunc uxori meae librum: quem carum habet, & talem etiam hoſpitem (ſcribere me juſſit) ſaepe vovet, & jam nunc vocat. O ſi pareas, & ex intervallo nos viſas. An te nondum meus Seneca? quem abſolvi denique, Deus bone, quoties morbo aut occupatione alia interpellatum! ſed abſolvi: utinam condignus labor ſit optimo ſcriptori! mitto & nunc alterum factum munuſculum: velim de utroque liberum judicium tuum. ſed ad tuas literas. quaeris de illo noſtro quid videatur, & an dignum cenſeam tali loco. Libere dicam καὶ εἰ ἐπιδέσω, non eſt dignus. non ſolum ob vetera illa; quae oblitterari poſſunt & debent. ſed toto ingenio & indole eſt, ἀξίβαθος, atque ut ita dicam φρενὰς ἦλός. porro facie familiae de iſto (ſi me audis) ſile. At in ſapienti illius judicio riſi. Cum tam diſpari me componit: alia ſtudia tractamus, & niſi fallor, magis ſeria; certe magis profutura huic & alteri aetati. ſolum illud poëtari & argutari non eſt meum: displicet & Diva noſtra. parum eſt de noſtra, utinam non diva! & tamen multi hîc ſunt, qui τὰ ἔνδοθεν aliter affectum illum eſſe cenſeant, & haec talia fuco & προσποιήσει quadam dici. O ita ſit! nam quis Principum plus rei & religioni Chriſtianae profit, ſi velit. Deum oro velit, & te, mi pater, haec facientem ac ſtudentem ſervet, ac mihi tuum affectum. Lovanii Prid. Non. Decemb. 1605.

Innuit Regem Angliae Jacobum, de cujus Papiſmo magnam ſpem ſuſceperant Lipſius & Jeſuitae.

EPI-

EPISTOLA DCCLVIII.

ANTONIUS POSSEVINUS

J. Lipſio.

Lovanium.

VIr Clariſſime & in Chriſto Amantiſſime. Redditae mihi ſunt literae tuae, Quarto Kal. Feb. datae. Et, o optimum Lipſium, cui ad reliqua dona iſtum candorem, & amorem contulit Deus, qui ſit benedictus in ſecula. Tu vero mihi acutum calcar addis ad decurrendum hoc Apparatus mei non exiguum ſpatium. At quum, in variis provinciis VV. Cl. ſuis litteris me cohortati ſint ad hoc ipſum, Unus tu unica brevi, ſed plena fidei, & bonitatis epiſtola, plus omnibus effeciſti. Ago igitur, quantas poteſt capere animus meus, gratias tibi. De ſolida pietate tua, dudum eſt cum certiſſimus ſum. In ipſo Pontificis Maximi Palatio, & Typographia Vaticana, quo tempore de tuis ſcriptis agebatur, teſtimonium illud reddidi ſciens volens, quod Virtuti, doctrinae, & praeſtantibus tuis dotibus ab omnibus, qui ſapiunt, vere debetur. Quin & qui extra Eccleſiam ſunt, cum adverſus te ſcripſerint, ii & in hac re, praeter ipſam religionem, mihi fuere haeretici. De tuo in Italiam adventu, gaudeo. Quin & ipſe, ſi annuat Deus, Germaniam cogito. Ea genio meo, labori, cui me addixi, & ſenio videtur commodior: ſed ut a majoribus meis pendeo, agendum inprimis cum iis. Vale, meque juva viciſſim apud Dominum Jeſum, cui te non deſinam offerre. Mantuae Octavo Kal. Aprilis. MDLXXXXIX.

Reſponſio eſt ad Lipſii Epiſt. LXII. Centuriae ad Italos.

EPISTOLA DCCLIX.

J. LIPSIUS

Joh. Woverio ſuo S. D.

Antverpiam.

NIhil mihi aegre eſt, aegre tibi eſſe diſſidium hoc noſtri, imo volupe, ut rem meram dicam. Nam amoris hoc fidi ſignum eſt; quem ſervare te erga me & bonas artes, atque adeo, ſi licet, augere etiam optem. Itaque & dole in abſentia, & ſtude jungi quantum potes: quod vereor ut ex tuo meoque voto (nam & ego cur diſſimulem?) ſic cito fiat. Nam Spadanum iter meum differtur, & praetentare libet medicinam, quam ſcis, Davidicam: utinam ita auxiliarem & bonam, ut aquis illis aeternum careamus. Hoc tenet: ſed & terret etiam Mantuani Principis adventus cum ingenti comitatu, & qui vel pagum poſſit implere. Adde alios nobiles & advenas, Gallos Germanosque: ubi nobis locus? Tamen videbimus, & quod ex valetudine erit, fiet.

Interea habeat te urbs amata nobis, urbs urbium: & in qua ſemper eſſe poteſt quod doceat, aut quod delectet. Actiones intuere vanas plerasque aut circa vana, opum avaritiam & ſtudium, aliorum ambitus; inter haec quorumdam compoſita vota, aut mores: videbis, contemnes, applicabis, diſces. De ſymbolo noſtro, ad ipſas delineationes adſcripſi, & videbis. Litteras ex urbe habeo, ad quam vocamur, omnia etiam bona, & in nos amica: ſola transſcriptio pecuniae exſpectatur. Haec votiva: vis quod mordeat? ad comitatum adſpirat quem nollemus, filius viri amici & in ſua urbe primarii: nec alius titulus eſt, quo filius commendetur. Rejice, inquies. Animo facio, ore vix facio: & qui poſſum in virum, ut alia omittam, certe nobis amicum? De Rep. quae exſcripta mittis, ad pacem non eunt, ſed nec ad victoriam eunt, quam diſcordia aut imperitia noſtra, & utriuſque mater ſuperbia, corruperunt. Ille qui in Alto haec viderit, quem ſcio talium arbitrum, & ego non niſi auditione, vix alio animi motu, haec delibo. Tamen noviſſe juvat, ſed ut norim. Vale mi Woveri, & parentes utrumque mihi ſaluta. Lovanii XII. Kal. Jul. CC. ID. XCIX.

EPISTOLA DCCLX.

J. LIPSIUS

Joh. Woverio ſuo S. D.

Antverpiam.

ET tu Antverpia ad me ſcribis, cum ego, indies aut horas te hîc exſpectarem? Et expectarem dico, atque adeo expeterem: ac juviſſet videre te coram & affari: Nam etſi longum intervallum non eſt conſuetudinis, tamen (libere dicam) amanti longum, & te inter omnes meos mihi probaſti. Maneat communis hic affectus (de tuo enim quidni confidam!) dum nos manemus, & calcamus communem hanc teram. De aliena autem viſenda, quod valde aves, quid tibi dicam? me nolle. mentiar. mutaſſe? nec id quidem; ſed res & tempora mutarunt, ut ex iis, quae deſcribi juſſi, videbis. Eſt ſane valetudo mea tenuis, nec pro tali fortaſſis itinere: ſed animus tamen ſuſtentaſſet, & veſtra humanitas atque officia. Sed ecce morbus in ipſa Italia, & quae cauſſam itineris noſtri, id eſt, Jubilaeum, fortaſſe tollunt. Verba cenſes? rem videbis in iſtis, & quae perſcripta ad me juſſu *Sfortiae* Cardinalis. Itaque & tu vide, ut minus calide agas, neu conjicias te in flammam, quam aqua poenitentiae non reſtinguas. Sera tunc ea ſit. Sane peregrinari te, mihi adeo non diſplicet, ut ſuadeam etiam atque impellam: ſed loca eligenda ſunt, ad quae tuto & ſine ſalutis noxa poſſis. Differ, differ, ſi me audis: aut de Gallia cogita, ſive Germania, atque hiemem hanc illic age. Aeſtas deinde conſilium dederit, in utram Heſperiam ſit eundum. Ego tibi ex vero conſulo, & paucae ſeptimanae plura de Italia dicent. Haec ipſa ut cum *Baronio* noſtro participes, a te peto. Ad fratrem tuum *Lafaillium* ſcripſi, ſed latine & meo

meo more. aut ipſus a ſe intelleget, aut te adminiculante. Italicas litteras ab *Hovio* non accipimus: quin tu ſubmones, & curas. Ego jamnunc etiam a Cardinale *Borromaeo* & *Baronio*, quorum uterque invitat valde amanter; atque ille aedes offert, & dolet a *Sforzia* ſe praeventum. Sed utraeque ſatis veteres, & nondum his a lue timor: quam luem Italos odiſſe, juxta atque orci januam, non neſcis. Vale, mi Woveri, & de conſilio tuo ſcribe, juvabimuſque commendantes, aut (quod minimum) voventes. Lovanii, IX. Kal. Sextil. 1599. Utrique parenti ſalutem amicam dico. Habes adjunctum *Bernartii* libellum, huc miſſum, & tibi inſcriptum.

EPISTOLA DCCLXI.

ORDINIBUS BRABANTIAE.

Reverendi & Illuſtriſſimi Domini.

OFficium & cultus, quem merito vobis debeo, adegit deferre ad ampliſſimum conſeſſum veſtrum conſilium noſtrum; conſilium, quod de re mea cepi. Id autem eſt tale. Inſtante mox anno ſacro ſaeculari, quem Jubilaeum appellamus, Religio me impellit in Italiam & urbem ſanctam ire, & beneficium hoc ante obitum capere, quod divina benignitas nobis offert. Suadet etiam valetudo hoc iter, quae adſidue hîc adverſa, fortaſſe motu & mutatione in melius, aut certe mitius ibit. Nec ſane, quamdiu ea ſic triſtis, magno uſui publice vel legendo vel ſcribendo eſſe poſſim: imo nec diuturno uſui, ut vires iſtae deficientes mihi dicunt. Itaque ſpero & ſupplex etiam rogo, probatum hoc conſilium a duplici illa cauſſa Vobis iri, nec gravate veniam mihi, ſine ſalarii mei diminutione aut ſuſpenſione, ut in Profeſſoribus publicis, qui valetudine impediuntur, jure receptum eſt, daturos non emanſionis, ſed duntaxat peregrinationis in quinque aut ſex hibernos menſes. Quoniam firmiter & ſerio (Deus modo vitam mihi donet) ſtatui redire ſub vernum primum tempus, & patriae me reddere atque obſequiis veſtris. Quod ſi quid eſt, aut erit, quod etiam illic obire in cauſſa publica poſſim, ſive etiam privata aliquorum veſtrûm, ego vero, Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Domini, promptum volentemque me offero, meritis veſtris aeternum devinctus. Deum precor, ut vos, Culmina & Lumina patriae, diu ſervet. Lovanii CIↃIↃXCIX.

Reverendiſſimis, Illuſtriſſimis &c.

Dominis

ſubjectiſſimus Cliens

Juſtus Lipſius.

An venia data fuerit neſcio, ſed non abiiſſe in Italiam, ſuperſtitionis hujus, qua flagrabat, cauſſa conſtat ex pluribus epiſtolis, quae hîc & in editis exhibentur.

EPI-

EPISTOLA DCCLXII.

GASPAR SCHOPPIUS EQ. FRANCUS

J. Lipſio.

Lovanium.

LAudabis, ſpero, hanc meam audaciam, quod diuturno tuo ſilentio nequaquam abſterrear, quin vel nunc te compellem, hoc eſt, tibi ſeriis, vel gravioribus certe, curis occupato negotium faceſſam, adeoque in publica commoda peccem. Eſt enim hoc ſignum fiduciae de humanitate tua meae, quippe qui certus ſim, ſilentium tuum nequaquam ex neglectu aut contemtu aduleſcentiae meae, ſed ex juſtis & rationabilibus cauſſis proficiſci, cujuſmodi eſſe poteſt, quod coram potius, quam per literas interpretes mihi te reſponſurum credidiſti, antequam conſilium tuum de profectione Italica abjiceres. Ita ſane accipio, quamvis non neſciam, non vacare ſemper Lipsio omnibus omnium literis reſpondere, & ſeria ſua aliorum ludo poſthabere. Qui etiam occupationis tuae reſpectus nunc quoque perſuadere mihi potuit, ne compellatione iterata tibi odioſus eſſem, niſi ſe mihi offerrent rationes aliae, alia omnia ſuadentes. Primum enim amor in te meus, qui quo magis aetate progredior, in me auget, non patitur moram vel dilationem epiſtolici colloquii: quod ſcio te probe intellegere conjectura de tua olim aduleſcentia facta, in qua non potuit, quin idem te erga viros quoſdam magnos affectus tenuerit. Deinde cottidianae fabulae & ſermones, quos de te habemus, ego, *Micaultius*, *Raphelengii Franciſcus* & *Juſtus*, aliique nominis tui ſtudioſiores, eodem me impellunt. Tandem Admiranda tua jubent, ne, quid de iis Romani noſtri moliantur, clam te eſſe ſinam. Ne enim neſcias, primum auctor fui *Philippo Pigaphettae* Vicetino, amico meo, ut ea Italice converteret, ut Romani tuo, velut Varronis noſtri beneficio diſcant, qui & ubi ſint & quales fuerint: deinde juſſu Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi *Bernardini Paulini* S. D. N. Datarii & tua & *Stapletoni* Admiranda ſimul recudenda dedi, praefatione ad ipſum Datarium praefixa. quod tibi confido non improbatum iri variis de cauſſis: verbi gratia cum referat Romae librum tuum exſtare venalem, & non ſic abs re haereticorum, quales multi huc veniunt, ut non poſſint Lipſii de magnitudine Imperii Romani legere, niſi ſimul emant *Stapletoni* de Eccleſia Romana librum, etſi illum & ſtilo & gravitate tuo longe inferiorem: denique propter judicium amicorum tuorum, ut *Velſeri*, *Wackerii* aliorumque, & ipſius quoque Datarii, qui te certe colit & aeſtimat. Spero non diſpliciturum tibi eorum conſilium; minus certe eo, quod praefationem ego praetexui, pannum purpurae. Sed velim tecum cogites, non eo conſilio recudi libros illos veſtros, ut in virorum recondite eruditorum manus perveniant: ſed tantum ut Romanis hominibus & peregrinis, qui huc veniunt, innoteſcant, quibus vel Schoppiana opera ſatisfacere poteſt. Nihil profecto continet praefatio, quod eos, quos dixi, non melius ſit ſcire, quam ignorare: ne illud hîc addam, me, quantum

in

Digitized by Google

in me fuit, gratias, quas omnes bonarum literarum & hiſtoriae ſtudioſi debemus, prolixe tibi iſtic meminiſſe. Impreſſio quamprimum fuerit abſoluta, exemplar iſtuc mittam. De meis quoque ſtudiis ſi non ingratum erit audire, ſum jam paene totus in Theologicis: non quod neſciam, id ſtudii alioquin a Germanis Equeſtri loco natis, & praeſertim a Francis meis, eſſe paullo alienius: ſed quod neceſſario mihi dicendum ſit pro mea ad Catholicos migratione, ne me leviter feciſſe putent illi, quorum parentes leviter ab Eccleſia ſe abrupêre. Scribſi itaque & edidi epiſtolas nonnullas ad *Rittershuſium* alioſque de praecipuis controverſiis: nunc quoque mitto in Germaniam Erga Anni Jubilaei, hoc eſt, de Indulgentiis Commentarium, cui ſubjungam Parerga Anni ejuſdem, hoc eſt, de rebus Romae viſu & obſervatu dignis: quamvis hujuſmodi a me forſan neque exſpectentur, neque ſcribi debeant. Sed mihi nil aeque eſt cordi, quam omnia facere reducendis ad bonam mentem haereticis. Cenſuram poſtea meditor in Notas Tertullianeas *Franciſci Junii*, qui vellem majori cum fide & veritate in tractandis antiquis Eccleſiae doctoribus verſaretur, quam fieri ab ipſo video, & tu non neſcis. Notas *Rittershuſii* in Guntherum ſimili examine indigere video, cui nihil eſt antiquius, quam in Romanos Pontifices debacchari. Utar autem ea moderatione, ut nequaquam vel illi ipſi Adverſarii, vel lectores mei offendi poſſint. Superioribus ſeptimanis *Grutero* operam amicam praeſtiti. Is enim cum paret editionem Inſcriptionum antiquarum, quas altero tanto plures habet, quam in veſtra Batava editione contineantur: a me facile, quamvis occupatiſſimo, perfecit, ut Autographum Smetianum (illud, inquam, quod deſcriptum erat, antequam ignis aedes Smetianas irrupiſſet) cum impreſſo compararem, & multo plurimos errores inde corrigerem: immo & integram Centuriam atque amplius ineditorum Inſcriptionum ipſi miterem: alias quoque plures a *Fulvio* & *Horatio de Valle* JCto Romono, & *Joſepho Caſtalione* impetrarem, ut ſperem *Gruterum* magnum libro illo facturum operae pretium. De Cruciariis, *Wackerii* V. Illuſtris nuper ſcribſi. nondum puto ea prodiiſſe, impedito peregrinationibus *Wackerio*. Interim tuto tibi perſuadere potes, nihil eſſe ibi, quod non ſit ſumma cum laude tua conjunctum; & teſtari hoc idem tibi poteſt D. *Michault* communis noſter, cui jam illa Wackeriana legenda dedi. Quod nuper a te petii, idem nunc peto, aperias nimirum animum tuum de opuſculis meis Criticis, ſi ea modo vobis viſa. Admoneas & corrigas, tamquam ſi diſcipuli tui res ſit, qualem me L. M. fateor, tui quidem tanquam publici, & communis omnium doctoris: tametſi non tam volens propitiaque mihi fuerit fortuna, ut coram tibi auſcultare poſſem. Simul doceas nos, quid de Thraſea, itemque Magno Politicorum opere polliceri nobis debeamus: quae quidem duo opera unice a nobis expectantur. Id quod ne diutius facere neceſſe habeamus, Deum precor, ut vitam diuturnam, & vires vegetas tibi indulgeat. Bene vale, Vir Clariſſime, mihique tam libere, hoc eſt, ſecure & impolite ad te ſcribenti ignoſce. Romae poſtridie Epiphanias Anno M. DC.

Sunt & hîc nonnulli alii viri docti & Lipſiano nomini devoti, inter quos

eſt veſtras *Joh. Matarius* & *Henricus Gravius*, Card. *Madruccii* (in cujus Aulam ſum, etiamnum brevi in Vaticanum migraturus) Secretarius, itemque popularis meus *Leonhartus a Gutenſtein* Juriſc. Bambergenſis, inter primos ſtudii noſtri amatores, qui omnes ſe tibi inſinuari ſuamque ſalutem cultus & amoris pleniſſimam nunciari cupiunt.

Reſpondet Lipſius Centur. ad Italos Epiſt. LXXXV.

EPISTOLA DCCLXIII.

GASPAR SCHOPPIUS EQ. FRANCUS

J. Lipſio.

Lovanium.

NUmquam ego quidem de humanitate tua, Vir Clariſſime, dubitavi, quam ſcio te mutare non poſſe, niſi te ipſum mutes: tua tamen ſcriptio iſtaec nupera adeo me affecit, ut quo minus me amore tanti viri tam prolixo dignum comperio, tanto te ipſo humanior evaſiſſe videaris. Merito igitur te amo &, quod tibi quaſi proprie debetur, colo: & ingratiſſimus ſim, niſi quoties & ubi potero cumque, oſtendam, me ſcire hunc affectum tuum aeſtimare & admonitiones ſequi. Pro agnita veritate multum ſane Deo debeo, immo tantum, ut haec humana, haec juvenilis mea tenuitas agnoſcendo ſaltim beneficio nequaquam par eſſe queat. Hoc tamen, quod unum reliquum mihi factum video, ſedulo curabo, ut ne talentum a Deo creditum fidei meae, abſcondam: & laborabo, ut plures eodem, quo divinitus ſum mactatus, bono potiantur. quam ad rem bene eſt, quod conſilium ſubjicis, de modeſtia & humanitate. Ac ut videas, quam obſequentem habeas Schoppium tuum, denuo jam ſumo in manus meum de Indulgentiis commentarium, deleturus aut mutaturus omnino, quae quovis modo Lutheranos noſtros poſſint offendere. Invita forſan loco cedent, quae pro aetate mea, quae XXIII. conſtat annis, vel calidius nonnumquam ſcribſi, vel argutius: cedent tamen; quia cum ſic velle video, cujus dicto audientem eſſe non poſſit non eſſe operae pretium. Unum autem te, mi Lipſi, oratum atque exoratum velim, quod eſt hujuſmodi: Cum mea ſive ſors ſive fatum non voluerit, ut coram te doctore uterer in literis noſtris & vita civili: tu ſalutare aliquod conſilium adoleſcentiae meae ſuppedites, quo Romae & Romanorum conſuetudine nonnihil ſupra vulgum uti frui poſſim. In eo quidem ſingularem Dei (non enim ego dicam, Fortunae) faventiam experior, quod meo merito quidem nullo, omnium tamen magnorum hominum non amor tantum, ſed & familiaritas ita me excipit, ut aemulos quidem nomine hoc non paucos mihi fore ſciam, imitatores autem non multos. Simul enim Romam veni, nihil petenti tale Illuſtriſſimus *Baronius* ſtipendium a Pontifice impetrat, XV. Scutatorum in menſes ſingulos: velut ei, qui honoris ergo inter equites D. Petri de more adoptatus. Poſtea idem offerentibus pluribus Cardinalium, *Caeſio*, *Borromaeo*, *Ca-*

Digitized by Google

Camerino, *Ditrichſtaevia*, *Madruccio*, aliis: *Madruccium* praeoptavi, in cujus Aula viverem, quippe in qua ſummum mihi videbam otium paratum, ipſo Cardinali ingenium potius meum (ut ait) quam operas & ſalutationes Aulicas aeſtimante. Interim ſtipendium mihi a Pontifice auctum, ut ad ſexcentos florenos Rhenanos excreverit: Locus quoque, immo domus in Vaticano Pontificis palatio praebita, ut & ipſe paullatim in Aula Aulam inſtituam. Et ne hac fini ſtet tanta Pontificis & Datarii humanitas, me cubicularium Pontificis facere cogitant, Typographiae ſimul Vaticanae praefectum. Quod ſi fiat, nimirum ego Picorum montes habeo, quos memorant eſſe aureos. Sed ſi faciant, ſive non faciant: vel ſic tamen optimo loco ſunt res meae: niſi quod Lipſii mei conſilium cupio, quo inſtructus proſperitate hac tanta non abutar prius, quam utar. Videris igitur, quae bono aliquo obſervanda ſint ei, quem fide Germanica noris tibi addictiſſimum, hoc eſt, Schoppio. Ego non dicto ſolum tibi audiens, ſed & gratus ac vocalis olim beneficii futurus praeco. Admiranda tua nondum recudimus: ſed heri demum ab optimo *Baronio* noſtro uſum impetravimus ſecundae editionis, quam ut operae fideliter ſequantur, fideliter curabo. Studia mea ſunt ejuſmodi, ut *παρεργως* ſuperioribus diebus ſpicilegium, an juſtam meſſim, notarum in Apulejum fecerim. Eas Lugdunum ſuam mittent *Raphelengii*. neſcio ſi ſubjungam editionem novam Agellii, cujus MSS. in Vaticano ſunt boni, apud *Fulvium* optimi. Sed numquid non merito ſcriptionem id genus omnem abhorrere debeo, qui precibus meis toties iteratis judicium de Suſpectis & Critica mea Lipſianum nequiquam peto? quare ut ſcias, valere ego Criſin jubeo, ſi ita jubes: ſilentium autem imperii vicem habebo. Hac aeſtate proxima, ſi vivam, in Graecorum Collegium hic migrabo, cum diſcendae linguae ergo in Graeciam ipſam non poſſim. Bene Vale, Vir (quod apud te liceat) aevo hoc noſtro major, & me ama. Roma a. d. 4. Martii A°. ∞. 10c.

In Apulejo de Mundo pag. 14 edit. Vulcanii. cum legitur: *nec occaſibus fatigari, nec ſaeculis debilitari excuſſam.* MS. habet: *nec occaſionibus fat. n. ſ. hamilitari.* quaero num tibi placeat legi: *anilitari* i.e. ſeneſcere. ab *Anilitas*, *anilitari*, ut primo Metamorph. *Ut cum illa acquievi, ab unico congreſſu annoſam ac peſtilentem contrabo.* MS. *anatem ac peſt.* Quid videtur? an *Anatem* dixit, quam Feſtus ait eſſe anuum ac vetularum morbum, ut puto? *Anatem ac peſtilentem.* pro, anilitatem & quidem peſtilentem. ſicut Plaut. *Equid is homo habet in pectore aceti? atque acidiſſimi.* Sed judica. Lib. 2. metam. p. 34. *Dumque bibere ſolitarium poſtulant.* MS. *ſalutarias.* An, pro ſalute amicorum putare cupiunt? ita videtur. *ſalutaris* & *ſalutarius.* Lib. 4. *Sic ad inſtar Athracis, vel Piritheoi, vel Proteſilai diſpectae diſturbataeque nuptiae.* Lego cum MS. *ad inſtar Atridis vel Paridis vel Proteſilai.* Ibid. *Sed ecce ſaeviſſimum omnium. nunc etiam redintegratur, immo vero cumulatur infortunium meum.* Lego: *Sed ecce ſaeviſſimo ſomnio nunc etiam &c*: Lib. 5. pag. 85. *Sed ubi remigio plumae, captu maritum proceritas ſpatii fecerat alienum.* Corrigo: *ubi rem. plumae raptum maritum.* Lib. 6. pag. 103. *Vides iſtas ruinas proximas.* MS. *rupinas.* & pag. 115. ubi legitur:

Provolutoſque in proximas ripas praecipites dedere. legendum ſimiliter, *rupinas.* ſic 2. Florid. *Agrum ſcrupoſum, meras rupinas & ſenticeta miſeri colunt.* Pag. 104. *Videt memorandi ſpectaculi ſcaenam, nec tauro, ſed aſino dependentem directe aniculam.* Corrigo: *dependentem Dircen aniculam.* Probabis. Lib. 7. pag. 111. *Nam procuratorem Principis ducenaria perfunctum, dehinc fortuna triſtiore decuſſum, praetereuntem coram fueram aggreſſus.* Falſum hoc, quod coram fuerit eum aggreſſus. Judicavi in Suſpectis, Bertinianum codicem, quem *Modius* contulerat, habere: *praetereuntem Orato fueram agg.* Idem eſt in Fulviano. *Orato* eſt Macedoniae civitas; de Macedonia autem hîc loquitur. Lib. 8. *Spongiis macidatis tumores comprimere.* Legend. *inacidatis.* Lib. 9. pag. 160. *Nec ad exemplum machinae truculentae ſulfuris te letali fumo necabo.* MS. *nactinae truculente.* an *nactina* eſt nactae illius conjux adultera? Ibid. *Adſuetos abjecta per agros exicare cadavera.* Flagitium librarii Itali! legend. *eſitare.* Haec ex plurimis pauca ad te mittere volui. Tu, vir clariſſime, ignoſce, ſi apud te adeo negligenter & raptim agere audeo. cogita, tibi rem eſſe cum Aulico, qui hodie, occupatiſſimus licet, nolui D. *Micaultii* literas ſine meis abire. B. V.

Reſponſio eſt ad Lipſii Centur. ad Italos Epiſt. LXXXV.

EPISTOLA DCCLXIV.

J. LIPSIUS

Gaſpari Schoppio.

Romam.

Rubenius noſter reverſus, vir, quem noſti, & ſi noſti, amas: *Rubenius*, inquam, multa mihi de te rettulit, & in me affectu, nec ipſe ſine ſuo affectu, quod utrumque volupe mihi fuit. Mi Schoppi, es in locis, ubi olim ſedes doctrinae, elegantiae, prudentiae: excita, quantum in te eſt, & poſteros illos ad majorum gloriam voca. Ingenium, cultum, uſum habes: eo, quo dixi, dirige, & ipſe ad metam illam triplicem veni. Nos jam affecti, & in regula ultima ſtantes, ſcriptis conamur ducere: & *Stoica* fortaſſe noſtra videris, non poenitendum mihi aut poſteris (cum fiducia dicam) opus. Atque haec in mediis turbis, fluctibus rerum conamur, cum Mars ſaevit, cum jus & fas periit, & quies ac ſecuritas, non niſi nomine nobis blandiuntur. O quando temporum, & ubi locorum nati ſumus! Sed ordinem mundi adſpicio, & grata habere imbibi, quae aeterna lex juſſit eſſe rata. Tu fruere Roma, & paratiſſima, ſi unquam, Roma: & fac etiam otii tui ratio exſtet, aut jam nunc dicam tibi in Areopago ſcribo. Lovanii, poſtrid. Idus Sextil. ↀ. IↃC. IIII. Imaginem tuam *Rubenius* a te mihi dedit, ab aere expreſſam: libens vidi, libentius typum, ſi fata darent.

Edita a *Scioppio* in Amphotid. pag. 149. ſimul cum altera: quia vero liber hic rarior, & paucis notus eſt, volui & hîc legi.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA DCCLXV.

GASPAR SCHOPPIUS

V. Cl. *J. Lipſio* S.

Lovanium.

UTtrum te *Rubenii*, an tua cauſſa *Rubenium* magis amem, nequeo decernere: niſi quod ita commoda traditi a te nobis *Rubenii* curae habeo, ut quae mihi ipſi, eadem illi velim omnia. Atque haec me nunc cauſa impulit, ut quamvis a multis & gravibus negotiis diſtrictiſſimus, ad te nihilominus ſcriberem, viamque, qua amicus ille noſter ad vitam commode agendam perduci queat, tamquam intento digito demonſtrarem. Rectius autem id facere non poſſe videor, quam ſi meo exemplo id praeſtem: quod hoc pacto eadem opera ſtatum rerum mearum intellecturus, & rationem, quam in juvando *Rubenio* ſequendam tibi exiſtimo, facilius probaturus ſis.

Quaecumque *Paulinus* Clementis Octavi Datarius bene in me facere viſus eſt, ea nunc didici non tam ulla ipſius in me prompta & ſincera voluntate, quam propriae utilitatis reſpectu ab ipſo profecta eſſe. Sed iis rem totam ſimulationum involucris texit, ut non me ſolum hominem ſcilicet ἀναπάπτον, ſed multos etiam alios πὶ τ βροτῶν εἰδότας recoctoſque Aulicos egregie fefellerit. Accipe nunc Florentinorum inſidias & crimine ab uno diſce omnes. Cum ruſſum galerum & purpuram jam exploratam & domi conditam habere ſibi videretur, majora, ut fit, animo jam concipiens, ſummam rationum, quibus in cathedram Pontificiam ſe collocare poſſet, coepit ſubducere. Ac quoniam noſſet, ſuffragatione Regum atque Principum facillime illuc perveniri poſſe, quacumque potuit ratione (potuit autem plurimis, quod incerta ſit ſumma fructuum Datariae, modo 40. modo 50. nonnumquam etiam ſexaginta, numquam autem minus 30 aureorum millibus menſtruis ad Pontificem ex ea redeuntibus, ut ita Datario facilem ſit partem inde quantam velit delibare) Reges ac Principes, eorumque Oratores ſibi devincire ſtuduit, dum Regibus munera mitteret, Oratorum propinquos & amicos Sacerdotiis & Beneficiis Eccleſiaſticis afficeret, uxores etiam Oratorum variis donis ſibi conciliaret. Jamque adeo rem illuc perduxerat, ut certamen Gallis & Hiſpanis eſſet, utri magis hominem diligerent. Exinde Polonos, Scotos & Anglos complexus eſt, ita ut nonnullis nobilibus virginibus Scotis, quae Catholicae factae ex aula & Gynaeceo reginae diſceſſerant, dotem Avenione numerari curaret, & literas ab ipſa Regina hoc ſuo officio extorqueret. Reſtabat, ut Germanos quoque ſuos faceret, quod conſecuturum ſe indicavit, ſi me ut ambitionis ſuae parario uteretur. nam ei neſcio quid magni *Lamatta* Hiſpanus, qui unus ipſi erat omnia, de ingenio meo perſuaſerat, maxime ſi loco & habitu equeſtri Theologiae ſtudia tractarem. Habuit autem rationem hanc, ſi aliquando Legatus Cardinalis in Germaniam iret, hanc ſibi Legationem praerogativae loco ad Pontificatum futurum, ſi praeſertim Germanorum Principum aliqui ma-

Romanae Eccleſiae rurſus adjungeret. Hoc itaque conſilio me interprete cum pleriſque adoleſcentioribus Principibus Saxoniae, Holſatiae, Haſſiae, Virtembergae, Pomeraniae, Brandenburgi, Anhaltinis, Palatinis, Naſſoviis, Solmenſibus aliiſque notitiam & hoſpitium conſtituit, & muneribus delinitos dimiſit. Me interim ita habuit, ut nihil me aliis a ſe nequiquam petere pateretur, quod eam rem auctoritati & honori mihi fore judicaret, cujus cupiditate ipſe me duci credebat: ceterum quamquam ei a Pontifice mandatum fuerat, ut ita me tractaret, ut non ipſe ſolum acquiſſimo animo eſſe poſſem, ſed alii etiam aequales mei ad imitandum exemplum meum incitarentur, tamen quia verebatur, ne ſi firmos & fixos reditus haberem, non ſatis ei poſtea ex ſententia neque dicto audiens eſſem, numquam mihi pecuniam negavit, ſi ea mihi opus eſſe dicerem, ſed proprios & perpetuos fructus ut mihi conſtitueret, adduci non potuit. Ac quoniam metuebat, ne ſi hoc ſciret Pontifex, id indigne laturus eſſet, cavit ſedulo, ne ad Pontificem admitterer. ſemel tamen, cum mihi, importunius id ipſum poſtulanti, refragari diutius non auderet, monuit ne Pontificem de ſtipendio docerem, tamquam ſcilicet plus jam habuiſſem, quam Pontifex dari mihi imperaverat. Etiam ſaeculari anno, cum coram Pontifice mentio de me forte injecta eſſet, & *Petrus Aldobrandinus* ipſi *Paulino* dixiſſet, locum ſe mihi in familia ſua daturum ſportulamque alendis tribus famulis: tametſi ipſe meo conſilio uſus repudiare *Aldobrandini* liberalitatem cogitabam, quod inducere animum non poſſem, ut homini ejuſmodi operas addicerem, ipſius tamen *Paulini* quoque ſuaſu id ipſum feci facilius. Sed & cum intellexit Imperatorem jam juſſiſſe literas pro me ad Regem Catholicum ſcribi, quibus jus indigenatus ſeu Naturalitatis (ut vocant) mihi dari a Rege poſtularet: ſerio me monuit, ne illis literis uti vellem, quod aegre hoc pacto Pontifici facturus eſſem, quippe quem ad benefaciendum mihi cogere vellem, aut non ſatis ad me juvandum vel animi vel virium habere crederem. Providit nimirum, ſi jus illud haberem, omnino ſibi neceſſitatem fore liberaliſſime mihi ex beneficiis Hiſpanicis providendi, ſicque me facile Coraci illi Petroniano ſimilem, detractatorem videlicet miniſterii futurum. Poſtea cum Imperatoris juſſu literis Caeſarianorum Pragam vocarer, *Pezzenius* quoque extraordinarius Caeſaris ad Pontificem Orator omni vi me ſecum hinc abducere conaretur, ſtipendio liberaliſſimo 1200 florenorum propoſito: id egit *Paulinus*, ut Romae me manere malle dicerem, & Caeſarianos non mediocriter offenderem. Dicebat quippe, Pontificem, cui ſe literas Caeſarianorum ad me ſcriptas oſtendiſſe ajebat, reſpondiſſe ſibi; ſi omnino diſcedere cogitem, nolle ſe commoda mea impedire: ſuadere ſe tamen, ne hinc moveam, polliceriique, ſi maneam, futurum, ut minime manſionis me poeniteret. At ego nunc quovis ſacramento contenderim, eum ne verbulum de re mea cum Pontifice unc feciſſe. Fuit etiam, cum in Hiſpaniam ſtudiorum ſacrorum cauſſa diſcederem, fuit, cum religioſum vitae genus amplecti vellem. Ab utroque callida *Paulini* diſſuaſio me revocavit, quod ſibi occaſionem opera mea ad rationes ſuas utendi nollet elabi. Ac quamvis ſpes eum purpurae fruſtrata fuerit,

non

non immemor tamen illius, quod ex Euripide petitum ab aliis forsan (nam ipse indoctior est, quam ullus mulio) audire potuit:

Οὗτος χὰρ ἐς μὲν ἄλγος, ὅστις ἐλπίζει
Πέπωθεν αἰεί· τὸ δ' ἀπρᾶκτον, ἀνδρὸς κακοῦ:

etiamnum consilia apiscendi galeri agitat, velut nuper ex verbis ejus conjecj. ajebat enim gratissimum sibi futurum, si se Pontifex Cardinali, qui ad Comitia Germaniae Legatus iturus esset, comitem, ut solet, adjungeret. atque haec reliqua ipsius spes nuper eum impulit, ut Electoris Brandeburgici filio & numeroso ejus comitatui lautum daret prandium. Scit nimirum solere Imperatorem Praelatum illum, qui Cardinali comes est, literis suis Pontifici laudare, & purpuram ei ambire. quod ille pro se facturum hoc impensius putat, quod Principes illos, quos muneribus & xeniis hic Romae affecit, eam rem ab Imperatore postulaturos credit. Sed ego vereor, ne frustra futurus sit, maxime si ego aliis suspicionem hanc meam aperiam. Interim non desino meum negotium agere, ut quod *Paulini* astu e manibus amisi, nunc mea diligentia reprehendam & recuperem. Fuit superiore aestate Romae Excellentissimus *Raimundus* Comes *Turrianus*, qui prius ipsos duodecim annos Caesareum in Italia Oratorem egerat. Eum quod sic in me propensum intelligerem, ut mihi omnia sua arcana crederet, majoremque mihi in mensa & in curru, quam aliis Nobilibus & Baronibus, honorem haberet: rogavi, negotium meum impetrandi a Rege Catholico Juris illius ad curam suam pertinere existimaret, quod ille se summa cum fide & diligentia facturum recepit. Jamque adeo post proximos paschales dies ad Archiducem Ferdinandum abibit, cumque illo & matre ejus hoc nomine aget, ut illi scilicet literis suis hoc mihi a Rege & Regina Catholicis petant, ejusque negotii procurandi partes *Chevenbyllero* Caesareo in Hispania Oratori committant. sed & ipse *Turrianus* eidem *Chevenbyllero* amicissimo suo eamdem rem diligentissime commendaturum promisit. Ac quamquam summa est *Turrianus* apud Archiduces auctoritate, nihilominus ut majori cum dignitate res geratur, visum est testimonio quoque Cardinalium *Sangeorgiani*, *Baronii*, *Seraphini*, *Giurii*, *Perronii*, *Saulii* & Vicecomitis niti: qui literis ad Archiducem & matrem datis fidem eis facient, me his aliquot annis de religione Catholica deque domo Austriaca optime esse meritum, & si me redire in Germaniam contingat, non mediocri me usui tam Austriacis, quam sedi Apostolicae futurum judicari. Ita spero me voto potiturum facilius, ut mihi Pontifex sine ullo suo onere aut incommodo liberalissime providere possit.

Habes de meis consiliis, quae tibi putavi cognitu non injucunda fore. nunc vellem eandem rationem teneres in adjuvando *Rubenio*, hoc est, per amicos & patronos *Naturalezzam* (ita enim vocant) in Hispania ei conficeres, sicut sunt hodie non pauci, qui eandem non tam ullo suo merito, quam commendationibus Archiducum adjuti obtinuerunt, & rem ex ea fecerunt. quos enim Rex Catholicus Naturales Hispanos declarat, eosdem ad certam summam (verbi gratia 500, 1000, 1200, 2000 aut 3000 aureorum annuorum) ex beneficiis

&

& Penſionibus Hiſpanicis capiendam habiles reddit. Rem quin confecturus ſis, ſi calide id agas, nullus dubito: & *Rubenium* quod ames in filii loco, ſcio: videorque injuriam utrique facturus, ſi id precibus a te auferre coner, quod te ſaltim verbo admonitum prompte ac prolixe facturum certus ſum. Hoc tantum monendum te mihi ſumo, ut quicquid hujus acturus es, agas celeriter. Coterum verbum ſat eſt.

De ſtudiis meis ſi quaeris, noveris multa me habere luce publica non indigna. Sed moratur me & lentum reddit typographorum penuria. Spero tamen Stoica mea, quae ſuperioribus annis jam plane confecta habebam, proximo mercatu proditura. Symbolam quoque in Plautum forte manu mittam. Symmachum quaero qui Romae imprimat. De Cultu & Honore Dei, angelorum & hominum, Itemque de Juſtificatione hominis ex ſententia tam haereticorum, quam Catholicorum novo ordine quaedam ſcripſi, & Elenchos de ſecuritate Lutheranorum in religionis cauſa, itemque alios de auctoritate Lutheri & doctrinae ejus: quae omnia cuperem ſaltim a te inſpici, ubi exierint, ut videas, quam haec nullo genere infelicius a nobis, quam a Theologis, ſi uſus veniat, tractari poſſint. Una hîc accipies *Sangeorgiani* literas, cujus ſecretarius *Joan. Priamus* homo Gallus, vir non indoctus, per me tibi commendari fidemque ſui in te ſtudii fieri petiit. Vale, Vir Clariſſ. & cariſſime, meque ama. Roma a. d. 18. Martii A°. 1606.

EPISTOLA DCCLXVI.

GASPAR SCHOPPIUS

V. Cl. *J. Lipſio* S. P. D.

Lovanium.

REs eſt ſolliciti plena timoris amor, adeoque nullam diligentiam ac cautionem, quae in *Rubenii* cariſſimi capitis noſtri negotiis adhibeatur, ſupervacuam puto. ſcripſi nuper, quam ego compendioſiſſimam & tutiſſimam ad honoratum otium hominem perducendi viam exiſtimem, hancque meam ſententiam, quam ex animo protuli, longoque uſu, & partim etiam malo meo, didici, probatam tibi nullus dubito. Nunc denuo te admonere mihi viſum eſt, non quod *Rubenio* amoris erga ſe tui poenitendum exiſtimem, qui ſe tibi in filii loco carum eſſe ſciat, ſed quia me ingenio & naturae meae obſequi oportet, quae ejuſmodi eſt, ut quicquid velim, valde velim: ſimul ut ſi quem forte habes hac in re ſcrupulum, quod fortaſſis rem impetratu difficiliorem putes, eum tibi ereptum eam confirmemque, ſi eodem exemplo, quo prius *Columnae*, nunc Regi Catholico *Rubenium* aut commendes, aut commendandum cures, illudque indigenatus jus pro capiendo ſexcentorum aureorum reditu tribui poſtules, futurum certo, ut a te ſibi *Rubenius* unctum & luculentum patrimonium confectum perpetuo ſentiat. Pudet me, cum uterque Stoicorum & Socraticorum diſciplina imbuti ſimus, in commendando tibi eo homi-

mine, quem tu mihi prior tradideris, plura verba ſumere: tantum quod inchoato a te praeclaro operi finem ab eodem te impoſitum videre deſidero; ut ſcilicet *Rubenius* noſter, qui diſciplina & cura tua talis in literis evaſit, tua nunc porro opera commode & honorate vitam exigere queat. Intelligis, opinor, tuum jam eſſe cavere, ne mihi, cui uſum rerum non mediocrem concedis, minus nunc prudentiae in perſpiciendis adjuvandorum amicorum rationibus opinione tua attribuas, quam ego fiduciae cum de prompta ac prolixa tua in *Rubenium* voluntate, tum de auctoritate ad conficiendum hoc negotium neceſſaria conceperim. Vale. Roma Kalend. April. A°. CIↃ IↃC VI.

EPISTOLA DCCLXVII.

EMMANUEL SARMIENTO DE MENDOZA

Canonicus Gienn. Theol. Doctor Salmant.

J. Lipſio Viro doctiſſimo S.

Lovanium.

OPtaveram (vir maxime) concupiſcenti animo multis ab hinc diebus, nec mentiar ſi annis dixero, meos in te affectus, cultuſque litteris, quibus poteram, exprimere. Quamquam enim terrae, montes, longique tractus me teque intercedant: nomen vero tuum pectore penetrato, imo ultro cedente, intima cordis inſederat. Affectus nobiliori in parte lectione attenta, avidoque hauſtu tuorum ſcriptorum (malo, nectaris beantis me) conceptos, eductos, adultoſque intra me diu continui invitos, reluctantes. Sed ignem aſſiduo ſpirantem perpetuum comprimere, quis poſſet? eruptio neceſſaria fuit occupata oris janua, ad alios incendium pervenit, ad amicos, quibus cum mutuis de te & de tuis ſcriptis confabulationibus dies integros conſumere nimis breve videbatur. Ac velut amantes cum abſunt, ſpem amoremque cogitatione, & ſermone alunt, & paſcunt; haut aliter quos de te crebro ſermones habeo, tui videndi imponunt votis, & fallunt tempora. Quis ſanae mentis te non ſuſpiciat, miretur, veneretur, ſi doctiſſimos percurrat labores? Ecquis grave judicium, priſcam doctrinam, effuſam torrentemque eloquentiam, candidam libertatem, variam rerum cognitionem, imo comprehenſionem, uberem denique foecunditatem effetis ſaeculis mirabilem non agnoſcat, non amet? Te duce ſecors, qui viam ſapientiae hactenus cluſam, & ſalebris impeditam per te reſeratam, aequatamque non fuerit aggreſſus haut difficile ineundam. Nonne a te lux data clariſſimis ſcriptoribus, qui longo ſitu ſordebant, & inacceſſi fallebant? An non bonae artes manu tua extractae e profundo ignorantiae omnibus emerſere? nonne barbaries per tot graſſata ſaecula a ſede expulſa, deturbata? Haec, mi Lipſi (jure meum dico animo haerentem) haec inquam, & ſuper haec dulcis humanitas quae (ſi bene novi genium) in tuis ubique ſpirat monumentis, permoverunt me tandem, impulſura etiam ſi abnuiſſem, tuam affectare bene-

volentiam, & inter noviſſimos amicos adſcriptionem. De loco non contendo, dum tamen locus. dum menſis tuis accubem vel umbram agam: & ſi vocari, & ultro invitari veteri in te ſtudio dignus. Cur tandiu ſilui? cur in hoc diſtuli tempus? quod multo ante aſſequi potuiſſe ſi ambigerem, injurius tibi eſſem? Pudor occupavit (fateor) & oppreſſit verba ſaepe erumpentia, indignum ratus, ſi tantum virum mei affectus, & amicitiae haut indigentem manibus vacuus, inſuper ignotus adirem. At muneribus non caperis: ſcio, ſed iis, quae a fortunae bonis: Ex literis, muſiſque, quamquam & iis abundas, admittis, accipis. Forſan inveni hujus ſecundi generis quod cupias, quodque ad te faciliorem mihi praebeat aditum. Cave magnum quid ſpectes: munuſculum ſpondeo; ad uberem tuam ſegetem ſpicam addo: utinam haut vacuam granis.

Parvaque coeleſtes pacavit mica, nec illis
Semper inaurato taurus cadit hoſtia cornu.

Ab ingeniis praeſtantibus ampla exoptes dona: ingenioli mei tenuitas, aequo animo patere, micas offerat. In culpa noſtra (utar verbis Plinianis) tibi ignoſces. Audacem me fecit muneribus mittendis tua humanitas, inopem vero tua abundantia. Quidquid aquarum effundunt in Oceanum rivuli leve momentum, ſed ſinu ampliſſimo nihilominus accipit, quam flumina undantia. Unde quidam, — *in Oceanum rivi cecidere minores.* Sed quid te diſtineo tandem? cur non educo munus? moram petit, dum rubor abit. Sed dicam plane. ad Tacitum tuum, ſimul ad te donum pertinet. Temeritati (videri enim poteſt temeritas) da veniam. Si quid me vidiſſe in eo animadverſione dignum dicam, quem perſpicaciſſimis oculis luſtraveris, & non una cura correxeris; ignoſce. Quaedam enim non caſu, omiſiſti, ſed minutula, colligenda aliis. Velut vineae dominus, qui racemos pingues, ſucco dulci plenos domum aſportari jubet, ſpretis rarioribus, & immitibus in cibos pauperum. Tacitum ab innumeris, quibus ſcatebat mendis, aſſeruiſti, illuſtratum nobis exibuiſti, lucem illi, atque ſalutem attuliſti. tuus totus ipſe. quae ſuperaverunt minima, commentariis tuis compoſita, ſcio non invidebis, ſi collegero. Anno 1596. ſerio (hactenus enim carptim, & ſicut canis e Nilo deguſtaveram) Taciti lectioni me tradidi, ducentibus tamen commentariis, & curis tuis, ſine quibus vaſto, & ſcopuloſo mari non me credidiſſem: certus nullis aliis velis, aut ventis ad portum perveniri poſſe. dulcius vehebar, quo interiora penetraveram. Stupui ad ſcriptoris magnitudinem, ſententiarum pondus, ſermonis puritatem, incorruptam hiſtoriae veritatem, lepidam, ſimplicemque in dicendo brevitatem, continuam eloquentiam. Inde cupido mihi nata reguſtare, quem ſemel guſtaveram: Placuit iterum legere: nec quidquam aliud moliebar: ſat reputans accurate & ad voluptatem, uſumque legiſſe. Si quando offenderam, me non cepiſſe Taciti mentem ſuſpicari: Si quum caperem ſenſum, verba parum conſtare perſenſeram, ſubtiliori cenſurae relinquere: me theologiam publice profitentem, & aliis implicatum negotiis tantae rei non ſufficere; laborem timere, horrere. Scrupulum tamen nequicquam opprimere conatus reviviſcentem.

Tan-

Digitized by Google

Tandem evicit, ut proxime praeteritam aeſtatem, quum in Academia noſtra lectiones vacant, (tempus aliis animo relaxando ſtatutum) huic labori impenderem. Sed adhuc nutantem impulit Doctor *Franciſcus Sanctius* Brozenſis, Rhetoricae primarius Salmantinus, & omnium bonarum artium, & literarum ſi dicerem, non mendax, fines Hiſpaniarum teneo, inter quos par illi ignotus nobis. Sed fama ejus, nomenque jam a multis annis Hiſpanos egreſſum per omnem celebratur Europam. & te non latet quantus ſit vir hic Hiſpanus. Is igitur in familiari ſermone (frequens inter nos, & amicitia incorrupta in dies aucta) inculcabat ſaepe ſcribentium ignorantia, & grammaticorum imperitia in optimum quemquem ſcriptorem plura inepta, barbara in Tacitum maxime irrepſiſſe: & adhuc nonnulla permanere. eo attentius, acriusque laborandum mihi exiſtimavi, qui probe callebam nihil perperam loqui ſolitum Brozenſem. Nonnulla principio ſubodoratus aliena a gravitate Cornelii, & ab ejus brevitate degenerantia. Et haec alia plura in ſuſpicionem adduxere. Ut plurimum hac loquendi phraſi Tacito impoſitum ex notis, quas ad te mitto, diſces. *Cuncta ad Senatum referendo: regendi cuncta; arma vitandi*: quae latina dixerit nemo. Docuit me *Sanctius*, & ejus Minerva *Referendo*, *regendi*, *vitandi*, paſſiva eſſe (ut ajunt gerunda) quibus accuſandi caſum adjungere non patitur paſſivorum natura. Hac de re Opuſculum *Sanctii* ad te mitto, ad quod & haec remitto. Quid ergo? delenda ne omnia iis ſimilia? cenſeo. Levius id peccatum (ſi tamen peccatum) quam frigide, & barbare loquutum exiſtimare Tacitum. Si alias eiſdem vocibus, ut decebat Latinum, eleganter utitur, cur non putem aliena, cum putide? Verba ſaepe addita eſſe res ipſa oſtendit: ſenſus inverſus, & everſus clamat: corrupta ſententia dolet; quae ubique promta, ſi verba intruſa tollas; Exemplum unicum, ſed quod fidem faciat meae ſuſpicioni. lib. 2. Hiſtor. cap. 48. *Mox Salvium* (inquit) *Coccejum fratris filium prima juventa trepidum, & moerentem ultro ſolatus eſt, laudando pietatem ejus, caſtigando formidinem.* Quinque verba poſtrema alienam manum ſapere convincêris, ſi ſubjectam Othonis orationem legas, qua nec pietatem laudat, nec timorem caſtigat. Delenda igitur, delenda. ſed unde mihi tanta licentia, ut nullis uſus codicibus quidquam delere auſim? Tu mihi auctor. Exemplum dediſti, quod ſi ſequar, non culpandus. lib. 11. Ann. cap. 30. verba illa, *Scilicet ut in Libonem ex ſervis ſalvo Senatus conſulto quaereretur*: ais, ambigi poſſe an a Gloſſemate, nimis modeſta cenſura. vellem aſſeveranter ablegranda dixiſſes. Imperitus & moleſtus Gloſſographus cauſam inverſi Juris ſuppoſuit, ſed verbis hujus aevi, non illius. Alibi ſaepe voces ſuperfluere notas, & merito. Fateor non quaecumque tibi, eadem licere mihi juveni, in iis praecipue parum experto. Ideo ad te nugas noſtras mittimus, ut cenſeas, judices, & ſi meruerint, probes: haut aliter mihi probandas. quam cuperem eaſdem comitaretur *Spongia*: *muneribus convenit illa meis*. Duo exemplaria emendationum Taciti mittimus, forte illorum alterum ad tuas perventurum manus. Si non reſcripſeris, utrumque digno fato periiſſe, intelligemus.. Parva certe illorum jactura, ſed ſpei, quam de tua amicitia concepi, maxima. Pe-

Digitized by Google

nuria ſcriptorum tuorum valde laboramus: librariorum incuriam culpamus; temporum dolemus turbas: quae tantis theſauris vehendis impedimento ſunt. Multi eorum avidi quovis pretio emerent. Fidem dederat amicus omnia, quae hactenus mandaſti typis, ſe miſſurum. Vel non potuit, vel oblitus eſt; Utrumque mihi moleſtum. In ſpe ſumus. Salus tua, de qua ſaepe quereris, nos tenet anxios. Utinam modo ex voto noſtro. Nam

— — — — — *Tu Troica dignus*
Saecula, & Euboici tranſcendere pulveris annos,
Neſtoreoſque ſitus.

Sanctius te ſalutat ex animo. Vale, vir maxime, & me tui amantem redama. Salmanticae tertio Idib. Januar. 1600.

Reſpondet *Lipſius* Centur. ad Italos & Hiſpanos LXXXIX. fuit vero hic *Mendoza* Burgenſis patria, & in Schola Salmantina, cum ibi ſtudiis operam daret, Rector, deinde Canonicus Magiſtralis in Eccleſia Hiſpalenſi, ut nos docet *Nic. Antonius* in Bibliothec. Hiſpan. Scriptorum recentiorum tom. I. pag. 272. ubi & *Lipſii* ad eum epiſtolam memorat.

EPISTOLA DCCLXVIII.

Molto Illuſtre, & Eccellentiſſimo Signor mio.

Lovanium.

DA quel tempo in quà, ch'io mi trovai à Parigi in caſa del Signor *Pîteo*, col famoſo *Cujatio*, & col celebre *Scaligero* (Triumvirato d' huomini di robbà lunga, pari forſe all' antico d' arme, & di Stato, peroche ſi come l' uno s' hebbe à compartire il dominio del' Univerſo, coſi queſti quaſi il ſenno delle Leggi, & delle Greche Lettere, & Latine) hò ſempre bramato d' eſſer da voſtra Eccellentia conoſciuto per devotiſſimo delle ſue virtù ſublimi, & ſenza paragone. Quivi fù diſteſamente ragionato delli ſtudii, & della dottrina eſquiſita di lei & de libri dettati, eſultando al Cielo ogni ſuo parto, ſi nelle coſe, & ſi nelle parole monde, & Latine, & proprie; & ſopra tutto lo ſtile breve, & arguto, & fuor dell' uſo hodierno, à priſchi ſommigliante, la primiera volta, ch'io andaſſe in Francia hebbi nello Studio di Parigi ſtretta converſatione (anzi fui lor auditore) col *Turnebo*, con l' *Aurato*, & *Lambino*, & col *Dureto*, heroi nelle loro profeſſioni; & col *Ramo* ancora, Cenſore preſuntuoſo (per non appellarlo beſtiale) d' Ariſtotele; nel qual tempo il *Turnebo* compilava i libri de ſuoi Averſarii, hora cotanto pregiati, compiacendoſi aſſai ſovente di communicarmi diverſi paſſaggi di quell' opera belliſſima. vivean etiandio all' hora il *Vicomerato*, & il *Scaligero* Padre, ſuo amico, & l' *Hoſpitale* Grand Cancelliere di Francia, & altri ſcientatiſſimi, che hanno illuſtrate le lettere: & Voſtra Eccellentia ancor giovane per aventura ſi tratenneva in *Roma*, appreſtandoſi à pareggiarli, anzi, per poco, ad avanzarli tutti, come ſucceſſivamente have poi mandato ad effecutione con gli ſcritti ſuoi di varie facolta, & arti nobiliſſime & come dice Plinio, *ad condendum ſtili naſum*, & per certo, quantunque ſian ottimi, & degni di ſolo il ſuo ingegno, tuttavia:

via queſti trè ultimi della *Militia Romana*; *degli ordegni Guerreſchi*, & *della Grandezza maravigliosa di Roma*, & del ſuo Imperio, (eccettuando ſempre gli ſcolii in Tacito) per mio aviſo, tengono il grado primiero; & la terza opera delle predette, riſpetto alle altre ben ſi puote raſſembrare à Nauſicaa di Corfù Reina, nel VI. dell' Odiſſea d'Homero cantata, che ſervita da molte damigelle tutte belliſſime, ella in grandezza ſurmontava col capo, & con la faccia, moſtrandoſi più formoſa di loro,

Παρὰων δ' ὔπερ ἦεν κάρη ἔχεν ἠδὲ μέτωπα,
Ρεῖα δ' ἀεικγκάπη πέλεται, καλαὶ δέ τε πᾶσαι.
L'altra avanza col capo, & con la fronte
Molto ben riguardevol, & leggiadra
Frà lor, che la ſeguian tutte formoſe.

Per la qual coſa con l'occaſione di tanti Romei, che in queſt' anno Santo concorrono à Roma, & in ſecondando l'intentione del Cardinale *Ceſi*, mio Padrone, (Mecenate infrà pocchi, de' Letterati, & Dottiſſimo) ch' è di accoglier, & carezzare d'avantaggio queſti devoti, col preſentar loro inanzi, oltra li trattati di religione, che per tutto ſi veggono, la grandezza de ſuoi Romani, rimaſe in queſte ruine: io hò volgarizato la predetta terza opera di V. E., in che mi ſono ſtudiato d'uſar vocaboli ſcielti, & dicevoli alla materia, & pareggianti i Latini, per quanto m'è ſtato poſſibile; mà io confeſſo di non mi eſſere ſodisfatto, colpa di me, ò pure de l'Idioma, poſciache novello, nè ancor alla ſua perfettione aſceſo, nè fornito d'autori buoni in queſte materie, non abbonda di voci. Comunque accada, toſto ſarà ſtampata inſieme contre miei diſcorſi, l'un *delle Monete*, & *del Seſtertio* poco inteſo dalla più parte degli huomini; il ſecondo *delle delitie Turcheſche*, ſuperanti forſe le Romane, almen da loro introdotte per le medeſme cagioni, le quali minaccian il fine della Tirannide, che ci affligе: & il terzo, *delli Porti della Piaggia Romana*. Perciò che vivendo già in *Roma* quattro millioni d'anime (come ben ella prova) & ricevendo le vittuaglie là più parte dal Pelago, fù neceſſario, che vi foſſero poſti da riceveri Vaſſelli, eſſendo la detta Piaggia per ſe ſteſſa la più tempeſtoſa, & priva di ricetto di tutta quanta la coſta d'Italia. Attendevamo, che V. E. veniſſe à riveder la ſua amata *Roma*, la qual, come Cittadino, & gradito figlio, & benefattor di eſſa, & che l'ha tratta dalle tenebre alla luce cò ſcritti; & inſieme tutti queſti Reverendiſſimi Cardinali, & Prelati, & letterati s'apparecchiavano di ricever, & honorar la perſona ſua. Mà poiche non torna indietro, ci rimarremo con queſto deſiderio, intanto pregando Iddio, che le accreſca i contenti, & le prolunghi la vita in miglior ſanità, per utile, & diletto degli amatori delle più polite lettere, & delle ſane intelligentie degli autori. Ben la prego in concluſione, che infra le fatiche, le quali have in affetto per divolgare, la prima eſſa nelli Commentarii de Ceſare, li quali infin' ad hora, inſieme col Polibio ſono ſtati abbandonati, & in quelle vece ſpeſe le vigilie, & li ſtudii conſumati ſopra Vegetio, & altri, che men inteſero la buona militia Romana antica. Quando comparrian dalla ſua

ſcola bene corretti, & ſi come hà per coſtume nel ſuo Tacito, adducendo le ragioni de' teſti differenti, io publicherò l'annotationi mie ſopra loro intorno alla militia, havendo di già poſto in diſſegno tutti li fatti d'arme terreſtri, & maritimi, cò ſiti de' luoghi, dove intervennero li più da me veduti. Dichiaro etiandio, ſecondo la capacità mia, l'ordinanza della legione, & la compoſition della Centuria, nelle quattro maniere de' Soldati, Veliti, Haſtati, Prencipi, & Triarii & le ſchiere loro σίχος, onde naſce il καταζυγος, non da altri, ch' io ſapia inſin ad hora fatto, overo compiuto. Et con queſto à V. E. mi raccommando, & profero cordialmente, & la prego a perdonarmi, s'io ſcrivo nel mio linguaggio, per iſchivar tedio, & ſapendo ch'ella & l'intende, & lo parla familiariſſimamente.

Di Roma à 25. d'Aprile M. D. C.

Di voſtra Signoria molto illuſtre

Servitore Filippo Pigafetta.

Reſpondit Lipſius Centur. ad Italos XCIII. Pigafettae mentionem facit Pignor. in Symbol. Epiſt. XXI. & XXII.

EPISTOLA DCCLXIX.

EMMANUEL CORREA LUSITANUS

J. Lipſio, viro in re literaria praeſtantiſſimo S. P.

Lovanium.

STatueram jamdudum nominis tui celebritate, & ſcriptorum majeſtate permotus, Lipſi doctiſſime, quando aliter non poteram, te per literas inviſere, convenire, alloqui; ac mea inprimis, totius deinde Luſitaniae voce gratulator tibi, & conſiliator accedere. Huic operi millies jam manus appoſuiſſem, evaſiſſemque voti compos; niſi locorum diſtantia, tabellariorum caritas; niſi, quod certius eſt, hinc ingenii noſtri tenuitas, illinc Lipſii deterreret auctoritas. Continui igitur me, & in praeſens aliquod, ſi quod forte incidiſſet, tempus hanc animi diſtuli propenſionem. Atqui tandem juſtitia obtinet, Quid plura? allata eſt mihi nuper, tanquam e coelo, epiſtola Illuſtriſſimi *Nuni Mendozii*, diſcipuli quondam noſtri, mihique multis nominibus cariſſimi; &, ſi nobilitatis leges inſpicias, digniſſimi, quem litterati omnes plurimi faciant. Haec longe viae comitem, ac importuni maris levamen ſecum attulit [1] epiſtolam tuam ad eundem *Mendozium* miſſam, doctiſſimam profecto, & quae Lipſianam lucernam prae ſe ferat. Eam amiciſſime juxta & avidiſſime perlegi: multis amplexibus, multis excepi oſculis: ac ſinui meo

ut

1 Reſpondet *Lipſius* Centur. ad Italos XCVI. Hic *Correa* memoratur a *Nic. Antonio* in Tom. I. Biblioth. Script. Hiſpan. recentiorum pag. 264. an fuerit ex eadem gente, qua *Thomas Correa*, Profeſſor Humanioris diſciplinae Bononiae, cujus mortui locum *Lipſius* fuit rogatus ſubire, (vid. Epiſt. DCXL & alias) neſcio. certe ille Conimbricae natus fuit. vide *Ghilini* Theatr. Literator. t. II. pag. 233.

2 Centur. ad Italos & Hiſpan. LXXXIV.

ut veri amoris, veraeque fidei Symbolum amantiſſime inſerui. Gratulor igitur tibi, vir doctiſſime, Luſitanorum nomine praeclariſſimam animi tui indolem, largiſſimam in totum terrarum Orbem munificentiam, maximeque in hanc noſtram extremae Hiſpaniae regiunculam; quae ita libris tuis paſcitur, ita fruitur, & certo quodam modo alitur, & vivit, ut ſibi tantum elucubrata, ſibi tantum edita fuiſſe opera tua exiſtimet. Adeoque in Lipſii nomen affecti ſunt Luſitani, ut mihi ſuſpicio ſit, fore aliquando, ut originis nomine immutato Lipſiani appellentur. Hos igitur viciſſim ama; & quos mira doctrinae varietate erudire, ſelecta verborum venuſtate expolire non deſinis, in gratiae etiam tuae partem admitte, amiciſſimos tui agnoſce, & animo dignos reputa, quos animi theſauris accumulas. Me etiam in tuis colloca; quem, quoties voles, obſequio tuo paratiſſimum invenies. Quod autem ſemper velis, & confidentiſſime velis, nihil mihi gratius, nihil erit honorificentius. Vale. Oliſipone, Calendis Junii ∞ IↃC.

EPISTOLA DCCLXX.

H. GROTIUS

J. Lipſio literarum principi ſalutem.

Lovanium.

OCcaſionem ad te, Vir Clariſſime, ſcribendi, quae rara ob civiles hoſce motus, oblatam non neglexi. Ediderat hiſce diebus Aratum cum triplici interpretatione, Ciceroniana, quam interpolavi, Caeſaris Germanici, quae ex Manuſcripto renovata, & Avieni, additis variis Notis. Id opus ad te miſi, ut judicium tuum, tu mihi viciſſim, quem ego hac in re Judicem agnoſco ordinarium. Si qua ſunt, quae tu ad iſtos authores obſervaveris, ut ſoles ad omnes, mihi, rogo, tranſcribas, ut eo Emblemate ornentur διύτεραι Φροντίδες. Vidimus Panegyricum tuum ad Duces, & alterum Plinii paulo minus quam tuum, in quo tam varia, & te digna annotaſſe ab omnibus judicaris, ut incredibile vobis, intolerabile nobis, ſuſcites deſiderium tui, cui pares non eſſemus, niſi nos reficeret aura *Scaligerana*. Sumus omnes tui quam ſtudioſiſſimi, praeſertim vero pater meus *J. Grotius*, qui te ſemper coluit, maximique fecit, & nunc quam officioſiſſime ſalutat. Vale, ut valeant literae, & nobis, ubi viſum erit, reſcribere ne dedigneris. XIIII. Septem. CIↃ IↃC.

Reſpondet *Lipſius* Centur. III. ad Belgas Epiſt. LXIV.

EPISTOLA DCCLXXI.

H. GROTIUS

J. Lipſio S.

Lovanium.

MItto tibi, LIPSI praeclariſſime, Tragoediam Sacram. Inclamabis, ſcio, Periculoſae plenum opus aleae. Fateor: Aliter haec ſacra non conſtant. Scri-

Scripturum praevidere neceſſe eſt, nauſeantes nonnullos, damnantes alios, convitiis proſcindentes, quicquid legunt, plurimos. Ego certe, niſi iſta omnia ante ſcripturae exordium praemeditando anticipaſſem, tam fallerer, quam qui maxime. Et tamen, ecce, profiteor palam, nihil dediſſe alterutri partium. Toti Orbi Chriſtiano haec vigilata ſunt; nec haec tantum: ſed quidquid a me unquam ejuſmodi, & quantulumcunque proficiſcetur, prima erit cautio, ne quid ſit non καθολικὸν καὶ οἰκουμενικόν, ut antiqui Patres loquebantur. Tu judicabis quantum libet, & licet. Tanti enim eſſe non dubium. Nam abs quîcunque ſcripta, & quovis modo, ſacra ſunt, & ſeria. De Tragoedia quoque ipſa ſententiam tuam exſpecto. Eſt enim haec tua jam ab antiquo provincia Theatris pulpitiſque legem dicere, & nigrum vitiis praefigere Theta. Hoc olim Criticorum fuit. Nunc quo non nomen transfertur, noſtro potiſſimum adoleſcentum vitio, qui calentes juventa procul avectas volatu alites conſequi temere conamur. Graece melius dicerem, πλημμύζομεν. Vale, vir maxime. Kal. Nov. Anni CIↃIↃCI.

Reſpondet *Lipſius* Centur. III. Miſcell. Epiſt. XCIX.

EPISTOLA DCCLXXII.

HIERONYMUS FERRERIUS

J. Lipſio.

Lovanium.

MIraris, Lipſi, video, ad hujus epiſtolae inſpectionem, ut quem per integrum biennium ſilentem animadvertiſti, fortaſſiſque inde vita privatum cum illis cenſueras, qui meae animae adverſarium potentem inſidiari certo ſciunt, ita ex abrupto, & qua minime ſperare debebas, tibi oblatum inſpicias. Ecce quid in humanis rebus fortuna ſolet efficere. & ut is probus vir (nomen tibi cognitum) aliud faciendo, quam ſpoponderat, quantum mihi bona fide ſecum agenti incommodi, ſed & damni intulerit. Non tamen mirum, vel non immerito accidiſſe fateor, ſi & nos ipſi ea, quae redemptori noſtro promiſimus, nequaquam praeſtamus. At ſi ſilentium hoc inde profectum intelligas, quia ſcilicet ad longinquas partes, fortuna impellente, delatus ſim, unde ad veſtras nulla commercii ratione rectus pateret aditus. Certe jam admirari deſines: tum maxime, ſi hoc intellexeris, nempe me interim continua ſpe detentum, quo minus ad vos propediem reverterer; & propterea quem brevi viſurum rebar tibi literas dare ſuperfluum, aut non neceſſarium judicarem. At vero quamquam notum ſit, amicitias non ex literis, ſed ex animo pendere, non diutius tamen producendum, quin imo interrumpendum ſilentium per hanc oblatam caſu occaſionem duxi, ne videlicet ſi diutius tacuiſſem, me mortuum, vel longinquitate impeditum, fortunaeve adverſae ictibus adeo exagitatum opineris, ut vel tui oblitus ſim, cujus memoria benevolentiae er-

1 Reſpondet *Lipſius* Cent. ad Gallos & Germanos Epiſt. LXXXIII.

Digitized by Google

ergo & obſervantiae meae in te memor radices numquam perituras egit: ſimul & ut tibi caeteriſque amicis, ſi quos iſtic adhuc ſuperſtites habeo, me inter vivos eſſe, ſed &, quod ex Dei gratia eſt, bene habere notum fiat. Quamquam fortaſſe dices, quid amplius ad me infaelicis iſtius ſortis hominis amicitia? ſi cum plebejis ad fortunae auram duceris; nihil quidem. At Lipſius meus altius ſapit. & virtutem conſtanter ab adoleſcentia amplexus profeſſuſque Deae illius, fronte capillatae, motum ſi ſervat, non obſervat. Quid ni itaque ſi idem obſervantiae meae & amoris mei erga ſe memor, & quid de me ſit, certior ex animo reddi aliquando optabit? ſed & quaeret. Optabit equidem, & una quaecunque adverſa mihi occurrerint, non jucundo; proſpera vero hilari animo, ſi referre audierit, ſcio excepturum. Doleo interim, & quantum exprimere nequeo, calamitates indies apud vos, ut audio, augeri, nedum diminui: tantumque ſanguinis ex tot viris caeſis, & recenter effuſum, & ſtrati cadaveribus campi horribilem ſui & penitus abhorreſcendam faciem exhibuerint. Deus bone quamdiu tot ac tantis malis mites, placidoſque Flandros vexari patieris, ſed & quid inter nos temere digladiamur? quid bellamus alii cum aliis? (aureum os haec loquitur) quibus praeceptum eſt, ut & eos qui nos oderint amemus? non animadvertis? (nonnulli inquiunt) ὃς τῆς ἀντικειμένης μεριδος ἐγγὺς οἱ πλεμικοὶ τὸν τρόπον, καὶ τὸ δίδόκιμεν τῷ κειτῷ κακὸ ϑηρώμενοι τῇ ἑαυτῶν αἰσχύνῃ ἐγκαλλωπιζόμενοι, atqui ſubjunge tu, ſi placet illa Iſocratica, Πεφύκασιν αἱ πονηραὶ Φύσεις, καὶ Φιλονεικεῖ μὴ πρότερον λήγειν τῆς διαμάχης καὶ ἔριδος, πρὶν ἢ καιρίαν δίξασθαι τὴν πληγὴν, καὶ ἀνεπίληπτον τιμωρίας πείραν λαβεῖν. Exſurge Deus, tu diſperge gentes, quae bella volunt: ſed hiſce miſſis dolorem vel ſola recordatione facientibus ad exhilarantia tranſeo: atque primum ad hoc, quod, etſi forſan aliunde acceperis, gaudeo tamen me tibi in praeſens referre, nempe nomen tuum in omnibus his oris Sarmaticis, & ultra Boriſthenen celeberrimum eſſe: & quidem apud plurimos doctrina & gradu praeſtantiſſimos viros magno in pretio haberi, quos tuorum ſcriptorum aeque ac de tuo ſtatu eſſe ſollicitos cognovi. Quid ſi dicerem te, quamquam abſentem reique ignarum, ut cum ipſis amicitiam contraherem, non parum contuliſſe? ſi id praeſtarem, de rei ſucceſſu te certiorem redderem: Siquidem nonnulli poſtquam me tibi familiariter notum intellexerunt, tanto libentius in ſuam me amicitiam attraxerunt: atque inter caeteros Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Archiepiſcopus Leopolitanus, qui adeo te viſendi ſtudio tenetur; ut ſecundus ſenator Reip: ampliſſimae familiae praecipuus; nonum aetatis ſeptenarium adimplens, de utinere ad Belgas non ob aliam occaſionem ſuſcipiendo, quam ut te conveniat, ac ex facie noſcat, cogitare, ſed & deliberare audeat. Voluptati non exiguae ipſius voluptas mihi eſt; quam ex tuorum ſcriptorum lectione jucundiſſima cum excerpere video, & ipſemet ſaepius eſt teſtatus vir pietate inſignis, ſanctus moribus, doctrinaque & humanitate, quae duo inter eminentes raro inveniuntur, etiam inter claros lucidiſſimus. Hic ille [2] *Joannes Demetrius Solicovius*, qui pro componendis Principum ſupremorum in diſſentientibus inter ſe animis, imo totius Reip. Chriſtianae rebus ob varios caſus diſ-

2 *Jo. Demetrii* hujus *Solicovii* vita & elogium &c. ſunt in *Ghilini* Theatro literat. Tom. II. pag. 144.

ſolutis ad ſummum Pontificem, Imperatorem, Reges & alios principes multis legationibus faeliciter eſt functus, quique (ut paucis ejus meritorum ſummam concludam) de tota Chriſtianorum relligione, de quiete & bono publico ita eſt meritus, ut paucos pares alibi, neminem vero, qui eum inter Sarmatas ſuperiorem habere merito credatur. Quae res etiam effecerunt, ut non tantum in honore ſummo ſit poſitus, ſed probitate & prudentia admirabilis ab omnibus ſuſpiciatur. neque affirmare auſim, an ab eo inſtituto itinere, de quo ſupra, abſtinere volet: non volet profecto, niſi aetatis, atque inſtantium Reip: negotiorum gravitas, quibus valde premitur, nolentem deſiſtere remoretur. idem literas ad te aliquando dediſſe, quibus tecum notitiam contraheret, mihi retulit. nullum tamen reſponſum (quod maxime optare videtur) dolens ſe accepiſſe, conqueſtus eſt: quin imo an ejus epiſtolae in tuas manus redditae fuerint, nec ne, adhuc ignorare. Quod ea ratione tibi ſcribi exiſtimes velim, ut tanti viri ac de tua amicitia maxime meriti, (quamquam fortaſſis hoc hactenus ignoraſti) nomen & merita in poſterum tibi innoteſcant. Illi, ut ſcivi, tuos mores aperui, quos etſi ex tuis monumentis, eoſdem referentibus honeſtiſſimos, perſpectos haberet, me tamen idem enarrante, & attentus jubebat repetere, quod gaudens ſaepius audiviſſet. te humanum, te comem, ut decet virum ſapientem, & prudentum virorum congreſſu praeter caetera, quae virtutem ſapiant & tibi cordi ſunt; mirum in modum delectari, affirmavi: ſi de ejus deſiderio, nedum meritis, tibi conſtitiſſet, prior ad ipſum ſcribendi provinciam libenter ſuſcepiſſes, non ut ipſe primus ad te ſcriberet, paſſus eſſes, qui hoc unum ſcilicet, ut plus aliis quam tibi ſis natus, & ab ineunte aetate profitearis, & alia quae ex officio ſubaddenda exiſtimavi, & qualis es circa eos, qui merentur, officioſum te eſſe intelligeret. Longiorem hanc epiſtolam, quam ſi ex more tibi grato exararetur, agnoſco. tibi, inquam, qui brevitatis ac proprie docteque ſcribendi, ſed & loquendi obſervantiſſimus doctrinam & methodum eam exactiſſime poſſideas, quae ad haec requiruntur: ut propterea non immerito noſtro aevo te literarum principem ac parentem appellent, me autem neutrum capientem (quî caperem diverſiſſima profeſſus?) ſicuti debiles oculi poſt radiorum ſolarium intuitionem ſolent, ad ſermonis elegantiam potius caecutire, & te propterea (quum tantum auſus fuerim) cum primum Latine ad te ſcribentem animadvertes, & admiratum ire non dubito: tum maxime cum ſepoſito per tot annorum ſpatium, vel ad tantos fragores & bellicos impetus, inter quos ut noris, ſum continuo verſatus, ſaltem corrupto, ſi non oblito Latino ſermone, a quovis argui & merito poſſim, verumque illud ſit viris doctiſſimis aut elegantiſſime, aut nequaquam ſcribendum; ſed & hoc ſi fecerim, earum rerum numero adjungi meretur, quas neceſſitas producit. eſt enim haec idonea quandoque magiſtra, & boni inſtitutoris ſaepius vicem gerit. nam cauſae nequaquam deſunt, quibus ad ſic ſcribendum impellat. Non verebor tamen nonnulla adhuc adjicere, & ſi quaeſieris, (quod futurum puto,) quid toto hoc biennio egerim, intelligas. Bellum harum gentium inſpicio ac Sueci pugnas, arma contra proprium Regem tractantis, com-

Digitized by Google

commiſſas, & Valachi non laceſſiti tamen contra Polonos, ſed non impune moti, proſpicio, & ſi quid interim otii conceſſum fuit, id laetis ſympoſiis venationibuſque ac ſimilibus exercitationibus, quibus Sarmatae per otium delectantur, eſt traditum. Sed & in militaribus ſtudiis, dum armis ſepoſitis quiete frui licebat, meo more aliquam operam impendere non ſum oblitus: tabulas ſiquidem illas meas militares, Italico ſermone quondam ſcriptas, Latinas reddidi, & in aliam formam redegi, quibus ad lucem addendam quibuſdam in locis ſubjunxiſſe quaedam monita, ſed & exempla non inutile judicavi. Haec Polemica ad tuorum Politicorum imitationem viſum eſt appellare: quorum morem, ut potui, ſum ſequutus: utinam eſſem aſſequutus. In id tamen praecipue mihi incumbendum videbatur, ut currentes ad ſcopum imitarer, qui quamquam ſinguli capturos ſe eum non ſperent, haud tamen a curſu abſtinent, eo contenti, ut ſaltem vel inter priores viſi ſint cucurriſſe, vel omnibus nervis contendiſſe, ut optatam metam attingerent: Nihilominus ſpero adhuc (ſi Deus me de regreſſu agitantem felici itinere frui volet) ex tua humanitate, mi Doctor, aliqua obtenturum, quibus haec mea elegantiora in publicum exire audeant. Hujus epiſtolae, longius quam oporteret, extenſae quidquam praeterea de meis rebus ſingularius in praeſens inferere mihi non licet, verito, ne ex hac importuna protractione te faſtidio affici contingeret, cui interim ſatis ſit, me Dei beneficio apud Sarmatas, inter vivos, ſed & bene eſſe, tibi indicaſſe, alias, ut ſpero, & brevi & brevius ſcripturum; ſi tamen literarum mearum lectione, te graviſſimis ſtudiis occupatum, nequaquam taedio affici intellexero.

Et Vale, meque ut quondam mihi viſum eſt, ama: faxitque Deus ut continuo optima valetudine fruaris, diutiſſimeque ſuperſtes ſis, qui publicae utilitati tam ſuaviſſimos quam optatiſſimos fructus parias. Leopoli Idibus Decemb. MDC.

EPISTOLA DCCLXXIII.

Σοφώτατέ μοι κύριε Γιοῦστε Λείψιε.

Ἄλλω ἐγὼ καὶ ποτὲ σλὼ εἰκότα τῆς τῦ νοὸς ὀφθαλμοῖς ἐθαύμαζον, τ' θαυμαζῶν σῦ ξυγγραμμάτων τινὰ διελθὼν, καὶ μεγάλης χαρᾶς ἐπιμπλόμην, ὅταν πως ἐδόκουν τῆς σῆς γλώττης ἐξακούειν τοιαῦτα φθεγγομένης, οἷα ἐκεῖ πειέχεται. τοιῦτό μὲ καθεῖλκε πόθο πρὸς σὲ, ὥστε πλάκις, τὶς δώσει μοι πέρυσας ὡσεὶ περιστερᾶς, ἐρηκέναι με, καὶ πταθήσομαι καὶ πρὸς τ' σοφωτάτην Λείψιον καταπαύσω, τῆς τῦ ἀνδρὸς σοφίας τ' ὁπολαυσόμενο καὶ ἀτρίκισμῦ. ἐξεκαιε δέ μοι τ' σπιθῆρα τῦ πόθου ὁ πανιερώτατο ἀρχιεπίσκοπος Λεοντοπόλεως κύριο Ἰωάννης Δημήτριο Σολικοβίο τὰς ἐπαίνους, ὧν ἄξιο εἰ συχνάκις διξιὼν. ὅταν δ' αὖθις ξυνέβη μοι τῷ σοφωτάτῳ κυρίῳ Ἱερωνύμῳ τῷ Φιλιππίῳ ἐνωθῆναι, ἐκεῖνο ἐψόφη δα-

I 2 νει-

1 Reſpondet *Lipſius* Centur. ad Germanos Epiſt. LXXXIV. verbis Latinis Graeca plurima miſcens; cum oportuiſſet totam Graecam ſcribere, ſi par pari reponere voluiſſet.

νεισάμεν χρώματα, ποιοὐδρόπως τὼ παρ' ἐμοὶ εἰκόνα ἐκείνῳ ἠυτρέπησεν, ὥστ' ἐ μόνον τῷ ἐμῷ ΔΦροσυνίῳ εἰς τὸ μεῖζον αὐξάνειν, ἀλλὰ κ σὲ τῇ Φιλίᾳ ἠναγκασε πεσπερμόζειν. ὐδὲ γὸ δυνηθείμν ἐπομένειν ὑστερῆν, μόνον ἐμὲ τῆς σῆς Φιλίας, τὸ γεωμετρικὸ μεμνημένον κανόνν τὸ λέγοντος, τὰ αὐτὰ τῷ αὐτῷ κ ἀλλήλοις εἶναι δεῖ τὰ αὐτά. Δεσπότμν πεγαρωῦ ἔχοντός μου τ ἐκλαμπρότατον ἀρχιεπίσκοπον, τ ἄτω σὲ καθ' ὑπερβολὴν Φιλοῦντα, ὥστ σὲ κ τὰ πονήματα εἰς τὴν Ἑλλαδα πέμπειν, ἵνα σὲ κἀκεῖ Δαχύρητ[ε]ται τὄνομα, κ τῆς μετὰ τὸ ἀγενεςάτου κυρὶς Φερρερείς Δατελεβῆς ἐντυχόντα, λοιπὸν ἦν κ πρὸς τὴν σὴν γεάφειν παιδειαν μακρὰν ἀποῦσαν, τὴν τῆς ἐμῆς ψυχῆς Δάθεσιν Φανερῶντα, κ παροξύνειν τὸν Φιλοωπότ τε ἀντιΦιλεῖν Κύριλλον. ὁ Δὲ σῶν λογιωτάτων γεαμμάτων ἀναγκαῖαι μὴ ἀπολείπης, λειψιέ μοι σοφώτατε κ πανΦίλτατε: ἐν Λεοντοπόλει τελαχοῦ Ἰανναρίου μηνός. α χ α.

Δῶλος σὸς καθ' ὅσον

[2] Κύριλλος μεγας Ἀρχιμανδρίτης τῆς Ἀλεξανδρείας κ Ἐξαρχος.

2 Hic eſt *Cyrillus* ille *Lucaris*, cujus fama totam Europam eſt pervagata, & de quo omnia collegit Cel. *Fabricius* Biblioth. Graecae Tom. x. pag. 493. cui addi poſſunt Acta Lipſ. A. 1687. pag. 95. *Clerici* Biblioth. Univ. 1686. pag. 68. & Ephemerid. Pariſien. tomo XLIII. in initio. fuiſſe vero *Cyrillum* hoc tempore Leopoli, miſſum a *Meletio*, apparet ex *Smithi* narratione de vita, ſtudiis, &c. Cyrilli pag. 12.

EPISTOLA DCCLXXIV.

LUDOVICUS SEPTALIUS

Cl. V. *J. Lipſio* S.

Lovanium.

QUanti te faciam, ſemperque fecerim, Vir clariſſime, faciliusanimo putare, quam ſtilo exprimere poſſum. Tantum enim elegantiae doctrinaeque tribuo, ut quo magis ipſe ab iiſdem abſum, eo minus in earum poſſeſſoribus amandis cuipiam concedam. Ac profecto ita tu quidem de univerſa re litteraria & Antiquitate meritus es, ut qui non in idem mecum certamen concurrat, parum ipſe in litteras animatus videatur. Concurrunt vero non in urbe tantum noſtra, ſed in Italia univerſa magni & nomine praeſtantes viri: qui cum in eo ſedulo eſſent, ut quem affectum tibi ipſi exhibere non poſſent, eundem in aliquo tuorum (quos velut Eruditionis alumnos ex intervallo nobis ſubmittis) exprimerent: ego pulcherrimam conatibus meis occaſionem nactus in *Erycio Puteano* tuo fui. quem ut acceperam *Jo. Bapt. Sacco* & per eum Principi a te commendatum, fovere & ipſe, & ſtudioſa quadam aemulatione obſtringere re ipſa coepi, quanto magis id alii verbis profitebantur: eo etiam libentius, quod in eodem Doctoris ſui aliquam effigiem clare perſpexi; animi praeterea candor, modeſtia inſignis, ac egregia quaedam indoles me ad eum amandum quaſi jure ſuo compellebant. Eidem non modo in acerrimo morbo adfui, medicamque opem tuli, ſed etiam in confinio bonae valetudinis conſtituto auctor aëris mutandi fui. Cum perilluſtri *Jo. Vincentio Pinello*, amiciſ-

Digitized by Google

ciſſimo meo, per litteras egi, ut in lare ejus in [1] *Pauli Aicardi* doctiſſimi viri locum (qui paulo ante extinctus fuerat) ſuſciperetur. ſuſceptus eſt. Cum vero nec deſiderium abſentis ferre poſſem, ſimulque benefaciendi anſam e meis quaſi manibus in *Pinellum* tranſtuliſſem; de revocando, & ad publicum Profeſſionis munus permovendo cogitationem ſuſcepi, ut aliquam tui partem hic publice audiremus. Quid multis, actum, tranſactum eſt, nec conſilii poenituit. Illud vero accidit, ut quam laudem ille Panegyrico egregie dicto tibi peperiſſe putabat, ejus pars aliqua communi hominum voce in me collata ſit, quam ne diutius injuria uſurparem, hac ecce epiſtola in te univerſam refundo. etiam atque etiam te rogans; ut gratus acceptusque conatus affectuſque meus ſit, quem aeternum tibi ſpondeo, & vòveo. Mediolani IX. Kal. Feb. CIↃ. CLI.

Scripſerat *Lipſius* ad *Septalium* Epiſtolam, quae eſt in I. Centur. ad Belgas IX. ſed ea non reddita *Septalio*, ad hanc reſpondet ibid. Epiſt: LXX. celeberrimus vero fuit & ſuae aetatis fere Medicorum princeps *Septalius*, qui immenſis titulis & honoribus auctus, & invitatus a multis regibus, civitatibus & Academiis & a Philippo IV. Protophyſici honore totius ſtatus Mediolanenſis ornatus, recuſavit vero Hiſtoriographi Regii. vide *Ghilini* Theatr. literat. t. I. p. 150. & *Imperial.* muſ. p. 189. qui obiiſſe 12. Sept. 1633. ait, quare perperam *Merclinus* Anno 1630. mortem adſcribit. nomen *Septalii* habuit gens illa a ſeptem alis, quas pro inſigni gerebat. vid. *Er. Puteam.* Promulſid. Epiſt. XXIX. Filius ejus *Manfredus* memoratur a *Boſca* de origine Biblioth. Ambroſ. pag. 61. & alter *Martinus* Epiſcopus Dertonenſis. in Moreri lexico bis memoratur, *Septalii* & *Septalae* nomine, & ſub finem ſeculi XVI. natus dicitur, cum A. 1550. medio ſeculo prodierit in lucem. vide auctores ibi laudatos.

1 Vid. *Gualdi* vitam *Pinelli*. pag. 348. Edit. Londin.

EPISTOLA DCCLXXV.

JOHANNES ALNPECKIUS

J. Lipſio S. P. D.

Lovanium.

FEre ſtupidus muſſo, Doctiſſime & Clariſſime Lipſi, has ad te exarans; dum ex eruditiſſimis Editionibus tuis, quibus magnopere delector, te unicum lumen Antiquae Latinitatis agnoſco: Sed parce inſolentiae hominis, quae prodit ex animo tui & editionum tuarum ſtudioſiſſimo. Dominum *Joachimum Roggers*, dum ſeſe tibi conſanguineum diceret, tui cauſa magnopere colui, & ei, quantum ex me fieri potuit, praeſto fui. Egit hîc cauſam cum peſſimis Judaeis, & licet ipſa cauſa omnino clara & aperta fuerit, ut ex inſtrumentis litis, quae penes Dominum *Joachimum* ſunt, patet: illi corruptis argento notariis, imo & Judicibus, perplexam eam reddiderunt, & ita perplexam, ut omnino ultra ſpe fruſtraremur. Et certe ni divinum auxilium, & tua creberrima fama, quae te univerſo orbi notum facit, ei ſubveniſſet, cauſa cecidiſſet. Dum enim res eſſet in dubio; ecce repentinum auxilium divinum, Sacrilegi duo compraehenſi, & tormentis expoſiti ſunt, qui etiam Apellam hunc, cui dominus *Joachimus* dicam ſcripſit, poſtulaverunt. Praeterea rumor ultro citroque a nobis miſſitatus, ad multos Clariſſimos viros tui

amantiſſimos pervenit, eum tibi eſſe conſanguineum. Illuſtriſſimus Archi-Epiſcopus noſter, cui parem nunquam habuit Ruſſia, & Dominus *Jacobus Pretwicz* Capitaneus Trembozolienſis, tui cauſa dederunt Domino *Joachimo* commendatitias litteras, ad Magnificum Dominum Palatinum Ruſſiae, qui ſupremum Judicem Apellarum agit in Ruſſia, qui ſenioribus Judaeis ſevere injunxit, ut Domino *Joächimo* damnum ſubito reſtituant. Judaei contra comminationem conniventes Dominum *Joächimum* indemnem reddiderunt. Id vero accidit praeter ſpem noſtram. Tale enim haec gens inviſa diis nacta eſt hîc in regno Poloniae accrementum, ut vix privilegiis & libertatibus, nobiles (quibus hoc regnum conſtat) non ſuperent, & ſaepenumero citius ex nobili, quam Judaeo juſtitia adminiſtretur. Primae nobilitatis viris ultra modum aſſentantur, ut eis praedia villas & oppida locitent, & plerunque majori pretio, quam ipſi nobiles congregare poſſint, conducunt, & ſic abſente Domino, (nam praeſenti clementia in ſubditos non concederet) hi nebulones gravia & intolerabilia quaeque e pauperrimis quibuſvis ſubditis corradunt, & extorquent. Eos autem nobiles, qui ſunt tenuium fortunarum, & communem plebem intolerabili foenore bonis exuunt, & in extremam pauperiem dant praecipites: nam licet pignus decuplo ſuperet pecuniam mutuaticiam, ſi elapſo anno & ſex hebdomadis non reddunt mutuum cum foenore (plerunque xxv & xxx pro centenis) non tenetur Judaeus ad pignus reſtituendum. tali fruitur haec bellua conſumtrix pauperis vulgi privilegio. Mercatores Civitatum omnino depauperant: nam libere omnes mercaturas exercent, domi & foris in itinere ſordidiſſime & parciſſime vivunt, lucro tantum intenti. Civiles vero mercatores plus politici & ſuo honori indulgentes, plerunque occidunt. Imo etiam & proventus annui Eccleſiarum, quas vulgo Plebanias vocant, in Volhinia illis locantur; ſed vereor ne me aenigma loqui arbitreris, qui ſerio loquor. Judices Regionum, Urbium & oppidorum muneribus corrumpunt, Juſtitia rara & obſcura, quam tu libro ſecundo Politicorum Capite x. velut ſolem facis, qui niſi imperiorum omne corpus illuceat, tenebrae in iis, tempeſtas, nimbi; quales autem jam jam ſint tenebrae, ex inſtrumentis litis Domini *Joächimi* egregie experieris, & vereor ne etiam brevi tempeſtas, nimbi, hoc regnum obruant, opportune per hanc gentem nequiſſimam. quae etiam ſaepiſſime in hoc regno a Chriſtianorum liberorum ſanguine non abhorruit, ſed tamen plerunque impune, ob quam licentiam fere ex omni Europa haec ſordida, & vagabunda colluvies hominum nihili, ad nos confluit, ut vix prae tanta hominum otioſorum multitudine populares noſtri reſpirare poſſint. Unde autem tanta licentia huic ſpurciſſimae genti in hoc regno accedat, *Martinus Cromerus* graviſſimus ſcriptor nationis Polonae libro duodecimo Chronicorum commemorat. Ego vero arbitror, licet rex juramento confirmet univerſaliter omnia privilegia anteceſſorum ſuorum, tali juramento non eſſe adeo obſtrictum ad tale privilegium, quod nactum eſt inceſtu Regis *Caſimiri*, & quod eſt peſtis univerſae Reipublicae Polonorum. imo libertate Chriſtiana indignum. nonne melius eſt privari membro, quam toto corpore? Quid enim po-

Digitized by Google

poteſt eſſe abſurdius? Judaeum non poſſe convinci teſtimonio Chriſtianorum abſque teſtimonio Judaeorum? dum Talmuth illorum, ſeu chaös ſacrae ſcripturae, omnino eis prohibeat teſtificari Chriſtiano contra Judaeum. Sed eſt mihi ad manus conſilium cujuſdam Juriſperiti, quod Clariſſimo & Doctiſſimo Domino *Danieli Richio*, Andegavenſi Gallo, pro Domino *Joachimo* communicavit, quod ego gratum tibi fore haud diffidens, tranſmitto. Ut tibi liqueat, qualis ſit abuſus privilegii Judaeorum, qui nobis & univerſae Reipub. Polonorum ſummum portendit detrimentum. Praenominatus Dominus *Richius* hîc nobiſcum fere quatuor menſes, iter agens Conſtantinopolin, conjuncte amicitiae officiis vixit, & tui cauſa, (nam obſervantiſſimus tui eſt) plurimum Domino *Joachimo* praeſtitit auxilii. eſt enim homo omni liberali doctrina politiſſimus, in quo ego ſemper judicavi & in capiendo conſilio prudentiam ſummam eſſe, & in dando fidem. Domino *Georgio Douzae* filio Doctiſſimi & Clariſſimi *Jani* (ô dignum tali patre filium) qui mecum, dum Conſtantinopolin iter ageret, conjunctus erat familiaritate, ſalutem plurimam aut ſcribes aut nunciabis, quem diem ſuum obiiſſe neſcio quae fama advolavit: utique nos homuli, mortales ſumus. Dolerem tamen, adeo immature occidiſſe adoleſcentem apprime doctum, cujus etiam nactus ſum Itinerarium. Vale, vir Doctiſſime, & Clariſſime, ſummum Belgicae decus & ornamentum, & inſolentiae meae ac temeritati ignoſce, nec ſinas rudi & extemporali ſtilo ſcriptas literas pro tua humanitate apud te repulſam pati. pro qua tua erga me benevolentia a me iterum omnia ſumma in te ſtudia officiaque expecta. Datae Leopoli Ruſſiae Pridie Nonas Februarii ∞ DCI.

Domini *Simonis Simonidae*, cujus ego ſororis filiam mihi matrimonio junctam habeo, poſtremam editionem, tibi tranſmitto, gratam fore exiſtimans.

Reſpondet Lipſius Centur. ad Germanos Epiſt. LXXXV.

EPISTOLA DCCLXXVI.

Illuſtre, & Eccellentiſſimo Signor mio Oſſervandiſſimo.

Lovanium.

IL Signor *Marco Velſero* m' hà ſ n d' Auguſta donato il corporeo ritratto di voſtra Signoria in belliſſima ſtampa di rame, ch' hà di ſopra la impreſa di lei, & di ſotto un tetraſtico per elogio. In un medeſimo tempo il Signor *Hercole Achilli*, ducal ſecretario di Mantua, m' ha gratiato delle opere Lipſiane, con le quali mi cibo l' intelletto con meraviglioſo diletto, & giovamento inſieme. Amendue come amici, & ammiratori della dottrina, & virtù di Voſtra Signiora, facendomi teſtimonio, che l' humanità fregia, & perfettiona le pregiatiſſime qualità ſue, m' hanno invitato à ſcriverle, & coſi ad ordir ſeco ſervitù, & amicitia, ſapendo eſſere coſtume hoggimai inveterato in me di procurarmi con ogni mezzo la gratia di quanti letterati, virtuoſi, & ſcientiati fioriſcano in queſto ſecolo. Coſi hò preſo ardire di ſcrivere la preſente

à V. S. & di ſpiegar con un Sonetto la nobiliſſima ſua Impreſa, & con uno Epigramma trattando le ſue laudi, honorarmi con eſſe il nome, & di rendermi non affatto indegno d'eſſer conoſciúto da lei, cui riveriſco, & ammiro in gran maniera. Piaccia à Dio, che cotal mio deſire non habbia volato troppo alto, ſecondo il noſtro Lirico Poëta; onde egli perciò non venga fulminato da V. S. & morto poi ſe ne giaccia. Mà che? mi ſoſtentino detti Signori con la dignità loro, & con l'auttorità ch' hanno con V. S., inſinuandomi per coſi dire nella gratia di quella, pregiata da Prencipi & ambita da peregrini ingegni. Col ſenne della quale ſperanza, in bocca chiudole labra della mia penna, bacciando à V. S. la mano, con le cui dita ſcrive l' immortalità iſteſſa; cupidamente aſpettando ſue lettere. Dalla *Piulega* Caſtello Mantuano, di cui ſon Giudice, & Vicario, il di xxv di Febraro MD. CI.

Di Voſtra Signoria Illuſtre, & Excellentiſſima.

Divotiſſimo Servitore

Antonio Beffa Negrini.

Ad Clariſſimum Virum, Bonarumque Artium omnium cultorem elegantiſſimum, omniumque ſcriptorum eruditiſſimum Dominum *Juſtum Lipſium.*

Antonius Beffa Nigrinus, ex Innominatorum Academia, cognomento *Fumidus.*

Ut Coelo Lapſum Lipſi *te ſuſpicit omnis,*
Artes qui callet, Palladiaſque colit.
Sic tibi, quid factis, dictis, & nomine Juſtus
Omnibus & Juſtum eſt laudibus accinere.
Fumidus *haec ideo, quae dat quoque carmina, fume,*
Forte tua fumo hoc, lux magis eniteat.

Al Signor *Giuſto Lipſio.*

Dovunque guida Febo *il ſuo dorato*
Carro, dovunque aggira i ſuoi deſtrieri,
O' ſia nel noſtro, ò negli altrù Emiſperi,
Sotto l' aduſto Ciel, ſotto il gelato;
Con mirabil ſaper, Lipſio, *illuſtrato*
Hai già l' oſcuro de' dubii ſentieri
Con indefeſſa penna; E'l ver de' veri
Infin nel ſeno à Giove inveſtigato.
Tu il cammin dela mente hà ſi bien retto,
Solcando l' aria, il mar, la terra, e'l Cielo;
Ch' hai vinto, chi meglio habbia e ſcritto, e letto.
Tu d' ogni antica nube hai tratto il velo,
E riſchiarato ogni più foſco detto
Tal ch' è homai tuo l' Altar d' Appollo in Delo.

Ant. Beffa Nigrini.

Antonius Beffa Nigrini ex Illuſtriſſimo genere, quod a Nigris Romanis ducebat ſtirpem, Mantuae fere vixit. vide de ejus doctrina & ſcriptis *Ghilini* Theatr. Literar. t. II. pag. 24. Reſpondet ad hanc Lipſius Cent. I. ad Belg. 66.

EPI-

EPISTOLA DCCLXXVII.

FRIDERICUS TAUBMANNUS

J. Lipſio.

Lovanium.

NAm quid te celem? Lipſi; cum dolore haec ſcribo. ſuperbia tibi nunquam innata eſt: quod e vita & ſcriptis tuis tam clarum mihi, mihi autem? immo toti orbi terrarum, quam lumen ſolis eſt mero hoc meridie. Et tu, quid cauſſae ſit non queo comminiſci, cur toties per epiſtolam de re litteraria, de re, inquam, litteraria, cujus tu hodie cum *Scaligero* noſtro principatum geris, a me rogatus, ne mu illo Lucilliano reſpondere dignatus ſis; An nullas mearum accipis? Vix eſt ut credam, e ter meis litteris ne unas habuiſſe Mercurium faventem. An noſtram abhorres Wittebergam? haud facies, opinor; niſi ſi oblitus es, quod olim publicaſti, te doctos ubivis gentium amare. At ego non in doctis! fateor, & quid ſi tua culpa, qui diſcipulum ſemidoctum abs te amoves? nec umquam mihi dicis, quod adoleſcenti comico dicitur, *Remeato audacter*. Male peream, mi Lipſi, ſi ullum noſtratium, quam te in his litteris pluris facio, impenſius amo, frequentius in ſermonibus uſurpo: ſive comitatis res eſt, qua tu facile palmam obtines, ſive doctrinae, qua in humanis faſtigium jam pridem exceſſiſti humanum. Interim ego unus abs te negligor, nec in me experior, quod ad diſcipulos meos de te praedicare ſoleo. Amas illum Aeſculapium Plauti, *Camerarium*. Da & mihi aliquid amoris, vel popularitatis cauſſa: Immo fortaſſe & Plauti cauſſa me amare potes, quem publice explicare in hac Academia poſt renatas litteras princeps auſus ſum. Lipſi, Lipſi, Heraclíti & Democriti habuiſſent tui, quo ſe exonerarent. noſti! Auſus quin etiam voces jactare per Umbram, & commentarium affectare, atque adeo perfeci: nec diſplicet *Grutero*, *Rittershuſio*, *Scipioni Gentili*. e quorum palato, quod tui plurimum habent, quod ſapiant, conjecturam facito. atque etiam, ubi vacas (ſi hoc verbum in te cadit) has pagellas perluſtra. Et da, quod negatur; fragmenta in primis, vel abs te, vel ab optione & amico. Cuperem plura tecum fabulari, & haberem ſexcenta, maxime Lipſi, ſed quando recogito, quam miſere priores illae perierint, videtur mihi omne tempus ſcriptioni harum impenſum, egoque ipſe una perire. Vale ergo, mi Lipſi, atque haec ex animo ſcripta in animum dimitte. Et me vel ſalute imperti: immo & reſponſo: ſpero enim, aut potius certo ſcio, te Lipſium, hoc eſt, ipſam humanitatem non exuiſſe: quod quidam tamen factum palam clamitant. ii nimirum, qui etiam Ciceronem abs te contemni dictitant: cum tu ipſum facias deum, quod ego ad ravim diſputo. Raptim Wittebergae XVI. Maji, Natali meo XXXIV. A°. Juliano MDCI.

1 Reſpondet ad has *Lipſius* 1. Centur. ad Belg. 100. alias ad *Taubmannum* dedit, quae ſunt in Centur. v. Miſc. 86. & duae in editione Offenbachienſi XLVI. & LX. quarum primam ut numquam editam inſeruit ſuis Ephemeridibus Germaniae ſcriptis *Eccardus* A. 1700. pag. 1691. & ex eo *Cronius* tom. XIII. Animadverſ. pag. 79. ſed falſi fuere viri nimium diligentes.

Digitized by Google

EPISTOLA DCCLXXVIII.

NICOLAUS RIGALTIUS

V. Cl. *J. Lipſio* S. D.

Lovanium.

IN votis meis jampridem hoc praecipuum fuit, clariſſime *Lipſi*, occaſionem aliquam nanciſci, cujus nomine temeritatis hujuſce culpam praetexere poſſem. culpam voco, tum quia ignotus ad te ſcribere audeo; tum quia exile munuſculum in tuas manus pervenire cupio. Sed huic culpae tam promta occaſio eſt, ut facilem excuſationi locum ſuperfore confidam. Nec enim fas eſſe mihi puto, auctores ullos, qui de re militari ſcribſerunt, attrectare, niſi petita prius a te venia: quando tam accurate omnia illa pertractaſti, ſive Tactica ſint, ſive Poliorcetica, ſive etiam Mechanica. Enimvero, ne quid tibi diſſimulem, aurem mihi vellit admonitio, quae in tuis Poliorceticis; fecitque ut curioſa ambitione libros aliquot MSS. e variis bibliothecis eruerem, iiſque quam potui diligentiſſime perlectis militaria vocabula recentioris illius ſeculi, quae obſcura adhuc fuiſſe mihi videbantur, illuſtrarem. Quidquid illud eſt, mitto ecce tibi. emendatiſſimum autem fore ſpero, ſi judicii tui certiſſimi limam ſubierit ſemel. Erit etiam, ut opinor, operae pretium, ſimile aliquid in ejuſdem aevi ſcriptoribus Eccleſiaſticis conari. & praecipua quidem in Curopalate cura. Sed ea provincia danda potius doctiſſimo *Gretſero*, qui tam feliciter *Junii σχολιαῖς ἀπαίταις* obviam ire amat. Super hoc etiam judicium tuum conſiliumque exquiro. etenim *δίχα μοι νόῳ*. Vale, vir doctiſſime, & me tui ſtudioſiſſimum ama. Lutetiae Pariſiorum. VI. Kal. Jun. cIↃ IↃ cI.

Reſpondet Lipſ. Centur. ad Gall. 95.

EPISTOLA DCCLXXIX.

J. LIPSIUS

Jo. Baptiſtae Hanſenio.

Romam.

QUid de fato iſto epiſtolarum (nam quomodo aliter appellem?) dicam, neſcio: ita crebrae aut pereunt, aut certe ad alios eunt. In tuis ternis hoc noto factum, ſed & recenter in iis, quibus inſerta quaedam ad me Reverendiſſimi Veſtri ſcribis, quod equidem doleo, tui cauſſa, quem merito cum omnibus bonis amo. Itaque ſiquid eſt, rogo indica, vel iterari (ſi poteſt) cura: efficiam equidem, ut nec mea humanitas, nec mutuus affectus, imo nec officium requiratur. Martio jamnunc reſpondi, & dabis. Sed heus de *Pigafetta*, itane in Pannoniam? Deus donet & illum conſulere optime, & alios exſequi, quae in rem noſtram publicam erunt. Magnum enim ibi certa-

tamen certabitur: niſi pax tamen media dirimat, de qua & ſcribunt ex iis locis & ſperant. Apud nos minuta, ſed pertinacia noſtra bella. Batavi ad omnem concordiam aures clauſas habere, ſpernere Principatum omnem, & ad populare imperium inclinare. Berckam (Rhenanum opidum eſt) nunc obſidebant, quo ſi potiuntur, quod nolumus & deteſtamur, navigationem & commercia in Germaniam libera habent. Id inhiant, quia maritima in Hiſpaniam & occidentem navigatio, per edicta Regis & Principum noſtrorum ſublata aut impedita. Ipſi autem Principes ante quatriduum Brugas Flandriae iverunt, ut fama clamat, Oſtendae premendae cauſſa; ut peritiores ſuſurrant, occultiore conſilio in hoſtes eorumque inſulas aliquid tentandi. Deus ſucceſſum donet. Cum Gallis publice pax eſt, privatim aliqui ad hoſtes veniunt; & copias eorum augent. Haec in Belgica noſtra. ego nuper in Nerviis fui, animi & valetudinis cauſſa, apud homines plane ad meum ingenium, comes, candidos, ſed & in menſa, quod ſatis ſit, geniales: modum, inquam, & hic ſervant, elegantes magis quam profuſi. In ſtudiis remiſſiores ſumus, & aetas ſuadet, cogit valetudo. Senectam diu ſepoſui, deſeruiſſe non dicam. At tu & viri ibi magni, ut ſcribis, ad *magnitudinem Eccleſiae* me vocatis? non abhorream ab argumento, fateor, vel pietatis gratia: videbo, & ſiquid decreverim, ſcies. Etſi tam ſubito id non poteſt: & alia quaedam exorſa detexenda ſint. Vale mi Hanſleni, & tecum *Hemelarius* noſter, a quo nihil in tuo falciculo, quod videris indicare. Lovanii, poſtrid. Kal. Jul. ∞.ıɔc ı.

Jo. Baptiſta Hanſenius Harlemenſis fuit. vide ejus vitam breviter deſcriptam a *Valerio Andr.* Bibl. Belg. p. 453. vixiſſe Romae in contubernio ſummi alicujus viri, apparet ex *Lipſii* Epiſt. xc. ad Italos & hujus Sylloges DLXXXV. Edidit libellum, ſive, ut vocat, caput ſingulare ex Electis ſuis, de Jurejurando Veterum, Toloſae 1614. qui liber inſertus Theſauro Antiq. Roman. Tom. V.

EPISTOLA DCCLXXX.

J. BAPT. HANSENIUS J.C.

Perill. & Cl. V. J. Lipſio Belgicae Principibus conſiliario S.

Lovanium.

PAulus *Monelia* hoſpes meus collegit ex epiſtolis ſuis nonnullas, ut publicaret. Conſilium hujus rei ab amicis eſt, a ſe obſequium. Imitatur, qua poteſt, tuam Muſam, & libenter militare ſe fatetur in tanti Conſulis caſtris. Acer eſt, apertus, varius, doctus; & quod tantopere tibi placet, eleganter brevis, & elegans breviter. Is duo abs te petit, primum, ut ſcriptionis hanc partem, ex viſis, Archicenſor aeſtimes, calculumque adjicias album auctori, ſi meretur. deinde, cum Tullios, Lipſios, Plinios, Apollina-

 res,

1 Ad hunc ſunt quaedam Lipſii Epiſtolae in Centur. ad Italos. XIII. LV. & LXVII, officioſiſſimus vir fuiſſe videtur, & cui multa Lipſius in Italia curanda mandabat. aliquot ejus erant epiſtolae ad Lipſium; ſed cum praeter verborum honorem nihil fere continerent, omittendas cenſui.

Digitized by Google

res, Symmachos, aliorum litteras ſuis miſcere videat; voluit idem imitari, ſine offenſione tamen, quae ei inſtar ſupplicii eſt, eorum, qui ad eum: imprimis autem *Lipſii*; qui apud hunc virum tanti eſt, ut in exilium ad Cimmerios deportari malit, quam diſplicere: Ego, etſi exiſtimarem, te haec tam facile conceſſurum, quam pirum vulpes comeſt; tamen veritus ille, ne crimen incurreret, tunica dignum moleſta, facultatem petit, tuas ad eum, ut imprimat; quod te inſcio non audet. Memoria teneo, Magnum illum Annalium parentem, Cardinalem meum *Baronium*, *Stanislai Reſcii* Poloni, viri diligentis & eruditi, audaciam ſanête repreſſiſſe; cum iſte, innoxia popularitate, litteras ejus publicaſſet. eumque recte *Reſcium*, a reſcindendis amicorum ſecretis appellaſſe: at *Stanislaum* modeſte reſpondiſſe, nihil a ſe peccatum eſſe, imo hoc exemplo, multum nos Rufino debere, qui Hieronymi, utiliſſimi humano generi ſcriptoris, noctes ſibi creditas promulgaverit. multum Timotheo, qui ſacri illius pectoris arcana, ſummo omnium fructu publici juris effecerit. denique ſi Auguſtinos, Gregorios, Arnobios, Tertullianos ſcrinia occultaſſent; addo ego, ſi quid hac parte neglectum eſſet, foecundum hunc errorem fore, & non niſi multo emendam hanc audaciam non arcendam. Dices, legi alia a me, etiam in iſto genere, & ſtilum non aeque te ſemper intendere. de illis, non dico. de iſto, ubique *Lipſius*, *Lipſius*; ejuſque ſermo ſemper viridis, ſemperque gravatus. ſcribe itaque, quid placeat, ſed cum recordatione, Animum hunc noſtrum factum & ſolentem violare. Heri *Cl. Monelia* litterarium munus ad te miſit; Carminum libros [2] *J. Bapt. Pinelli*, Magni poëtae, in parvo hoc mercatu litterarum lege, ſi videatur; & ſalve ab Hoſpite meo viro optimo, & a tuo *Hanſenio*. Genuae. VII. Kal. Oct. ∞IↃCV.

2 Hunc *Pinellum* ignoro, niſi intelligatur *Joh. Baptiſta Pianellus*, cujus carmina Italica recenſet *Allatius* in Apibus Urbanis in additionibus, pag. 261.

EPISTOLA DCCLXXXI.

J. LIPSIUS

Dionyſio Villerio Canonico & Conſiliario.

Tornacum.

QUas in ſermone mutuas ſtatim vices redderem, eas ecce in ſcriptione. Tuae mihi jamnunc redditae, pono & ſcribo. Quod attollis munuſcula ad te miſſa, quid niſi benignitatis tuae eſt? ipſa per ſe munuſcula ſunt, & quidem chartacea: ſed affectus tuus eſt, qui ea aeſtimat, & rebus levibus pondus donat. Fac, non corrigo: & iſte ſemper gravis & gran-

1 Hanc epiſtolam forte innuit in fine Epiſtolae LXXXV. Centur. I. ad Belgas. licet nota temporis aliquantum diſcrepet. plures autem ad hunc *Villerium* ſcripſit Lipſius. erat autem Vir Antiquitatis & rei nummariae ſtudioſiſſimus, & praecipue patriarum familiarum, teſte *Valer. Andrea* in Bibliotheca Belgica. & *Lipſii* fuiſſe olim Bruxellae, cum prima rudimenta poneret literarum, condiſcipulum, *Sweertius* in Ath. Belg. teſtatur. vid. I. Cent. ad Belg. 2. Celebrat vero egregie hunc *Villerium* Cancellarium & Canonicum Tornacenſem *And. Catullus* in Tornaco pag. 112.

Digitized by Goog

grandis talia habeat, quae ab affectu, certe tali, promanant. voves conſuetudinem noſtram: dii deaeque me perdant, niſi ego tecum aut ſupra te: ſed, ut ais, coërcenda haec deſideria, & ubi locorum Fatum nos conſtituit, manendum & parendum. *Quid aeternis minorem conſiliis animum fatigas?* illud bene & votive, quod intervallo grandi non dijungimur, & literae noſtrae ſaepe, ipſi nos interdum commeare poſſumus, te & Fato non vetante. Tu ſane vel candore illo, vel lepore (amorem mitto) nos attrahas, *ſive eſt naturae hoc, ſive artis, mirus utroque*, ſed hîc deſino. Oſtenda ubi es? omnium ſcriptionum & ſermonum argumentum. Bruxellâ heri ad me, rem pro confecta haberi, & adventu novarum copiarum oppugnandam ſtatim & expugnandam. Modo ne Thraſonia iſta ſpes ſit: & gratulari in facto malim, quam jactare faciendum. Tamen, ut mea opinio eſt, aegre tenebunt hoſtes, niſi milite in terram expoſito pellant, aut caedant, quod abominor, noſtros. Anguſtiae alioqui loci non videntur ad longam defenſam. In Pannonia de pace agi nos quoque audivimus. & ſunt qui putent peragendam. Ex re Auſtriacorum id fore ego cenſeam, quibus civiles turbae non ſuadent, imo vix permittunt bella externa. Quod ſi pax ea non coit, haec aeſtas cladem, & ex ea inclinationem rerum in alterutram partem dabit. E Polonia ad me litterae, in quibus *Carolum* Suecum Livoniae maximam partem occupaſſe: Polonos in eum arma & copias parare. ſed de caeſis nullus adhuc ſermo. [2] Quod ais de *Caſaubono*, Dii velint ratum certumque eſſe. Ego ab eo ante biduum literas, in quibus migrandi ſibi animum fuiſſe, ſed nova liberalitate Clementiſſimi Principum (ita ſcribit) retentum. magna res ſit, ſi ille noſter. de me valeo ut ſoleo, id eſt, incerto & tenuiter, nec gladiator, aut athleta certe unquam ero. Quid tum? ſi ab animo & pectore iſto firmus perſevero,

Nec leves ſomnos timor aut cupido
Sordidus aufert.

In Seneca iterum eram, ſed manu lenta, & pene renitenti. quid ſit neſcio, amo ſcriptorem, nullum magis noſtrum aut meum. Centurias parabam, in quibus *Villerium* legi, ego & Amicitia ipſa volunt. Aliquot tamen ex iis mihi periiſſe ſcio: ſi habes mitte, & me animo clauſum geſta. Lovan. IX. Kal. Sext. CIↃ. IↃC. I.

2 Intelligere rumorem ſparſum de Caſauboni tranſitione ad Pontificios puto. vid. & Epiſt. CCCI XV. & DXXIX. & alibi memini me quaedam notare.

EPISTOLA DCCLXXXII.

DIONYS. VILLERIUS

J. Lipſio S. D.

Lovanium.

INſculptum in celeberrimi illius templi Delphici veſtibulo memini, *Nequid nimis.* Vetans altum de Diis ſapere, ne ſi in abyſſum illam impellat mens,

obruatur. fateor colla ſubmittenda, a Sanctae tamen dignitate alienum, ſi ſimplici narrationi credamus, quam Porticenſes, etiamſi ſupra caeteros omnes divinitati providentiaeque plurimum tribuant, rejicient, niſi apodeixi fulciatur. Hallenſibus debebant eſſe contenti, Urgent ſcio, differ, ſi potes, haec, quippe rerum facies mutationem brevi futuram portendit, longe aliam, niſi animus fallit, a multorum exſpectatione, perges tamen, ſi judicium ſequaris cujuſdam Ariſtarchi noſtri temporis, in operoſo volumine decernens hiſtorias Hiſpanicas prae caeteris legendas, quod plenae ſint miraculis, riſi. credo id dicere, ut longinquis ſuis fidem adſtruat, quia nulla prope. Polonum cum commendaveris, de proſpero ſucceſſu nihil dubito. Idem tibi quod mihi judicium de Polemicis contigiſſe gaudeo. Crebri hîc Sermones de pace evanuere, opinioque quam de Anglo conceperant refrixit. Dum ſuperioribus diebus tuum de bibliothecis Syntagma evolverem, ubi de Muſeo Alexandrino agis, mihi venit in mentem alterum, de quo Zonaras libro Annal. III. in Leone Iſauro. Utinam & hodie loco tot Burſarum & Seminariorum, Muſeum aliquod excitaretur; non quod cetera improbem, verum doleo doctis nulla aſſignari praemia, nec quietem. Levem Muſei umbram refert collegium Sorbonae Lutetiae. *Richardotum* noſtrum ad te profectum intelligo, neſcio an tibi, quod erat pollicitus, profectionem in has regiones perſuadebit. o Utinam. Vale. doctiſſ. Lipſi, tuumque Villerium ama. Tornaci IIII. Kal. Decembris.

EPISTOLA DCCLXXXIII.

DIONYS. VILLERIUS

Clariſſimo Viro Domino J. Lipſio S. P. D.

Lovanium.

EPiſtolae tuae teſtes mihi videntur atri cujuſdam humoris, quo torqueris, huc evola, excutiemus, nullum quippe praeſentius remedium peregrinatiunculis, & fidis liberiſque amicorum ſermonibus, ſi publica te non cruciant, ut ne vel cogitationem iis impendas, quod privatis torqueris? Valeant curae, quod ſupereſt vitae, genio amiciſque indulge. Mihi hic bellum atrociſſimum cum monachis, quos expugnare nequeo. obiit Abbas S. Amandi, ut in defuncti locum D. *Petrum Richardotum* eligant perſuadere conor; conjurarunt non alium, quam e ſuo coetu deligere, etſi ad id oneris impares ſint eorum humeri, ineptiſſimus quiſque idoneum ſe credit, tanta laborant ambitione: conjurationem diſſolutûrum me ſpero. Domino Praeſidi accurate ſcripſi, filio in praeſenti occaſione ne deſit, idem ut tu, Dominuſque [1] *Clarius* praeſtetis rogo: hanc occaſionem elabi ſi Praeſes ſinat, calvam poſtea reperiet, urgendus eſt, filius ſolus idoneus mihi, qui labantem hanc domum reſtituere poſſit, videtur. Vale, mi Lipſi. Tornaci xx. Februarii.

1 Forte intelligit *Johannem Clarium* Tungrenſem, & Theologiae Doctorem & Profeſſorem in Academia Lovanienſi, de quo vid. *Val. Andr.* & *Franciſc. Sweertium.* & Faſtos Academicos pag. 228. ubi ejus Epitaphium. Obiit XXII. Aug. 1611.

EPI-

EPISTOLA DCCLXXXIV.

THOMAS FIENUS

J. Lipſio.

Lovanium.

CLariſſime D. Lipſi. Non prius volui ad T. E. ſcribere quam ſtatus aulae noſtrae & conditionis meae aliquali diuturna converſationis & habitationis mora probe mihi eſſet perſpectus, ut ita de eo aliquid ipſe certi firmiterque perſcribere poſſem. Hactenus autem qualis ille ſit, propter longam ab urbe in itinere Lotharingico abſentiam, ipſe cognoſcere aut animadvertere vix potui. Nunc pro pauco illo tempore, quod hucuſque a reditu interceſſit, utcumque mores aulicorum, inſtitutum vivendi, normam principum, indolem & conditionis meae qualitatem didici. Quapropter cum poſt biduum hinc iterum mihi cum Principibus ad venationem ſit abeundum, a qua ante ſex ſeptimanas non ſum reverſurus, unde forte mihi ad te ſcribendi non erit illa commoditas, ne me negligentiae tui ſuſpectum habeas, omittere nolui, quin aliquid de itineris mei ſucceſſu & ſtatu meo breviter tibi ſcriberem; eo magis quod Excellentiſſimus D. *Mermannus* meam ad te ſcriptionem urgeret, quo ea occaſione ſuam quoque ad te adjungere poſſet. ſcias itaque, Clariſſime Domine, quod iter meum primum faeliciter, laus Deo, ſucceſſerit. Fui profectus Namurco quatriduo in comitatu Illuſtriſſimi *Virginii Urſini*, cum eo dies integros in Philoſophia naturali jucundiſſime diſputavi: ei gratiſſimus fui, & niſi ad obſequia Sereniſſimi Bavariae Ducis iviſſet, ſui, ut dicebat, Domini obſervandiſſimi, ab eo, ut jurabat, numquam fuiſſem dimittendus. ſed vel Sereniſſimo Duci Magno, apud quem agit, vel Romam ſuis amicis ad honeſtiſſimam conditionem commendandus: ſummum ejus erga me favorem non poſſum ſatis praedicare. Cum ei valedicerem, rogavit, ut ſi quid eſſet, in quo ejus poſſem officium, operam aut favorem deſiderare, dum ei praeſens adhuc eſſem, peterem, ſe qualecunque illud eſſet, ſerio praeſtiturum. De tua Excellentiſſima crebra inter nos mentio fuit. Certe Princeps eſt valde humanus, generoſus, & in Philoſophia naturali tam ſolide doctus, ut multis doctis ejus profeſſoribus ipſum auſim comparare. Ut Monachium veni, a Sereniſſimo Duce Domino meo benigne & humaniter ſum exceptus, & poſtridie cum in Lotharingiam ad Thermas Plumbanas, & inde Nancaeum ſum comitatus. Thermis illis uſus eſt uterque meus princeps ad foecunditatem ſpatio 18 dierum. Eo convenerunt quoque Sereniſſimus Dux Lotharingiae, Dux Barri, Comes Vaudimontanus, Sereniſſima Principiſſa Catharina, filia Ducis Lotharingici innupta. Nancaei Princeps meus valde magnifice, & cum magna pompa, donis ſplendidis, conviviis & tripudiis fuit exceptus. Ut reverſi ſumus Monachium, venit eo Sereniſſimus Elector Colonienſis, ſed paucis tranſactis diebus Pragam abiit, & inde rurſum in Bavariam reverſu,

Fri-

Frisingae in sua Episcopali Cathedra pro tempore residet, illinc subinde ad nostros Principes, & ad communem venationem excurrens. Sanitas ejus ambiguo loco est, & non videtur ei longam promittere vitam. Fuit hic quoque Sereniſſima Archiducissa Tyrolensis, Mantuani Ducis soror, Archiducis Ferdinandi conjunx, quae pietatis ergo ad Montem Sanctum, qui hic in Bavaria est, venerat. Dux Mantuanus fuit quoque expectatus, imo nobiles ei obviam missi, sed valetudine adversa impeditus hactenus tantum expectatur. Iturus est in Hungariam ad bellum Turcicum sub auspiciis Imperatoris. Sereniſſimus Dux noster & conjunx ejus firma valetudine sunt, nihil praeter infecunditatem dolentes. Principes certe sunt piissimi, benignissimi & prudentissimi. Ipse Dux in nullo non scientiae genere versatus. Latine, Italice, Gallice est peritissimus: moribus modestus, sapientia maturus & circumspectus in loquendo, In vultu & moribus gravitatem cum quadam benignitate conjunctam gerens. Aetatem ostendit quadraginta ad minimum annorum, vix tamen viginti novem perfecit, vir est formosus, & statura media, corpore optime formato, Belgica aut Italica facie. Multa me de tua Excellentia rogavit, illamque maximi facit. Summo me favore prosequitur, & familiaritatis ac singularis propensionis signa maxima etiam publice ostendit, quo nomine etiam omnes nobiles me colunt & amicitiam meam expetunt. Dominus *Mermannus* magnae apud eum est authoritatis, & intimorum ejus consiliariorum forte intimissimus, ut ita barbare loquar. Omnes nobiles aulici modesti, morati, probi, omne vitium ex ista aula exulat, ebriosos, leves, inertes homines princeps odit & contemnit. Omnia ad virtutem, modestiam, pietatem comparata. Senior Dux *Gulielmus*, moderni Ducis pater, in publico nusquam comparet, cum sua sanctissima conjuge *Renata* vitam quasi monasticam degit apud Patres Societatis in Palatio, quod sibi juxta, imo in Collegio eorum, extruxit. Lugubri nigra ex panno veste induuntur. Omnes ministri & pedissequae eodem modo, Dominum a servis vix destinguas, omnes habitu sunt Canonicali. Cum semel Sereniſſimam Archiducissam Tyrolensem praetactam, una cum principibus Dominis meis, ad convivium invitasset, cibi omnes mensae e patinis argillaceis, seu terreis adhibebantur, argenti aut auri nihil splendebat. Adeo ut mundo & gubernaculis plane valedixerint: Imperium ipse a se simpliciter abdicavit, omnique omnino se jure exuit, subditi in obedientiam filii *Maximiliani* omnes juramentum praestiterunt. Viri singulariter docti hic pauci sunt, unus inter alios est D. *Fuggerus* Praepositus Frisingensis, curae meae obnoxius, & mihi familiaritate vinctus, qui omni scientiae genere est insigniter eruditus. Is tuam quoque Excellentiam per me jussit salutari. Omnia hic plena laudibus nominis Lipsiani. Libri apud bibliopolas hic nulli fere venales, nisi tantum Domini Lipsii, nullus angulus non personat sono gloriae tuae. Breviter, tu es parvulus Deus in hoc mundo, quo non tantum amaris, honoraris; sed quodammodo adoraris. Bene tibi profuerit tua Philosophia, si tantum te istam vanam mundi gloriam interno illo animo spernere docuerit, ut ita postea non minor Deus fias

in

in Coelis. Urbs Monachenſis eſt certe pulchra, populoſa, magna & altiſſimis conſtructa aedificiis, nitidiſſimis & mundiſſimis ſtrata plateis. Homines magis quam in alia Germania morati. Medici Ducis quatuor ſunt. Officium eorum eſt per vices, ſeptimanatim ſurgenti, prandenti, coenanti aſſiſtere, & eum peregre proficiſcentem comitari, Etſi autem conditio mea ob dictas cauſas optima ſit & magnifica, quia tamen non eſt mihi illa libertas animi corporiſque tranquillitas, illud otium muſarum, illa cum doctis & mei ſimilibus converſatio, quae Lovanii fuit, ſed tantum cum nobilibus & aulicis illis, quorum domus longe ſunt ab Helicone remotae, ideo haec migratio nonnullam mihi moleſtiam adtulit, maxime in primo, etſi nunc aliquo modo aſſueſco. Experiar itaque annum unum, & quomodo ſe genius meus conformabit videbo. Heri e Belgio intellexi, matrem meam Antverpiae animam agere. Deus faxit, ut bene illi ſit ad corporis animaeque ſalutem. Si de morte intelligo, mox iterum ſemel ad vos recurram. Hîc adhuc eſt D. *Damantius*, Excellentiſſimi Cancellarii *Damantii* frater, qui vellus aureum principi eſſet exhibiturus, ſi quiſpiam eodem jam ante inſignitus praeſens eſſet. In eam rem fuit multo tempore expectatus Archidux Styriae *Ferdinandus*, ſed ob bellum, ad quod perſonaliter eſt profectus, huc veniendi otium non habet. Ideo dictus D. *Damantius* redeundi, negotio infecto, mandatum ab Archiduce *Alberto* indies expectat. Vale, Clariſſime Domine, & me ama, ac inter tui amantiſſimos, colentiſſimos & primos tuarum laudum praecones habe. Haec tibi raptim ſcribo. Nolo itaque ut in ſtylum animadvertas, Ego medicus; ego tibi doctae ſcriptionis curam profeſſionemque relinquo. Vale iterum, Clariſſime Domine Lipſi, aliud enim epithetum tibi nunquam do, quod vere tuum, & proprium. Monachio Pridie Calendas Auguſtas A. 1601.

De *Thoma Fino*, five *Fyens* Belgice, vide *Valer. Andr.* & *Franc. Swertium*. reliquiſſe iterum aulam Bavaricam, & deinde Belgicam etiam Alberti & Iſabellae, ut Lovanii Medicinam profiteretur, narrat *Valer. Andreas*. quem & vide in Faſtis Academicis pag. 237. rediiſſe vero ante annum 1604. patet, quia eo anno Rector fuit Academiae, quo honore ter perfunctus eſt. obiit vero 15. Martii 1631. *Thomas Marmannus* vero, cujus hic mentio, medicus & conſiliarius Ducis Bavariae fuit, ad quem *Lipſius* ſcribit Centur. ad Germ. Ep. LV. & LXXVII. ubi videmus commendare *Lipſium Marmanno* hunc *Finum*. vide de eo Lindenium Renovatum p. 1021.

EPISTOLA DCCLXXXV.

J. LIPSIUS

Cynthio Aldrobrando S. R. E. *Titulo Sancti Georgii Cardinali.*

Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine.

Romam.

ADitum mihi ſtruere, & pulſare fores tuas petitor debebam, niſi eas benignitas tua ſponte aperuiſſet. Eo audacius ingredior, & preces ecce meas depono. Eſt in contubernio & miniſterio meo *Hubertus Audejantius* Bru-

genſis, qui a manu & ſtudiis plures annos mihi fuit. Morum honeſtatem, ingenii induſtriam, miniſterii ſedulitatem & fidem ſic mihi probavit, ut praemium aliquod operae debere me cenſeam; & ſolvere adeo velim, ſed a veſtro aere. Quomodo? ad benigniſſimi Pontificis & parentis ſacram illam aram venio, & beneficium conferri ſupplex peto, quod in patria ejus nunc vacat. Libellus noſter rem dicet. Ego, Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine, tua auctoritate & gratia nitor, & rogo eam mihi tribui, etiam adoleſcentis cauſſa, qui ingenii dotibus revera produci meretur, & Eccleſiae bono creſcet: cui te, Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine, diu ſupereſſe interius eſt meum votum. Lovan. poſtr. Kal. Decemb. CIↃIↃCI.

Ad hunc *Audenantium* ſcripſit, praeter alias ad contubernales, inter quos erat, doctiſſimam Epiſtolam Centur. III. 38. ubi agit de ratione ſcribendi, & diſtinguendi verba, ut eum imbueret miniſterii ſui rudimentis: erat enim *Lipſii* amanuenſis; ipſe etiam parentavit magiſtri ſui manibus elegia, quae inter Epicedia in Lipſium legitur pag. 31. Obtinuiſſe vero hoc beneficium videtur: nam *Valer. Andreas* in Biblioth. Belgica eum Canonicum ad D. Donatianum Brugis fuiſſe dicit. Prudentium voluiſſe edere didici ex Epiſtola *Jungermanni* ad Goldaſtum CXVIII.

EPISTOLA DCCLXXXVI.

Sire.

Lovanium.

ENcores que deja une aultre fois ai entreprins la hardieſſe de me remonſtrer rurallement vers la tant digne & fameuſe Perſſone de Voſtre Excellence, ne m'ai ſceu detenir de cheoir au meſme abiſme de ſimplicité: mais non d'arogante temeraire outrecuidance, ce que à Dieu ne veuille: Ains comme a Dieu eſt notoire, & pluſieurs Grands Perſſonages de Marque de diverſſes Regions, & bien eſtranges contrees; ſi beſoing fuſt, ratifierioint: comme & de quelle debile action me reclame: Treshumble ſerviteur d'un tant Reveré, non ſeulement des Princes Catoliques, ains auſſi Proteſtants! En oultre de toutte la Maiſon Sereniſſime D'auſtriche, delaquelle ay commiſſion & promeſſe d'un don de mille Ducats, pour mon vin: Si ſcaurai ſi bien jouer mon Perſſonage d'eſmovoir la Perſſone de Voſtre Excellence, de venir en la ditte Maiſon: en laquelle elle ſera entierement avecque toute ſa famille fort noblement entretenu & nourri: ſans deſpendre une maille. deffrayè juſques ici: avant bouger dillec luy ſeront delivres comptant de don deux mille tallers: & les gaiges ordinaires monteront juſques a quinſe cents Reychsdaldres: ſans dons preſents ordinaires: les quels excederont le tout: tant d'un, que d'aultre coſté: il plaira A V. Excellence ſe daigner de me commander, ce que a icelle trouvera bon de ſa part reſpondre: ce que ferai avec ce bon zelcus deſir, que ſuis obligè: comme ung ſien domeſtic ſerviteur treshumble: Cependant plaira A V. Excellence à la fois viſiter ces Princes & Genereus Cavagliers vertueux avecque ung petit mot: je m'aſſeure ſans aulcune doubte de leurs Realites: quils ne ſe ſcauront leur detenir, de non ſeulement reſpondre; ains

ains renvoyer quelque memoire ſelon leur qualitez. Et en premier lieu plaira A V. Excellence d'envoyer ung petit mot au Illuſtriſſime Baron *Charles de Liechteſtain*, & au Sieur *Jan Barvice*, Secretayre privé & Conſeillier de ſa Majeſté Ceſaree: Auſſi a ce Noble Sieur *Forgatſch*, Cavalier Hongrois; & au Illuſtriſſime Sieur *Adam Gal Poppel*. Toutes fois pas oubliant de me recommander de paſſe vollant: encores que ne l'ai merité envers la Perſſone de Voſtre Excellence, laquelle je deſire reverer & ſervir tres promptement ſelon mon debil povoir: j'envoye ici quelque peu de ſemence plus freche, que celle, laquelle je la preſentai en Lovain: a ſcavoir *der Lanckeletten Stöckrübell* les quels j'eſpere, que V. Excellence trouvera bon. tant crues, que accouſtres entieres, au mouton. Sil plaiſt à Voſtre Excellence mander quelque choſe au Duc Electeur de Saxe *Criſtianus*: lequel en bref viendra ici: l'exploiterai tresvolontiers: j'envoye ici quant e quant: Le Tiltre du Sieur *Baron de Liechtenſtain*: lequel Sa Majeſté Ceſaree creera Prince de L'empire en la premiere Diete: laquelle ſe faira environ la Sant Martin A Ratisbone. Ces jours paſſes cependent, qu'on fit bonne chere, Le Turc ſe ſaiſit de Petite Gomorre: mettant au fil de l'eſpee tout ce quil y trouva. Sa Majeſté envoye en Moſcovie le Sieur *de Ton* en une Ambaſſade, & traitte de fort grande importance. Dieu y veuille conceder bone iſſue: Car les Polacs tachent aultant noſtre ruyne, que les Turcs & Tartares. *Charles* Duc de Swede a eſte deffait, gagnant le hault, mais ung ſien filz Baſtardt demoura engajé, en ſe cuidant ſaulver en une maiſon forte. Atant le Comte de Solms, s'eſtant encheminé de Hollande, en ca eſt mort au chemin: Non moins regreté que le Duc de Mercure: N'oſant paſſer oultre, Sire, prierai au Createur de preſerver la Tres noble Perſſone de Voſtre Excellence, à laquelle je baiſe les Mains & entierement me recommande: De Prague ce 20. Mars 1602.

De Voſtre Excellence

Treshumbl. Serviteur

Philibert Meurier Alias Maulpergher,
Gentilhome dela Maiſon de ſa Majeſté
Ceſaree, & Maiſtre D'hoſtel du Illuſtriſme Sieur de Liechtenſtain.

Hanc epiſtolam, antiquato & fere barbaro ſermone conſcriptam, edidi, quia nuſquam, niſi in illa, vidi Lipſium ab Auſtriacis vocatum, tam luculenti ſtipendii ſpe oſtentata. quare dubito, an ex publico decreto talia vere potuerit promittere hic aulicus. nec credam, niſi aliunde conſtet.

EPISTOLA DCCLXXXVII.

J. LIPSIUS

Erycio Puteano ſuo S. D.

Mediolanum.

ANtverpiae ſum, nec bona valetudine, tenui ſpe ejus emendandae: nam duos menſes jam langui, dicam, an tabui? utrum erit, ego aut fama dicet. Vidi jam nunc ſcriptum, quod Italia veſtra in me dedit, a mero livore & bile. ſed & imperitiae omnia plena. [2] pudeat reſpondere, ut omittam perpetuum meum ſenſum in talibus ſilendi. Illud video, falſum librum eum Mirandulanum eſſe; certe non veterem, qui pro tali adfertur. Inquirere te velim, & item de auctore. Quod liber non vetus, multa argumento: ſed illud firmiter, quod etiam priores libri ſex in eo ſcripti, quorum unicum tamen exemplar Europa habuit ex interiore Germania petitum, illud Corbejenſe. Hoc tunc Mirandulanum ubi latuit? ſed mihi luce clarius eſt, falſum codicem eſſe; aut ſcriptas ſaltem ad oram male ſagacis & audacis alicujus ingenii notas. Tempus dicet. ſed & tu, ut dixi, nava hanc operam, & exquire, & ſcitiorem meredde. Nebuloni homini reſpondere ſi libeat, aut me deceat, horarum aliquot ſpatio calumnias pellam, imperitiam producam. Pro te ad Cardinalem *Borromaeum* ſcripſi nuper, ſed & ad te: arbitror accepiſſe: Vale, mi Puteane; & tu optime *Septali* ſalveto. Antv. III. Non. Majas CIↃIↃCII.

1 Reſpicit haec epiſtola libellum, qui Bergomi 1602. 8. prodiit, hoc titulo, *Pompeji Lampugnani Collatio notarum Juſti Lipſii in Cornelium Tacitum cum MSS. codice Mirandulano.* cujus auctor adhuc latet: varias ſupiciones vide apud *Fabric.* t. II. Biblioth. Latin. p. 754. & ſupra jam ſaepius de eo mentio facta fuit. vide ad Epiſt. CCXLIII. CCCLVI. & alibi.

2 Mutavit tamen hoc propoſitum, & quidem brevi: nam menſe Junio jam Antwerpiam miſiſſe Apologeticum imprimendum ſcribit Ep. CCCCXIII. & ad *Puteanum*, menſe Auguſto jam reſpondiſſe, ſcribit Cent. V. Miſc. 5. in qua epiſtola omiſſa quaedam, quae ex MSS. ita ſupple, & poſt *in numerum venitis*, interpone: *Revera non vidiſtis; an Genium tu gentis noſtrae mutas, & illum callidum ac tectum aſſumis? ſi ſapis, Belga eſto, & moribus antiquis, id eſt apertis.* quae ne Italos offenderet, omiſiſſe credo. in fine etiam Epiſtolae addiderat. *In Extrema epiſtola tua aliquid eſt, quod invitus aut moeſtus legi. Quis tibi concurſus cum illis, quos venerari hic ſolebas? fac etiam nunc, & putati faſces ſubmitte.*

EPISTOLA DCCLXXXVIII.

ERYCIUS PUTEANUS

J. Lipſio.

Lovanium.

CLariſſime Vir. At ego vellem ipſum hunc *Septalium* meum, imo tuum videres, & audires coram: ſic vero noſcendum & amandum magis. Utrumque illud mihi contigit, ut videam cottidie, quem in ſcriptis colo; audiam, quem tu conſortem ſtudiorum aut ſenſuum tuorum optas. Serio dico: poſt

1 Reſpondet ad hanc Lipſius IV. Centur. Miſc. 54.

poſt *Quinctii* mortem hic unus eſt, qui benigno me oculo reſpicit, & ſine quo abhorream ab hoc munere, ab hac juventute, ab hac urbe. Nam munus, etſi honeſtum, tardum ac difficile nimis ſtipendium reddit. Plus profecto negotii mihi cum theſaurariis, quam cum litteris. Sic diſtrahitur animus, & de praemio, quod meruit, diſceptare cogitur; ſed apud illos, qui indocti, inhumani, luto ſuo immerſi, perire putant quidquid in litteras inſumitur. Jam vero juventus aliena ab omni animi cultu, ſedere, audire, diſcere in publico erubeſcit. Urbs denique tota mercium, & turbarum, in qua etſi Aeſculapium habeo, bonam valetudinem non reperio. Velut in via lubrica ex intervallo titubo & cado, etiam cum caveo, & ſollicite figo pedem: ac tum manum *Septalius* porrigit, levat; ſed ita ut maneam tamen in eadem via, & luto, ut ſic dicam, morbi. Ecce cum tuas acciperem decumbebam, & pharmacum ſumpſeram: nunc valere mihi videor; utinam perrenne ſit. voveo, &, quaſi voti ſecurus, iter & Romam cogito; ſed, ut opinaris, excurſus dumtaxat cauſſa. In biennium etiam obſtrictus ſive addictus Mediolanenſibus ſum; ſolvere aut rumpere hoc vinclum nec fides nec fama ſinit. Romae quidem, invitantibus non de plebe viris, egregie ac baſilice eſſe poſſem, apud Comeſtabilem *Columnam*. quam ego conditionem nec reſpui omnino, nec admiſi; ut coram videam, examinem, ac deinde deliberem, nihil temere aut ſine auctoritate *Septalii* noſtri acturus. A Rege noſtro dependere tutum cenſeo; ſi tamen res ejus meliori norma ac ordine irent. nunc mera quaedam confuſio haec adminiſtratio eſt, & ſub uno capite tot capita publicum privatum habent; ac dum ſibi quiſque ſtudet & rapit, publicum atterit. Haec ego; ut in pace hac noſtra laborare rempublicam videas, & cum ea ſtudia litterarum. Deus fortaſſis mutabit, & optimus ille Princeps, quem habemus. Quod *Saccus* ad te ſcribit commeatum me a Senatu obtinuiſſe, neſcio quo ſtomacho excipiam. Trientem ſtipendii mei, cujus jam ſeſquimenſis tranſactus, petii: ſenatus ad theſaurarios me remiſit. Et hoc ille vocat commeatum obtinere. O quam alienus *Septalius* ab his moribus! De Stoica Philoſophia irritaſti deſiderium noſtrum, & ſemel guſtare havemus illa melioris vitae doctrinaeque ſecreta: quae & hoc & alio quoque aevo proſint. Epiſtolarum Fercula Secunda Francofurtum miſi: ac Bellaria mox ſequentur, ubi Roma rediero. Cardinalis noſter magnum & aeternum negotium molitur, bono litterarum publice hîc [2] Bibliothecam dedicaturus, in quam viginti millia aureorum inſumet. Inſtituet e priſco more Recitationes, conſcriptis provectae aetatis & doctrinae viris, qui annuum aliquem reditum ſinguli accipient, ea lege, ut quotannis in publicum quidpiam edant. Res mehercle digna iſto viro, & quae fortaſſis ad bonas artes multorum ingenia excitabit. Sed haec omnia diſtinctius aliquando ſcribam, imo brevi, cum conſilia Cardinalis magis ſe aperient. Vale, Clariſſime Vir, meque ama, ubiubi ſemper tuum. Mediolani, IV. Eid. Mart. ∞.IↃ CIII.

2 De illa nuper egimus in Praefatione ad Theſauri Italici Tom. IX. parte 6. ubi egregium *Petri Pauli Boſchae* opus de Bibliotheca Ambroſiana recenſuimus.

Inſcriptiunculam Scholae noſtrae praefigendam neſcio an miſerim: quaſi non acceperis, nunc denuo mitto; ſic quidem, utinam in melius mutatam. Judicabis.

SCHOLA
PALATINA.

QVISQVIS ES,
OTIOSVS SEV NEGOTIOSVS,
SVSPICE:
HVC AB OTIO AD NEGOTIVM,
A NEGOTIO AD OTIVM
SVADA ET MENS BONA DVCVNT.
EARVM HIC LOCVS,
PVBLICVS ET ANTIQVVS,
REIPVBL. ET ANTIQVAE SACER.
ILLAM AMA, HANC AESTIMA,
VTRAMQVE DISCE
IN OTIO NEGOTIOSVS,
IN NEGOTIO OTIOSVS.
ERYCIVS PVTEANVS ELOQ. PROF.
JVVENTVTI EXCITANDAE
P.

EPISTOLA DCCLXXXIX.

ERYCIUS PUTEANUS

J. Lipſio.

Lovanium.

CLariſſime Vir, Languebam ipſe & pallebam metu, quem de morbo litterae, & rumor quoque injecerat. nunc erectus & ſalvus ſum, quia ſalvum te video, & erectum. etſi, quando aliter? priſcae conſtantiae & ſapientiae exemplum in te uno admirantur mortales, & magno plauſu excipiunt: item magno voto, ut diurnet. Monita & Exempla Politica hîc emi, legi, & exſilui animo cum viderem, De legibus, *eas nec multas, nec item lites probari*. O Monitum aureum, & plane ſalutare: ſed utinam Rex noſter audiat, intelligat, admittat! Et quidem deſtinato ipſe libro compellandus eſſet: aut ii, per quos ille ſapit, & regit. Magna auctoritas & vis tuae Suadae: permoveres; & quo fructu totius generis humani! Legum & Litium hoc morbo infecta Reſpubl. omnem ſanioris mentis ſtudiique colorem amiſit. Quot munia, imo quot monſtra, legum litiumque cauſſa ſunt! titulo publica, fraude privata. Univerſum regimen adminiſtratione controverſiarum conſtat. Non privatus aliquis, ſed magni etiam viri ſtomachantur: & niſi tu falcem ma-

malo huic injicis, magis etiam in exitium publicum creſcet. Epidigma meum placuiſſe, pleno adfectu gaudeo: nec potui acriori ſtimulo ad plura hujuſmodi, aut majora, excitari. certe animus aut voluntas eſt, utinam quies & tranquillitas! Nunc miſerrime, juro Genium, hîc habeor, & moroſa ſtipendia ſunt, quibus non alor, ſed exerceor. Nec principem accuſo, nec Senatum (nam benignus in me uterque) ſed ſortem potius litterarum, quae hîc quidem Profeſſoribus infeſta. Ticinenſes nuper (ride hanc ſcenam) ſeditioſo conſilio huc miſere, qui ſtipendia peterent; ni obtinerent, Scholas publicas clauſuri, Juventutem omnem dimiſſuri. Militaris haec petitio videbatur. itaque diſpertitis nummis ad Scholas reducti Profeſſores: ſed ſtipendia dilata magis, quam ſoluta ſunt. Ego in peſſimo hoc Litterarum ſtatu, quid ſperem, aut praeſumam? Exterus ſum, & hoc etiam nomine infelicior: amator bonae mentis, & ſic verecundior; haec autem ſtipendia perfricta fronte, & paene litigio exigenda ſunt. Si rem totam ſcias & infelicitatem, ingemiſcas ut frontem ferias. Nunc libere igitur & remoto velo me tibi pando, ut ſpes & vota mea conſilio juves, & auxilio qua potes. Binae conditiones prae manibus ſunt, altera Hiſpanienſis, altera Bononienſis. In Hiſpaniam vocabar a multis, & cum *Velaſquio* agebatur, etiam me inſcio, ut muneri alicui Regio, ſed litterario deſtinarer. Haeret igitur hoc negotium, & ſic ipſe haereo, ut exſpectem an vocandus ſim, & quo proemio aut fine. Ego Bononiam praeſero, quo, ut adfectus & inclinatio, ibi atque etiam Romae, magnorum virorum, anhelare coepi: *Titium* & *Perſium* noſti: ut his collega ſim, cum tertius Profeſſor annis gravis & morbo continuo obſeſſus, jamque emeritus, vacuum locum fecerit. Judica, Clariſſime Vir, & hinc juva. DIVAM SICHEMIENSEM avidiſſime exſpectamus: etiam Princeps, quem rumor de morbo tuo graviter adfecerat. Veneratur nomen, imo imaginem tuam, & in ipſo cubiculo ſuſpenſam habet. Rem dico. Unde acceperit? a *Sacco* noſtro, qui eamdem a *Micaultio*. Haveo etiam videre, quae in Batavum ſunt: ne impunita hominis audacia ſit, qui, ut in Indice Francofurtenſi vidi, *Dolum Hallenſem* nominavit: niſi fortaſſis hîc Gallus iſte, qui ex eodem choro. Ego, ut mones, compeſcam ingenii aut aetatis fervorem: & in amorem tui omnia laxabo. Vale, & vive, Clariſſime Vir, & conſtanter me ama. Mediolani, VIII. Kal. Jun. ∞. IↃC. V. Illuſtriſſimus *Laurentius Polus* Praeſes Magiſtratus Extraordinarii, Vir multae lectionis & eruditionis, per me ſalvere te juſſit. Ego *Rubenium* meum, cui proxima ſeptimana reſpondebo.

Reſponſio eſt ad Lipſii v. Centur. Miſcel. Epiſt. LXVI.

EPI-

EPISTOLA DCCXC.

J. LIPSIUS

Erycio Puteano.

NImis gaviſus ſum in animo tuo meliore, id eſt fortiore. Niſi hunc ſumis, quis te transferat per ipſos vitae aeſtus? Semper fluctus, rara aliqua malacia, & procella ab ea exſpectanda. Firma in haec animum, & ſemel ſerio decerne, Deum ſequi. Cardinali *Borromaeo* reſpondi, trades. Lovanium edidi, puto *Wouerium* miſiſſe. Sed nos cum antiqua, id eſt vera eruimus, cruces ſtatuimus iſtis, qui & antiqua oderunt & bona. Vanitatibus hodie paſcuntur & turgeſcunt: tolle, ſunt inanes utres. Experior igitur judicia hic non aequa: & tamen a veſtris, atque etiam exteris poſteriſque meliorem calculum exſpecto. Videbis. Parens tuus Bruxellae fuit, ſalutem ad me miſit, ipſe non venit. Si tu huc iſta aeſtate, libens amplectar: veni ad auditurum multa, ad dicturum. Pontifici Seneca noſter oblatus eſt a *Rubenio*, neque ultra ſcio. Scilicet hodie ſic vivitur, & imputant nobis non triſti vultu accepiſſe. Salve, ſalve, & (niſi te verear avertere) omnes Muſae. Lovanii, XVI. Kal. Januarii ∞. IↃC. VI.

Quid ſit quod Cardinalis *Borromaeus* a me exſpectat, non tu aperis. Sane ego novis ſcriptiunculis aut floridis non ultra ſufficio, tibi aliiſque facem trado.

EPISTOLA DCCXCI.

ERYCIUS PUTEANUS

J. Lipſio.

Lovanium.

AMpliſſime Vir. Ego vero ſerio decrevi praeceptis tuis obſequi, & Deum ſequi. Animus imbutus bonis artibus, laetus liberque erit, ſemper & ubique ſuus. In via eram; nunc ad Sapientiae hoc decretum perveniſſe videor, te duce, ferre quaecumque eveniunt. Cardinali litteras tradidi, mire exſpectatas. Me ſpectante reſignavit, audiente legit; laetus, inſtitutum ſuum probari a te, atque etiam dirigi. Sane crevit hoc fomento animus ille jam accenſus; ut habeat potius viros foveatque, quam faciat; imo habeat & faciat; proemio virtuti poſito, quae adulta promovenda eſt. Serio dicam: ſerio ille hoc negotium agit Bibliothecae & Muſei. & profecto peraget. ego, quantum poſſum, rogo, inſto, urgeo. Sed Lovanium cur non vidi? veniat obſecro, & puriore illa doctrinae aura nos imbuat, qua Muſae ipſae vivunt. Inſecta & ſine mente homines ſunt, qui ſordes & excrementa quaedam doctrinarum amant: & tamen quam frequentes ubique, imo importuni? ineptiae & vitia infeſto aſtro calent, & vis melioris Muſae Mentiſque elanguit. a te re-

me-

Digitized by Google

medium erit, a tua Mente, a tua Muſa, quam utramque omnes boni veneramur. Non venit ad te Parens meus? ipſe (Deus modo ſinat) veniam: ita, ita, ad auditurum multa, ad dicturum. o quam anhelo!

Jam mens praetrepidans havet vagari.

havet amplecti ſuum Thaletem: & amplectar; breve modo iter Princeps aut Senatus noſter indulgeat. Pontifici Senecam oblatum eſſe jam ex ipſo *Rubenio* ſciebam: qui miſſum (etiam reſponſum, addebat. Ego tamen de ſilentio apud Cardinalem noſtrum queſtus ſum. Quo fructu? Romam ſcripſit, cauſſam Senecae egit. conjecta caeterum. *De Erycio Nomine* Syntagmation, quod ante morbum ſcripſeram, Francofurti editum eſt: a Marnio habebis. Utinam placeat! Dedi etiam *Laconiſmi Encomium*: & nunc ejuſdem *Patrocinium* ſcripſi, provocatus ab Amico. Is [1] *Henricus Farneſius* eſt, Eburo, Litterarum Ticini Profeſſor: qui amicam hanc litem apud *Saccum* noſtrum excitavit. Salſe, ſed tamen leniter Brevitatem defendo, Amicum non offendo. Hoc uno libello *Sacco* inprimis viſus ſum dignum quid luce & laude praeſtitiſſe. Velim & tibi. *Farneſius* vero vir bonus & ſenex eſt: ingenio utitur, ſed novitia ſectatur. ego vetera, id eſt vera. Senecam Francofurto expectabam. non venit. contagio in cauſſa eſt, quae commercia retardat. Creſcit igitur hac mora deſiderium noſtrum; & jam ſine tua face Senecam faſtidimus. A *Roberto Titio* ſaepius compellor litteris ſane amicis. Deſiderium ubique & reverentia tui. Salutem etiam nomine ejus perſcribo, & recepiſſe gratum erit. *Epiſtolarum Bellaria* dare nunc cupiam: liber paratus eſt, & e plurimis optimas ſelegi. Te annuente fiet. Sum nunc in vertendo Apologemate Comitis-Stabuli, cui titulus *Dos Diſcurſos en que ſe defiende la Venida y Predication del Apoſtol Santjago en Eſpaña. Sacados de la libraria de Ivan de Velaſco, Condeſtable de Caſtilla, Preſidente de Italia* &c. Hoc negotii ab ipſo *Velaſquio* datum eſt, ac jam quidem ſatis feliciter tranſlationem aggreſſus ſum. In titulo vertendo haereo; imo vero auxilium tuum, aut potius operam, imploro. Praefatio vero, ſcripta *Al Reyno de Caſtilla, en junta de Cortes.* Putabam verti poſſe, *Conventui publico Regni Caſtellae.* Quid ſi, *Regno Caſtellae, Comitiis Curiatis*, aut *Comitiis Curiarum*? juva obſecro: & me aeterno cultu tuum, aeternum ama. Muſas etiam, quae ſine ſuo Phoebo mutae, imo nullae ſint. Mediolani, Kalendis Martiis, ∞.IↃC.VI. *Saccus* & *Septalius* ſalutem reddunt: atque hic jam etiam Profeſſor in hac urbe, & Ethica Ariſtotelis publice explicat: Sed nova illa aut novata (noſti morem,) & quae in λογομαχίαι quadam conſiſtunt. Laeta vis? altero filiolo auctus ſum, cui *Fauſti* nomen dedi. fauſtum ſit. Natus eſt XI. Kal. Martii, de meridie. *Juſtus* meus, atque nomine tuus, jam balbutire incipit, humumque premere.

1 Patria lingua *Furnium* vocatum docet *Valerius Andreas* in Bibl. Belgic. p. 350. latius ejus vitam deſcripſit *Ghilinus* Theatr. Literat. t. 1. pag. 47. ubi & elogium a *Putiano* ipſi poſitum refert.

Digitized by Google

EPISTOLA DCCXCII.

MAXAEMYLIANUS DE VRIENDT

Cl. V. *J. Lipſio* S. D.

Lovanium.

IRaſcerer tibi, mi Lipſi, ſi iraſci poſſit perpetuus meus in te non amor modo, ſed & cultus. Epiſtolarum tuarum centurias vidi, & in iis honeſtiores plaeroſque Belgas, ſed nuſquam me ego. Si a neglectu; fero, ſi a deſpectu; doleo. Nam ut hunc noſtra fortaſſe meretur tenuitas, alterum certe tua non admittit humanitas, quam ut ſcriptis privatim ad me tuis, ita etiam & typis teſtatam optabam pluribus. Ignoſce, quaeſo, ambitioni, ſed quae ab amore & honore eſt: ab amore, inquam, in te meo, ab honore, quem ab officii reciprocatione, id eſt, a literis tuis mihi pollicebar cum aliis publicum. Ut enim minores illae faculae ab una & ſuprema illa coeleſti lampade ſplendorem ſuum accipiunt, ſic ego & ſimiles mei a Lipſiano ſole, & Epiſtolaribus tuis, ut ita dicam, radiis. Sed hoc, ut ſpero, fiet, quando penitius tuum aliquando noveris Vrientium, qui ut nomine, ita affectu & effectu, qua dabitur, tuus, docto & fido hoc Scipione ſubnixus ad amicitiae tuae fores verecunde prorepit, admitti etiam rogat, ſi non ſuo, at ſaltem tam boni ſui Mercurii merito, tum etiam *Pantini* noſtri ſuffragio, quibus auctoribus te, mi Lipſi, ſalvere & quam belliſſime valere exopto, cui etiam voto meus & tuus ſubſcribit *Harduynius*, Raptim e maxima Fland. XII. Juni CIↃ IↃ CII, diſcedente utroque, quem dixi.

Adjeci epigramma in Symbolum tuum, *Moribus antiquis.*

Si ſimplex animi candor, ſi neſcia fuci
Integritas ſimiles nos facit eſſe Deis;
Nemo te propius, Lipſi, ſe aequabit Olympo,
Nam te candidior nemo nec integrior.
Rideat haec patrium [2] fallax Vulpecula ad Arnum,
Rideat & larvis Aula referta novis.
Tu modo perge animo contra tua ſecula priſco,
Nil prius Antiquis moribus atque fide.

1 Reſpondet Lipſius Centur. IV. 16.
2 Credo *Machiavellum* Florentinum indicari.

EPI-

[1]EPISTOLA DCCXCIII.

[2]PETRUS PECKIUS

J. Lipſio.

Lovanium.

SCripturienti mihi ad Lipſium neſcio quid in mora non fuit. Sed illud maxime, quod deſueta mihi pridem Muſarum ſacra; quae quidem praeeunte [3] *Lautio*, ducente *Gulielmio* attigiſſe me aliquando negare non eſt opus: ſed hac fini. Ultra tendentem adoleſcentem retraxit pater. utique meo bono. Non enim is eram, cui ex eo pulvere laus ſperanda: aliqua forte ex hoc, in quem me impulit; ſcilicet ut illi, *qui neſcit quantum Caſſellius Aulus, Et tamen in pretio eſt.* Ceterum ex quo tempore ad juris ſtudium ſerio me contuli, & ad forum, anni ſunt circiter xx. quae mihi adverſus barbariem ſalus? Papinianum, Paulum, & totum illum Senatum veterum Juriſconſultorum non dico, in quorum pura & diſerta ſcripta, velut in delicatiores hortos plerumque me recipere, & ſubinde ad *Cujacium*, *Connanum*, *Coſtalium*, alioſque his ſimiles divertere lubens ſoleo. Sed fieri non potuit in perpetua cauſſarum actione, quin alii illi inculti ſcriptores, a quorum lectione abſtinere interim non poteram, plurimum in me ſibi ſumerent; unde, & ex Gallico dicendi & ſcribendi uſu, mea illa a Latino ſermone, quam audiviſti, peregrinitas. Adoleſcens Latinius paulo, ſed conſuetudine magis, quam judicio ſermocinabar, forte & ſcribebam. Nunc patrociniis cauſſarum relictis, quoniam in liberiorem aream eductus mihi quodammodo videor ad reprehendendas litteras, equidem conatum a diuturna iſta intermiſſione longius petendo, ſpiritus ſumo ad curſum. Utinam afflaret me litteratioris alicujus amicitiae aura, quae hîc mihi vix ulla: niſi quod Lipſiana lectitans, Lipſium animo meo abſens audio, auſculto, & pendeo ab ejus ore. Credas enim hoc mihi, non alius huic menti ad retractanda optima illa ſtudia jam ſtimulus, quam ex igniculis quibuſdam, quos excitat quicquid attingo tui. Itaque temperare mihi diutius non potui, quin litteras ad te darem. ſed quas, & quales? ſcio, & fateor, nullius rei, nec ad cogitationes tuas, nec ad guſtum. potius tamen eas, quam nullas. Vidiſti patienter epigramma, quod effuderam apud vos commendandis reſponſis graviſſimi viri, tuique & mei olim amantis *Wames I:* & viſus es tum probare; non tamen mihi, qui recudendum cenſui, ita ut nunc mitto. *Corſelius* defugit laudatiunculam hanc, quaſi nihil operae ad edendum contu-

1 Reſpondet Lipſius IV. Cent. 28.

2 Hic *Peckius* filius *Petri Peckii* JCti & Profeſſoris Lovanienſis, ipſe Senator Machlinienſis, deinde Sanctioris concilii Senator, & Brabantiae Cancellarius &c. vid. de utroque Valer. Andr. Biblioth. Belgic. & Faſtos Academ. Lovan. pag. 193. notus in annalibus rerum patriarum: nam ad Foederatos ordines, Pacis vel induciarum cauſſa, legatus fuit.

3 An ſit *Ludovicus Lautius*, quem memorat *Valerius Andr.* Bibl. Belgic. pag. 636 neſcio: ut neque an *Joannes Gulielmi* innuatur, quem idem *Valerius* pag. 511. & *Boxhorn* Theatr. Holl. in Harlemo celebrant. Nam *Jano Gulielmio* operam dediſſe vix puto.

Digitized by Google

liſſet. [4] *Weymſius* communem eſſe vult, & contendit, cui acceſſi. Quod ſi eo me honore dignaris, Lipſi, ut admoneas in hoc carmine vitiorum, tunc equidem exiſtimabo aliquam mihi partem fore in amicitia tua. Hoc ergo, quae mea eſt audacia, ſed a candore animi, ſperabo. Et ecce me officioſum. Si quid ad amicos Leodicenſes, ut *Billehoeum*; & *Oranum* velis, intra paucos dies iſthuc mihi iter. Si quid abs te adfero, tanto illis adveniam gratior, quanto apud doctos bonoſque omnes optatiſſima, & gratiſſima tui memoria eſt. Vale. Machliniae. prid. Kal. Aug. 1602.

Non leve CorſelI *donum eſt, & non leve* WeymsI,
Publica WamesI *ſcripta quod orbis habet.*
Scripta boni atque aequi theſauros, lucida, acuta,
Paene oracla; viro, ſive ea nata ſeni.
Quis porro, ut praejudiciis, fora noſtra, receptis,
Debebunt quantum nulla aliis alia.
Multa adeo ad mores hic noſtros, ſive profanum,
Sive ſacrum, ex umbra non repetenda Scholae.
Omnia quae recto ille Cato ſic exigit aere,
Librare ut metuat juſtius ipſa Themis.
Munificos nimis heredes, privata fovere
Commoda quos tacito non juvat iſta ſinu.
Quin etiam proprii non parcus uterque laboris,
Quae luſtrando operi, quae poliundo adeunt,
Et terſa expediunt lima: tamque ordine pulchro
Tot reſponſa aptant ad Canonum titulos,
Ut ſicut totus Wameſius *exſtat in illis,*
Sic poſſint juris totius eſſe liber.
Quod dum iſti ſatagunt, & publica ſic bona curant,
Vitae uſum aeternae dant, capiuntque ſimul.
Dant illi, cui, poſtquam aevum mortale agitavit,
Immortale aliud naſcitur hoc opere:
Et capiunt per quos hoc orbi, dum ſua quondam
Emittenda iſtis non ſequiora parant.

4 *Stephanus Weyms* a *Voorda* Inſtitutionum Profeſſor Regius Lovanii &c. vid. *Valer. Andr.* Biblioth. & Faſt. Acad. pag. 200. edidit ille Conſilia *J. Wameſii*. de *Gerardo Corſelio* videndus *Valerius* in Faſtis pag. 202. hi vero inter ſe conjunctiſſimi. *Gerardi* enim *Corſelii* ſoror *Machtildis* nupſit *Weymſio*, & *Corſeliorum* mater *Maria*, erat ſoror *Joannis Wameſii*. vid. Valerii Biblioth.

EPI-

EPISTOLA DCCXCIV.

HENR. d'OULTREMANNUS

Cl. *J. Lipſio* S. P. D.

Lovanium.

ET judicium noſtrum de Arria Paeti, & Martialis verſiculo illi plures alios vario ſenſu a nobis ſubſtitutos, una cum Coreti Monumento, tibi, Cl. Lipſi, non diſplicuiſſe, ex poſtremis tuis libens intellexi. Nec alia ſpes nobis de Carmine, quod Senecae tuo praefigendum, ſi pateris & meretur, eadem confidentia ad te nuper ire juſſimus. Valeant enim, ac plorent aſperi illi Morychi: aut certe nobis, amicis dico tuis, quam humanitas tua olim elargiebatur (ac deſiiſſe te propter illos vix eſt ut probem) laudis & gloriae tuae communionem aliquam, ultra non invideant. Sed quis a vobis ad nos uſque veniens Enthuſiaſmus, rude donatos in poëticam hanc Arenam trudit rurſus? puelliſque vix jam idoneos, procum agere, Muſiſque ſupplicare intempeſtive compellit? Etſi illae quidem veterem amatorem adhuc agnoſcunt, & innocenti non difficulter reſpondent. An quia tu unus Apollo noſter, a quo afflatus hic omnis, Muſageteſque dignior, Lipſi? qui & torporem noſtrum excitas, Nymphaſque illas nobis concilias, & plectra lyramque reddis, quae ad Divi illius tholum miles emeritus jampridem ſuſpenderam? Cui rei teſtificandae, magis vero aſſiduo in te amori noſtro & cultui, ecce ad ſuperiora Carmen: quod in Pennam Argenteam illam tuam recens conſcriptum, tanquam Herae & Dominae, minor noſtra, cum veneratione libens merito ſubmittit. Excitandis etiam ad concelebrandam certatim illam nobiſcum, cui tantopere debitor Orbis univerſus, Athenaei veſtri, Heliconiſque iſtius Alumnis. niſi jam fecere, quod feciſſe certe omnes oportuit. Atque ô utinam Divae illae, non jam Aonides amplius mihi (ut cum tuo *Douza* loquar) ſed Lipſiades, ſic aſpiraſſent canenti, uti ad limen primi ex Operibus tuis, cui lucem dabis, poſt votivum illud tuum, hoc noſtrum quantumvis impar, ſtatui mereretur. Ambitionem excuſa, Lipſi, quae ab Amore. neque damna, ſi ille, qui animum hunc tibi, ita nobilioribus ſcriptis tuis exigua haec ſui teſtimonia, cum res patitur, conjungi & adnecti cupit. Cui quidem de te cogitare, te litteris compellare, ita volupe eſt, ut niſi vererer, ne Davus audirem interturbans, etiam ſine argumento, ſine ſpe reſponſi, aliis ceſſator, cottidianas fere ad te conſcriberem. Quin tui deſiderium ita amplius non fero, ut ſi ad nos propere non venis, cujus ſpem injeciſti nuper (at hiems ingruit. cum Zephyris-ne ergo & hirundine prima anni novi?) ipſe ad vos excurrendi veniam ab Arthritide mea impetraturus ſim. Cur enim meam non vocem, cui nuncium remittere, niſi ſimul & huic vitae, non licet? uti te, Lipſi, oculis totum intueri, corpore amplecti detur, quem animo jampridem! Ac tibi dico nullus iſtinc ad nos venit, cum nullo congredior, cui tu

notus, quem de te rebusque tuis, de vultu dico tuo, de gestu, habitu, sermone, convictu, similibusque non curiose percuncter. Jamque paro ad *Othonem Venium*, uti effigiei tuae Exemplum ab Archetypo minime degenerans, si habet, ad nos quamprimum mittat, quod in illustriori Atrii nostri parte collocatum, absentis tui loco venerari, imo alloqui, si fas sit, certe acriores ab aspectu illo ad virtutem sapientiamque stimulos, influxusque novos indies haurire possim. Ignosce amanti, Lipsi. ama ab hoc magis. nec dico jam ultra, nisi ut valeas, sed & rescribas, cum vacat. Valentianis. XIX. Augusti A. M. DCII.

[1]EPISTOLA DCCXCV.

[1]HENR. d'OULTREMANNUS

Cl. *J. Lipsio* S. P. D.

Lovanium.

JAm postremis tuis rescripseram, jam nostrae plures jam dies Tabellarium hunc expectabant, cum ecce ab altero tuae cum libellis. Fasciculum itaque nostrum resigno, & ad priores, nihil in illis mutans, has addo. quibus si tuas dicam gratissimas nobis, libellorumque munus fuisse, annon credes, Lipsi? Nox erat fere cum accepi, ac jam me quieti composueram, cum ad Nomen tuum erectus lumen posco. & in multam usque noctem, a capite ad calcem utrumque revolvo, maxima cum voluptate, neque somnus premebat, dicam-ne alterum cum indignatione etiam? Quis enim scarabaeus iste, qui Aquilam nostram Volantem in nubibus? quis Lucius, qui lucem per te, quam lippientes oculi non ferant, ac sibi aliisque ignotus, innotescere suo damno concupiscit? Abi Canicula. latratibus tuis Equus Belga noster non movetur. ac in tam ignobilem abfit ut Alexandri ille generosus Canis insurgat. Abi dico. nisi calcem ab illo, ab hoc dentem expectas. Dixeram-ne? Abi mastigia. ac caudam sub alvum reflectens, & ejulans fuge, & in latibulum tuum te abde quantum potes. Quis non rideat, Lipsi, pumiliones istos Herculi nostro insultantes, qui somnum propterea non rumpit? quis non leves istos fumos invidiae, non fumos? Ἀκαπνὸς enim porro Gloria tua. virtusque e supremo Olympi jugo, ventos istos luctantes sub pedibus, nubilaque omnia jampridem contemnit. Vives enim aeternum; ac tecum Tacitus, reliquique qui tibi lucem uni, imo vitam debent. Bene tamen, quod Culicem hunc molestum palma excussisti. ut sit documento caeteris, una cum [3] *Diodoro*, & *Domanno* fraterculis, non semper impune Lipsium lacessi, qui saepius silens &

1 His duabus epistolis respondet Lipsi. IV. Centur. Misc. XXXII. quam vero secunda epistola se a Lipsio cum Fasciculo accepisse scribit, est ejusdem Centuriae XX.

2 *Henrici D'Oultremanni*, patria lingua *Woutermans*, elogium & vitam vide apud *Valerium Andr.* Bibl. Belg. pag. 364. praecipuum opus, quo inclaruit, est *Historia urbis & comitatus Valentianum.* sed cum de metropoli Nerviorum & Cathedra Episcopali Tornacum detrectasse videretur, *And. Catullus* in Tornaco Syntagm. VI. pag. 53. ejus argumentis respondit.

3 *Theodoro Cornhertio.*

Digitized by Google

& patiens, quandoque recalcitrat undique tutus. Alioqui ludibrium tantum mitelli illi debent. indigni, quos Imperator tantus vel audiat provocantes, cum quibus vix velites nos apte committeremur. Rideamus ergo Culices hos, qui se ipsi ad clarissimum lumen tuum comburunt. Tu vero perge. sed tempora-ne Senecae tuo lucem adhuc invidebunt? miserrima illa quidem, sed tu cum Doctore illo tuo, ad externa illa omnia obfirmatus, despicienſque ab alto, in Musarum sapientiaeque gremio tuto conquiescis. Valetudinis causſa justior. Vacillat ergo illa adhuc, Lipsi! percussisti enim nos certe, qui συμπάσχομεν tibi, sed & Orbis debet universus. Cujus cum ingenti damno esset, si tot praeclarorum operum, qui lucem jampridem spectant, extremam manum, ac tot coepta alia, illa abrumperet. In hostes avertat hoc omen Deus. qui te, Lipsi, Amor noster, aeternum conservet, valentemque semper ac firmum reddat, uti te, laborumque tuorum fructu frui Orbis aeternum possit. Haec votorum nostrorum summa. Valentianis. XXV. Augusti M. DCII.

EPISTOLA DCCXCVI.

HENR. D'OULTREMANNUS

J. Lipsio.

Ad Effigiem Cl. Justi Lipsii laureae.

[1] LIpsiadem *expressum (mirare) haec arcta tabella*
Quem minor immensus non capit Orbis, habet.
Haec LipsI *Effigies. Nihil addo. Hoc* nomine *quidquid*
Olim Orbis stupuit, vel stupet iste voca.
Lipsius. *Astra brevis sic Sphaera, Polosque reponit.*
Sic Orbem in Tabula contrahit Ortelius.
Invide, quid Suadae, *pictor, premis ora? resolve*
Flexanima ora, *meum* Lipsiadem *ut videam.*
Exprimit ora, oculos LipsI *pictura. Sed unus*
Ipse suae Mentis pictor & ingenii est.
Lipsius. *Huic alius nemo certaverit. Aevum*
Vix par docte *tuam* Varro *vel omne feret.*
Hoc Natura Parens longis emortua seclis
Miraclum *his voluit edere temporibus.*
Quae Manus his ausa est Tabulis includere? nullis
Limitibus spatium est Lipsii *& Orbis idem.*
Lipsio *Imago sacra est. Assurgite. Sacrat eandem*
Cum Sophia Eunomie Pierides*que sibi.*
Lipsius *in Tabulis longum post fata superstes*
Aeternum in scriptis vivet ab ingenio.
Sic oculos, sic ora, manus fert Lipsius. *O si*
E Cathedra dicens posset ab arte dari?

Quid

[1] Singula districha Epigramma faciunt separatum.

Quid vocem a Tabula, quid labra diſerta ſilenti
Poſcitis? in ſcriptis perpetuo ore loquor?
Attrahat huc oculos. trahit aures Belgicus *ille*
Lipſius, Alcides. Gallicus *ille minus.*
Aſpice Lipſiaco *quam laeta Modeſtia vultu!*
Hoſpitis ille notas interioris habet.
Inſidet ora Venus, Sapientia *pectus. in ipſis*
Luminibus ducit Gratia *nuda choros.*
Quis vir hic exigua ſpirans in Imagine? Magnus
Lipſius. *In ſcriptis ſpirat at ille magis.*
Quid Senecas, Tacitos, *tot docta quid ora requiris?*
Tot veterum expreſſus Lipſius *inſtar adeſt.*
Aurea *debuerat ſtatui* Chryſoſtome Lipſi
Lingua *tibi, atque* Amnis aureus *ore fluens.*
Lipſius. *Hoc triplex ſol* nomen *adorat & Arctos,*
Roma *vetus faſces cedit & imperium.*
Lipſium *in effigie tacitus venerare. Silendo*
Laudari haec nova lux, hic ſtupor orbis amat.
Dum Senecae *pictor viva ora oblita reponit,*
Expreſſam obſtupuit Lipſiadae *effigiem.*
O ſi Animam haec Lipsi, *velut ora, referret Imago*
Haud alia in terris pulcrior ulla foret.
Non Ars iſta Deos, Lipſi, *exprimit. Ecſypon in ſe*
Nobile Divinae Mens tua Mentis habet.
Miraclum *ſecli eſt Moles unius. at uni*
Lipſiadae *haud dederunt ſaecula multa parem.*
Viſibus humanis quo ſe daret aurea Virtus
Lipſiadae *aſſumſit corpus & ora ſui.*
Lipſius *an* Virtus *ſiet hic, fuge quaerere. utrovis*
Lipſius & Virtus *nomine Numen idem eſt.*
An Lipsi *haec tabula eſt?* O Magni nominis umbra!
Digna loco Magni Numinis umbra *coli.*
Excubat ut Nudo delubri *in* robore numen
Sic Lipsi *hic* Genius, *hic mihi ſpirat* Amor.
Lipſiadae, *velum eſt Timantis, Imago. videri*
Non niſi ſub picea ſol quoque nube poteſt.
Picta foris Veneres, Floreſque, recluſa profundit
Munera, ſic & opes Pharmacotheca *Dei.*
Lipſius. *Hic libros, hic ponite ſerta Camoenae,*
Virgam Hermes, Paphie *Ceſton*, Apollo *lyram.*
Ne quid in hac Momus reprehendat Imagine, Lipſi.
Corda aperi, haud tacta candidiora mive.

En

Digitized by Google

En Muſagetes. *Procul hinc Monſtra improba.* Lipsi
Terret Alexicaci *ſola vel umbra malos.*
Hanc faciem tibi Honos *tibi* Virtus *induit. uno*
Ore Deos geminos, Lipſi, *animiſque refers.*
Lipſiadae *hocce* Caput *ſacrum eſt.* Pandora Deorum,
Mnemoſydum *ac* Sophiae Bibliotheca loquens.
Ad Senecam reducem *praefige haec ora*, Morete,
Si Senecae *illa aliquis dixerit ora, bene eſt.*
Cur Lipſi, *iſta ſuis nudatur Imago* Parergis?
Dignum, Inſerta polo Roma, Parergon *erat.*
Pinge Otho *perpetuos* Lipsi Romaeque *triumphos.*
Romam & Lipſiaden *Arcus & Ara notent.*
Per te Roma *iterum* Roma *eſt*, O Romule-Lipſi,
Nomen & Aeternae rurſus & omen habet.
Urbs Dea terrarum, magna, admiranda, *quid olim*
Quid Praecone *tuo nunc quoque majus habes?*
Romule *condideras*, *auxiſti* Auguſte. *ruentem*
In ſolio, Lipſi, *ſideribuſque locas.*
Moribus antiquis, Lipſi, *ſtetit illa. reſurgit*
Moribus antiquis. *laus ea tota tua eſt.*
At tu in Barbariem *varie fera bella moventi*
Et chartam & calamos, Pictor, ut arma dares.
Pinge Tropaeophorum, *qualiſque Acrone peremto*
Rettulit ille Parens Urbis opima *Jovi.*
Lipſius. *Adde obiter* Labyrinthum, *Pictor, & una*
Hac una ad Sophiam *Fila regenda manu.*
Cur ſua Lipſiacae *deſunt* Acheloïa *dextrae*
Cornua, *ut ipſe ſuas hic quoque fundat opes?*
Virga *ubi* Mercurii *eſt? qua* Lipſius *evocat Orco*
Nomina magnorum tot rediviva virûm?
Quin Rhodopem *hic renovas mirantem, ubi* Lipſius-Orpheus
Et lyra, & attonitas ducat ab ore feras?
Aut Latiam Andromedem, *Monſtro quae praeda furenti*
Libera Lipſiadae-Perſei *ab Enſe ſui eſt.*
Quin procul Aonio *ducunt in Monte* Sorores
Praeſule te, Lipſi, major Apollo *choros?*
Quin ſolidae impoſitum Conſtantia dia *Columnae*
Evehit, atque Jovis collocat ante pedes?
Lipſiaco *Capiti, Pictor, ſuperindito* Sidus.
Hic Helice *in dubiis, hic* Cynoſura *viis.*
Cur tua non redimis Joviali tempora Quercu
O Latii, o veterum Luxque Salusque *patrum?*

Ora Nepos, Taciti, Caeſar *revocaverat olim.*
Is modo Lipſiaca *vivit in effigie.*
Lipſi. Neſtoreos *Lacheſis tibi perneat annos.*
Neſtoria *at*, *Pictor*, *ſi potes*, *ora refer.*
Lipſius Alcides Muſarum. *In monſtra ruenti*
Penna *cui* clava *pro* domitrice *data eſt.*
O Lipſi-Alcide. *tibi longa det oſcula Conjux*
Juncta tibi Oetaeos *ante* Juventa rogos.
Hic Lipſi *Invidiam*, *recidivaque ſibila*, *laudum*
Ac meriti, *exſuperans*, *non rogi ab Igne domes.*
Lipſiadae *in* Magni *vultus deſcendit* Apollo.
Non jam alium agnoſcit turba Novena Ducem.
Dic. Miſceſne tuis, Otho, *mella coloribus? Ecce*
Sugit Apis *roſeo* Lipſii *ab ore cibum.*
Muſica, Lipſiadae *libans* Apis *oſcula*, *muto*
Ars dare quem nequiit, *quem potes adde ſonum.*
Commodet ora tibi, Pitho, *ſua* Lipſius, *ora*
Vera minus, *rapiant ora aliena magis.*
LipsI *ora in tabula* Pitho *dum conſpicit*, *O ſic*
Viva forent! maneat tunc mihi nomen, *ait.*
Dic Otho. Miraclum *hoc dum pingis*, *totus in illo*
Qut conſtare tibi Menſque Manuſque poteſt?
An LipsI, *an* Sophiae *eſt quae Mentem accendit Imago?*
Quas propior flammas ille vel illa darent?
Sic humiles Terras Paean Hecatebolus *urit*
Magnetem Chalybi, *ſic procul unit Amor.*
Alloquar. atque tua te ſiſtam in Imagine Lipſi.
Erudit, *ecce tui ſupplet & illa locum!*
Deſine Lipſiadae *miracla ſtupere loquentis*,
En, *etiam muta vox ſua in Effigie eſt!*
Faſcinat, *en*, *Tabula haec. quis crederet? atque videndo*
Pectora, *neſcio qua tranſitione movet.*
Sic nova Pygmalion *incendia ab Icone ſenſit.*
Hinc quoque, *queis feriat ſpicula ſumit Amor.*
Lipſius. *O Pictor Mentem ſimul exprime. Solem*
Haud Coelo invideat clarior illa ſuum.
Sola tuos, Lipſi, *vultus effingere Apellis*
Dextera digna foret, *ſi tamen ulla foret.*
Dic bona verba. Sacri ſacra dium hic ſpirat Imago
Lipſiadae. Euboicae *ſecula* Vatis *agat.*
Lipſiadae Heroï *ſacrat* Oultremannus. *& ipſum*
Una Animum. O noſter iſte perennet Amor!

Quid

Quid mirare tua varios ſuper Icone luſus?
Lipſi. *hos dictat Amor. excipio ipſe lubens.*

Ad laureas illas noſtras, ſuam addebat noſtrûm utrique *P. Judocus Fortis* Soc. Jeſu. ac Rhetorices in collegio noſtro profeſſor.

Vir doctum doctus dum pingit, Amicus Amicum,
Unica utrumque ſimul reddidit effigies.
Nam ſe fingit Amans, animo dum fingit amatum.
Quique animo inſedit proſilit ex animo.
Immortale decus merito debetur utrique:
Unica in Effigie vivat uterque ſimul.

Reſpondet ad haec Epigrammata *Lipſius* IV. Cent. Miſc. LXXXIX.

EPISTOLA DCCXCVII.

HENR. d'OULTREMANNUS

his ſuis reſpondebat

Ad Cl. *Juſti Lipſii* Phaleucos.

ITe ad Lipſiadem *meum, Phaleuci,*
Ite ad Lipſiadem, *novum immo Phoebum,*
Unus qui Aoniis ſuum Puellis
Nectar, Ambroſiam ſuam propinat.
Unus, dum ſe hilarant, Modiperator,
Praeſul ad choreas, Magiſter oris.
Promus Caſtalidum potens aquarum
Quarum unus caput, unus ipſe Fons eſt.
Fons, dico, Oceanos ſcientiarum
Cornu divite perpetim profundens.
Cujus Aura Sophos levans, & ipſam
Fert late Sophiam, ſacratque coelo.
Illi haec dicite. Non Amor fefellit,
Falli non potuit tui Oultremanni,
Dum te, dum varie, tuam, mala auſus
Dignis Icona laureis obumbrat.
Falli & fallere Caecus ille ubrit
Mendacis Cypriae doloſus Infans.
Quem pennae abripiunt. leves & aurae
Incertas temere ferunt ſagittas.
Caeco quas, malus imbuit veneno.
Aetnaeique rubens camini Alumnus

Atris Ignibus utra corda adurit,
Caecos reddere cura prima coeco eſt.
Falſa vel dare perſpicilla, amantum
Queis falſas oculis refert figuras
Ludens praeſtigiis cupido. ſlavent
Sic cuncta Ictericis. putat refractos
Sic remos tremulis celeuſta in undis.
Fraus nam certa Comes, Dolusque & Error.
At noſter nitidi propago Olympi
Caeleſtis Veneris Jovisque proles
Sancto corda ligat beatque nodo.
Is candore nives, is anteit ipſum
Viſu lyncea. nec fovet, probarit
Niſi quos prius igne, lance. juxta
Segnis fallere, neſciuſque falli
Illum namque Fides, & ima cordis
Nudans Integritas, & ima luſtrans
Veri Diva ſciens, Chariſque nexa,
Virtus atque Honor, Anteroſque frater
Ducunt, aut comites ſequuntur. Ille
Haud tantus facit ut putere, Lipſi,
Sed tantum, merito colant ut omnes.
Hinc noſter ſtupor, Orbis hinc Amores
Hinc praeconia tanta, tot Coronae
Vix jam ipſa Invidia invidente ſurgunt.
Quis Solis jubar aureum, quis ignes
Late quadrifidum beantis orbem
Celarit? merito ſuos honores
Quis neget? tua, terminatur iſdem
Lipſi, *Gloria finibus. nec ipſe*
Titan Clarior. obligansve tantis
Mortales varie bonis Deosque.
Unde ergo rubor hic, Amice? ſi, quas
Et Fides bona, veritasque diſtant
Laudes concino? ſi, tuus profundit
Quas Daphnon mihi, quas Amor revincit,
Repono capiti tuo Coronas?
Quin ignoſce magis, ſtupenda tanta
Artare exiguis modis quod auſim.
Nam quis te ſuperis parem, quis, inquam,
Digne dixerit? aut tuae Columnae
Tangentis ſolium Jovis, ſupremum
Poſſe evadere ſperet in cacumen?

Ergo

Digitized by Google

Ergo define d'Oultreman. *Quid ultra*
Tentare Icarios juvat volatus?
Cui, quod diceris esse Di negarunt!
Sat laudis mihi, tanta libo tantum
Si Miracula. Serta si columnae
Ad pedem statuo. Basique, Lipsi,
Subscribi pateris tuum meumque
(Quod seri invideant decus nepotes)
Nomen cum titulo brevi, Oultremannus
Magno Lipsiadae, cliens dicabat.

Vid. IV. Cent. Misc. 89.

EPISTOLA DCCXCVIII.

HENR. d'OULTREMANNUS

Cl. *J. Lipsio* S. P. D.

Levanium.

JAmdiu nihil respondes, amice Lipsi. nec tamen succenseo. Occupationes enim in caussa, aut infirmior fortasse valetudo. quod postremum abominor. At nos quintam jam hebdomadem lectus tenet; nec tui tamen memoriam depono. Testes hi versus, quos dum desaevit morbus, partim etiam ut solitudinem meam solarer, in centurias Epistolares tuas composui. Quaeres cur hoc argumento? Oratorem apud te ut agam, jampridem instant apud me litterati nostri. quos quidem Centuriae illae tuae ita delectant, uti novis abs te beari, dici non potest, quam desiderent. Dixi feciisse me, nec profeciisse. urgent magis. Hos ergo mitto. si forte quod pedestres litterae non potuere; sublimius incedentes ac loquentes isti jam impetrabunt. legem tamen dixi. si nihil serium aliud meditaris. ac post Senecam illum tuum, Monitorumque & Exemplorum politicorum libros duos (sed quam lentus in illis Moretus noster?) feriari lubeat jam. ac sic in tot amicorum recordatione Epistolas tuas recensentem, suavissime conquiescere. Crede non Valentianos tuos tantum, sed Orbem cultiorem universum, hoc enixissimis precibus abs te poscere. cujus te ingens gloria maneat, utcunque Zoïli & scioli nescio qui obloquantur. si exorant illi, vel hoc nomine non indignos judicabo, qui praefigantur, agmenque ducant. si modo titubantes, uti a podagrico compositos, corrigas ipse ac firmes. At non titubat Amor in te noster. Constet & tuus. valetudo inprimis. quam perpetuam, ac ex voto tuo. ac ut feliciter hic annus decurrat, felicior recurrat alter, mihi, tibi, sed & Reip. nostrae, o Lipsi, totis praecordiis Deum imploro. Valentianis. XXI. Decemb. A. M.D.CIIII.

In Centurias Epiſtolares Cl. Juſti Lipſii Carmen.

Vos O Pierias, Sophiaeque exculta per artes
Pectora, quae aſſiduo, priſca vireta, pede
Hellados & Latii varie peragratis, & una
Lipſiadae *haud priſcis culta vireta minus,*
Carpite ſecure divinis gramina ſuccis
Sertaque in aeternos texite odora dies.
Nec jam Barbaries, fera non Inſcitia, non jam
Incutiat vobis livida Turba metum.
Dux *novus, en, Latium doctaſque tuetur Athenas.*
Moribus antiquis *clarus, & arte potens.*
Hellada jam & Latium Grudios *is tranſtulit. & jam*
Hellas ibi & Latium, Lipſius *ipſus ubi eſt.*
En, ut Diliacis *ambas jam luſtrat in undis!*
(Dilia! *quam uberior fonte Helicona, tuo es?*)
Ac mala degeneris tollens contagia ſaecli
Reddere ſic decori certat utramque ſuo
Vellere nunc video nocuas radicitus herbas
Damnaque ſeminiis haec reparare novis
Nunc falce emeritos ſterilesque abſcindere ramos,
Inſerere & docta Lipſica *poma manu.*
Hic nova poſt genitis Plantaria pangit. at illic
Viva ſacrans riguae flumina ducit aquae.
Omnis &, huc, aevi Miracla (ſed extera cedunt
Lipſiacis) *pleno fundit, opesque ſinu.*
Nec ſatis hoc. valido loca Milite cingit & armis,
Praeſidia & paſſim Centuriasque *locat.*
Robora Epiſtolicae Legionis; *nomina in illis*
Summorum aſpicio Marte Togaque Ducum.
Queis ſtudium hinc hoſtes, vulgusque arcere prophanum,
Bellare, ac placidos aere ciere viros
Atque ad Virtutem Sophiamque accendere cantu
Antipodum extremas hinc vel aduſque plagas.
Victa fugit fera Barbaries. Tuque, improbe livor,
Anguicomum Stygio condis in amne caput.
At Sophia, & Pallas, Dea Suada, Politica, Apollo
Hic ſibi Gymnaſium Pieridesque dicant.
Macte animo, O Lipſi! *quo jam* Duce *Cultior Orbis*
Cultior it, priſcum te referente decus!
Per te aetas alios veterum jam computat annos,
Poſtque rogum major ſplendidiorque redit.
Mactae Centuriae! *vos* Dux *legionibus augens*
Vobiſcum in niveis uſque triumphat equis.

Ac-

Accipite emeritum, veſtriſque reponite Turmis.
Fas Duce *ſub tanto vel mihi caſtra ſequi.*

Ardeo te ut videam. Quid opus? Si corpus Imago
Si mentem atque animum Centuriae *exhibeant.*

Henr. d'Oultremannus Valentianus.

EPISTOLA DCCXCIX.

J. LIPSIUS

Philippo Rubenio ſuo nunc & ſemper S. D.

Romam.

POſtremae tuae litterae valde gratae, quia & in iis libere te revelas (quod apud me debes) & viam aperis, qua idem ego poſſim. Omitto ſollemnia & amica, noſti me: de re dicam. Quod deliberas de migratione in illius magnatis domum; ego ex uſu cenſeo, nec probo ſolum, ſed ſuadeo, ut rem tuam illic, ſed & publicam noſtram eſſe video, & fore divino. Nam nobis quid ſupereſt, quam

Ἄλγεσι τείρεαι καὶ ἀπρήκτοις ὀδύνῃσι;

miſeram Belgicam, cui aſperum fatum incumbit, & mala malis addit! Audiſtis de Gravia obſeſſa (quid ſi nunc dedita? ita fama muſſat) ſed exitiale malum acceſſit diſcordia & ſeditio, & bona pars militum avulſi a nobis, & publico Edicto hoſtes judicati. In eos arma vertimus, hoſtis ſubſidiis nixos: & quis exitus, pro bonorum votis, ſperetur? Ego tibi dicam, mi Rubeni,

Οὔτε τι μάντις ἐὼν, οὔτ' ἐνιαυτῶν εἰφα ἰδώς,

ſed dicam, convertimur & ad novam rerum faciem imus. Inter dolores & lapſus publicos, juvet tamen ſapere, & recto mentis oculo arbitrari quae fiunt. Quid oporteat, videmus, quid poſſit etiam: ſed oculi ac mentes quaſi faſcino illis praepediuntur, & mali coeptam viam pergunt. Viderint Principes:

—— —— *nos vilis in omnes*
Prompta manus caſus, domino cuicumque parati.

me tamen excepto, qui Catones, Brutos, Senecas in animo geſto: & morti potius, quam dedecori occumbam. Sed ad te redeo: quem retinet nonnihil iſte, ſcio, μεγάλην δύναμιν ἐν Βελγαῖς κεκτημένον: ſed ſi examinas & te cogitas, quid erit?

Ἀιεὶ δὲ μαλακοῖσι καὶ ἀμυλίοισι λόγοισι
Θέλξει.

res & effectus erunt tarda. Itaque de illo libero ego auctor ſim audendi, ſi tamen decora & te digna offert. Si non; me vide, adnitar & manibus pedibusque protraham, quo tua virtus & ingenium vocant. Pudor! blennos & buccones evehi, vos tales jacere, qui variis veriſque eminere poteſtis! Vides liberam epiſtolam, ad matrem miſi; ſi quid ultra eſt, ſignifica, & me ut amico

co utere, imo (ſcriptum ante repeto) ut parente. Lovanii, x. Kal. Octobr. ∞. IↃCII.

EPISTOLA DCCC.

J. LIPSIUS

Phil. Rubenio ſuo.

Romam.

NUper ego ad te, nec didici accepiſſe. Binas quidem a te interea habeo, ſed nihil de meis, aut ad meas. Parum eſt, dum conſtet te non negligi: negligi autem? quem ego in hoc animo circumgeſto: & cum deponam, —— τόπ μοι χάνοι ἐυρεῖα χθών. De *Schoppio* pluſcula ſcribis, grata auditu: & praeſertim de intentione illa ſtudii, & ἀποχέσει a vino, & omni luxu: perſeveret, & quo caepit, eat. favemus. Quando autem illa de Inſtitutione? maturuiſſe debebant, & comparere jam hi fructus. Quae a me quaerit, non proprie ad Stoïcos ſpectant, & nihil ibi, quod ſciam, ab aliis diverſum. Haec tamen quoque in Ethicis tractabimus, & Phyſica jam habent finem. Saluta a me virum corde. Tuum illum jam Regem inclinare ad reditum, & ad nos, video: impelle, meis votis nunquam niſi ſero venietis. De rebus tuis coram, & ſponde tibi conſilium auxiliumque omne, quod vel proli, ſi habeam, donem. Ama me, & veni. Lovanii, III. Nonas. Novembr. ∞. IↃCIII.

EPISTOLA DCCCI.

J. LIPSIUS

Philippo Rubenio ſemper ſuo.

Romam.

INvitus ad te ſcribo: ne mirare. Vos ego jam exſpecto, jam occurro, jam brachia pando ad amplexum. Quid iterum a ſolida voluptate ad hanc imaginariam vocor? quid a veritate ad umbram? Venite, affamini, & ſiſtite mihi tres vos illos meos: quos non dimiſi, ſed commeatum in tempus aliquod dedi. At Italia vos tenet, quam hoc nonime minus amo, quia vos ſic amatis. Redite. vis dicam? aut ad alios amores ego eo. Seneſco, caneſco: longum expectare non poſſum, frui nunc aut nunquam debeo: & fruamur, ita omnia votiva vobis Deus in reliquam vitam donet. Uſuram brevem ego poſco: ſed tam hilaris, quam ii, qui aetate diſponunt & promittunt. Audi porro non grata, καὶ ὰ κατὰ θυμόν. Noſter ille ἀτασθάλης ab Ate Homerica laeſus eſt, id appello Ἀλάοσην: heu, heu aevum! Meminiſti de *quodam propraetore* Gallo? ille, ille eſt caput & fons mali: in Hiſpaniam ſcripſit falſimonias & delationes, Dii boni! improbas & atroces! res agitur, ſed boni plerique

1 Hujus epiſtolae pars tantum edita eſt Centur. v. Miſc. 44. ideoque integram juſſi hîc legi.

que omnes noſtro favent, utinam & Eventus! De re & vero non ambigo: tempora & ingenia novi, & cogito, quae non ſcribam, ſed dicam. Mittamus iſta, & uno verbo publica ἐαπίον minime laeta. In privatis, valemus modice: etſi ab [2] equi lapſu laeſi ante dies octo. nam equum vel equuleum habemus, ut ſcias, dono Antiſtitis Atrebatenſis: quem cum inſcendi ambulaturus, ut ſoleo, occurſu Theſſalae alicujus maleficae, ille ſubito velut ictu concidit, tibiam mihi laeſit. Niſi eſſet, Antverpiae jam eſſem, ut porro mea ad Senecam abſolverem. Comes-Stabuli venit, ego vidi, conveni: de humanitate dicere poſſum, de aliis animi dotibus aut ornamentis, nondum poſſum. Quid opus iſta ſcribere? venite, videte, noſcite, tres ad me recta: ſiquis abnuit, tu nihil excuſa, & indulge utriuſque (nam & de te arbitror) amori. Sic vale, Lovanii, prid. Kal. Febr. ɔɔ. ıɔc. ıı.

2 Vid. Epiſt. ccxcıı.

EPISTOLA DCCCII.

PHILIPPUS RUBENIUS

J. Lipſio.

Lovanium.

AMpliſſime Domine, *G. Scioppio* majori paene, quam ipſi mihi, res meae curae ſunt. atque adeo renitentem alia via, quam maxime accommodam rationibus meis exiſtimat, protrudere & promovere me conatur. Et quanquam nuper de hac re copioſe ſcripſit, quaſi tamen aliquid in illis litteris deſideraſſet, alteras haſce, ut ad A. T. curarem, nec opinato miſit. Quid quaeris? ſuppudet magnoque timore ſum, ne fines pudoris tranſilire videar, audiamque triſte carmen. Ἀρκαδίαν μ' αἰτεῖς. Verum ille verecundiam meam objurgat, & πλὴν αἰτοῦντα urget, cogit. Quod vere a me ſcribi, neque de compecto rem geri credas velim. Fatendum tamen eſt, non ingratam viri ſollicitudinem & affectum; tum etiam inter faſtigia votorum eſſe, ut negotium hoc effici poſſet, quo ſtabilitis praeclare rebus meis, & ad reditum via commoda pateret, & in reliquum vitae Lipsio Muſiſque fruendi facultas daretur. Quod per ſacerdotia vix liceret, quae certis alligant locis, & cum onere ſunt conjuncta. Ne vero plane deſperem, faciunt illae quidem toties mihi feliciter expertae auctoritas & gratia tua, ut vere dici poſſit, te impetrabiliorem, qui vivit, hodie nullum eſſe. Nam de voluntate & affectu res ipſae loquuntur, totque tam eximia beneficia, quae vix animo cogitationeque valeo complecti. De modo tantum hoc dicam, *Velaſcium* Comeſtabilem cum nimium quantum A. T. debeat, gaviſurum datam hîc occaſionem graves aëris alieni ſine diſpendio ſuo levandi. Sed de his ſatis: imo plura quam cogitaram, abducente nimirum Φιλαυτίᾳ reique deſiderio votivae. Quod hic non mediocre fateor eſſe, quod ego rem factam hac ratione haberem, & A. Tua coeptorum operum exaedificationem. Et ſpem praebent, qui in Hiſpania fa-

cile id impetratu fore autumant, praeſertim tanto oratori audendum tantum eſſe. Si quid hîc novi, in litteris publicis ſive Actis habes, magnum certe nihil expectandum, omniaque pro regentium ingeniis. De *Sangeorgio* ſic habe, totum in divinis eſſe, ſemperque circa ſe religioſos viros habere, maximeque ſeverioris diſciplinae, quos Capucinos vocant. Sed & ſacris exemplo avunculi ſaepe affiere narrant. nec tamen (vide horum hominum ingenia) fidem facit. Non poſſum plura, excluſus anguſtia temporis. Deum precor ut te, Ampliſſime Domine, reipublicae tuiſque omnibus ſervet. Romae Kal. Aprilis. ∞ıɔcvı.

Salutem adſcribi rogat frater meus. Ego *Warnerio* quoque nunciari quaeſo.

Hanc nunquam vidit Epiſtolam Lipſius: mortuus enim 23. Martii jam erat.

EPISTOLA DCCCIII.

J. LIPSIUS

Carolo, Duci Croyo & Arſchotano.

ILluſtriſſime & Excellentiſſime Princeps. Dignatus me iterum es benivolentiae & ingenitae tibi humanitatis pleniſſima epiſtola, qua ita recreatum me fateor in his malis, ut nautae in tempeſtate ſolent, diei illa luce aſpecta. nam in curſu hoc rerum, quid viro bono & patriae amanti non triſte? & hoc aggravat, quod deteriora praeſagit inſidens animis noſtris

Peſſimus in dubiis augur timor.

Enimvero Belgica noſtra triginta amplius annos volvitur & jactatur civilium bellorum his fluctibus, periculo, & paene dicam merſioni, propiorem fuiſſe numquam opinor. movet me & prudentes ad hoc judicium, Ordo, quem partes noſtrae tenent vel augent, & Diſciplina: quae utraque, fatendum eſt, ad veterem militiam (quatenus aevum fert) & laudatam illam Romanam eſſe. Legi nuper ab amico miſſam accuratam Graviae urbis obſidionem, & opera ac munitiones: Deus bone, varias & magnas! Diceres non paucorum aliquot millium, aut ſeptimanarum eas eſſe; ſed Bataviam conveniſſe ad peragendum. Vulgus miretur, non ego: [1] ſcio a quo fonte hauriant, & imitatione ad ſe derivent. Noſtri autem quid? ſtupent cum vident: ſed hoc tantum, ad emendanda noſtra, aut illa aſſumenda, non conantur. Sicut ſonitu & minis aves terrentur; ſic putamus illos ad nomen aut motum noſtrum dilapſuros. Jam in Oeconomia & nervo belli, re pecuniaria, quae adminiſtratio illic, quae confuſio hîc ſit, nec decet me fortaſſe dicere, nec apud Te debeo, ſuper alios gnarum. Haec plerique omnes vident, & ſentiunt, & queruntur etiam: ſed, ut poëtae verbis dicam,

Quo

1 Dubito an non ſibi applaudat *Lipſius*, quaſi ex militia & Poliorceticis ſuis *Mauritius* didicerit illa. vid. Epiſt. ɔcxɪix. ɔccvii. & ɔccviii.

Digitized by Google

Quo triſtes querimoniae,
Si non ſupplicio culpa recidiſtur?

Quid Deo decretum in fatali conſiſtorio ſuper rebus noſtris, neſcio: ſed mutatio impendere videtur, ex ſignis & velut ſcintillis, quas caeleſte illud lumen ſpargit. Gallia adhuc quieta eſt; ſed ingenium gentis, & regentis ſi videmus, parare & inſtruere ſe arbitrandi ſunt, ut collectis viribus invadant. Et cauſſae quaeruntur, & ſemina ſparguntur, quae armatos viros, ut olim illa ab Jaſone jacta, producant. Haec univerſa, ex meo ſenſu interiore (ignoſce libertati) apud Excellentiam Tuam promo: in particularibus, pauca nunc poſſum. Buda & Peſtum in Hungaria a noſtris intercepta, ſed arce (ut here ad me ſcriptum) adhuc ſalva. ſic tamen, ut litterae Pragenſes ſpem facerent intra biduum aut triduum dedendam; ſi id ſit, medium illud regnum, aut ultra, eſt noſtrum. In Campinia turmae aliquot equitum noſtrorum caeſae nunciantur, vexilla tria ab hoſte capta: quod timide, nec niſi Excellentiae Tuae ſcribo, re nondum explorata. Siquid praeterea erit, non deero pro obſequio & cultu, quem aeternum Excellentiae Tuae, & ſerio animo vovi, id ſignificare: etſi praeveniendum me ſcio aut ſuſpicor ab iis, qui haec officia ex ipſa Aula praeſtant. Ergo tantum, ut Excellentia Tua beare me ſua iſta inclinatione animi pergat, animo certe & fide meriturum, ut alia deſint. Concludo in voto Salutis Tuae, Illuſtriſſime & Excellentiſſime Princeps, quam Deus longam, & ſi poſſit, aeternam velit. Lovanii, Kal. ipſis Novembr. ↀↀ.IↃ. CII.

EPISTOLA DCCCIV.

J. LIPSIUS

Carolo, Duci Croyo & Arſchotano.

ILluſtriſſime & Excellentiſſime Princeps. Binas nuper miſi haud magno argumento. Quid enim moeſtis his temporibus, & frigore etiam hoc rerum, praeter querelas ſuccurrat ſcribere? Nec eae me deceant fortaſſe apud talem Principem: & certe in re nihil juvant. Nunc heri litteras accepi, quae in Zelandia ſcriptae. Nunciant Comitem *Mauricium* illic expectari, qui cum aliis rebus, tum Oſtendam praeſidio & ſubſidio proſpiciat. Nam certum iis, urbem hanc tenere & tueri; ac confidunt poſſe. Marchio quidam e Brandenburgenſibus illac tranſierat, cum *Erneſto* Naſſovio Comite, Oſtendam viderat, redieratque. Plures adhuc e Germanica nobilitate ibi haerent, ut loca luſtrent: & liberaliter iis ſtipendia perſoluta ſunt, etiam cum auctario dimidiati menſis, titulo viatici ad redeundum. Embda urbs legatos ſuos Hagae habet, & petit auxilia contra Comitem ſuum: imo ſermo jacitur de confoederatione ineunda, & quod contribuent, ſe jungentque in perpetuum cum Provinciis, ut vocant, Unitis. Algeriana expeditio (ut ad remotiora eam) in fumum abire videtur: & negant claſſem aut copias ſatis ju-

ſtas eſſe huic expeditioni. An non ante praeviſum oportuit? Interea alium aliquem Africae portum invaſuri putantur, aut oras maritimas, exſcenſu in terram facto, vaſtaturi: ne magno conatu & paratu nihil egiſſe dicantur. Feliciora ab Pannoniis nunciantur. hoſtem intercluſum ab urbe Buda, & omni ſubſidio ferendo, ponte in Danubio a noſtris reſciſſo. Tranſylvaniam etiam, *Baſtii* opera, totam jam eſſe noſtram. Deus ea firma eſſe velit, & propriam hanc Chriſtianis laetitiam. Iterum ad noſtra. ſumus hîc in metu a Batavis, quibus ſeditioſi junxiſſe aut juncturi ſe dicuntur, & loca noſtra percurſuri, aut & urbes (in occaſione) invaſuri. moniti publicis litteris ſumus cavere, & vigilare. Id quam ignave hîc fiat, non opus apud te dicam: vires exiguae ſunt, ordo nullus, pauci imperare apti, nemo obedire. Iſta nunc ſcribere potui, Illuſtriſſime & Excellentiſſime Princeps, quem Deum aeternum rogo perennare nobis, & bono publico diu ſupereſſe. Lovanii, Nonis Novembr. ∞. IↃCII.

EPISTOLA DCCCV.

J. LIPSIUS

Carolo, Duci Croyo & Arſchotano.

ILluſtriſſime & Excellentiſſime Princeps. Quoties litteras tuas accipio, beneficium & honorem accipere me, bono jure interpretor; & praeſertim ſic benigne ſcriptas. Hodie factum: & prompte reſpondeo, haud magno, aut certe non lacto argumento. Etſi quid in hoc, non dicam ſtatu, ſed motu aut fluxu rerum, laeti prudens aliquis exſpectet? Cauſſae primae & mediae ad ſucceſſus aut triumphos non ducunt: utinam ſaniora, & quod deinde ſequatur, feliciora conſilia fas nobis videre, & in iis gaudere! Principum & patriae cauſſa, quis illorum reverens, hujus amans, non velit? Sed & privata noſtra res incipit agi, & a propinqua flamma comprehendi jure trepidamus. Noſti hanc partem provinciae, amoenam & celebrem magis, quam munitam, aut ad vim excipiendam parem. Adverſarii nunc quidem alibi diſtinentur, & utiliora ſibi ac magis opportuna moliuntur: ſed a ſeditioſis ecquid ſatis tuti ſimus, neſcio, & ille mihi nunc eſt metus. Ajunt occulte agi de placandis, idque per Nuncium Pontificium: ſed rebus, id eſt nummis, non verbis aut blandimentis, eſt opus. Milites ſunt, cupiunt & poſcunt, & manu poſſunt. In Aula res caliginoſae. Primos aliquot Hiſpanorum abire, aut abiturire, imo & abîſſe quoſdam nunciant: an quia offenſi, an quia offenderint, ſive alia cauſſa & fine, quem dies revelabit. Quid in Hiſpania, id eſt majore nave, a qua cymba haec pendere videtur, fiat, neſcio, & quae conſilia eorum, qui ad clavum illum ſedent: nobis uſque adhuc haud proſpera nimis eſſe, in ſilentio noſtro res clamat. Heu potentia, quid es ſine prudentiae luce? quod ſine oculo Cyclops? Sed timide & verenter de Regibus loquendum eſt: & ſcio

ſcio meum hunc oculum in illa adyta non penetrare. Vota igitur, non verba ultra interpono. E Batavis audimus bonis auctoribus, iterum ad expeditionem ſuccingi in aeſtatem futuram, & jamnunc parari, quae eo conducunt. In Luxemburgenſi ditione quid fiet, & praedandi an inſidendi etiam animo inerint, brevi audiemus: & utinam illud tantum! Si pedem figunt; ab Italicis auxiliis, a Germanicis commerciis, magnam partem ſumus excluſi. Deus avertat. etiam illud, quod de occulto apparatu in nos Gallico muſſant; etſi alii de auxilio vel faventia, & quod Pacem nobis, ſpe communis alicujus (ſed meo animo praematuri) conciliabit. E Burgundia ad me ſcribunt, certum ibi haberi de tranſlatione Sabaudiae in Regem Hiſpaniae, alia in Ducatu Mediolanenſi (an & ipſo Ducatu?) compenſatione. Aegre credam, niſi res fidem facit. & vetera manere equidem malim, & inprimis veteres mores, novitiis his ſpretis.

Hoc fonte derivata clades
In patriam populoſque fluxit.

Nimis longum facio. unum illud nunc & ſemper, uti ſim Excellentiae Tuae devotiſſimus cliens. Lovanii xv. Kal. Decembr. ɔɔ. ıɔcıı.

EPISTOLA DCCCVI.

J. LIPSIUS

Carolo, Duci Croyo & Arſchotano.

ILluſtriſſime & Excellentiſſime Princeps. Aliquot dies ſilentium tenuiſſe me fateor, vel frigoris hujus ignavia, vel quia res languidae, & ipſae, ut ſic dicam, frigidae, ſtimulos ad ſcribendum non addebant. nam plane rerum vacuas ad te mittere litteras meus pudor, & magnitudo tua vetant. neque nunc a nobis aliquid nunciare habeo, niſi hoſtem praedae & famae divitem ad ſuos rediiſſe, nobis vaſtationem & (ſi auſim dicere) ignominiam reliquiſſe. Praeſidia nunc Germanorum diſpoſita per eam ditionem audio: quid niſi ſera auxilia, & poſt ictum cautionem? Copiae conſcribi novae & in Germania & Italia feruntur, & exercitum ad xxx. millium equitis peditisque iſto vere futurum. Quid pecunia? ingens exſpectatur: & ex Hiſpania litterae, duos milliones (ut noſter hodie ſermo & numeratio eſt) trajici, in uſum ſolum Belgicae, adfirmant. Res addet fidem aut demet. Ante paucos dies ſupplementum ducentorum militum Buſcumducis miſſum fuit: miſſum, ſed non admiſſum. Cives excluſerunt, cauſſati nec iis, quos haberent, ſtipendia perſolvi: quid iſtis, ſi accederent? nec ſeſe, in hac inopia, alendis iis eſſe. Vides auctoritatem & imperium ſperni: quod incoeptum ne longius ſerpat, aliqui vereatur. Apud Batavos pecunia extra ordinem conceſſa & indulta, ad novam novo anno expeditionem. Quid de navigatione etiam nova detecta? res mira, ſi vera eſt: tamen litteris e Britannia confirmata. Ecce ipſi Britanni

(Anglos dico) quod Batavi bis terque fruſtra tentarunt, viam facere conati verſus orientem, in divitem illam & celebrem Sinarum oram. Ante quattuor admodum menſes, binae naves ſolverunt, explorandi cauſſa flexerunt curſum magis ad Americam novam laevorſum: & freto reperto, quod paullatim magis magisque ſe panderet, innavigarunt, enavigarunt, & in plenum iterum Oceanum invecti ſunt, flexu in Orientem capto, veneruntque ad quinquageſimum gradum altitudinis: id eſt, mitiora jam loca, nec procul a Tartariae finibus, & limine ipſo Sinarum. non tamen progreſſi longius aut ingreſſi: quia exploratum miſſi tantum erant, neque merces aut alia ad fructum. Redierunt in Britanniam omnes incolumes & ſalvi, paucis tamen aegris: idque ex potu, ut ajunt, ferventioris vini, quo contra frigus neceſſe habuerant ſe munire. Nam ante fretum emenſum, verſus Septentrionem illum rigidum, ad gradum uſque ſeptuageſimum pertigerant. Glaciem in mari, aut urſos in ea albos, & quae alia dura aut triſtia Batavi experti erant, negant ſe repperiſſe. Haec ita diſtincte ſcribuntur: ſi vera, nonne ab Oriente novae opes, magno navigantium compendio, exſpectandae? Sed ad nos iterum: qui jam in metu eramus, ob Seditioſos, qui ſe moverunt, & tredecim turmis equitum petere Namurcum & vicina loca feruntur, quid niſi expilandi cauſſa? Novam hanc miſeriam! ab hoſte, a milite dubio, aut ſocio vaſtari & atteri: & novam etiam Conſtantiam, non ſuccumbere aut frangi. Vides Belgas noſtros (quod prodigium exterus aliquis habeat) vel in illa Campinia, contra omnes clades aſſurgere, & ut quercum reciſam, ſuccreſcere magis & pullulare. An non a Deo hoc robur eſt? ſperemus, fortuna aliquando mitior reſpiciet: & tum certe, cum conſilia publica meliora eam advocabunt. Deum rogo faciat: te autem, Illuſtriſſime & Excellentiſſime Princeps, valentem Patriae, volentem mihi ſervet. Lovanii, v. Idus Decembr. ∞.ıɔ.cıı. Nuncius Apoſtolicus deſignatus a Rege Hiſpaniarum Archiepiſcopus Tarentinus.

EPISTOLA DCCCVII.

J. LIPSIUS

Carolo, Duci Croyo & Arſchotano.

ILluſtriſſime & Excellentiſſime Princeps. Silentium meum unicam cauſſam habet adventum tuum: ſperatum & promiſſum nobis, ſed, & video, dilatum. Cauſſae ſunt, non dubito: alioqui Fleuria tua te trahat, praeſertim amoeniſſimo hoc tempore anni, quo frui amoenitate illa poſſis & oblectari. Etſi nec nos, qui tam propinqui ſumus, nimis oblectamur, diſcurſu & rapinis militum aſſiduis: quos nulla ultra diſciplina aut pudor tenet. Prudentiores viderint: ſed ego in exitium publicum tendere hanc laſciviam & licentiam arbitror. Quod utinam ne dies & eventus firmet! Noſtri hîc Politici oculos & ſermones in Angliam vertunt, & ad novum ibi Regem. Ego ſpei haud multum video. vel ob religionem, quam interiore animo (ita accipio) di-

diverſam profitetur: vel ob foedera occulta cum finitimis pacta, aut paciſcenda. Quid, quod nemo Principum magnitudini Hiſpanae fautor & amicus eſt? imo pro bono ſuo habent, diſtineri eum alibi & illigari. Externa amicitia & commercia eſſe poſſunt, foedus & ſocietas haud facile erit. Comes *Arembergius* nondum admiſſus ad Regem fuerat, proprio tamen ſuo impedimento, & a podagra tardatus. Legatus Gallicus auditus erat: quem ego bono auctore accepi ſerio acturum de libertate Religionis admittenda, mandato ſui Regis. Inter Gallos & Anglos tumultus aliquid fuit, ad manus ventum, & unus ex his interfectus. In comitiis Ratisbonae de pace noſtra agitur: ſed Germanos noſti, & quam nec velint ſerio & concorditer, nec ſi velint, multum poſſint. De Oſtenda frigida adhuc ſpes eſt: & morbus peſtilens graſſari in caſtris noſtris incipit, cum periculo aperto, praeſertim ſic mature. Deus auxilietur patriae, & te, Illuſtriſſime & Excellentiſſime Princeps, illi incolumem diutiſſime ſervet. Lovanii, III. Non. Quinctil. ∞.ıɔcIII.

EPISTOLA DCCCVIII.

J. LIPSIUS

Carolo, Duci Croyo & Arſchotano.

ILluſtriſſime & Excellentiſſime Princeps. Affectum me laetitia e litteris Excellentiae Tuae debeo fateri, ſed cui triſtitiae etiam aliqua pars ſit admixta. Laetatum me ſane fateor, in hac tanta benivolentia, non verbis ſolum, ſed factis expreſſa: qui honos mihi magnus eſt a tali Principe, & aeternum equidem agnoſcam. Sed triſtitia etiam, ut dixi, juncta laetitiam offuſcat: quia neque meruiſſe me hanc benignitatem animus mihi dictat, & non poſſe niſi illo ipſo animo gratum eſſe. Illo certe ſum, atque ero: & utinam rebus in obſequium Excellentiae Tuae aliquid poſſim! Quidquid certe poſſum, devotum & mancipatum id eſſe tuae dignitati jamnunc ſincere ſubſigno & teſtor. Duplex autem beneficium collatum in me una hac epiſtola Excellentia Tua ſignificat, & Donum a Principe; & annui Honorarii mei promptam ſolutionem, mandato veſtro comprehenſam. Equidem grate agnoſco & amplector, ut debeo, primum hoc a Sereniſſimo noſtro beneficium ſive liberalitatem: & ab illo fonte eſſe ſcio, ſed interceſſionis tuae opera in me derivatum. Itaque etiam Excellentiae Tuae initium in parte aliqua debeo, totum debebo in exitum, ſi efficit (ut benigne & ultro promittit) ſolutionem mihi nec tardam nec ambiguam eſſe. Quod autem ad Honorarium attinet, cauſſa mihi major querelae ante duos menſes fuit: nunc Quaeſtor officium fecit, & ſi porro ita facit, acquieſco. Dabo tamen litteras veſtras, velut ſtimulum in futurum, & ut videat me & mea vobis curae eſſe: Principes noſtros inſita pietas & devotio ad Divam Virginem elicuit: atque utinam divina illa mater noſtram etiam Principem faciat matrem! O felices nunc & poſtea Belgas!

Nam

Nam etſi amant & curant nos optimi Principes, ut ſuos; magis tamen tunc faciant, ut etiam ſuorum. De Comeſtabilis autem adventu nemo ambigit, etſi de cauſſis etiam curioſi quidam muſſant. Excellentia Tua ſcit ſuſpiciones quorundam, quibus accedere, niſi res me convincat, non poſſum. Pacem cum Anglo non difficilem fore arbitror: de amicitia dubito, & an toto animo ſe nobis junget. Si facit; pacem cum Batavis, aut imperium in eos habemus. Nam ipſe ſi bona fide eos deſerit, aegre ſubſiſtant: etſi a Gallia fortaſſe occulte foventur: ſed occulte, & pax cum Anglo etiam illum quietiorem & pacatiorem reddat. Aeterna Providentia in noſtrum bonum haec dirigat: & eadem Te, Illuſtriſſime & Excellentiſſime Princeps, eidem bono noſtro, diutiſſime incolumem ſervet. Lovanii, ſtatim a tuis lectis, XIII. Kal. Decembris ∞.IↃCIII.

EPISTOLA DCCCIX.

LUPERTIUS LEONARDUS ARGENSOLA

Doctiſſimo Viro J. Lipſio, Ex animo S. D.

Lovanium.

NOn Madriti, quo mittebantur, ſed Caeſarauguſtae, ubi privatis litibus aſſidere me oportet, tuas literas, doctiſſime Lipſi, accepi, eo ſerius ſed jocundius: patria enim concivibuſque ſpectantibus honorari jocundiſſimum eſt, maxime cum honores, qui a te proveniunt, Regiis anteponendos putem. Nam illi nunquam ſine judicio, ii fortunae beneficia ſunt aliquando: attamen non huic laetitiae defuit comes angor, cum invaletudo, bellaque deteſtanda animum corpusque tuum angant, & ab edacibus curis labores, quos publicae utilitati immortalitatique dicaveras, intercipiantur; Sortem veſtram, ut ais, audio, imo video; non tamen cum Epicureo poëta cantare juvat

Suave mari magno turbantibus aequora ventis
E terra magnum alterius ſpectare laborem:

Sed mente, ſed voto, vobiſcum etiam navim conſcendo, jam caſtra & ſigna ſequor, claſſicoque excitor, multa mecum cauſam communicant. Vera religio ante omnia, quam Rom. Pontifice duce profiteor, quae amore flagrat. Princeps deinde, e cujus aulico grege, etſi abſens, numerus ſum, dum Auguſtae ejus parenti ſanctiſſimae foeminae inſervio. Amici praeterea, quos in diſcrimine ſaepe audio, & quid de illis agatur perpetuo timeo, & de te praecipue inter hos, ut Luna inter minora ſydera, conſpicuo. Tandem ſententia illa plauſu digniſſima, ſcilicet *homo cum ſim, nihil humani a me alienum puto.* Adſit Deus votis, teque longaevum ſaluti reſtituat, tibi otia faciat, ut ingenium

1 Reſponſio eſt ad *Lipſii* Centur. IV. Miſc. Epiſt. 26. & ad hanc reſpondet *Lipſius* Cent. V. Epiſt. 20. Quis vero & quantus fuerit in Hiſtoricis & Poëticis ſtudiis *Argenſola*, nos docet *Nicol. Antonius* Biblioth. Scriptor. Hiſp. tom. II. pag. 58.

nium tuum nobis affluat. Gratularis nobis in pace, ut ais, artes & ingenia colentibus. Quaeſo, mi Lipſi, ignoras nos aut ſimulas? nos muſas colimus? quibus ducibus? quibus praemiis? Virtus maximum praemium: fateor, ſed Lethargus nos tenet: Virtuti vale diximus, luxus & pecuniae vilia mancipia ſumus, utinam non cito timenda exempla. Caeterum virtutis rigidos ſatellites credi cupimus larvae & praeſtigiae tantum, pauci excipiuntur, & inter hos Doctor [2] *Bartholomaeus Laurentius* in Vetuſtiſſimo Caeſarauguſtano templo Deiparae vulgo de Pilari, Canonicus, Theologus latino graecoque ſermone peritiſſimus, Doctor *Bartholomaeus Morlanes* Juriſperitus, qui in eodem templo Regio fungitur ſacerdotio, florente aetate magnum ingenium virtutibus aequans, *Gabriel Alvarez*, ſacerdos e ſocietate Jeſu, veſtro *Andreae Scoto* notus. O qualis vir? in ſacris literis periculum ſi feceris, magnum theologum invenies, ſi in hebreo, graeco, latinoque ſermone, hebreum, graecum, latinum; ſed moribus has ſuperat laudes. Supereſt mihi Doctor *Dominicus Abengochea*, unus ex regiis judicibus a litibus judicandis, cujus literas cum his accipies, in eiſque ingenium judicabis. Haec lepidiſſima capita ſcripta tua admirantur, te ex animo diligunt & conſalutant. Ne dedigneris inter tam probos viros novitium amantem recipere, ejuſque audaciam audire: Filius eſt mihi *Gabriel*, qui nondum decimum quintum aetatis annum explevit, latinae, graecaeque linguae non ignarus, moribus candidiſſimis, puer meliori aevo, meliori patre dignus: Is me tuas literas legentem audiens, & patruos in eis a te ſalutatos, interpellavit aitque, mi Pater, Lipſius de me nec ullum verbum? nullum quidem, ego. at ille, tu de me ad Lipſium? ego? nullum. ergo a te injuria? quid inquam, ego, ad doctiſſimum Lipſium de puero, quid ain tu? a me amari, coli & ſuas avidiſſime lucubrationes amplecti; Sanusne es, puer, qui nunquam eas attigiſti? reſpondi: ille ſubridens aliquot epiſtolas tuas recitavit, nulla ſua haeſitatione, magnoque meo gaudio, uſus comico verbo, patriſſare eum exclamavi. Hos igitur ad te duco amicos, dextraſque jungo ſancta & non violanda fide. Tu, mi Lipſi, ſi *Dominico* reſcripſeris (omnino reſcribendum puto homini judici, probo, docto & amanti) Utere aliena manu, nam imperitiae noſtrae chyrographum tuum non facile negotium exhibuit. ama nos, doctiſſime Lipſi, & ſi vacaverit per te, vel per alios fac nos certiores valetudinis tuae, quam tibi corpori Neſtoream, animo, aeternam cupio. Vale, literatorum princeps. Caeſarauguſtae Kalen. Decemb. ∞ DCII.

2 De hoc vide *Nicol. Anton.* part. 1. pag. 154. duos ſequentes non reperio, nam *Gabrielem Alvarez Velaſcum* Juriſconſultum diverſum fuiſſe patet. *Gab. Alvarez* vero meminit, & amicitiae cum Lipſio cultae, *Alegamb.* in Bibliothec. Jeſuit. pag. 145. & *Witte* in Diario eum mortuum Ann. 1645. aetat. An. 80. ſcribit. *Dominici Abengochea* elogium eſt tom. 1. pag. 251. Bibl. Hiſp. ejus mox epiſtola ſequetur.

EPISTOLA DCCCX.

BARTH. LEONARDUS ARGENSOLA

V. Cl. *J. Lipſio* S. M. D.

Lovanium.

GRatias tibi ago, mi Lipſi, immortales acturus, quod tam ex animo & ſine parario in tuam nos amicitiam receperis, ut in litteris tuis, quas *Lupercius* frater noſter accepit, profeſſus es. Nec minor profecto tantum Virum decuit humanitas, a quo & laudari & amari jucundiſſimum, & beatum. [2] Gerionas nos appellas; nomen & condicionem accipimus lubentes. Tibi enim Herculi cedimus inermes, cedimus hilares Victori, imo incedimus ſacra cathemati Via. Trahat nos Eloquentiae praeſtantia Lipſius, Hercules alter Gallus

Quid quod lingua illi levibus trajecta cathenis,
Queis fiſſa facileis allicit aure Viros.

Quem ingenti Clava utraque armavit Philoſophia, & leonis exuviis. Haud miror equidem, quod tam praeclare Civem illum conſtantem agas, quem mire finxiſti: & in perturbata Repub. bellorum tempeſtatibus tu prope ſolus ſis in portu. Fructus enim doctrinae percipis aſſidue, eos nimirum, qui maximi ſunt, Imperatorum actis & Victoriis anteponendos. Nos Hiſpani, quibus gratularis, quod pace fruamur, quos quaeſo alios, niſi luxum, avaritiam, caeteraque pacis mala, quae in ocioſam Rempub. immigrare ſolent? Praeterea bella gerimus foris, ut a moenibus illa propulſemus, damna tamen eorum in nos ipſos graſſantur. Incendia, Vaſtationeſque veſtrarum Provinciarum nonne Hiſpano milite; Hiſpanis opibus peraguntur? legiones alimus, alias ſufficimus quotidie. Quare in eo ſtatu ſumus, ut nec ingenium, nec militiam colamus. Bella Muſas fugant, Ocium vires. Antiqua igitur tuta ſapienter aeſtimas, ſcilicet ut vel e conſpectu malorum tantiſper, dum priſca repetimus, animum avertamus. Ergo, ſapientiſſime Lipſi, fax publica cum ſis, inerteis explora tenebras, tibi enim uni ceſſare non licet, niſi in publica commoda pecces. Orbem doce, ut ſeſe agnoſcat. At aetas (ais) frigus & ignaviam habet: ſuavior in occaſu, quam in ortu Solis calor. Perge igitur *Muſarum* (ut de ſe ipſo cecinit Naſo) *purus*, *Phoebique ſacerdos*, & *hoc age*, noſque, qui jam ad tuorum numerum pertinemus, mutuo ama, & vale. Mantua Carpent. Ubi *Mariae* Auſtriacae Auguſtarum Maximae Sacra facio. Prid. Kal. Februar. An. CIↃ IↃ CIII.

1 Reſpondet ad hanc Lipſius IV. Cent. Miſc. Epiſt. 65.

2 Cent. IV. Miſc. Epiſt. 26. ratio, quia tres fratres concordiſſimi, ut Juſtinus lib. XLIV. cap. 4. fabulam Geryonis explicat. vid. *Nic. Anton.* in Biblioth. tom. II. pag. 59.

EPI-

EPISTOLA DCCCXI.

DOMINICUS ABENGOCHEA J. C.

V. C. *J. Lipſio ſalutem dico.*

Lovanium.

CLariſſime Lipſi. Mitto ad te de facie ignotum, ſed fama ſuper aethera notum: (cui enim non notus Juſtus Lipſius?) declamatiunculam noſtram, ut de ea libere, amice, & ſine fuco quid ſentias, pro ſumma tua humanitate, eximia virtute, & omnigena doctrina; ex animi tui ſententia, (qui probe noſti & ſcripſiſti iſtius loquutionis vim) judicium tuum proferas. Quod a te poſtulare, nec vereor, nec erubeſco, quinimo jure debeo. Tum quia addictiſſimus tibi & amiciſſimus V. C. *Lupertius Leonarthus*, Auguſtiſſimae Imperatricis Mariae a ſecretis, acutiſſimi profecto ingenii, & Hiſpanicae poëſis, & amoeniorum litterarum cumprimis ſtudioſus & eruditus, tuam mihi egregiam comitatem, humanitatem, & ſuaviſſimos mores commendavit; & ut hoc facerem, animum addidit & cohortatus fuit. Tum etiam, quia communis humani generis ſocietas nos, quaſi ſub eodem ſolo natos, quodam veluti patrio, & cognationis & ſanguinis jure, & propenſionis & benevolentiae vinculo, propter ſimilitudinem ſtudiorum, devincit. Quae, non aemulationem (ut Q. ille Euſtagius dicebat) nec invidiam (quod fabrorum eſt) ſed potius benevolentiam & amorem, inter candidos & vere ſtudioſos, & bonae indolis homines parere & conciliare ſolet. Etenim ſicuti ex admiratione coeperunt homines philoſophari, ſic erga ſapientes viros ſingularis quaedam & a natura inſita (naturaliter ſiquidem homines ſcire deſiderant) propenſio & benevolentia nos rapit, & in ſui admirationem trahit, qua nos totos in illorum gratiam & amicitiam dedere & inſinuari affectamus. Unde factum eſt, ut ſapientes viri ſtudio & deſiderio ſe ſapientiores viſendi, & cum eis familiariter converſandi, & ab eis naturae arcana & recondita ſapientiae ſuae ediſcendi & perſcrutandi, per remotiſſimas regiones, & per varia rerum diſcrimina, peragrare non dubitaverint. Ut de Pythagora, Platone, Apollonio Thianeo, & pleriſque aliis probe noſti. Quod etiam (ſi fas eſt noſtram indolem & ingenium in ſuſpiciendis & admirandis politioris litteraturae principibus viris, detegere) fuit in cauſa, ut ſuperioribus annis, cum mihi longum iter peragendum eſſet, & fere ad alteram Hiſpaniae oram (quae Oceano veſtro terminatur) tranſmigrandum, via recta excederem, & iter verterem ad Salmanticam, urbem inclytam & feraciſſimam ingeniorum alumnam, [1] ut *Franciſcum Sanctium*

1 Reſpondet Lipſius v. Centur. Miſc. 19. *Abengochaam* fuiſſe Senatorem Regium in Curia Aragonum diſcimus ex *Eryc. Puteani* Centur. 11. Apparat. novi Epiſt. 58. & *Nicol. Anton.* in Biblioth. Hiſpan, tom. 1. pag. 251.

2 Hic eſt Celeberrimus ille Grammaticus, cujus pleraque nobis invifitata ſunt opera & incognita, licet egregia, praeter Minervam, quam prius *Scioppii* & deinde Cl. *Perizonii* induſtria nobis fecit familiarem. vocatus fuit *Franciſcus Sanchez Brocenſis.* vide ſup. Epiſt. DCXXII. & *Nicol. Antonium* Bi-

ctium Brocenſem, Rhetorices & Graecae linguae profeſſorem viſerem, & de facie cognoſcerem, & cum eo aliquantiſper jucundiſſime converſarer, & de ſtudiis humanitatis ſuaviſſimos ſermones conferrem. Virum profecto prodigioſi ingenii in omni doctrinae genere, & in perſcrutanda antiquitate, & veteribus poëtis ad vivum interpretandis & enucleandis acerrimi judicii, & mirae dexteritatis. Qui certe cum ſtrenuioribus athletis in palaeſtra litteraria jure optimo certare potuiſſet, ſi non tam Criticus & *φιλεπιτιμήτης* videri voluiſſet. Nec mirum, quod cum aetate hoc noſtrum ſtudium, propenſio, & benevolentia erga illum, te, tuique ſimiles viros adoleverit; cum jam ab ineunte aetate mecum exorta, & aliquantulum provecta, per exteras nationes comes peregrinationis noſtrae, & aſſecla ſemper fuerit. Nam cum vix aetatis noſtrae viceſimum annum expleviſſem, exactiſque humanitatis & Rhetorices ſtudiis, ſub clariſſimis viris *Andrea Semperio*, & *Laurentio Palmireno*: & Mathematum, ſub *Hieronymo Munnoſio*, omnigenae doctrinae & linguarum omnium peritiſſimo: atque etiam utriuſque Philoſophiae & Theologiae ſub aliis doctiſſimis & graviſſimis viris (quibus Academia Valentina perpetuo floruit & floret) Salmanticam, juris civilis diſcendi gratia, me contuliſſem, biennio ibidem commoratus, vix ſatis animus & deſiderium conquieſcere aut ſaturari poſſe videbantur. Nam in Italiam quaſi fato, & neſcio quo impulſu adigi & propelli videbar: ut coepta ſtudia proveherem: & clariſſimos viros, qui eo tempore florebant, *Robortellum*, *Sigonium*, *Muretum*, *Manutios*, atque etiam utrumque *Baptiſtam*, *Giraldum*, & *Raſarium*, *Lucam Contillium*, & pleroſque alios cognoſcerem & audirem. Sed inter eos praecipui fuere [3] *Joannes Baptiſta Giraldus Cinthius* Ferrarienſis, & *Joannes Baptiſta Raſarius* Novarienſis, & *Lucas Contillius*, quorum conſuetudine & familiaritate, cum ſingulari benevolentia & mutuo amore conjuncta, fruebar, & toto quinquennio gaviſus & uſus fui. Quo tempore ſub utroque *Baptiſta*, qui humanioribus litteris & Rhetoricae Ticini, ſucceſſive unus poſt alterum, praefecti fuerunt, aliquantulum profeci. Quantus vero uterque fuerit in arte Rhetorica & Poëtica, & Graecarum litterarum peritia, edita illorum opera, & ipſemet integer *Galenus* a *Raſario* in latinum verſus, locupletiſſime teſtantur. Quorum domus (quid dicam de auditorio?) nunquam vacua repericbatur doctis & ſtudioſis hominibus de omni doctrinae genere conſultantibus, & ab illis quaſi ab Ammone, vel Dodona, oracula petentibus. Deus bone? quid ſi tantumdem

Biblioth. Hiſpan. Script. tom. 1. pag. 361. ubi Catalogum ejus operum Latino & Hiſpanico ſermone editorum habemus. Mortis tempus ejus ignoraſſe videtur *Nicolaus*, qui anno ſeculari MDC. eum LXXVII. annum egiſſe notat. Et tamen *Witte* in Diario ſuo, eo anno obiiſſe adfirmat. neſcio quo auctore. Meminit ejus cum laude Lipſius Cent. ad Italos Epiſt. LXXXIX. hoc anno ſcripta. nec *And. Schott.* in Biblioth. Hiſp. pag. 578. de morte commemorat. *Andream Semperium*, vel *Sampere*, memorat idem *Nicolaus* tom. 1. pag. 68. *And. Schott.* pag. 614. de *Laurentio Palmireno* vide *Nicol.* tom. 11. pag. 5. *Schott.* pag. 500. de *Hieron. Munnoſio*, *Nicolaum* tom. 1. pag. 447.

3 De hoc egimus in praefatione ad Theſaur. Ital. tom. VII. pag. 4. & adde *Ghilin.* Theatr. literat. tom. 1. pag. 98. qui & tom. 11. pag. 142. *Raſarii* vitam exhibet, & *Mercklin.* in Lindenio Renovato pag. 537. qui eum Ticini obiiſſe An. 1573. ait, cum *Ghilinus* mortem conferat in An. 1578. *Lucas Contilii*, vel *Contilis*, vita eſt apud eumdem *Ghilin.* tom. 1. pag. 154. obiit A. 1574. 28. Octobr.

Digitized by Google

dem ego eo tempore, vel nunc nanciſci potuiſſem? & ad te ire, te videre, & jucundiſſimo tuo conſpectu, & ſuaviſſimis tuis colloquiis frui & gaudere? Et ſapientiae tuae abdita, non inquam penetrare aut exhaurire (hoc enim pauci quos aequus amavit) ſed ſaltim veſtibulum ante ipſum conſiſtere, & primoribus labris delibare licuiſſet? Quid gratius? quid optabilius? & ad plenum gaudium & exhauriendam innatam ſitim & cupiditatem jucundius, aut glorioſius accidere mihi potuiſſet? Sed, proh dolor, officii debitum, & jurisjurandi relligio (quae nos quaſi in ergaſtulo & cum compedibus detinent) & negotiorum immenſa moles, & in jure dicundo aſſidua & perennis occupatio, qua diſtinemur, & fere obruimur, abeundi & adeundi commeatum vetant. Quod igitur abſenti officium praeſtare poſſum, te ſcilicet per epiſtulam affari, & de longinquo ſalutare, & tibi gratulari pro omni vita in glorioſis laboribus & ſtudiis conſumpta: & pro admirandis foecundiſſimi ingenii tui foetibus, quos de bonis litteris benemerendo, in communem omnium litteratorum utilitatem, quaſi oracula ſapientiae, quotidie edis: deque re litteraria te conſulere, & judicium & cenſuram tuam requirere, hoc praeſto, & ad hoc libentiſſime & ſumma animi propenſione ducor. Et merito hoc mihi, & omnibus ſapientiae, & tui nominis ſtudioſis tantumdem facere licet. Talem enim te natura creavit (patere laudes, quas ipſe *Benedicto Ariae Montano*, gentis noſtrae optimo, clariſſimo, & ſapientiſſimo viro, merito detuliſti: ad antidora enim tecum ago, tibique parem gratiam rependo) ut quae ſingula in caeteris hominibus mirari ſolemus, te unum univerſa conſequutum fuiſſe, imo ipſam ἐγκυκλοπαιδείαν perfecte abſolviſſe; & verum illud poëtae elogium oſtendiſſe, *Apparent rari nantes in gurgite vaſto*, merito affirmare poſſimus & debeamus. Ita namque (liceat etiam per te mihi Salluſtianum illud ad Caeſarem huc tranſponere. Procul eſte livor, & aſſentatio) aetatis noſtrae litteratos viros praetergreſſus es, ut prius defeſſi ſint homines ſcripta tua laudando, quam tu laude digna ſcribendo. Unde veriſſimum puto, quod apud divum Auguſtinum, aut quenquam alium aliquando legiſſe memini, quodque praeteritorum ſaeculorum monimentis ſatis comprobatur, Naturam humani generis, ut & aliorum omnium, quae ſub coelo oriuntur & intereunt, feraciſſimam parentem & procreatricem, ut ſuae foecunditatis, & inexhauſtae virtutis & omnipotentiae ſpecimen daret, & quaſi digito demonſtraret, (quale illud, quod de linea Apellis in officina Prothogenis ſubtiliſſime ducta, nullum amplius ſubtilitati locum relinquendo, ut mirabile artis ingenium oſtentaret, memoriae prodidit ſolertiſſimus ille naturae indagator) non ſolum inter muta animantia, prodigioſa quaedam & portentoſa: & inter μετέωρα phaenomena quaedam, grandia, inuſitata, inaudita, & admiranda quandoque produxiſſe: ſed etiam inter homines, ſucceſſivis temporibus, & per varias aetates & apud diverſas nationes, quoſdam procreaſſe & quaſi e foecundiſſimo ſinu in lucem protuliſſe, tanto ingenii acumine & foelicitate, & tanta judicii gravitate praeditos, & praeſtantiſſimarum artium & ſcientiarum peritia excultos, ut quaſi ſcientifica quaedam monſtra & portenta, nos in ſui, & opificis admira-

tionem rapiant, & quaſi extra nos ipſos abſorbeant, & abalienent. Atque id etiam videri poteſt (ut paulo majora canamus) quod de illis vere heroibus noſtris Moſſe, & D. Paulo in divinis literis celebratur, ſingulari Dei beneficio, inexhauſtae & incomprehenſibilis divinae gloriae, radium illis in transcurſu affulſiſſe. Sed ad rem noſtram, ad id forſan alluſiſſe videtur Regius Vates, dum nos divini vultus lumine inſignitos, praedicat; & quodammodo etiam inſinuatum apparet, in verbis divino ore prolatis, in formatione Prothoplaſti. Ut tanto magis divinae naturae eos homines aſſimilari intelligamus, quanto ſinguli in praeclaris & liberalibus artibus, divino munere, eximia quadam & admiranda ingenii foelicitate prae caeteris hominibus excelluerunt. Unde factum eſt, ut non ſolum eadem aetate, ſed neque diverſis, apud Graecos plures Homeros, plures Platones, Ariſtoteles, vel Demoſthenes; neque apud Latinos plures Cicerones, aut Virgilios; neque aevo noſtro, plures Lipſios pari ingenii foelicitate, extitiſſe comperiamus. Quorum ſcripta & litterarum monimenta, ad miraculum uſque ſuſpicimus, colimus, ſtupeſcimus & admiramur. Quid igitur mirum, ſi ad te divini fere ingenii virum tanquam ad Delphicum, ſive Dodoneum oraculum, & tanquam ad alterum Arcaeſilam, ſive Carneadem, de qualibet re propoſita ex tempore differentem, certatim homines concurrunt? & inter eos ego etiam tui nominis ſtudioſus, limatiſſimae tuae cenſurae haec noſtra ſcripta (forſan tanquam abortivum partum tumultuario editum: aut velut urſinum foetum informem, a te expoliendum, & quaſi lambendo, effingendum) ſubjicere & proponere ſatago? tecumque abſens, (qui coram nequeo) alloqui ſtudeo, teque quaſi e ſuggeſtu, audiendi occaſiones quaero? Sic tuos etiam te principes, eodem deſiderio flagraſſe, & ad te audiendum inopinato ad Academiam Lovanienſem aliquando acceſſiſſe, a noſtro *Lupertio Leonartho* accepi. Te vero gratulationis, & gratiarum actionis ergo, elegantiſſimam, & ληκύθοις delinitam, & vario doctrinae genere refertam, atque omnibus numeris abſolutam, extemporaneam diſſertatiunculam, de tantorum Principum incogitato adventu, majeſtate, heroïcis virtutibus, laudibus & encomiis, tanta dexteritate & facundia habuiſſe, ut qui te aſpicerent, ſummo ſilentio (quale venationi datur, ut dicebat junior Plinius) & alta quiete, qualis conticinio noctis ſolet (ut tu quandoque dicebas) ex ore tuo immotis oculis pendentes, & intenti ora tenentes καὶ πεπίσευθες, lacteum eloquentiae flumen audire viderentur; atque etiam priſcum illum *Florem illibatum populi*, *Suadaeque medullam*. Ut igitur eo unde digreſſus merito ſum, redeam, & deſiderio meo ſatisfaciam, teque conſilii noſtri & inſtituti admoneam, cauſam paucis libenter accipe. Sors mea tulit, ut inter alios Regios conſiliarios, qui juri dicundo in ſupremo iſtius Regni conſilio, & Senatu ſedent, ego etiam in ſyndicatu (quam artis noſtrae vocem Νομομαχίαν ad inſtar Μονομαχίας & duelli, quaſi legale certamen, appellare libuit; ſed an ſatis appoſite, tuum, ut in reliquis omnibus, erit judicium) villicationis noſtrae & anteactae vitae in magiſtratu, rationem reddere coactus fuerim, & quodam quaeſito colore & nonnullarum querelarum praetextu (quae ex multo-

torum ſententia πεμψήματα & a praetoria cenſura aliena videbantur: cum non ſolum labe concuſſionis & violentiae, (quae ſolum animadverſione digna) carerent: ſed nec leviores culpas officii noſtri redolerent: & majori ex parte muneris noſtri expertes eſſent, reus poſtulari & in judicium vocari, & honoris & exiſtimationis diſcrimen ſubire meruerim. Ego vero, licet ſingulari Dei beneficio & pietate, neque peccaſſe in officio, neque quicquam commeruiſſe ſat ſciebam, meque puriorem clavo putabam: ratus tamen neceſſario nobis concertandum, & colluctandum fore cum validiſſimo, ſtrenuo, & verſuto Agonotheta, cujuſmodi ille, quem junior Plinius Δυσκαθαίρετον vocat: & adverſus quem Apoſtolica illa praecautione & clypeo protegi, & muniri nos oportebat Ἐνδύσασθε τὴν πανοπλίαν τοῦ θεοῦ, πρὸς τὸ δυνάσθαι ὑμᾶς στῆναι πρὸς τὰς μεθοδείας τοῦ Διαβόλου· ὅτι οὐκ ἔστιν ἡμῖν ἡ πάλη πρὸς αἷμα, καὶ σάρκα, ἀλλὰ πρὸς τὰς ἀρχὰς, πρὸς τὰς ἐξουσίας, πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου. Veritus etiam, ne aut propter illius καταφρόνησιν, καὶ ὀλιγωρίαν, aut propter nimiam animi noſtri πεποίθησιν, ne, dum illum profligare confidebam, ejus aſtu, vel potentia (dolus, an virtus, quis in hoſte requirat?) in judiciaria palaeſtra, & lite ſuccumberem, & cauſa caderem. Ideo non contentus propugnaculis, & defenſionibus noſtris, quibus quod ad rerum geſtarum ſeriem & veritatem attinebat, ſatis proceſſus erat inſtructus; quia tamen claſſicum undique canebat, & perſonabat, ut ad audiendam ſententiam accingeremur; ſtatui, quaſi manum conſerturus diſtricto gladio, arripere calamum, & quatenus temporis anguſtiae permittebant, vepres, & dumeta reſecare, & tortuoſum, & ſenticoſum callem aperire, & viam juſtitiae noſtrae praemunire & patefacere. Et quia cominus, & viva voce cauſam noſtram defendere & propugnare non dabatur, ſaltim eminus, & ſcripto liceret. Et quoto gradu querelarum merita penderent, & quanti aeſtimanda forent: & jure ne, an injuria (quod credibilius erat) imputatae nobis querelae niterentur, atque ſubſiſterent, oſtenderem & demonſtrarem: & juſtitiae noſtrae imaginem, ſi non ad vivum, & quadam cum vivae vocis energia expreſſam, ſaltim in hoc noſtro juris reſponſo adumbratam, & delineatam ante oculos graviſſimorum judicum S. & Supremi conſilii Coronae Aragonum (unde ſententia indies expectabatur) proponerem, & repraeſentarem. Indidi autem opellae noſtrae, Declamatiunculae nomen; quod praecipue de rebus domeſticis, & quae ad mores noſtros pertinent, cauſa agatur: & in ea quaedam quaſi concertatio, & exercitatio noſtrarum querelarum, & exonerationum contineatur. Novo etiam, & parum uſitato apud noſtrates ſtylo, & ſcribendi genere, & aliquantulum grandiloquo, & uberiore uſus fui, ut quaſi in ſpatioſo campo excurrere liceret. Atque etiam praeter juris allegationes (ſine quibus loqui erubeſcimus) & praeter noſtratum authoritatem & fidem (quibus quaſi bellicis tormentis & munitiſſimo quodam praeſidio arcem inculpatae vitae noſtrae tutati ſumus) peregrinorum etiam authorum teſtimonia, & ſententias ex philoſophis, oratoribus, hiſtoricis, atque poëtis, & interdum ex ſacris litteris, petitas, opportunis in locis, meo judicio, inſerui, & collocavi; ut tam inconcuſſa fide, & tan-

to-

torum virorum authoritate (qua etiam noſtri J. C. utuntur) quaſi vallo quodam praemunirem. Et quia res, de qua agebatur, jejuna, ſterilis, inſulſa, & auribus ingrata forſan erat, aut videri poterat, jucunda quadam & amoena varietate (quae inter naturae opera nitet) ornata, quaſi opus teſſelatum, legentium animos alliceret, & oblectaret. Invenies autem inter alios plures temet ipſum pleriſque in locis laudatum: & tua authoritate, & luculentiſſimis teſtimoniis ſcripta haec noſtra ſuffulta & decorata. Sed an concinne, appoſite, & cum judicio, uti tam inſignem, & praeclaros alios ſcriptores decebat; an non magis, tanquam in nova aliqua veſte, pretioſas margaritas, gemmas, atque uniones perperam, inordinate, & ſine ullo delectu aſſutas, & velut centones quoſdam, valde ſuſpicor. Atque ſatis vereor

Ne ſi forte ſuas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat Cornicula riſum,
Furtivis nudata coloribus.

Et ideo (ut tuis verbis me protegam) mutire verbum non audeo in tam multos, in tam probos. Sed det imprudentiae veniam temporis brevitas, negotiorum immenſa moles, & improbus labor in dirimendis litibus exantlatus. Quae vix reſpirandi, & auram capiendi, & ad humaniores litteras divertendi (quibus tanquam unico ſolatio mirifice delector) locum, aut otii & laxamenti puſillum ſuppeditant. Tu igitur, mi Lipſi, errata, quae multa obrepſerunt, libenter condona, corrige, diſpunge, elimina. Sic enim fiet, ut opuſculo huic noſtro, quaſi ſub incudem revocato, & deterſis maculis renato, & redivivo, ex immenſo meritorum & laudum tuarum cumulo, honoris & exiſtimationis acceſſio aliqua fiat: & ſub tuo praeſidio & patrocinio, tanquam ſub Aiacis clypeo, iterum in lucem, detecta fronte, prodire audeat. Interim ergo foelix vive, diu ſcribe, & ſoſpes Vale, flos aevi noſtri καὶ φιλή κεφάλη, meque invicem ama. Caeſarauguſtae Celtiberiorum K. S. Decembris. A. CPI. ∞.ıɔcıı.

EPISTOLA DCCCXII.

J. LIPSIUS

Arnoldo ab Ameyde V. N. *Sereniſſimo Electori Colonienſi a Conſiliis.*

Coloniam.

LItteras tuas vidi libentibus ſane oculis, & in iis veterem erga me affectum recognovi. Gaudeo, & retinere hortor, & me pariter affici teſtor. Vidi & litteras docti viri, *Lazari Schöneri*, adjunctas, in quibus petit a te porro a me petenda: de quibus ſenſum meum breviter hîc habe. Ait in vita M. Aurelii a Guevara promulgata citari auctores, quorum libri hodie non exſtent. Nominat *Cinnam*, *Calvum*, *Sextum Chaeronenſem*: de duobus verum eſt, ex aſſe perierunt: *Sexti* hujus exſtare libros *Pyrrhoniorum*, & alia contra

Do-

Dogmaticos ſcripta, ſunt qui volunt. Indigitatur vulgo, *Sextus Empiricus*: ſed ſunt, ut dixi, qui hunc opinantur, & magni illius Plutarchi nepotem fuiſſe. Quod autem in praefatione *Guevarae* ait eſſe, de *Libris Auguſti Caeſaris decem*, argumento & titulo *Belli Cantabrici*, profecto ludibrium eſt, nec tu, aut vir ille doctus, latere eos in ulla Bibliothecarum putetis. Dii boni, quis theſaurum illum invideret publico, cum aeterna ſua fama vulgandum? Lubet hominibus ſic ludere, an nobis illudere: nobis dico, ſi qui creduli ſumus, & facile naſo ducimur a Sannionibus iſtis. mihi non evenit, nec eveniet: & videſne tralucere mendacium, cum eos *Colonia ad ſe veniſſe* ſcribit? Scilicet qui miſit, non intellexit, quid magnae hoc rei eſſet: ſi eſt, cur miſit? Si non eſt, profecto tenuerit, & rem ac famam fecerit ſuam. Inquirere hoc in Aula noſtra ulterius nunc non poſſum, quia illa abeſt, & Gandavi firmiter nunc moratur: at tu atque optimus *Schönerus* meae fidei credite, totum hoc fraudem & fucum eſſe: & res explorata dicet. An non ſimile jamdiu in Ciceronis *De republica* libris? cujus etiam *Conſolatio*, *& Orpheus*, ſic Deo viſum, nuper prodierunt, tam ab illo patre, quam a me nata. En, quod poſſum ſcribere: in eo fortiter affirmare & liquido, te a me amari; fac idem, & vale. Lovanii, poſtrid. Idus Decembr: ∞.ıɔcıı.

EPISTOLA DCCCXIII.

J. LIPSIUS

Everhardo Elmenhorſtio S. D.

Lugd. Bat.

QUod affectum in me, jam olim declaratum, ſervas & perſeveras, mihi gratum, & te dignum eſt, ſi Amicitiam non pro vulgo colis. Ego in te idem: & in magnum illum virum, cujus nomine tuis in litteris me recreaſti. O adhaere illi, carpe, trahe, tolle, quod in omne aevum juvet. Significas in Senecam eum habere: quis neſcit? daturum, ſi petam: nimis ſcio, & non peto. Cauſſas habeo: ſed tamen petam, & ἰυκαιρίᾳ utar. De *Jano Wouwerio*, juvit audiſſe ad honorem provectum: eo magis, quia pauci ejus generis, id eſt modeſti (talem noviſſe videor) & docti. Hoc nunc aevum eſt: vobis adoleſcentibus melius curret, neque ira Numinis Europam premet ſemper. Voveo, & te ſalvere, cum primario viro, quem dixi. Lovanii xvi. Kal. Febr. ∞.ıɔcıı.

EPISTOLA DCCCXIV.

J. LIPSIUS

D. Heremitae S. D.

Lutetiam.

NOn pro nomine tuo fuiſſe te video, mi Heremita, nec ſolitudinem amaſſe. Homines & loca plura vidiſti, & ſocietatem appetiſti eorum, quos

duces aut directores cenſebas ad bona & honeſta. Pulchrum tuum amorem! qui jamnunc meum conciliat: & vel abſentibus illis pararis, *Scaligero* & *Douſa*, quid abnutem? felicem te talibus conſortiis & colloquiis: & judicii bonum, qui inſulam illam magnam reliqueris, in qua ſimiles (nam pares ubi ſunt?) non erant. Etſi ſicubi ſimiles, imo pares, in urbe ſunt, quam ſedem nunc habes. Duos ibi nominas, ſane primores Galliae (de noſtris artibus loquor) jamdiu in amore & pretio meo. Noſce & fruere, atque etiam utere: & melior doctiorque ad nos redi. Redi, an huc revoco? ſuave ſit videre cives meos talium artium: ſed locus iis aut aeſtimatio apud nos quae nunc eſt? Heu Belgicam aliam! & heu nullam, paene dicam, ſi iſta ſic pergunt. milite adverſo, milite noſtro premimur, atterimur: nec bella, ſed ſeditiones adfligunt. Tamen vel ſic Belga Belgas ames, & miſerum fugiendumque hoc ſolum, niſi quia patria eſt. Siquid diſtincte ad me de rebus & deſtinatis tuis ſcribis, conſilium atque operam offero: illud fidum, & hanc promptam. nam de bonitate aut efficacia non praeſto. Praeſto hunc animum, nunc & olim in te volentem, volentia hac tua merito inductum. Lovanii, XVI. Kal. Febr: ∞. IↃCIII.

Ampliſſimo *Thuano*, & doctiſſimo *Caſaubono*, tuo commodo, ſalutem a me dicito, & amare.

Hic eſt *Daniel Eremita*, Diſcipulus Lipſii, ut ipſe profitetur in Opuſculis pag. 427. cujus opuſcula varia, edita ſunt a Cl. *Graevio*, & qui de ejus vita praefatus quaedam eſt Ann. 1701. ubi contra calumnias *Scioppii* defendit *Eremitam*: nobis mirum videtur, cur inter hos nefarios Apoſtatas (ita *Eremitam* vocat *Rupertus* in obſervationibus ad Beſoldum in Rodolfo II. pag. 636.) tam male convenerit. Epiſtolam etiam in Scioppium edidiſſe patet ex Amphot. pag. 34. *Eremita* vero a *Scaligero* commendatus *Caſaubono* Lutetiam cum veniſſet, ibi puriora ſacra ejuravit, quare ſaepe indignationis juſtiſſimae voces *Caſaubono* exciderunt. vide *Caſauboni* Epiſt. CCCXXVI. CCCXXXI, & CCCXXXII. & licet ipſe ſe excuſaret *Caſaubono* Epiſt. CCCXXXV. fictam fuiſſe Palinodiam *Caſaubonus* docet Epiſt. CCCLXXXIX. *Scaligerum* etiam graviſſime hanc labem tuliſſe, & furto ſibi ſexcentos aureos ab *Eremita* ablatos queſtum in Epiſt. LXXXVIII. *Colomeſius* in Clavi Epiſtolarum tradit: plura collegit diligentiſſimus *Baillius* in Lexico Hiſtorico-Critico. Mortuum eſſe ex lue Venerea traditur in Patinianis pag. 66. obiit An. 1613.

EPISTOLA DCCCXV.

ANDREAS CHIOCCUS

Medicus Veronenſis,

V. Cl. *J. Lipſio* S. P. D.

Lovanium.

QUod compellare te audeam ignotus, Vir Clariſſime, tua imprimis eximia, & celebris eruditio facit cum inſigni morum candore conjuncta, quae

1 Reſpondet Lipſius Cent. IV. Miſc. Epiſt. 66.

2 *Andreas* hic eſt *Chioccus*, cujus magnificum elogium habet *Ghilinus* Theatr. Literator. tom. II. pag. 76. & de cujus libro de Collegii Veronenſis Medicis & Philoſophis nuper egimus in praefatione Theſaur. Ital. tom. IX. part. VIII. pag. 14.

quae occulto veluti oeſtro ad amandum ingenuos Viros impellunt: Accedit eos amare artifices, qui Artes aliqua ex parte intelligunt: Mihi ſane nonnulla notitia, vel potius oblectatio non ſine ingenti admiratione ex tuis praeſtantiſſimis, & immortalibus monumentis: legi Politica, de Conſtantia, de Cruce, Saturnalia, Centurias tres tuarum Epiſtolarum, quarum poſtremam cum Magnitudine Romana donavit mihi nuper *Chriſtianus de Vuielae* Bruxellenſis, meus hîc in Arte cliens, & Amicus, (is Nepos [3] *Petri Vandeville*, qui olim Lovanii Philoſophiam in Collegio Falconio eſt profeſſus, quemque ait, tibi eſſe benevolentia conjunctiſſimum.) Umbras alii verborum, & litteraturae fucum in Humanioribus his ſtudiis videntur ſectati; Tu res ſolidas, & expreſſam Sapientiae, & Prudentiae imaginem ad Senecae, & ſeverioris Sectae normam affabre effictam paſſim promis, ut vere tu σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾷ: Quin in ipſa etiam Hiſtoria & Antiquitate percenſenda, atque illuſtranda Sapientiae, & Virtutis tuae ſpiritus & nervi Lipſianarum ἀρθρα τ φρενῶν ſe produnt cum eleganti, & vivida rerum, & verborum ſupellectile, & delectu, ut ſine controverſia magnus μύθων ῥητὴρ, κ πρηκτὴρ ἐργων attento lectori eſſe poſſis: Dicam ex animo quod ſentio; Videris Tu mihi, Vir Praeſtantiſſime, αὐτὸς οἱνὺς ὁ πεπνυῖς, major pars eorum, qui hactenus ſcripſerunt, κεχαράται κολιοὶ πεπαινὰ νεμόμενοι: Poſtquam enim corrupta docendi ratione exolevit jam uſus optimarum Methodorum, Inventionis & Diſpoſitionis, quas Plato, Ariſtoteles, & boni illi Veteres nobis reliquerant, inſurrexerunt Novatores nequam, & impoſtores garruli, qui Declamationibus, & ineptiſſimis nugis Dialecticam, Philoſophiam, Medicinam noſtram, quinimo & priſcam Religionem Patrum, & tot Conciliorum auctoritate firmatam, temerario conatu in dubium vocare audent; profecto κεχαράται κολιοὶ: At tu divino ingenio, praeter Virtutis lumina, quae ubique in tuis ſcriptis praefers, a poſtliminio antiquas etiam methodos revocas, & diviſione, & definitione vel minuta quaeque perſequens, πεῦρε μὶν, ut Menelaus ille Homericus, ἀλλὰ μάλα λιγέως. Sed cur te laudem Virum tota Europa laudatiſſimum, & celeberrimum? Neque ego forte ſum tanti, ut meo praeconio caeteris illuſtrior, tibi charior eſſe debeas, aut ut tantum mihi amicum hac ſane ratione merear conciliare: Id mehercle fateor, eo potiſſimum quod Medicus ſum; actione Medica ſatis diſtrictus, & proinde in diverſis Doctrinae caſtris enutritus: Sed excitaſti tu, & faces amoris animo adhibuiſti mirifica illa, & prolixa benevolentia, qua & Medicos complecteris *Mercurialem*, [4] *Coſtaeum*, *Vizanium*, atque alios eruditos, tum caeteros vel leviter Minervae Sacris initiatos: Si me in horum ſaltem album retuleris, qui tibi magnis obſequii, & amoris vinculis ſunt devincti, o me Felicem! Vetus dictum eſſe non ignoras, αἰνίσματι δ' ἀγαθοὶ ἀγαθῶν ὀπὶ δαῖτας

3 Non reperio eum in Faſtis Academicis *Valerii Andreae* pag. 265. ſed idem pag. 245. monuerat ſe omnes Paedagogiorum profeſſores non retuliſſe, nec etiam potuiſſe: ſed *Johannem Vandevillium* Tornacenſem Epiſcopum ex Falconis Collegio prodiiſſe ait *Vernulaeus* in Academ. Lovan. lib II. cap. 7. & lib. III. cap. 11. pag. 294. & *Valer. Andr.* in Faſtis pag. 192.

4 Ad hunc eſt Centur. ad Italos Epiſtola XXIX. ad *Vizanium* Epiſt. XXII. ad *Mercurialem* plures, & a nobis etiam nonnullae editae.

τῆς ἴασιν. Hoc ergo saltem nomine carus esse debeo, quod virtutis, amoris, amicitiae tuae fores, modeste tamen, pulso. De Morte contemnenda libellum a te olim promissum, & Senecam (qui emendatus quidem a *Mureto* prodiit, sed in quo tamen adhuc multa desiderantur) tua solida, atque acri censura limatum & Commentariis illustratum, quod te facturum recepisse ajunt, imo in tertia hac Centuria saepe palam polliceris, avide expectabam, cum Philarmonicis Academicis nostratibus, & Medicis, etiam nonnullis collegis meis Viris doctissimis, qui te in oculis, & ore assidui ferunt; quanquam existimo Typographos, & Bibliopolas Italos potius nostram expectationem fallere; Sed *Christianus* ille, si *Christianus* vere erit, non me fallet, ut est Juvenis probitate, & moribus humanissimis praeditus, qui vel ex Antverpia ipsa, ut complura ex tuis advehantur, se daturum operam est pollicitus. Vide quaeso, Vir magne, quo studio, & veneratione te omnes Itali colimus, & tamquam summum litterarum Dictatorem propemodum adoramus, ut vel ex hoc communis affectus praetextu non me omnino indignum amicitia, & benevolentia tua judicem. Scriptitavi & ego minorum gentium Auctor complura: nonnulla jam vulgata: Psorica versu Hexametro, Quaestionum Physicarum libri tres, Apologia pro *Fracastorii* nostri Siphilide contra *J. C. Scaligeri* censuram; De coeli Veronensis clementia, [5] De optimo Medico brevis nuper Dialogismus. Supersunt multa excudenda, sed in nonum adhuc annum premenda, μᾶλλον γὰρ χαλκὸν ὀρύσσειν ἀνδράσι θνητοῖσι (hoc enim libenter refero ad famam ex eruditione & scriptione in quolibet Disciplinae genere comparandam) ὁ δὲ Αἰνείας πάντα δύναται. In praesentia prae manibus habeo opusculum de animi humani immortalitate adversus *Petrum Pomponatium*, & Artem tuendae Sanitatis Methodo analytica per aphorismos dispositam, & explicatam, quae Illustrissimo Cardinali *Valerio* Episcopo nostro, & Patrono meo, qui de tuo ingenio, & Virtute honorifice loquitur, & sentit, nuncupare mihi decretum est, si Deus, & occupationes Artis dabunt: sum enim praeterea in Familia συνδιαιτικός, ut mihi ex Homeri praecepto saepenumero dispiciendum sit, ὅππως ἐν μεγαρεῦσι κακὸν, ἀλεγεινόν τι πύθηται; Interim post Hippocratem, Aristotelem & Galenum meum, interdum animi gratia in tua castra divertam; non solum ut explorator, sed etiam ut transfuga, dum solidae virtutis esca & sapientiae illecebris omnes mirum in modum detines. Vale; Vir Clarissime, & me tui studiosissimum, & amantissimum redamare ne graveris; Deum opt. max. obnixe precor, ut morbum illum gravem Hypochondriacum, de quo frequenter conquereris, quique ingravescente aetate solet mitior reddi, tibi mitissimum faciat, ac diutissime possis & litteras illustrare, & litteratos omnes, ut facis, juvare. Veronae v. Kalend. Aprilis CIↃIↃCIII.

5 Hic dialogus nec a *Ghilino*, nec *Merckline* memoratur.

Digitized by Google

[1]EPISTOLA DCCCXVI.

ANDREAS CHIOCCUS

Medicus Veronenſis,

J. Lipſio V. Cl. & Magno S. P. D.

Lovanium.

BInas Epiſtolas ad te praemiſi, Vir Clariſſime, cur tertia vereatur accedere? cum graeca fide Tabellarii noſtras perferant, ut non injuria ſuſpicatur *Chriſtianus* noſter, non erit forſitan ab re multitudine eorum fidelitatem aliquando elicere, aut excitare, vel frequentia compenſare raritatem. Nactus ſum nuper Epiſtolam *M.*[2] *Antonii Bonciarii* Viri docti, & percelebris, qui olim fuit *Mureti* auditor, nunc Peruſiae, tametſi aliquot jam annos caecus, publice litteras humaniores ſumma cum laude profitetur; In ea quid de Virtute, & doctrina tua ſentiat, palam & ingenue promit; Eam ex Epiſtolarum Latinarum volumine recens edito deſcribendam curavi, & tibi tranſmittendam, ut qua te veneratione, & amore Itali homines, quos aequus amavit Juppiter, proſequantur, ex illa facillime intelligas; nam ingenia illa bruta, & fulgurita, quae *ἀμπλακίαισι φρενῶν* in quemvis temere incurrunt, cur Lipſianae ſapientiae faſtigium vel tantillum permoveant? profecto *μεταμώνια, καὶ ἀίσχεα θηρίυσσι ἀκεόντοις ἐλπίσι*. Nactus etiam ſum Dialogum de recta pronunciatione linguae Latinae (opus mehercle ſubtiliſſimum, & elegantiſſimum) quem mihi accurate legendum propoſui: Quintum te profecto iis litterarum luminibus adjungo, qui in Epiſtolis tuis ſic excellis; verius forte dixerim, te unum inſtar omnium: nam ſuavitate & eloquentia Homerum, animi altitudine, gravitate, & preſſa docendi ratione (quod a Galeno noſtro ipſi tributum eſt) Hippocratem, rationum robore, & ſoliditate Ariſtotelem, Doctrinae varietate magnum *Scaligerum* refers, judicii acumine, mea ſententia etiam exuperas; Nec profecto unquam ex tuorum ſcriptorum lectione ſurgo, quin doctior, vel melior mihi videar evaſiſſe, quod etiam alii permulti tuae doctrinae, & monumentorum peramantes in ſe ipſis facile ſunt experti; Quare jam expletum vides votum tuum, & te vivo, & apud poſteritatem univerſam, dum utilia ſequi, & docere tibi ſcopum eſſe profiteris. De magni *Scaligeri*[3] Filio non ita ſentiunt Itali noſtri, quin ipſum tumore quodam ingenii, dum prae ſe omnes ridicule contemnit, & Poëtas optimos ſuo more emendat, in putidos errores incidere, ut *Mercurialis* noſter in variis lectionibus, & *Clavius* Mathematicus inſignis in re magis ſeria patefaciunt: a vera etiam, & avita religione ajunt deciviſſe, quo nomine apud Italos, & Hiſpanos peſſime audit. Eum

1 Reſpondet Lipſius IV. Cent. Miſc. Epiſt. 91.

2 Vide ad Epiſt. LXXIV.

3 Eadem fere effutit contra *Joſephum Scaligerum* in libro de Collegii Veronenſis Medicis & Philoſophis Sect. 1. cap. 14.

Digitized by Google

ego ſane, ut virum eruditiſſimum, & acerrimi ingenii, addo & Civem noſtrum, libenter amplector, quamquam Hiſtoricus noſtras [4] *Alexander Cannobbius*, longe *Sarayna* praeſtantior, in ſtemmate Domus *Scaligerae* a ſe accuratiſſime confecto, hos pro legitimis eorum ſucceſſoribus, qui Veronae rerum ſunt olim potiti, non agnoſcit: Mittam ſtemma jam editum, ſi tanti erit, & tibi, Vir Clariſſime, videre haud fuerit permoleſtum. Cardinalis noſter Illuſtriſſimus, & tui amantiſſimus mandavit mihi, ut ſuis verbis maximam tibi ſalutem dicerem, quod libens facio, & a te mirum in modum peto, ut ad ipſum aliquid litterarum dare ne graveris. Vale, Vir magnae, & celeberrime. *Valerinus* noſter hoc te [5] Epigrammate ſalutat, & omnia ſua ſtudia, & obſequia tibi ſponte, atque ultro devovet. Veronae Pridie Idus Februarii M. D. C. IIII.

4 Hunc nuſquam reperire potui, nec in *Onuphrii Panvinii* antiquitatibus, (ſed illo poteſt eſſe ſerior) nec in *Struvii* Bibliotheca Hiſtorica inter Veronenſes, nec in *Lippenii* aut *Konigii* Bibliothecis; nec alibi.

5 Hoc reperi Epigramma inter alia in laudem Lipſii ſcripta.

Haſtenus algentes urſas, aeſtiferique leones,
Serpentes, plura & monſtra habuere polum.
Verum ubi te ornantem omnigenis virtutibus orbem
Videre in terris fulgido ab axe Dei.
Mirati decus & praeclaras pectoris artes,
Scriptaque, & ingenii tot monumenta tui:
Monſtra ferasque parent properi detrudere coelo,
Et merita illa tibi tradere parte loca.
Teque ibi, cum Vitae curſum compleveris omnem,
Gaudebunt aſtris, Juſte, micare novis.
Tunc, precor, ipſe velis felici lumine terras
Spargere, tunc Atheſim viſere dexter ades.

Flaminius Valerinus Veronenſis.

EPISTOLA DCCCXVII.

JULIUS SALINERIUS

V. Cl. *J. Lipſio* S.

Lovanium.

LIbellus qui tibi verbis meis reddetur, is erit, de quo diu non eſt quod ad te literas dedi. cum elaboravi, vulgavi, non quî nomini tuo detractum vellem, ſed quî meum famae aliquantum inſererem. Non deprecor tamen ſi merui (ſed vix eſt ut non mereatur hujuſmodi ingenioli vir) tuam ſive tuorum inſectationem: nam ductu auſpiciisve tuis cadere, non inglorium duco, etenim

—— —— —— tu maximus ille es,
Unus qui nobis ſcribendo reſtituis rem,

&

Τὸν θεὶ μῶσ' ἐφίλησε.

Pleraque mendarum quae ibi animadvertes, typis, non mihi ſunt imputanda, qui

qui valetudine diſtrictus (qua utor non bona) Genuam me conferre non potui. Vale priſcae illae eloquentiae ſplendidiſſimum jubar, noſque ſeu victos, ſive ſpretos, e cultorum numero ne diſpungas. Savonae III. Kal. Mart. 1603.

EPISTOLA DCCCXVIII.

PETRUS SCRIVERIUS

J. Lipſio.

Lovanium.

SAlve Muſarum Hercules, ſalve Averrunce monſtrorum: Salve Antiquitatis anima, Juſte Lipſi. Nuper ad te literas meas frigidas illas & jejunas detuli, nunc iterum tibi moleſtiam creo, & defero ad te loca quaedam Martialis mei prodigioſe (ut mihi quidem videntur) corrupta. Opem tuam imploro. Me vide. (Seorſim hic in ſcheda habes.) Ad haec, Vir Clariſſime, velim mihi primo otio reſpondeas. Vix enim credas quantum interſit me citius iſtarum quaeſtionum certiorem reddi. Profecto jam nugas meas Typographo tradidiſſem, niſi eas electiſſimis tuis inſertis prius exornari cuperem. Rogo itaque te quaeſoque me per Epiſtolam doce. Dabis hoc amori in me tuo, dabis publicae utilitati, cui nihil negare potes. Tantum. Vale Muſarum Hercules, Vale Averrunce monſtrorum, Vale Antiquitatis anima, Juſte Lipſi. Iterum te rogo & obteſtor V. Cl. literas tuas ad me properes. Nihil moratur finem editionis meae, niſi quod ad haec a te doceri expectem.

Quid ſibi velit Martialis in his infra ſcriptis locis mihi non liquet. lib. I. Epigr. CXIV.

Et Stygias aequum fuerat pater ire ſub umbras.

Manifeſto βαῤβαρίζει. nam quae haec ſodes loquendi ratio? ego ſane, qui meus ſtupor eſt, non aſſequor. Si legatur *aequus*, fortaſſe rem factam habemus. *pater aequus fuerat ire*, Graeciſmus. πατὴρ δίκαιος ἦν ἰέναι. δίκαιος εἰμὶ φεύγειν. δίκαιος εἰμὶ εἰπεῖν quoties apud Platonem & alios legitur? lib. II. Epigr. XLVIII.

Haec praeſta mihi, Rufe, vel Bituntis.

Item lib. IV. Epigr. LV.

Haec tam ruſtica malo quam Bituntos.

Quid ſit juxta cum ignariſſimis ſcio. lib. eod. Epigr. LXXIX.

Invitas tunc me quum ſcis, Naſica, vocatum;
Excuſatum habeas, me rogo: coeno domi.

Quod Interpretes huc adferunt ἔδειν πρὸς ἔπος. Verte te in omnes formas, nullam bonam ſententiam elicies. Si alio vocatus eſt, atque alibi condixit, quomodo domi coenat? haec profecto pugnantia ſunt. Corruptum dico, & fidenter dico, mirorque neminem hactenus advertiſſe frigus atque adeo ἀνακόλουθον epigrammatis. lib. eod. Epigr. LXXXII.

Abſciſſa ſervum quid fingis, Pontice, lingua?
An noſcis populum, quod tacet ille, loqui?

Ab-

Digitized by Google

Abſurdum & hoc diſtichon. Nihil poſſum praeter variantes lectiones aſſcribere. MSS. quidam *fugis*, alii *figis*. Editiones primae *fugias* & *fugas*. nihil extrico. lib. v. Epigr. XIX.

Flammataeve togae ſcriptula tota decem.

Codex Anglicanus atque alii apud me ſcripti, *Flammarisve*. lib. XI. Epigr. XXXII.

Hinc cellarius experitur artes,
Ut condat vario vafer ſapore
In ruta folium Cappelliana.

lib. IX. Epigr. LXXXIV.

Me tibi Vindelicis raptum narrabat in oris
Neſcia nec noſtri nominis Arctos erat.

Quid? Arctos narrabat raptum aut mortuum Martialem? Ecquid hoc ad epigrammata, quae Norbano mittit? Nihil hac lectione abſurdius. neque hilum fere juvant membranae, in quibus eſt *moeſtus* & *Caeſar*. lib. X. Epigr. LXII.

Cirrata loris horridis Scythae pellis.

Sic optimae membranae, & ſic Gruterus noſter edidit. antea erat. *Scuticaque loris horridis S. p.* Quod ſpurium eſſe facile video, non item quomodo emendandum. Subeſt magnum mendum. Attendamus. Quomodo pellis, ſi cirrata loris? nam lora ipſa pelles. quippe μάστιξ, de qua hîc intelligendum, erat ſcytale; non pellis cirrata loris. Corcyrea vero maſtix lora oſſiculis diſtincta habebat, quae crudeliſſima verbera infligebant. lib. XI. Epigr. XXIX. Exſenſum totum & meo judicio valde diſtortum.

Invaſit medicus ſica freneticus Eucli,
Et praecidit Hylan. hic puto ſanus erat.

lib. eodem Epigr. XCII.

Aeolidos Canace jacet hoc &c.

Certe ſi ſanum mihi ſinciput, non hoc ſanum eſt, neque *Aeolidôn Canace*, quod alii codices ingerunt; nec etiam *Aeolis heu Canace*, quod alias legitur. lib. XI. Epigr. IV.

Scriptus & aeterno jam primum Jupiter auro.

Varias admittit hic verſus interpretationes. quae vera ſit a te doceri cupio. Doctor eruditiſſime. Nodos vides. age, age, V. Cl. tu eos ocius Tenedia ſecuri diſſeca. Plures alios eſſe ſcio vindice etiam dignos, ſed hoc tempore hi tantum ſuccurrebant. Lugduni Batavorum. Ipſis Kalendis Majis. cIↃIↃcIII.

Notae V. Cl. (ſub nomine Tironis & Senecae. eorum tamen eſſe ne ipſa Suada mihi perſuadeat. A Chriſtiano quodam compoſitas aut ſaltim auctas pluribus alibi oſtendo.) quas edi volebas cum de Notariis ageres, editae ſunt a *Jano Grutero* una cum inſigni illo Inſcriptionum volumine. Abſolutum hoc eſt; abſoluti & Indices. quid multis? totius Antiquitatis Theſaurus prodiit. quem nunc his oculis video, his manibus tango. Deus bone quantum ego lectione iſtius libri profeci! Tribus annis in Schola non tantum didiciſſem quantum hîc tribus diebus.

EPI-

Hanc epiſtolam edidit quidem *Ant. Matthaeus* tom. VI. Analect. pag. 411. ſed ſchedam non adjecerat, quare hîc utramque exhibuimus.

EPISTOLA DCCCXIX.

JIRMEIAS PIERSSENAEUS

C. V. *J. Lipsio* S. P. D.

Lovanium.

CRedo te meminisse, V. C., temporis (tres vel circiter anni sunt) quo te, cum *Leone Meyero*, D. Pharahildis apud Gandenses praepositio dignissimo, compellans, me tibi stiti, tuaeque amicitiae insinuavi; saltem id studui. Neque enim quondam discipulus, vel auditor tuus, animum meum potuissem inducere, te, post peregrinationes meas, non revisere. Quî enim vel tui, vel beneficiorum tuorum oblivisceror? per quae gratus acceptusque vixi apud exteros, atque nunc apud meos. Cumque tunc mentio incidisset Poëmatis mei gratulatorii, in Ingressum Principum nostrorum in urbem Gandam (in quo omne oleum operamque perdidi) nec non Odae ad Senatorem *Assonlevillium*: quam (legeras enim) probabas: neque vidisses illud alterum, illius me tibi copiam facturum pollicebar. Feciseemque (nisi diligentia *Meyeri* praevertisset meam) comite Elegeia: quam etiamnunc mitto, cum alia; quae postea eidem adgnata est. Misissem autem citius, nisi negotiosa aliquot mea negotia (quibus ne nunc quidem me explicui) & timidus pudor impediviſſent. Utramque divina tua merita expresserunt, & in me immortalis illorum memoria; miserumque & ingratum hoc aevum. Tam grata quaeso fronte eas suscipe & perlege; quam ego illas mente. sed conniventi oculo. Involutus enim quottidie litium tricis, vulgo consulendo, respondendoque operam meam locans (miserrima pro ingenio meo conditio!) nunquam fere otium suppetit, horulam unam vel alteram dare amoenis illis Musis; quarum consortio nihil animo meo jucundius. Nam, si ignoras, post ductam Gandae uxorem, Curiam illam Provincialem reliqui, ob Advocatorum odiosam, damnosamque multitudinem, atque Ipras migravi, ubi eodem fungor munere. Lucrum fateor istius causa fuit: sed ut haec tempora sunt, magis rei familiaris sustentandae, quam saturandae cupidinis. Supereſt ut (post devoti animi mei, operarumque mancupationem) confidenti audaciae meae parcas, adnumeresque inmeritum numero tuorum. Vale. Ipris Flandror. 1603.

ELEGEIA I.

Quantum in terra hominum degit, doctissime Lipsi,
Et penitus totis pectoribus sapiens:
Antiquae, *Lipsi*, *mellita medulla* Sophiae,
Et Fax Antiquae *clarior* Historiae;
Ignoscas rudibus, mea quod temeraria, verbis,
Ausa fiet laudeis mens temerare tuas.

Nam mihi ſi linguae centum licet, oraque centum
Sint, que meis Pythus inſideat labiis,
Nil faciant mundi tantum ad decus extollendum;
Non te ipſe ad citharam cantet Apollo ſuam.
Quis diae digne mentis caeleſtia dona,
Atque ſacra ingenii tot monumenta tui,
Laudarit ſatis? & meritis tua laudibus aequet
Nomina? non ullo deperitura die.
Tu veterum inluſtras nobis oracula vatum,
Inſcitiae obſcuris tecta prius tenebris:
Per te barbaries totum horrida ſparſa per Orbem,
Diu miſere adflicto heu! exſulat a Latio:
Per te iterum imperii pereuntis ſceptra potitus
Laurea, cum citharа, Phoebus Apollo ſui:
Per te iterum reduces nobis, mea Numina, Muſae,
Per te ad eas nobis commodiorque via eſt.
Hinc tibi paciferae, victricia praemia, laurus
Ornat divinas, innuba ſerta, comas.
Per te habeo, Lipſi, neque noſtra haec ultima laus eſt,
Eſt quodcumque mihi mentis & ingenii.
Quare hoc quantumcumque mei eſt, tibi ſerviat uni.
Et merito: juris eſt etenim omne tui.
Hoſce tuo natos igitur de ſemine fructus
Conlege. ſaepe meo at res dolet una animo;
Quos tibi nunc mitto Ingenii, mea carmina, foetus,
Hei! nimis indignos eſſe tuis oculis.
Sed ſint qualeſcumque, Deis placuiſſe videbor,
Haec mea ſi veſtro grata ſciam eſſe animo.
Nam mihi te primo digito tetigiſſe ſatis ſit,
Et Lipsi heic nomen effigiaſſe mei.

II.

Lipſi, cujus ab ore favos atque Attica mella,
Nectarei inbuto fluminis ambroſia;
Perpetim inoffenſo fundit Dea Suada fluore;
Seirenum ut dulcem pſallere rere chorum,
Neſcio, ut hoc aevum eſt; an res felicior ulla,
Et reliquis melior ſit, didiciſſe minus;
Quam volgo ſapere altius, & ſapientiae alumnus
Dicier, & totum huic adplicuiſſe animum:
Quam mentis deforme chaos, & inutile molis
Corporeae, ad numeros erudiiſſe ſuos:

Quam

Quam didiciſſe avidi deſideria improba cordis
Frenare, & queis ſint haec moderanda modis:
Qua ratione animi deferveat ardidus ardor,
Fulmineis irarum indomiti facibus.
Non ullo inflatae mentis turgeſcere faſtu,
Nec vanis capier corporis inlecebris:
Contentus ſuo at, hoc quodcunque eſt tranſigere aevi,
Integer, & purus omnigeni ſceleris.
Nullius aut odio, inlicito aut tabeſcere amore,
Libero ab infelici ambitione animo:
Neutrum fortunae inſtabilem exhorreſcere voltum,
Sit licet hic triſtis, qui modo laetus erat:
Verum Socraticis inſtructus pectora cartis,
Multiſcii armatus ingeniique opibus;
Virtutum aeternis balantis floribus; omnia
Invidiae & magnae pellere tela Deae.
Atque ita ad immortale decus ſibi, & aurea templa,
Fortiter inmota mente aperiſſe viam.
Quae omnia, Juſte, tuo divino e pectore prompta,
Caelica jam diu Conſtantia *nos docuit;*
Non umquam laudata ſatis neque lecta; Sophorum ut
Cunctorum evolvens dia magiſteria.
Nam licet ipſa animum ſapientia, ſuadaque linguam
Poſſideant: ſociis laeta cupidinibus,
Te & Venus, & Charites, & Muſae, & Phoebus honeſtent;
At tibi ſola abſit Regia Juno comes:
Non modo non miraclo eo eris, neque gratior ulli;
Aethereo ut terris numen ab axe datum:
Verumetiam ſtolidis deridiculus magis, atque
Paene omni humano ludibrium generi.
Talia ego inlacrumans noſtra haec mala tempora, Lipſi,
Dequeror heu! triſti non ſine condolio!
Tempora, ab ortivo quae ubivis male turbida Sole,
Uſque ubi is occiduis mergitur aequoribus;
Miſcent funeſtis rediviva incendia flammis
Bellorum, heu! noſtri peſque, caputque mali!
Quod jam continuo, terdenos amplius annos,
Sanguineo Belgi viſcera dente vorans;
Infera mutavit ſuperis, divina profanis:
Atque eodem cenſu faſque nefaſque putans;
Saepe dedit patriae heu! oblito, cum Principum, Amore,
Hoſtica fraternis volnera pectoribus.

Hinc ea progenies morum prognata malorum,
Artium &, infernis edita feminibus;
Ubertim ſubcrevit; ut ad vitrei vaga rivi
Flumina, vel ſalices vel rigua herba ſolet:
Quae has noſtras Pacis expulſum abit, atque oppreſſum,
Nec ſuperat miſeris qui ferat auxilium.
Nullus Maecenas ſtudiis qui ponat honores,
Aurea Phoebeae aut praemia militiae.
Nullus inacceſſo bifidi qui vertice montis,
Ejectaſque ſacro nunc Helicone Deas,
Reſtituat ſalvas, & regnis reddat avitis
Otia laurifero Muſica ſub nemore.
Et ſine te foret, illarum jam temporis aetas
Deleſſet nomen, brutaque Barbaries.
At melius voluere Dei, qui te, cate Lipſi,
Mactare hoc unum te voluere bono:
Tecta tua hoſpitibus ut ſint habitacula Muſis,
Aeternumque animus Palladis hoſpitium.
Utpote qui cunctas patrio procul orbe vagantes,
Tantaque non ullis numina tuta locis;
Sollicite adſiduus veſtigatum iveris ultro,
Servariſque animas omnium ab interitu.
Jure igitur, Lipſi, tua, Laurea ſerta coronant
Querceaeque, & victrix tempora docta hedera.
Vitaleſque tuis meritis ſe ubicumque fatentur,
Ipſo cum Phoebi numine Pierides.
Quare etiam devota tuae ſacra Numina famae;
(Quae ivit ad Eoos, ivit ad Heſperios)
Grata; tuum Nomen, Merita; & Studia omnia Divae
Scalpſere aeternis Mnemoſynae in Tabulis.
Quae tibi, donec erit Phoebi venerabile Numen,
Fatidicuſque fluet Pegaſeae humor aquae,
Omnibus ingratis, apud omnes clara cluebunt;
Tantillum ad Phoebi qui ſapiant Genium.
Cumque ſalutârim, licet ipſo à limine tantum,
Te duce, Muſaeas, Lipſi, Heliconiadas:
Ex illoque tuus ſim mancupio; haſce querellas,
Muſarum, atque meo nomine ego exſolvo.

Devotus Illuſtriſſimo tuo Nomini &
Gloriae, Jirmeias Pierſſenaeus.

Reſpondet Lipſius IV. Cent. Miſc. 68.

EPI-

EPISTOLA DCCCXX.

FRANCISCUS TREGIANUS

Cl. *J. Lipsio* S. P. D.

SPerabam equidem (amate merito & amande Lipsi) citius me reversurum fore, & te Musasque meas revisurum. Sed adhuc in fluctibus Aulae, cymba fragili, haud secundis ventis navigo; nec quando vela dabitur contrahere, scio. Quippe qui aurea eloquentia (quae hîc pollet maxime & potest maxima) destituor. Sic cum Aeolide saxum volvo & revolvo: respirandique tantum datur tempus, dum Vatis mei Musa personat. Sed & vix illi hora una aut altera impenditur, coelestiumque dapium delibo dulcedinem; cum ecce tot Harpyarum instar catervatim agmina sodalium involant: trahunt, abstrahunt, distrahunt, & tantum non discerpunt. Sic miser ego renuens renitensque, veluti infans esuriens a lactiflua mamma divellor. Et nunc equos, ludos, jocosque; nunc Aulam, aulaeque Idola puellas invisimus. Ubi nunc caeci pueri (potentis hîc Dei) tela depingimus, bella describimus, triumphos extollimus; nunc aniles naenias & feriantium poëtastrorum figmenta, Arthurum, Amadim, Primaleonta, Bevisum, Bandalum, Dianam, Armidam, Floridam, & hujuscemodi pestes & corruptelas juventutis sitientibus, ne dicam prurientibus, ad has ineptias juvencularum auribus relegimus, infundimus, instillamus. Et his vanitatibus adeo sunt attentae & intentae, ut expuisse scelus sit. Ad singulos quosque conceptus plaudunt, &, O divine dictum! & nonnunquam verborum lenocinio non captae, sed raptae, ita stant attonitae, ut Niobes putares. Heu quanti vitrum! & nihili margaritum. Nihil sobrium, nihil doctum, nihil utile, nihil verum. Ita pessimus ille mos invaluit, fabellas potius quam historias amplecti, & falsis magis quam veris delectari;

— — καὶ βροτῶν φρένας
Τ' πίερ τὸν ἀληθῆ λόγον
Δεδαιδαλμένοι ψευδέσι ποικίλοις
Ἐξαπατῶντι μύθοι.

Et ab his nugis vix ullae induciae. Sic inaestimabiles (licet vulgo non aestimatae) temporis divitiae abliguriuntur, inutiliter, futiliter, & vix unquam non peccabiliter. Et tamen ad haec ab amicis impellimur: & renitentes non tantum irridemur, contemnimur, explodimur; sed de amicitia actum videtur, nisi cum pueris iterum repuerascimus, & cum insanis insanimus. Heu qualem vitam! Nauseat equidem anima mea super cibo isto leviissimo. Sed quoniam (ut cum Apostolo loquar) & sapientibus & insipientibus debitor sum, ne Catonium affectare videar, ut ut fero, aut ferre simulo; & ne amicorum, temporis jacturam patior. Ecce tamen furtivis horis Eclogam hanc funebrem super obitu Illustrissimi & Reverendissimi foelicis memoriae Cardinalis *Alani*, quam olim Romae pio Epicoedio deflevi, jam revisi, relegi,

reſcripſi. Quam a te (mi Chriſtiane Varro) ſi tantum mereor, etſi non tantum mereor, pro otio tuo non amantis, ſed Judicis oculo perlegi & cenſeri cupio. Unum id ſcio, juvenile ſapit; ſicut & illae in fine libri nugae, puerile. Quae ſi etiam legas, habebis ut rideas, forſan & irrideas. Sed in illo aevo quid non ridiculum gigni poteſt? & bene, ſi non monſtrum. Itaque etſi non opus, aetas ſaltem veniam merebitur, etiam apud rigidos Cenſores; magis, te amicum. Indoctis certe olim placuit; cuperem & doctis. Illis ſiquidem placuiſſe nulla laus eſt; his & praemium. Legas igitur & cenſeas rogo; uti inimicus, ſcrutanter; ut amicus, libere. Vitam quippe Illuſtriſſimi Domini mei amicorum ſuaſu edere feſtino. Cui hanc Eclogam una cum planctu (quem nuper legiſti) iterum cudendo, inferam. Haec de meis. Quod ad res attinet publicas, gradiuntur lente, non lente feſtinant. Et vereor ne Epimethei noſtri cunctando (ut ſolent) non rem reſtituant, ſed perdant. Orator hic Iberus ſemper eſt ituriens, non adhuc progrediens: & quando, neſcitur. Sic (non ut ille Macedo) omnia differunt; & crinita fronte neglecta glabrum calvi ſenis occiput arripiunt. Nec ſui commodi, nec hoſtilis incommodi tempus norunt.

Νήπιοι, οὐδ' ἴασιν, ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντὸς,
Οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ.

Dicam ſane quod ſentio. In tota hac Boeotica ſylva non video lignum, ex quo aut Phoebus fiat, aut Mars. Quis tum Deus? forſan ille hortulanus; aut ille Sandalii Cythereae culpator. At videri tamen volunt ex ipſo Jovis cerebro deſtillatos. Foris Catones, intus Nerones. At me reprimo. Sparguntur hîc rumores varii. Numeroſum exercitum, & Hippogryphontaeum equitatum jam Cottia juga ſuperaſſe. Nec non ingentem (vereor ne illi Dudonicae ſimilem) parari claſſem; quae Quitoinis armata glebis, per detriumphata toties coerula, Neptuno fuſcinam minitetur eripere. Forſitan, ut terrore belli pax utilior extorqueatur. Si hoc, bene: ſed adhuc nec bene geſta ſunt bella, nec icta ſine damno foedera. Adhuc natatilis illa machina non natat. Deeſt quidquam, ut moris eſt. Et novus obex praerupto aquae monti opponendus eſt. Omnis in illa ſpes Danaum. Quae ſi cadat, cadimus; ſi ſtet, erigimur. Et jam pro Coronide, ſeditioſis unico flatu proſtratis; Caſtrum illud, in quo impius olim filius dejectum ſolio Patrem captivavit, a Solis circulo faede deperditum, verbis non tantum cingitur, ſed & capitur. Sed ſatis notus eſt fumus virentis eorum ligni, nec niſi tarde, ſi unquam, accendendi. Qui, (inverſo verbi ordine) micant ſaepe, ſed non feriunt. Et parturiunt ſemper, nunquam pariunt. Sic eſt quod dubitem, ne tanta haec tonitrua in pluviam reſolvenda ſint. De Tyro maris domina quae audio, haec ſunt. Spes omnis ſalvi reditus, & ſecuri ſeceſſus in ventos abiit. Iterum illi parant verbera, & nos, humeros: tormenta illi, nos, patientiam: illi mortes; & nos conſtantiam. De me, certe: Stat nec ire, nec redire intuto. Non quod periculum refugiam, ſed quia ſolus cadere nequeo, meoque caſu multos obruam. Mihi equidem omne ſolum Patria eſt: nec me tanta dulcedine natale ſolum du-

ducit, ut immemorem non ſinat eſſe ſui. Omnes boni, parentes mei ſunt: nec fratrem carne, ſed virtute aeſtimo. Ubi illa regnat, domi ſum; Ubi illa non regnat, quamvis domi, exul ſum. Ubi Deus colitur, & recte colitur, illic ſedes, & patria mihi ſunto. Domini eſt terra, & plenitudo ejus. De captis, quae nuper tibi retuli, nimis vera ſunt. Etiam ille noſtras, ſymmiſta tuus captus eſt; non tamen carceri ſed fidejuſſori traditus; quod nonnihil & matris & conjugis lachrymas ſoletur. Quid de illis fiet? peſſima timentur; & quid ni a peſſimis? Sane de dulci ex arbuto fructu ſpem inanem paſcimus, & niſi ille Ζευς ὑψιβρεμέτης, Qui

Ῥεῖα βελαίει, ῥεῖα ϑ' βελαίοντα χαλίπτει,
Ῥεῖα δ' ἀείζηλον μινύθει, κ' ἄδηλον ἄεξει,
Ῥεῖα ϑ' τ' ἰθύνει σκόλιον, κ' ἀγήνορα κάρφει,

Opituletur; Actum eſt: & ruimus. Credo tamen & alios cum noſtra ruina ruituros; Qui & noſtrae & ſuae cauſa ſunt, ſi ruant, Quibus timeo, ne idem contingat, quod olim ranis a milvo. Etiam Tullius ille noſter, qui Octavium evexit, expectato fraudatus titulo, non ridet. Non opto, illi accidat, ut illi. quamvis utrique merito, & immerito. Sed tanta ſemper timetur potentia. Et quia timetur, oditur. Potuit evehere? poterit dejicere. Et cui propter magnitudinem beneficii rependendo non ſimus, ne exproperet, tollendus eſt. Sic Baſilius ille Macedo ingratiſſimus mortalium, in vitae ſervatae praemium, cui vitam debuit, vitam abſtulit. Sic cum Juliano illo perdito patriae proditore, egerunt Arabes. Sic & nuper. Sed dictum tibi ut ſapienti ſat eſt. In urbe Regia Dea Lua debacchatur. Atque ita ad arcem periſcelidis famoſam myſtis aulica proceſſerunt caſtra, ubi conviviis, ludis, tripudiis, & ferinis bellis dies noctesque teruntur. Interea rumores de unione ſeu mixtione Arabum & Iberorum, vulgantur; imo & eduntur libri. Violenta haec nimis, idcirco non diuturna. Dantur, venduntur, proſtituuntur, officia, praeſidia, regimina, vilibus, mendicis, & tamen ſuperbis Arabibus. Hîc tamen etiam Divorum Ariſtarchum agit. Heu quam vereor ne hic illi ſimilis haud futurus ſit, qui Celes in Olympiis coronam meruit:

Θυμιῆιον ὃς ἀμφέπει
Σκάπτον ἐν πολυμάλῳ
Σικελίᾳ, δρέπων μὲν
Κορυφὰς ἀρτᾶν ἀπὸ πασῶν.

Det illi Deus hoc ultimum, & illud primum, praeſtare. Sed epiſtolae modum exceſſi. Attamen quia nec laeta nec jucunda retuli, inſipidas has dapes admirandi miraculi narratione condiam: Quam hîc tibi pro bellario apponam. Res nova eſt & prodigioſa; atque ab orbe condito nihil ſimile eveniſſe, legi. Author mihi eſt Reverendus in Chriſto Pater *Franciſcus Tellitſonus* Presbyter Anglus, oculatus teſtis: Cujus veneranda canicies, & quindecennia vincula pro fide Catholica perpeſſa, fidem, ſi non exigant, ſaltem merentur. Nuper ipſummet narrantem audivi: Autographumque Anglice breviter a ſe deſcriptum, ſuoque nomine obſignatum, in rei teſtimonium penes me reliquit. At

rem

rem aggrediar. Locus eſt in Northumbriae Comitatu, Glendalia dictus. In eo pagus Doddingtonium. Illic viduata viro paupercula, unica ſibi filia *Aliſa*, in ſolitudinis ſolamen relicta, degit. Haec plenis nubilis annis, dum hinnientium procorum alloquiis, pluries quam virgineo par erat pudori, titillatas aures blande praeberet, a genitrice ſuae prolis ſollicita ſaepius atque acrius reprehenditur. Illa nihilo correctior (quae ejus eſt aetatis levitas, & ad Cypriae dapes optandas proclivitas) nec monitis coërcita, nec minis territa, ſueta iterans & reiterans conſortia, juventae laſciviis nimis indulgebat. Forte Redemptoris Epiphania celebrabatur; quo tempore pravus ille mos inolevit, ſingulas familias inter Bacchi cyathos ſibi Regem ludorum eligere. Aderat his ludis *Aliſa*; & relicta domi matre, uſque ad Galli conticinium cum notis amaſiis jocatur, convivatur, tripudiat. Supervenit vetula, & natam avocat, avellit, abſtrahit: miſcenſque jurgia, ut laſciviam arguit, utque monitorum matris incuriam objurgat. Illa aegre ab amato ſodalitio divulſa, pone ſequitur, fremens, indignanſque. Utque domus tetigit limen, horrendis vocibus parentem execrata, illi mortem (proh ſcelus!) a malo Genio imprecatur. At audi deſuper de coelo vindictam in impiam illam immiſſam. Vix verba ex ore ſacrilego protulerat, cum in extaſim rapta in terram corruit, formidando ejulatu vicina circumſonans. Accurrit mater, vix ipſa ſui compos, & dolendo conſpectu quaſi fulminata obſtupeſcens, ſuper ora jacentis natae ſe projecit; aratas rugis genas lachrymarum imbre guttatim humectans, & O filia, &, me miſeram, ſingultienti prae dolore voce congeminans. Advolant vicinae audito ſtrepitu, matremque natamque gementes erigunt. Illa in ſe reverſa continuis planctibus inauditum natae caſum ingemiſcens bienni tandem tabe conſumpta eſt. Haec in lecto locata per viginti & unum annos integros, nec cibum ſumpſit, nec liquorem hauſit, nec membra movit, ſenſuſque & rationis impos, tanto tempore, in eodem lectulo, quaſi ſuo funeri ſupervivens cadaver, elanguit. Quo toto ſpacio impenſa illi publica cuſtodes dati; bini diu, noctu totidem; qui vigiles eventus aegritudinis ſingulos teſtarentur. Accidit hoc ſexto Januarii die Angliae ſceptra gerente *Elizabetha*, ejus regni anno ſexto decimo, aut circiter. Ad tanti famam miraculi tota Anglia obſtupuit; atque ex omnibus inſulae partibus nobiles, aulici, & plebei convolant. Etiam medici periti quique ad indagandam inſoliti morbi cauſam adveniunt. Inſpiciunt, ſcrutantur, admirantur, & ſe neſcios victoſque fatentur; Deique juſti peccatorum vindicis laudes conſona voce decantant. Illa interim paulatim tabeſcens, nullo prorſus cibo, nec potu refecta, veluti nix repente Sole liqueſcebat. In tantamque redacta eſt maciem, ut per uterum jam haerentem dorſo, quaſi & iliis etiam inanita foret, ſingulas ſpinae juncturas digito numeraverim. Pedibus manibuſque inſtar follium tuberantibus potius quam tumentibus, ut nec unguium, nec digitorum, nec compaginum omnino forma remaneret: Maſſa tantum carnea exilibus e brachiis, cruribuſque, rotunditate propemodum tornatili eminebat; ſcilicet humores, ſolitis obſeratis meatibus, ad corporis extremitates impulſi, inſtar bul-

bullae vento inflata, viduatam carne pellem diſtenderant. Tot per annorum curriculum nullam prorſus paſſa eſt evacuitatem; nec puris, nec ſalivae, nec fluoris, nec ſudoris. nec ulla immunditie mundiſſima linteamina inquinabat. Nec diſtabat a conjuge Lot in ſalis ſtatuam converſa, niſi quod oculos nonnunquam ad formidinem adſtantium rotaret; & quod illi ad immenſitatem prodigii muliebria manarent etiam mortuae, huic non, vivae. Et plane ſic immota recubuit, ut ſtatua animata putari poſſet. Cum tandem vigeſimo primo Sole jam ſuos circulos emenſo, eodem ipſomet die, eademque circiter hora, qua primum languore correpta eſt, audita eſt a cuſtodibus aliquem quaſi coram alloqui, rixari, percunctari, & reſponſa dare. Sed qui ab illa viſus, nec viſus a turba nec auditus eſt. Illa haec. *Mentiris nequam.* Et iterum; *Non ita eſt.* Et paulo poſt. *Abrenuncio te perdite.* Et. *Faciam, & te nolente.* Et. *Tempus elapſum eſt.* Et. *Jam hora praeteriit.* Tum quaſi ad alium converſa. *Hem, adeſdum, fer opem,* ſuccurre mihi. Hac effata, cibum poſcit & potum; comedit, bibit, & loquelae ſenſuique reddita eſt. Paulatimque ſolidis eduliis refocillata, & membra & membrorum priſtina forma rediit; & ſcelus & ſceleris poenam recognovit. Vivit adhuc in Bardovico caſtro contermino Scotiae, ſano ſatis & vegeto corpore, quamvis nonnihil incurvo. Quem aut quos in illo Dialogiſmo viderit & allocuta ſit, nemo unquam hactenus illi extorquere potuit. Sed pie creditur hoſtilem alterum, alterum amicum Genium fuiſſe. Illo poenas & ſupplicium interminante, ab hoc opem & auxilium flagitaſſe. En tibi hoc prodigium, quo nullum unquam legi mirabilius. Scio quid foeminae Spirenſi, imperante *Ferdinando*, atque alteri jam nuper anno ſaeculi praeteriti nonageſimo primo ad Sancti Nicolai in Lotharingia acciderit, per biennium jejunis. Sed hîc tot ſimul & tanta concurrerunt miracula, ut non ille tantum Morycho ſtultior, & Acarnanio bove ſtupidior, ſed plane aut truncus ſit, aut Diabolus, qui non viderit & non crediderit, inflictam illi miſerulae hanc poenam in impietatis vindictam; ne videretur aeterna Juſtitiae ſcaturigo humanis rebus indormire, aut noſtra ſcelera & ſuas injurias neſcire: Diſcantque impii, qui nonnunquam impuniti in coeno ſcelerum volutantes illud ſtultum effutiunt; Peccavi, quid accidit mihi mali? diſcant, inquam, eſſe Deum in coelo qui videt, qui punit, qui judicat populos in aequitate: nec, quod cum illo Numinis negatore, apud poëtam, ditentur & proſperentur, idcirco nullum eſſe Numen erudient: ſed ſciant paratum eſſe, & virtuti praemium & impietati ſupplicium; quamvis non hîc ſemper aut illud datum aut hoc inflictum; quibus tamen id non contigit, meliora illis, his pejora manent: illis merces in coelis copioſa; hi portant peccatum ſuum in Infernum, ubi vermis eorum non extinguetur. Corripit tamen benignus Dominus & in hoc ſaeculo ſceleratos, & tempus poenitudini indulget, ut in futurum caveant, ne in aeternum pereant: qui non correpti, non caverent, & perirent. Nec, ſi non, quoties peccant homines ſua fulmina mittat, ideo homines ſe non peccaſſe putent; ſed ſi quandoque mittat fulmina, & nobis impunitis alios corripiat, indulgentiam ejus

agnoſcamus, qui illos punit, ut nos admoneat, illos conterit, ut nos erudiat; illos caedit, ut nos ſalvet. Obmuteſcant hîc igitur Athei, & Protagora ſuo deſerto, providentiam & prudentiam Creatoris fatentes, erumpant mecum in Regii prophetae vocem exclamantes, Mirabilis in altis Dominus; Cujus judicia vera, & juſtificata in ſemetipſo. Hanc tibi (columen doctrinae Lipſi) lacinioſo quamvis ſtylo deſcripſi hiſtoriam: Et quam, ne pereat, (ſiquidem in Chronicis noſtris, a Novatoribus nuper editis, ne confunderentur, praetermiſſam inveni) ſi qua ſe tibi offerat de hujuſcemodi mirandis ſcribendi occaſio, poteris vulgare; ſed tuis verbis, cultius & ornatius. Vivunt enim multa in antiquorum Epiſtolis, quae alias, ab hiſtoricis omiſſa, intercidiſſent; ut in D. Hieronymi, de ſepties icta muliere, de multinubo jugali, de Satyro loquente, de decenni patre, atque alia apud alios hujus generis plurima, quae utiliter, inſenſatis mortalibus providentiam & Juſtitiam divinam praedicant. Sed ſat ſuperque biberunt prata. Et jam tempus eſt ut vela contraham, nec te melioribus occupatum ſtudiis inculto diutius ſtilo diſtraham. Tu itaque (clariſſime virorum Lipſi) prolixitati meae indulgeas rogo, medullitus te amantem ames, cultumque tui meum gratanter accipias, nec enſe nec arte ſeparandum, nec niſi morte, nec morte delendum. Vale. Datum Bruxellis, in profeſto D. Jacobi. 1603.

Reſpondet Lipſius IV. Centur. Miſc. 376. vide ſupr. ad Epiſt. CCLXXXIX.

EPISTOLA DCCCXXI.

CURTIUS PICHENA

Cl. *Doctiſſimoque* V. *J. Lipſio* S. D.

Lovanium.

VEllem, Vir doctiſſime, ipſarum Gratiarum chorum mihi adeſſe, ac ſtilum ducere, quo dignas humanitate tua gratias tibi agere poſſem. Nam quod ego ſpe vix praeſumere auſus fuiſſem, ultro mihi pretioſiſſimum donum obtuliſti, aeternam mei memoriam: quandoquidem ſcriptis tuis in omne aevum victuris, meum nomen, egregia etiam cum laude, inſerueris. Sed cum nudae ſimpliceſque gratiae tanto muneri non debeantur, neque ego referre valeam; nihil aliud faciam, niſi ut me tibi arctiſſimo & indiſſolubili nexu devinctum fatear. Multa quidem experimenta optimae naturae tuae jam dediſti: ſed nullum inſignius, quod Notas meas non ſolum legere, ſed etiam laudare dignatus ſis. Utinam in ceteris me ipſum noſcerem, ut mea iſta novi. aegre annui, ut vulgarentur, nullam in iis laudem praecipiens, niſi fortaſſe puerilem: ac ſi quid bonae frugis in illis metitur, diligentiae quam ingenii eſt opus. Quod in nonnullis a te diſſenſi, nihil excuſo. jam, credo, ingenuum candorem meum introſpexiſti: hodieque recepta haec libertas mihi videtur, dummodo abſit laedendi ac mordendi mens; quae, Deum teſtor, a me ſem-

per

per abfuit, abeſt, aberit, erga quemcunque, tanto magis erga te: cujus excelſas virtutes ego adeo admiror venerorque, ut, ſi quod ſentio dicerem, verear ne modeſtiae tuae pudorem incutiam. & niſi duobus vinculis, aulico, & uxorio, detinerer, certe aliquando iſtuc excurrere cogitaſſem, ut aliquid haurirem ex puriſſimo tuo fonte. Sitibundus ſane ego ſemper fui bonarum litterarum, ſed, neſcio quo meo fato, ſitim hanc ſedare nunquam mihi contigit, ut qui a triginta annis, negotiis Principum involutus, mei juris non fuerim. hinc facile conjicies, quantulum mihi otii ſeu commercii cum libris litteriſque. Tacito tamen amicus, furtivis horis ea nugatus ſum, quae vidiſti. ac nuper, teſtimonio & honore tuo factus impudentior, alia quaedam addidi, & Francofortum ad *Claudium Marnium* miſi. Ex iis paucula ſubjicere libet. lib. I. cap. 70. illud, *ſapiens a prudenti*, corrigerem, *inſciens a prudenti*. nam & litterae non ſunt diſſimiles, & recte, inſcientes ſeu ignari, opponuntur prudentibus: ut lib. II. *mileſque pavidus, & caſuum maris ignarus, dum turbat nautas, vel intempeſtive juvat, officia prudentium corrumpebat*. lib. III. cap. 67. de Junio Othone: *propolluebat*. legerem, *pr. polluebat*. id eſt, *praetor polluebat*, ut dedecus, ratione dignitatis, majus appareat. ſupra dixit: *Junius Otho praetor*. nunc ipſum deſcribens, ait, fuiſſe prius ludimagiſtrum, deinde ſenatorem: recte ergo ſequitur, *praetor*. lib. IV. cap. 70. in damnatione Sabini: *non imprudentem Tiberium tantam invidiam adiiſſe*. monui, in Man. legi, *non prudentem*. quod nunc ſuſpicor, recte ſe habere. voces enim ſunt vulgi, culpam a Principe quodammodo amoventis, & in Sejanum rejicientis. ſic mos in Aulis, mihi experimento ſaepe cognitus. lib. VI. cap. 2. in verbis quae Man. habet, *tam referret Scipiones*, pulcherrima atque indubia mihi viſa eſt poſtrema tua emendatio, *tanquam referret*. eam ego diſtinctione juvarem: *& bona Sejani ablata aerario, ut in fiſcum cogerentur: tanquam referret, Scipiones haec, & Silani*. &c. nempe ſenatores illos irridet, talium ſententiarum autores. Jam, Vir maxime, finem huic epiſtolae impono: ac tibi me meaque omnia, ſincero animi & cordis affectu, offerens, dedicans, vovenſque; Deum precor, ut te felicem, incolumem, diutiſſimeque ſuperſtitem ſervet. Florentiae. VIII. Kal. Auguſti, MDCIII.

Reſpondet Lipſius Centur. V. Miſcel. Epiſt. 34.

[1]EPISTOLA DCCCXXII.

CURTIUS PICHENA

J. Lipſio S. D.

Lovanium.

PRaeter ſecundas litteras tuas humaniſſimas ad me datas, vidi etiam quas ad *Hieronymum Mercurialem* ſcripſiſti, ſuper [2]Piſano fragmento. & quod de L. Cae-

1 Reſpondet Lipſius Cent. IV. Miſc. 87.

2 Adjecta erant Cenotaphia Piſana, ſed quae hic deſcribi nolui, tum quia rectius legi poſſunt cum

Caeſare arbitratus es, ſcopum attigiſti. Nam ecce aliud fruſtum ejuſdem lapidis nuper erutum, decreti ſcilicet initium, praefert ipſius Lucii nomen. Et quoniam ego ipſe Piſas nudius tertius veni ad Principis Aulam evocatus, fideliter fragmentum illud tranſcripſi, atque ad te mitto, *Mercuriale* etiam ſuadente. Alterum lapidem nunc primum mihi videre contigit, ac nonnulla in eo leviuſcula animadverti, quae ſubjiciam. In fine ſecundae lineae, poſt verbum VTIQVE, nihil deeſt. nam ſi recte memini, aliquot puncta in exemplari appoſui, defectum arguentia. Inferius, ubi ſcriptum fuit . . X INDE HABEANT. moneo primum, in marmore non agnoſci litteram X. ſed cum media tantum extet, videlicet I. potius A, littera videtur, quaſi fuerit, EA INDE. Praeterea, ne fortaſſe putes, poſt verbum HABEANT. multa deſiderari, quia magnum ſpatium ſupereſt, ſcias nullum ibi eſſe defectum, ſed in eo ipſo verbo finem. In ſequenti linea, quae incipit, LOCVS, duae litterae deeſſe videntur. forte, IS LOCVS. Prope finem, ubi tranſcriptum fuit, PIIANTQVE. omnino apparet fuiſſe PETANTQVE, licet litterae ſint vetuſtate ſemiconſumptae. Haec ad te, Vir maxime, raptim exaravi, plurimis occupationibus obrutus. tibique iterum ac ſaepius me ipſum totum voveo dedicoque ex intimo pectore. Vale. Piſis XV. Kal. Maji. MDCIIII.

cum doctiſſimis ad ea *Noriſii* Cardinalis commentariis, tum quod ea a *Pichena* in commentariis ad Tacitum publicata haec eadem ſint, & tot mendis ſcateant, ut monſtro propius videatur virum eruditum, & Piſis ſaepe degentem adeo depravate ea exſcripſiſſe, ut teſtatur *Noriſius* Diſſert. IV. cap. I. pag. 428.

EPISTOLA DCCCXXIII.

HERIBERTUS ROSWEIDUS

J. Lipſio.

Lovanium.

PAx Chriſti. Ita eſt, Clariſſime Lipſi: velata erat aeterno Ignorantiae peplo Veſta, niſi ſtyli tui acumine eam revelaſſes. Gratum fuit legere, imo ſublegere ſcintillantes paſſim rari judicii tui gemmas. Quia tamen me in partem vocas, nec verae margaritae mihi domi; mangonum imitabor induſtriam, ut vitro ſaltem effingam ad ſpeciem. Tuum, id eſt, probi gemmarii erit videre, ſi tanti vitrum, quanti margaritum. Dubitas, & merito dubitas, de *Atroce* Apolline apud Tertullianum. Valde aberrat *Junius*, qui *Atracias* ſubſtituit. Omnino *Atrox*, probum Apollinis epitheton: 1. quia Homero Iliad. Δ. *δεινὸς θεὸς*, Apollo. cui Graeco epitheto par Latinum, *Atrox*. 2. quia apud Statium l. I. Tebaid. vſ. 829. de Apolline: *Arcu crudelis iniquo. Peſtifera arma jacit.* Et diſerte ibi de Apolline Delphico loquitur, de quo & Tertullianus. 3. quia ab hac mente Tertulliano de corona militis c. 12. *Apollo Deus telorum.* Juvenali Sat. XIII. in Diris: *Cyrrhaei ſpicula vatis.* Apud Gellium l. XV. c. 12. *Simulacrum Vejovis ſagittas tenet, quae ſunt videlicet para-*

tae

tae ad nocendum. Quapropter eum Deum plerique *Apollinem* eſſe dixerunt. &c. Ea forma repraeſentatur Vejovis in numo argenteo L. Caeſii: De Arnobii loco non aeque mihi liquet. Manuſcripti tamen a vulgatis variant, quos exhibeo. Manuſcriptus Limeburgenſis noſter, *In pene inpenetrabilibus & coliginis perpetuos fovetis focos?* MS. Francicus Regius. *In penetrabilibus & colignis perpetuos fovetis focos?* Unde formabat *Scaliger* cum *Meurſio*, & *culinis*. Quid? ut penetralia veſtrae *culinae* dictae? non facile perſuaſerint. Abſolute tantum corrigunt, nec explicant. Citat alibi *Scaliger* obiter hunc Arnobii locum, & *colinis* ſeu *collinis*, ſi recte memini, repraeſentat. nec enim *Scaligeri* locus nunc occurrit. Equidem exiſtimo Arnobium non velle abſolute Veſtae ignes ſublatos, ſed variatum tantum in modo ignem illum ſervandi; vel a loco, in quo ante fuit, tranſlatum. Quod tamen difficile ex Arnobii verbis eruere. Tentemus. lego igitur. *In penetralibus & culignis perpetuos fovetis focos.* nulla pene mutatione, *colignis*, in *culignis*. *Culigna* Feſto & Gloſſario vaſculi genus. An igitur ignis Veſtae ante nuda ara ſervari ſolitus, poſt in vaſe fictili ſervatus? facit huc forte *Seria*, de qua Lampridius in Eligabalo: & *petrale ſacrum*, tam de igne, quam Palladio capi poteſt. Altera conjectura erat Arnobium tantum velle ignem hunc non ſervari amplius in Lavinii penetralibus & Albae, atque ita a priſcis ritibus Romanos deſciviſſe. Sed quî hoc e verbis Arnobii eruas? Lego proxime ad ſcripturam Manuſcripti Limeburgenſis: *In Penenii penetralibus & colliginis perpetuos fovetis focos?* *Colligina* forte capienda, de *collibus Albae*. & *Peneni penetralia* de *Lavinio*. Quaerendum quo alio nomine olim Lavinium dictum. Nam ut *Peneni* mutem in *Lavini*, vix auſim. Omnino e re fuerit attentius Manuſcriptorum varietatem conſideraſſe. Ego certe nunc aliud exſculpere non poſſum. Citas hîc alibi carmen ex Propertio de *Tarpeia Veſtali*, quod Ovidii eſt III. Faſt. de Silvia. Vale, clariſſime Lipſi, mei apud Deum memor. Raptiſſime Antverpiae II. Auguſti A°. 1603.

Notavi & alia quaedam minuta; quae ſi tanti, ſubmittam.

Lator harum, nobilis eſt Polonus, e diſciplina noſtrorum Moguntinorum. fabula is nuperrime fuit Hagae, dum ut Jeſuita & ſicarius capitur. Narrabit ipſe coram, & bellos illos Mileſiarum conditores ridebis. Iterum vale.

EPISTOLA DCCCXXIV.

MONSIEUR.

à Lovain.

ENcore que voſtre vertu ſoit connue par toute la chretienté, ſi croyie ny avoir province, ou elle ſoit en tant d'eſtime, comme elle eſt en France: le bruit en eſt deſia long temps parvenu aux oreilles du Roy mon maiſtre, lequel maintenant, qu'Il ne travaille qu à la cultivation de la paix, & à la recolte des fruits qui en viennent, m'a commandé de ſcavoir de vous, ſi vous auriez point agreable de changer de ſeiour, & venir favoriſer de voſtre preſence ce royaume, qui vous honore tant. Il me charge de vous dire, que vous ne

ſcauriez jamais eſtre en lieu, ou vous receviez plus d'accueil & bon traitement, ni pres de Prince, de qui vous ſoyez plus chieri & aymè, que vous ſerez de luy. *Outre que des maintenant il vous donnera Douze cents eſcus d'entretement: qui ne ſeront neantmoins qu'un commencement de gratification.* S'aſſeurant bien, que voſtre preſence & vos ſervices luy augmenteront à toute heure la volunté de faire davantage. Le principal ſervice, qu'Il deſireroit de vous, ſeroit d'eſtre garde de la Bibliotheque, que vous jugeriez, je m'aſſeure, des plus belles & des plus rarez, qui ſoyent an monde, Et ou vous trouveries non ſeulement de quoy contenter la louable curioſité, que vous avez touſiours eue: mais de quoy pouvoir poſſible d'avantage encore ſervir & profiter à la Republique chretienne: Car tout ce qui a eſté peu ramaſſer par les Roys ſes predeceſſeurs, & par les predeceſſeurs de la Royne, depuis tant d'annees, y eſt enſemble. Et parmy cela infinis livres grecs & latins eſcrits à la main, leſquels n'ayant point encor eſté imprimez, le pourroient eſtre par voſtre moyen, qui ne ſeroit une des moindres obligations, que vous aura la poſterité. Vous y trouveriez dont, de quoy vous ſatisfaire en toutes ſortes, & mettries voſtre vertu ſur un theatre vrayement digne de ſon merite. Je vous ſerois allé trouver moy meſme, pour faire cet offre de bouche, mais comme la ſaiſon eſt faſcheuſe, & que je n'auroy auſſy bien peu colorer ce voyage, de ſorte qu'il n'euſt ſuſcité des diſcours en cette court, Sy ſachant meſmement que j'ay deſia pris congé de vous, j'ay penſé de le commettre à ceſte lettre, ſur laquelle je vous ſupplie treshumblement, me faire reſponce. Et ſi en effect vous avez tant ſoit peu d'inclination à ce changement, mais qu'il y euſt quelques difficultez domeſtiques ou autres, qui vous en retienſſent, Je vous ſupplie me faire la faveur de me les dire, & vous aſſeurre, quelles ſeront de tout inſuperables, ou que j'y trouveray remede: je ſuis entre tous les Franchois un de ceux peut eſtre, qui vous honore & revere autant. Ce qui me faict avec tant plus d'affection prier Dieu, vous vouloir bien inſpirer à ceſte reſolution, vous donnant en toute autre choſe le parfait contentement, que vous ſouhaite. Monſieur voſtre humble & tres affectionné Serviteur. a Bruxelles le 12. Dec. 1603.

LA DODERIE.

Vid. Epiſt. CCCLVIII.

EPISTOLA DCCCXXV.

AUB. MIRAEUS

V. Cl. *J. Lipſio* S. D.

Lovanium.

SCriptum tuum de *Diva Hallenſi*, Vir Clariſſime, Machliniae apud *Nic. Oudatum* V. R. eſſe, inde ad nos, uti juſſeras, mittendum, ex tuis ad nos litteris libens intellegimus. Quia tamen haec, quae vides, nuperrime ad nos Hallis tranſmiſſa ſunt, V. Mag. *Hovius* noſter miniſtrum ſuum ad te mittit, ut eadem ipſa, ſi videtur, ſuo loco interſeras. Nam, ut mea quidem

fert

fert ſententia, haec diplomata, atque in primis illud Nicolai V. Pontificis vere Maximi, vel leviter commemorata, non mediocre praeſidium atque ornamentum, adferent. Eſt his & hiſtoria miraculi cujuſdam annexa, quam fortaſſe operae pretium ſit legiſſe. Sed & lampas a Julio II. magnanimo illo Pontifice *B. Virgini Hallenſi* miſſa, donaria inter merito videtur recenſenda. Ceterum de donariis quod ſcribis, pauca te, (uti & pauca ſunt,) ac regia tantum, commemoraſſe, vehementer probo. Ad Cenſuram quod attinet, videbatur ea eſſe ſententia Illuſtriſſimorum Antiſtitum Mechlinienſis & Cameracenſis: itemque Illuſtriſſimi patrui mei, Antverpienſis Epiſcopi deſignati, de Tridentini Concilii decreto. Quamquam ſi aliter Doctores Theologi Lovanienſes ſentiunt, libens cedo. Adjungimus Idaeam facelli Hallenſis, ut videas & judices: Delineandum curavimus & opidum ipſum Hallenſe, aliaque hunc in uſum. Vides hîc & inſignia opidorum, ac municipiorum Deiparae devotorum; quae, ſi videtur, una cum ceteris mox in aes incidentur. Tuum ſuper his & aliis (quoniam fruſtra hactenus, etſi magno deſiderio, te expectamus) judicium, audiemus. Vale. Antverpiae xv. Kal. Martias CIↃ. IↃ. CIIII.

[1]EPISTOLA DCCCXXVI.

AUB. MIRAEUS

V. Cl. *J. Lipſio* S. P. D.

Lovanium.

DE Brabantiae noſtrae hiſtoria adornanda ſerio te cogitare gaudeo, & pro virili, ut bonum civem decet, libens juvabo. Mitto nunc diploma unum alterumve, dum cetera deſcribuntur; *Anfridi* nominatim Ultrajectini Antiſtitis, & Bratuſtpantium antea Comitis, de quo coram nuper. Ex quo cognoſces puto, ipſum in Brabantiae noſtrae tractu Rienſi Weſterloam & alia praedia poſſediſſe. *Dinaei* de Brabantia Commentarii MSS. ſunt apud Dominum de *Baſſigny*, cum aliis aliquot noſtratibus Chronicis. Libens ſubmittet, ſcio, amico, ſi petas. *Dinterum* Reverendiſſimo Patruo Bruxellam miſeram, ſed eo nunc utitur R. Abbas Parcenſis. Habebis autem ut voles. *Uwenus* multa quoque ſubmittet ſua manu deſcripta, itemque amici alii. Non debeo praeterire, quod nuper audivi, Brabantiae Ducem habere perpetuum in Senatu Spirenſi Conſiliarium, eumque Brunſvicenſi, lata nuper ſententia, praelatum. Is nunc eſt [2] *Georgius Tegnagelius*, *Reineri* Doctoris Lovanienſis filius. Ad *Hebraeorum Admiranda* quod attinet, de quibus coram inquiebam, quaeque propemodum jam adfecta ſignificabas, fac ut luce donata brevi videamus. Certe, ſi quae alia, merent illa ſtilo veſtro illuſtrari. De publicis magni nihil habeo, niſi hoc unum; Anglicis iſtis rumoribus quoſdam hîc & Antverpiae nuper turbatos. O miſeros Principes, qui in haec ſecula crudelia inciderunt! Det Deus meliora, & te Reipub. diutiſſime ſervet. Antverpiae poſtrid. Kal. Decemb. CIↃ. IↃ. CV. EPI-

1 Videtur ad hanc reſpondere Lipſius v. Cent. Miſc. 79. certe de eodem argumento in principio agit.
2 Vide *Valerii Andr.* Biblioth. Belgic. t. II. pag. 789. & Faſtor. Acad. pag. 188.

EPISTOLA DCCCXXVII.

J. LIPSIUS

Auberto Miraeo S. D.

Antverpiam.

D*Iemeno* ſcribam, ubi munus videro, nunc in via etiam haeret. Quod de Hiſtoria ſcribenda percunctaris, puto nec te ambigere. quid non ambigam poſt hoc Ordinum decretum, quod videtur (libere apud te dicam) in meam ignominiam conceptum? Non ſic meritus de patria uſque adhuc fui, nec publicum decus apud exteros ivi imminutum. ſed ſcio judicia, & eorum cauſſas: ſibi habeant, ego magno & forti animo, ut alia, hoc quoque feram. Ante quatuordecim annos in has partes veni, quo animo res & conſtantia mea docuit: apud Batavos mille florenos annuos acceperam, bis mille potui, ſi redire voluiſſem. Quid hîc mihi factum eſt? ſexcentos accepi, & habeo: quod plus eſt benignitati Principis aut Regis potius, fero acceptum. Nec jactare vocationes libet (non eſt mei moris) quae triplum quadruplumque omnium obtulerunt. Nihil movi, feci quod Scipio, & conſenui & moriar in patria . . . . verbum hoc non addo. Atque utinam, ut privata omittam, patria illa in ſpe meliori ſit! De pace tu injicis, & aliunde jam audieram: ſed quid inducat aut compellat hoſtem nondum fateor me videre. Proceres illi Germani? partim non volunt, partem frigide volunt: & quod dicendum, Principes Regesque hodie mutuis diſſidiis, in ſua quiſque intenti, bonum publicum cogitatione, non dicam cura, vix attingunt. Rex iſte vicinus metuendus eſt nobis. ſed Spinula ſit ſalvus & redeat, ſtare non poſſe confido. Hiſpaniae vires opeſque magnae ſunt, utinam conſilia? & nemo neſcit hac nos parte, & dilectu virorum laborare. ſed Deo publico gubernatori haec permittimus: qui te, R. Domine, longum ſervet. Reverendo Domino Antiſti manus per te oſculor, ubi occaſio erit. Lovanii XI. Kal. Mart. CIↃIↃCVI.

EPISTOLA DCCCXXVIII.

ABRAH. DE BIBRAN EQ. SILESIUS

Cl. V. *J. Lipſio Hiſtoriographo regio* S.

E Rubui, cum [1] *Caſaubonus* noſter mihi nuntiaret gratam Tibi fuiſſe epiſtolam illam de Amphitheatro: quod ideo eam accepiſſet, non ut dignam putarem ad te mitti debere: ſed ut meo erga ipſum amori ſatisfacerem. In via enim tantum & velut praetereuns id quidquid eſt vidi, nec potui uſque morari: cito velut ex torrente rapido, nec ſemper caſuro hauriendum fuit. Dolere ta-

1 Vid. Epiſt. CCCLVIII. reſpondet *Lipſius* IV. Centur. Miſc. XCIII. ſed de Lapide, qui ipſi ſuſpectus videbatur, judicium differt, quia de plano ſententiam ferre non audebat.

tamen non poſſum, me ejus peregrinatiunculae lucellum cum Clariſſimo atque optimo viro communicaſſe, a quo idem auctior amicitia tua, cum tanto foenore receperim. Nihil mihi optabilius, quam abs te amari, quem, accenſus ingenti fama tua, cum admiratione amo: & ſemper amavi, & amaturus ſum, quamdiu literas: atque hoc etiam magis, quod ex omnibus unus ſis, quem omnes ament. Quem meum adfectum, tibi, mi Lipſi, ex animo voveo: & nuper coram feciſſem, cum ex Anglia reverſus Oſtendam excuriſſem, niſi huc me invitum amici retraxiſſent. Facturum tamen me id adhuc ſpero, quamprimum ea tempeſtas, quae nunc in illum tractum incumbit, reſederit. Etſi tunc quoque forſan male cavere potero: etiamſi alibi declinem & circum eam: tamen audebo, potuit ille,

—— mediis elapſus Achivis
Illyricos penetrare ſinus ——

ſequar alios: & ut dicam *κίνεσκα*. Sed ut haec omittam, & interim tibi oneri eſſe incipiam antequam uſui ſim: ſcire velim, quid de hoc marmore cenſeas, quod non dudum in itinere meo Hiſpanico Karthagini novae in Conteſtanis vidi & exſcripſi.

Tabula marmorea alibi fracta, muro inſerta fani D. D. Fulgentii & Florentinae:

[2] REGI. JVBAE. REGIS.
JVBAE. FILIO. REGIS
HIEMPSALIS. N. REG. GAV.
PRO NEPOTI. REG. MASI.
NISSAE. ABNEPOTI. N. E. P. D. I.
IIVIR. QVINQ. PATRONO
COLONI.

bona pars eſt Genealogiae Numidiae Regum, quae a Juba II ſcilicet ſic ad

2 Hanc a *Bilrano Caſaubonum* accepiſſe teſtatur & *Sponius*, qui ex ſcedis *Peireskii* duos addit verſus in fine.

COLONI ET INCOLAE
LIBERTINI.

deinde explicat, & ſtemma Jubae adjicit. fere, ut antea *Sigonius* ad Livii lib. XXIX. 31. & *Reinef. Reinec.* in Hiſtoria Julia tom. III. qui etiam, ut *Sponius*, Gaudam facit fratrem Jugurthae, & filiam Manaſtabalis. ſed *Sigonius* Jugurtham ex Gauda concubina Manaſtabale deducit. vide Miſcell. Antiq. Erud. Sect. IV. pag. 145. *Reineſius* quoque edidit. Claſ. III. Inſ. 70. qui tertio verſu pro GAV. leg. GVI. & de *Guluſſa* capit, refutatus a *Sponio*. literas N. E. P. D. I. *Reineſius* interpretatur *Nomini ejus ponendam dicandumque jufſerunt. Sponius* vero, *numini ejus plurimum devoti jufſerunt.* Ego *Reineſium* potius ſequor: nam Jubae *numen*, quod Imperatoribus adulatio ſolis tribuit, aſſignare auſos colonos non puto. poſſet etiam reddi: *nomini ejus publice dicari jufſerunt.* de hoc Juba vero, rege doctiſſimo, vide quae collegerunt *Lindenb.* & *Valeſius* ad Amm. Marcel. XXII. 15. *Morellius* Specim. rei nummar. pag. 225. & ab illis laudati alii.

ad Maſiniſſam uſque excurrit: & per Gaudam utroſque conjungit. Id vero quam recte fiat, non video, quum, quod ſciam, nemo ſcripſerit Gaudam illum Manaſtabalis F. Maſiniſſ. N., & Hiertham & Hiempſalem F. F. reliquiſſe. Hunc a Bogude Hiertha caeſo aliunde advocant, neque fratris nomine adpellant. Minus apte quod hîc Juba Maſiniſſae abnepos nominetur: cum Manaſtabalis fuiſſe neceſſe ſit: niſi velis filium a fabro diligenter praeteritum, occurrente patre Magno illo Maſiniſſa, ut nomine ingentis viri eum ornaret. Neque par hic patri fuit: & forſan alterutrum nominare neceſſe erat, cum ambos nollet exprimere. Literae ſolutae, N.E.P.D.I. mihi tenebrae ſunt: & quae tua face, Lipſi, illuſtrari volunt, ad meam magis ſpiſſant. De Duumviratu, opinor nihil mirum: cum etiam Impp. eum honorem non recuſarint. D. *Hadrianus*, ut eſt apud Capitolin. *in Hiſpania patria ſua Quinquennalis fuit, item Adriae; per latina opida Dictator, & Aedilis, & IIvir.* Sed quid, inquies, mihi Jubas in Hiſpania & Karthagini IIviros creas? peregrinum hoc in hiſtoria. Puto lapidem ex vicina Africa advectum: cujus rei conjecturam video in ultimis verbis PATRONO. COLONI. Quod adjuti forſitan patrocinio Jubae ejus, qui Hiſtoriam ſcripſit, in controverſia de agris, hunc honorem & titulum ei decreverint. Potuit eadem cauſa fuiſſe, quam Juba pater Hiempſalis avi juſſu Romae egit: de qua Cicero in agraria. *Audivit*, inquit, *Hiempſalem poſſidere agros in ora maritima, quos P. Africanus P. R. adjudicavit: & tamen poſtea per C. Cottam Cos. cautum eſſe foedere. Hoc quia vos foedus non juſſeritis, veretur Hiempſal, ut ſatis firmum ſit. Quid? cujuſmodi eſt illud? tollitur veſtrum judicium, foedus totum excipitur, comprobatur. Quod minuit auctoritatem Xviralem laudo, quod regi amico cavet, non reprehendo. Quod non gratus ſit, indico. Volitat enim ante oculos iſtorum Juba Regis filius adoleſcens, non minus bene nummatus, quam bene capillatus*: Nam idem ager, cujus meminit, iterum manu captus a Caeſare poſt victoriam ad Thapſum. Ac cum ab eodem quaedam receperit, & poſtea ab Auguſto regnum: non dubitem illum de ſuis bene mereri potuiſſe. Sed nae ego nimis multa. Tu, vir maxime, videbis ſi hic lapis lacunam explere poſſit, in quam vulgus materiem congeſſit, qua egeſta, forſan ſuapte ſponte coaleſceret. Vale, & tui amantiſſ. redama. Lutetiae Pariſiorum. III. Eid. Junii. A. CIↃ IↃ CIIII.

Si quid ad haec velis reſcribere, quod tamen abs te, mi Lipſi, non exigo, literas tuas ad *Caſaubonum* mittito. iterum & longum vale.

EPISTOLA DCCCXXIX.

ABRAH. DE BIBRAN

Viro Doctiſſimo J. Lipſio Hiſtoriographo regio S.

Lovanium.

CUm libenter de te & ſaepe cogitem, mi Lipſi: crebrius ad te ſcribo: & ubi animum habeo, manum mitto. Quid excuſem? non ex fluxa verbo-

borum arena, ſurrexiſſe noſtram amicitiam puto: ideo pergo inaedificare, & tamquam manſuram ſedulo excolere. Ex nuperis tuis ſcriptis hîc Senecam vidi, & Miracula Divae Aſpricollis: quae omnium primus *Andraeas Haniwaldus*, is qui in tanta gratia apud Caeſarem, mihi oſtendit: non ſine laude & admiratione tui. Juvit iterum ex me de te ſcire, quae coram vidi: & ut rem dicam, ita eum accendi, ut ardere tui amore videretur. Experire, per me, num illum promptum & volentem habeas: ſi res tibi eſt: videbis num dicta factis congruant. De Pannonicis rebus audiſſe te puto: nec repeto: ne dolori meo ſaepius manus afferam. Nunc illi turbini etiam Septentrio ſe adjungit: & in mediam Germaniam ſe infert: proculdubio proſpectum allaturus iis, qui adhuc paululum videbant. Equidem timeo Cymmerias tenebras: ſed Deus, cui nos & haec talia permittimus, nos etiam in illuni nocte, diriget. Clariſſime atque optime Vir, ſalve & me tui amantem ama. Pridie Nonas Martias Praga. A. Greg. CIↃIↃCVI.

Quae de Amphitheatris oblitus eram nuper mittere, nunc mitto: ſi quid in iis eſſet, quod ad cogitationes tuas pertineret. iterum vale, & optimo Rubenio, ſi eſt iſthic, a me ſalutem.

Literas Pragam mittito ad Eundem *Haniwaldum* aut ad *Gruterum*: ſi tamen licet & vacat aliquid reſcribere.

Alia quaedam praeter ea, quae notata & nominata Lib. 2. c. 6. de Amphitheatris.

1. Amphitheatrum, quod in Hiſpania Hiſpali eſſe ajunt, Italicae eſt: in ipſo natali ſolo D. Trajani, IV. lapid. ſupra urbem: locum nunc *Sevilla la Viecha* appellant. Ingens moles & comparanda Veronenſi: niſi quod illa marmorea, haec ex lapide minutiori ſecto. Ab Orcheſtra ad mediam Zonam alibi bene integrum: ſuperiora tantum collapſa, & quaſi manu diruta jacent.

2. Auguſtae Emeritae ad Anam fl. pulchrum quoque vidi: & adjunctum Theatrum: utrumque vetuſtate adeo deſedit, ut aegre priſcam faciem ſub ruinis agnoſcas. Nunc *las ſette Sillas* appellant: & mira de iis ſomniant.

3. Karthagini novae minutulum eſt: ſupra portum, in ſummo vertice montis poſitum: Oppidum ſubjectum deſpicit, ut Capitolium ſuam Romam.

4. Sagunti, quod hodie *Morvedro* agnominant, opinor, a veteribus muris: ſub ſumma arce in quadam projecta crepidine montis Theatrum ſedet pulchrum, bis pulchrum: & integrum totum per Scenam, ſemi collapſum.

5. Aliud in Narbonenſi *Gallia* vidi *Auriaci*, non minus pulchrum & integrum, hodie *la grande muraille* appellant.

6. Aliud praeterea Veronae fuit, cujus etiamnum veſtigia viſuntur in deſcenſu montis D. Petri in hortis monachorum D. Hieronymi trans Atheſim, vulgo exſtat depictum.

7. In Gallia Pictavii Amphitheatrum:

8. Aliud Andegavii in hortis ſuburbanis cujuſdam civis, hujus imum tantum arenae ſupereſt, illius exteriores arcus plurimi. Interior area nunc vere in

Sylvam verſa, tota conſita arboribus; & vere hic Munerarius. non, ut ille per jocum, pro Leone Leporem emittit.

9. Catanae in Sicilia etiam unum eſſe ajunt: ſed non vidi, oppidum praetervectus.

EPISTOLA DCCCXXX.

CLAUDIUS DAUSQUEJUS

V. Cl. *J. Lipſio* S. P.

Lovanium.

EX quo Academia mihi relicta, V. Cl. perraro meae ad te pervenerunt, nulla tamen ſane obliviſcentia, quum mihi pene quotidie obverſaris: ſed quorſum importunior ſeria praepediam tua, ſi ſeria non ſuppetant? Ac vide, nedum modo ſeria affero, ſi te ſpecto: Baſilium tamen Seleuciae affero, Chryſoſtomi Achatem, & ſi Deo, vobiſque placet, Chryſoſtomum ipſum. ita judicium meum eſt. Verum ut auratos fraenos admordere regii equi eſt, & ferreos cujuſvis oris: ſic interpretatio noſtra (ſum quippe e multis aliquis) ferrea multis locis eſt, ex autore aureo, partim infantiae meae vitio, partim Typographi, ſeu correctoris, cujus erratis nihil eſt hirſutius, aut ſenticoſius; etiam ut ſolipungam agere dici queat: miſeret mei Baſilii, immo mei. Nam ſi primus hic foetus caecus, mancus, claudus: quid reliquis (nec enim indeſes agam) futurum ſperet, qui certa exactioris judicii acie ventura jaculatur? Quia tamen vulgo Baſilius, etſi talis, diſpaleſcit, juſſu interpretis, non trepidabit ad te accedere; lucem tu ei aperuiſti, inque eam ut me immergerem, ſcriptorum tuorum ſtimulis perfeciſti, audeo, atque in confugelam tuam me refero. Si carmen interim tuum ὀδὲ περιλειπικὸν reliqua ſui parte defectum eſt, ſi charactere evanido decoloratum, ſi ejus, qui tibi pridem a manu, carmen non comparet, ignoſcite, ſaltem mihi: nec *Hoji* uſquam eſt, & *Surii* quoque intercidit: non certe voluntate mea, ſi forte imprudentia. Et certe, iſte, quem noſti, ... irritabilis eſt, nec facile placabilis. quid agat viderit, mea minus intereſt. Vale, V. Cl. tu meus eſſe perge, qui pridem. Inſulis Flandrorum Nonis Juliis M. DC. IIII.

Erat & alia Epiſtola *Dauſqueji* ad *Lipſium*, poſtridie Kal. Jun. 1606. ſed quae ad verbum continebat, quae de *Maſſylis* & *Maſaeſulis* diſputat ad Sil. xv. 171. quae feliciter & docte refellit Cl. *Drakenborchius*; ideoque illam hic edere non eſt viſum operae pretium. ſed ξυνήματα illa, quae huic epiſtolae ſubjeci, non inter Lipſii ſcripta, ſed in Bibliotheca publica inter alias ſcedas reperi.

Digitized by Google

Ζητήματα quaedam & ἀπορήματα ſuper Libris Domini Lipſii de Mil. Rom.

Pag. 17. Improbatum illud *Silii* lib. 11. 318.

Pubeſcit miles caſtris, galeaeque teruntur
Nondum ſignatae flava lanugine malae.

Quid ſi intelligat militem pubeſcere non eum, qui jam talis, ſed qui futurus olim? praeſertim cum aeque reiculum, quod adfertur pag. 65. *Flos juvenum pubeſcentium*, niſi huic quoque loco talem ſenſum accommodamus. Interfuiſſe vero caſtris, imo proeliis adoleſcentiores probat factum Scipionis, qui non tam patri θριπτήρια repoſuit, quam σωτήρια meritus eſt. Adde quod vox *pubeſcit*, non ſignet eum, qui perfecta pube eſt, ſed cui aut primulum oritur, aut orta creſcit; quales ſunt, qui intra aut ſupra aetatem iſtius Scipionis. non tamen ſtipendiariis eos adſcribo.

Pag. 19. Τὰ ὅπλα μετὰ τιμῆς ἀξίας νεμόντων, vertis. *Cum arma non niſi honeſtis digniſque darent. Honeſtis, hoc eſt, ut opinor, cum honore.* An non poſſit exponi, *per cenſum dignis*? Ovid. Am. 3. — *dat cenſus honores. Inde gravis index, inde ſeverus eques.* & miles quivis. colligo ex eo, quod ex Polyb. imprimis pag. 36. πλατύνδην αὐτῶν γεγεννημένης ἐπὶ τὸ τιμητὸν τῆς ἐκλογῆς. Contra noſter Dionyſius aliter loquentem facit l. 3. pag. 110. verum hoc non tam loquitur res, quam perſona.

Pag. 19. Δοῦλον καταγεάφων. reddis, e *ſervili genere*: requiri poſſit uſus vocis in ea ſignificatione, & ſi libertos aut libertinos contraxit, nihil in legem aut conſuetudinem peccavit Marius eorum commilitio ſuis adjuncto. at Plut. παρὰ τὸν νόμον καὶ τὴν συνήθειαν eum dicit, τὸν ἄπορον καὶ δοῦλον καταγεάφειν (priori generi pauperum obeſt, quod qui legitime leguntur in milites per cenſum fortunarum leguntur) porro leges [1] admittunt Civem: liberti & libertini cives cenſiti, & a nobis cenſendi. Simile conſilium de ſervis adſciſcendis Catilina animo ante praeceperat, ſed rejecit id indignum rationibus ſuis ratus; ſed Marius in infimos quoſque ſemper inclinavit animum.

Superiori commate vox νεμόντων videtur oppoſita huic παρὰ νόμον. ut alteri duces ex lege id ſoliti ſint, Marius vero exlex. aut ſaltem pro diſtribuere, aut ſimile vertenda, ut aſſumtorum in militiam a rejectaneis ſecretio ſignificetur.

Pag. 19. Ἐξελεύθερον & ἀπελεύθερον pro eodem habes. non Euſtathius, qui interſecat Od. ξ. pag. 1731. ἐξελεύθερον μὲν εἶπον τὸν ἀφ' οὗ χρέος ἐπὶ δανειστῇ γενόμενον δοῦλα δίκην, εἶτα ἀπολυθέντα. ἀπελεύθερον δὲ τὸν ἐν κοινῇ συνηθείᾳ.

Pag. 20. Συννοεῖν δεῖν τὸν ἀκούοντα vertis, *conſentire dicenti diſcentem.* 1°. non quisquis audit, diſcit. ergo id laxius. 2°. videtur vox Graeca non aliud offerre, quam una cogitare: ut dum ſcilicet hic dicit, alter taceat. dubio interim aſſenſu & pendente.

1 Sed ingenuum. propterea hoc uti caetera omnia tuae eruditioni & examini ſubmitto, Doctiſſime Lipſi. *Dan.*

Pag. 21. Ποιῶσι ἢ τῶτο κατ' ἐνιαυτὸν. *faciunt hoc fere quotannis.* videtur expungendum τὸ *fere.* τῶν στρατευσίμων παρεγινομένων εἰς τὸ Ῥωμην. vertis, *Militaris omnis juventus in urbe*, ὅπου κοινὸ, adeſt. Ante dixerat Ῥωμαίους ἅπαντας, ex quo putarem etiam extendi poſſe ad eos, qui extra urbem, & ſic τὸ παραγινομένων τῷ proficiſci aut ſimili reddendum, alio prorſus ſenſu. Sic pag. 23. apud Livium, *Romam, cum edictum, ſine detrectatione convenerunt.* Imo forte non quidem Romae tunc id factum, ſed propter eam, cum infra ſcribas, eos vocari ad aedem Martis, quae extra Urbem, & poſt, cogi in Capitolium. Neque hoc aevo binas Martis aedes admitto, nec unquam fuiſſe. Quam enim apud Suetonium cap. 29. exſtruxit Auguſtus, & ſanxit, ut illic de bellis aut triumphis ageretur, claudemus urbe? excluſam malim, nec putem a veteri diverſam, ſed eandem potius male jam materiatam, & vitium facientem renovaſſe Auguſtum, non ab imo exſtruxiſſe, ſed reſtruxiſſe ad eam formam, ut cujus nulla prope eſſet facies, emineret conſpicua.

Pag. 23. Quid ſi ſemper duo vexilla? ſed in disjunctis arcibus, aut in eadem. Servius loci ſecurus duo ponit in octavum Aenid. nec ejus ratio futilis. Quod ſcriptores hunc aut hunc uſurpent numerum, temere factum, videlicet non certum rei ſignum.

Aptiſſime & ex mente Dionyſii tranſponis τὸ ἱερῶν, & apponis τῷ πραγμάτων. id ipſe facit lib. undecimo; & l. VI. τιμώτατα γὰρ ταῦτα Ρωμαίοις ὅτι στρατείας, καὶ ὥσπερ ἱδρύματα θεῶν ἱερὰ νομίζονται. haec ego olim dicebam ad aquilam argenteam Catilinae apud Cic. Orat.

Diem prodici placet voce praeconis, cum aliquid ſubitum. Non negem poſſe fieri. Sed Livius quaſi Graecorum proprium (quo de meus Euſtathius Il. Ψ. pag. 1448. verſu 31.) & veluti hac nota Graecorum commentum cernens a Romano l. XXXII. *Poſtero die advocat concilium. ubi cum per praeconem, ſicut Graecis mos eſt* (de quibus & apud quos ibi omnia) *ſuadendi, ſi quis vellet, poteſtas a magiſtratibus facta eſſet.* moxque haec Livius iterat, *voce praetoris Achaeorum, cum praeco ad ſuadendum vocet, obmutuiſtis.* Scriptum certe ſolenne Romanis vel ex eo liquet, quod res deperditas ſcripto inquirebant. Propert. l. III.

I puer, & citus haec aliqua propone columna,
Et dominum Eſquiliis ſcribe habitare tuum.

In hoc negotio militis evocandi cur ſcriptum tardius? poſt evocationem nimirum dies aut diei pars melior abibat: & dimidiata hora ſcriptioni ſatis fuit.

Pag. 29. Vertis haec Dionyſii τῶν ἐκλιπόντων τὸ στρατίαν, *Qui militiam detrectabant.* flagitium gravius ſuſceptam deſeruiſſe, quod vox Graeca praefert. & fol. 31. adfertur ex lib. III. Livii, *pro deſertore futurum, cujus cauſam non probaſſet.*

Pag. 34. Pro, *Albis equis*, ſubſtitutum, *Altis equis.* prius tamen facit ad iſtius transvectionis commendationem, in qua ſpeciem fuiſſe triumphi vult Dionyſius, pene par etiam difficultas in *altis* conquirendis. Quid ſi omnes altis equis, quis inter eos eximius?

Pag. 45. *Forte*, inquis, *imperatorum nomina in militum manibus.* Potius ſignogno-

gnorum; ita Vegetius l. 1. *Sed non ſtatim punctis ſignorum ſcribendus eſt tiro delectus.* Puncta ſignorum, puto nomina ſignorum, Aquila, Draco: aut legionum, *Rapax, adjutrix Martia.* Niſi forte per puncta legionum, hoc eſt, quae iis inſcripta, imperatorum nomina, ut Veſpaſiani cap. 6. apud Suet. (quandoque imagines imperatorum, ita Vitellii ſcriptas in ſignis reperio apud Xiphil.) ipſorum quoque manibus inuſta.

De punctis eorum, qui ſe Diis dabant (non enim lego iſtos Devotarios fuiſſe, nec reor) perpulcrum Euſtath. in Od. δ. pag. 165. De equis punctis probis & improbis idem ſcribit in Od. pag. 197. v. 43. & Il. β. pag. 259. ubi ait ἐγκεκαῦθαι αὐταῖς ὑπὸ σιδήρῳ σφραγῖδα (hinc Prudentio *Sphragitides*) & Il. κ. pag. 697. v. 33.

Pag. 76. *Non quia revera vela aut panni fuerint.* Contra Plut. in Fabio de Ter. Varrone, ἀμφ' ἡμέρᾳ τὸ τῆς μαχης σημεῖον ἐζεθηκε· ἔστι δὲ χιτὼν κόκκινος ὑπὲρ τῆς στρατηγικῆς σκηνῆς διατεινόμενος. Rurſus in Pompejo: Ὁ μὲν δὴ Καίσαρι εἰπὼν τὴν προσδοκωμένην ἥκειν ἡμέραν, ἐν ᾗ πρὸς ἀνδρας, ἃ πρὸς λιμὸν, ἃδε πενίαν μαχοῦνται, κατὰ τάχος πρὸ τῆς σκηνῆς ἐκέλευσε προτεθῆναι τὸ Φοινικοῦν χιτῶνα. τοῦτο γὰρ μάχης ἐστὶ Ρωμαίοις σύμβολον. Aquilae vero ipſae, non ſolum quales deſcripſit Dio l. XL. ſed in texto fuiſſe exprimo ex Flori l. IV. c. 12. quinam aliter potuit eam aquilifer balthei latebris mergere?

Pag. 100. Ἵνα τοῖς κατὰ μέρος ἡγεμόσιν προκινδυνεύοντες ἐρρωμένως καὶ μὴ ἀδήλοι γένωνται. Haec verſio, *ut ductoribus ordinum, cum ſtrenue aut aliter pugnaverint, poſſint innoteſcere.* 1°. τοῖς κατὰ μέρος non ſatis videtur expreſſum Latine. Magni tamen referre putant milites, ſe ſignari oculis ductorum, praeſertim ſuorum & ſuarum partium, ita fere ſonat τοῖς καθ' μέρος. 2°. προκινδυνεύοντας non videtur idem eſſe cum τῷ *ſtrenue pugnare*, ſed animam projicere in aperta pericula, aut *prima pericula* ſubire, reliquos praegrediendo. 3°. quid illud *aliter*? an ſi inſtrenui fuerint, id notum volunt, idque ſuis ducibus? putarem ſcribendum in Graeco dumtaxat ſententia clara μὴ ἄδηλοι.

Ibid. Κατὰ τοσοῦτον ὅπλεπτὸν ἐξελήλασμένον. magis arridet, ὅπλ λεπτὸν ἐξ.

Pag. 103. Firmitatem quaerere videris in ſcutis, ſi pelles non inſtratae aſſulis. Conjicio primo a numero pellium. deinde a ſiccitate. Hom. Il. ρ. βοέας ἄνυας vocat σειὰς, etſi ſuum aes, ſubdit, an addit? Tutius videntur ita potuiſſe fieri, quod ſuppactum lignum εὐχιστοπρον & magis forabile, corii lentitudo plus reſiſtat. Unde pro magno Virg. poſuit. *Tranſiit intextum tauris opus.* Certo tamen allati loci probant ſubjectionem lignariam: ſed nunquam aliter factum non docent.

Pag. 105. *Craſſitie unius digiti.* Unde igitur certum illis libramen? a ferro? ſed altrinſecus adimis. Et ab illis vulnus erit acu punctum, non latae plagae, quales vult Livius fieri Romanorum telis & armis, non item Graecorum,[3] neſcio ubi. Alterum iſtud (quod habetur pag. 120. non videtur de ſententia Dionyſii, qui ait, habuiſſe ὀβελίσκους, non ὀβελίσκον. Cogito quoque ad hanc brevitatem decurtatam non pertingere ad longitudinem mediocris haſtae. Denique fulgor iſte natus eſt in ſummo ferro, lati adjicit, ne quis putet, ortum etiam ab imo.

Pag.

3. Eſt apud Florum libro II. cap. 7. ut Lipſius infra pag. 120.

Pag. 112. *Nec praefecto umbilici vocem* &c. Umbilicus Graecis eſt ὀμαλὸς, quem Homerus in ſcuto pingit Il. Z. 117. expingam & integrabo verſus. unice ſcriptis tuis concinunt.

Ἀμφὶ δέ μιν σφύρα τύπτε καὶ ἀυχένα δίρμα κελαινὸν
Ἄντυξ, ἣ πυμάτη θέεν ἀσπίδος ὀμφαλόεσσης.

[4]Hoc loco ſcribit Schol. ex elephante pleroſque fuiſſe umbilicos clypeorum, aut librorum. ut autem hîc Euſtath. Umbilicos *vocavit bullas in librorum tergo*, ſic in Epodis Horatii & Martialis aliubi. Eſt & vox haec tranſlatitia ad medium cujusvis rei ſignandum, ut quum vocant Delphos *Umbilicum mundi*, videor & in Verrinis legere, *Syracuſas Umbilicum Siciliae*. Nec in clypeo unus ſolum Umbilicus, qui ventricoſos faciat, multo plures in Agamemnonis ſcuto. Ilad. Λ. 34. Ἐν δ' οἱ ὀμφαλοὶ ἦσαν ἐείκοσι καστήρειοι λάϊνοί ——

Pag. 113. *Bello non ante tentati.* Habent gentis conſuetudine per Tarquinium, Clauſum, &c.

Ibid. In Suida reponitur Λιγυστικῶν. etſi res, non tamen haec videtur illi mens; cum pag. 156. dixerit πινοὶ θυρεοὶ ὥσθ' αἱ Καρχηδονίους.

Pag. 114. Quid ſi pro δεξιὸν μηρὸν, legatur, ἐξιόντα μηρὸν? ſic ut gladius brevi loro dependeat infra ſummum femur, ut ſit propius ipſum cingulum, quam genu. aut, ταύτην ᾗ τὸ ξιφίδιον φέρει μηρὸν, diſtinxit hiſce verbis ab Heroico more, qui ad humeros alligabat. Scribit enim φέρει, non φέρεσι. τὸ ξιφίδιον autem ſit, quod mox ἐπιζηγέται, καὶ καταφορὰν ἐξ ἀμφοῖν τοῖν μηροῖν βίαιον.

Pag. 115. *Manlius Hiſpanico cingitur gladio.* Refert hic mihi locus eum Agellii, ubi ſubſtituis vocem *Cautabundus* pro *Cantabundus*. haeſi tunc & merito. Tacit. ſcribit 11. Hiſt. 22. Germanos *cantu truci & more patrio nudis corporibus ſuper humeros ſcuta quatere.* Caeſar *Eburones victoriae ſuo more conclamare.* Hi populi ab Hiſtoria ſaepe Galli dicti. Sed extra controverſiam Livius VII. cum ſcripſiſſet ſuperbe fortiſſimum quemque Romanorum Gallum proritaſſe, levitatis & vanae fiduciae notis ita Manlium liberat, *non cantus, non exultatio, armorumque agitatio vana*, quaſi dicat ea in Gallo fuiſſe; quem & a cantu opinor *Stolide laetum* dicere. Ex quibus videri poſſit Gallus ſui incurioſus.

Pag. 119. Καὶ τῶδε μαλακῷ. quidſi? Καὶ ὧδε μαλακῷ. i. forti ferro. tamen χωρὶς γε τοῦ αἰχμῆς, quod facile hebeſcat.

Pag. 125. Τρυφάλειαν plures exponunt per τριλοφίαν, incerta tamen eſt memoria Euſtathii. dictum putarem, quaſi πτεραφάλειαν aut πτερυφάλειαν. Primo certa eſt & indubitata ſcriptio per υ. non per τὸ ι. quod ſi eſt τριλοφία certo ſcribendum ſit per ῖ. Et ſuſpicor ἀμφίφαλον galeam πτεράφαλον, πτεραφάλησιν eadem eſſe. ut Il. Λ.

Κρατὶ δ' ἐπ' ἀμφίφαλον κυνέην θέτο πτεραφάλησιν
Ἵππουριν. δεινὸν λόφον καθύπερθεν ἔνευεν.

Si quatuor φάλοι, cur non totidem caudae, totidem λόφοι? neque hîc λόφους plures uno puto. Nam ſi alios minus aut honore aut virtute ſpectabiles (quos

4 Si tangit malleolos, certe τὸ ποδηνεκὲς potius eſt pedumtenus, quam crurumtenus. *Dauiq.*

(quos paſſim tegit πτεροφάλαια, quaſi communi & vulgari galea) quatuor conis illuſtrat & inſignit, non ducum ductorem & Regem Regum? quem tamen ſic honorari non video. Et ſi φάλοι tres, ſi in ſingulos ſingulae plumae, qua poſitura? ſi a fronte & a tergo duae, ubi tertia? dextrorſum an ſiniſtrorſum? offert ſe vertex apicatus. Ibi eſto. alia jam mora. ubi jam reliquae duae? an ad dextram, ſiniſtram, frontem, occipitium? ubi? quae cauſae, cur hactenus, non eatenus?

Quod adfertur a Suida, levius pluma eſt. Non ab aliis geſtata τελοφία, ſi in more fuit? cur non & illi τελεσίφαλοι dicti? An quod Geryon primus hoc ornatu conſpectus? Sed quî potuit triplicem ſui ſpeciem objeciſſe ſpectantibus? aderas? diſtinxiſſes. aberas? confudiſſes in unum. Fabula ergo credibilior apud Juſtinum lib. extremo, arcta trium Φιλαδελφῶν fraternitas.

Dixi illa mihi eadem videri: quia Poëtis perquam familiare numeros incertos & multitudinem certis mutare. Horatius

Illi robur & aes triplex
Circa pectus erat.

interpretor multiplex. nec plus videtur dictum, quam a Salluſtio *Ferro ſeptos* in fragmentis. Aeneid. 8. de Aeneae clypeo.

Septenoſque orbibus orbes
Impediunt

cum alibi:

Clypeum tot ferri terga, tot aeris,
Cum pellis toties obeat circumdata tauri.

de Pallantis. Adeone malignae fuiſſent operae Vulcani et Vulcaniorum, ut clypeus Aeneae minus firmetur, quam Pallantis? ille prope emeritus, hic *vixdum tiro*. ſimiliter Homerus ſcutum Ajacis facit ἑπταβόειον, hoc eſt meo judicio, multiplici pelle; quem ſimiliter vocarit Ovid. 13. Met. & 1. Am. *dominum clypei ſeptemplicis*. Ob haec animi pendeo.

Ibid. Ἡ μέλασιν ὀρθαῖς θελεῖ. ſcribis ὀρθαῖς. Hac admiſſa correctione, ubi τελοφίας fundamen? Crines iſti quo ſtant fulcimine? quo ſurriguntur?

Pag. 105. *Nec ratio eſt tam caute & cuſtodite armare illos.* Caute reſtrictum ad velites. Nam Il. κ. & λ.

Παῤδαλέῃ μὲν πρῶτα μετάφρενον ἰυγὺ καλυψε,
Αὐτὰρ ὑπὲρ στιφάνῃφι (ſentio deeſſe vocem, nec liber ad manum) κυφαλῆφιν ἀείρας ὁίκατο χαλκείην.

Pag. 128. Quae Pauſanias de loricis Homericis & γναλῳ, vix audio.

Ibid. Cur loricas proprie dictas non potuit duas geſtaſſe? Dominus de *Bieure* aevo noſtro thoraces de ſolido ferro indutus ad numerum ſaltabat, & ἀνθεμιῷον tam gravis, cymbam, ſe, ſuoſque evertit Antverpiae. Id forti, ſi alii nulli, nemo neget.

Pag. 131. Cur ſequendus *Duza*, *ferreus aerato nec cataphractus equo*? Orientalis miles, maxime Parthus, paſſim auro ſuperbit, & rutilat. Tuus

Cl. Dauſqueius.

L. I.

[1] Pag. 17. Vulgarius dicimus *Luy-Dick*. an a populi frequentia, ut Horatio *denſum humeris vulgus*?

Pag. 71. *Hos cippos appellabant*] Non auſim a noſtrate voce (*Cippen*, vel *Kippen*) deducere, quod eſt occulte contingere & comprehendere. ſic pali hi.

Pag. 41. Vineae nunc barbarico uſu *Cauſiae* dicuntur] vetuſtiſſima Vegetii impreſſio (*Caucias*) habet. Vincent. Belluacenſis in ſpeculo doctrinali (*cautibulas* vel *chartos*) an hoc ultimum a (*Garden*) quia vineae ex cratibus? illud a cautione:

Pag. 42. *Lucanus vineam ait adopertam levi terra.*] An hinc Gloſſarium: *Pluteum*, γυψοπλαστία. & forte etiam plutei ſcriptorii gypſo obliti erant, ut memoriae confirmandae cauſſa quid ibi ſtylo notarent.

Pag. 51. *Muſculus cuniculo ſimilis*] Eodem modo citat Vincentius in ſpeculo doctr. & forte non ad formam ſimilem reſpexit, ſed ad effectum. ita forte muſculus cuniculo ſimilis.

Pag. 77. Plerumque unius aggeris tantum fit mentio, qui χῶμα Graecis. An hinc apud D. Hieronymum l. 2. contra Jovinianum. *Si omnes, qui a dextris ſunt, ut vulgo dicitur*, ἓν χῶμα. Ita legit Reatinus. ſed abeunt ab eo MS., qui omnes haec addunt: *ad militiam probat*: ut ſine dubio locus de militia intelligendus ſit. Varie tamen vulgatum (ἓν χῶμα) exprimunt. & vocabulam (*unum*) praemittunt.

1. noſter MS. *ſi omnes qui a dextris ſunt, unum, ut vulgo dicitur, Enſoma ad militiam probat*. hinc credo alios fuiſſe, ſunt corpus unum, & ut vulgo dicitur, ἓν σῶμα.

2. noſter MS. eodem modo legit, ſed pro (*enſoma*) ſubſtituit (*engoma*) hinc forte alii ἓν χῶμα.

Martin. & Franciſc. MS. eodem modo legunt: ſed loco (*enſoma* vel *engoma*) habent (*encomon*) hinc credo Eraſmum feciſſe ἓν κόνιον.

En tibi variantes lectiones. adhibe judicium tuum.

An *enchoma* ab ἔγχος, id eſt haſta, ut deſignet unum haſtatorum ordinem?

An ad tribunal alludit caſtrenſe, quod ad dextrum, legendumque *engyoma* ab ἐγγυάω, id eſt, in manus trado, mando, fidejubeo. at mandata & fidejuſſio in foro vel in Praetorio. ſic forte Suidas capiendus in στρατήγων, ubi γνῶμα. Legendum enim γνώμα vel ἐγγνώμα. Niſi malis γνῶμα pro γρῶμα. Gruma Nonio locus medius, ad quem quatuor tendunt viae, an ſimile quid in praetorio?

Vel Reatini lectioni addiderim: *ad militiam probat*, & huc traxerim. Nam in aggere nullus ordo dignitatis, ſed omnes permixti.

An, *encomion*, quod toti exercitui par laus in victoria tribuatur?

An militarem teſſeram mutam & vocalem intelligit, quae omnibus eadem? cer-

[1] Has quoque obſervationes ad Lipſii Poliorcetica reperi, ſed neſcio, an Dausquei manu ſcriptae, ne tamen perirent, hic edendas exiſtimavi.

certe Martinus Lipſius margini ſuo aſſcripſerat σύνθημα; id teſſera illa Ammiano. *encomon* igitur teſſeram circa humerum poſitam forte ſignat.

Pag. 157. Varro de R. R. *Palaeſtra aprorum & caprearum.* Martiali *aper palaeſtrita.* vide & ride commentum. An hinc *Valais*; *Vlais*, id eſt caro: ut *palaeſtra* locus ſit, ubi animantes terreſtres quadrupedes ſaginantur, & reddunturcarnoſae: ut piſcina piſcium, cui palaeſtram Cicero conjungit, ut ſic loca piſcium & carnoſorum animalium diſtinguat. hinc *aper palaeſtrita*, id eſt carnoſus, toroſus. Sane *p* tam Graecum, quam Latinum in *v* mutari noſtro idiomate, mille facile exemplis probavero. ſic a πῦρ, *vuer*, a piſcis, *viſch.*

Pag. 122. *Trifax.* Nobis telum hamatum, quod cum impetu dejicitur, *Drybaeck.* Quanquam enim Feſtus dicat, telum trium cubitorum, late forte cubitum accipit pro paſſu Pliniano, i. e. *vaem*, *vadem* i. e. extenſione brachiorum. Caeſar certe & Athenaeus decem vel duodecim cubitorum faciunt, qui proprie capiunt cubitum, & in tres paſſus eorum deductio incidit. An igitur Ennius telum trifax q. *drie-vaem*? certe; produxit *trifāci*, ut non videatur a face deduci.

Pag. 148 Viginti Plauſtra *coriis* ac minoribus ſagittis onuſta. an *corytis.*

Pag. 162. *Rotabant circa caput, & vires ita dabant*] L. 1. Reg. c. 25. v. 29. rotatio & impetus conjuncta. Porro anima inimicorum tuorum rotabitur in impetu & circulo fundae. Ita Hieron. Hebraei, in palma fundae, Graeci ἐν μέσῳ σφενδόνης loculamentum lapidis intelligentes, quod rotundum.

Ibid. *Terra fundae ſimilis*] an quia forma ovali? Anſelmus in laude Virginitatis de caelo: *quam* (creaturam rationalem) *teres vertigo caeli ad modum retaxtis fundibuli circumgirat.*

Pag. 176. Leo Imp. (*Virutta quae Rhiptaria* dicuntur) an *Rhutaria*, *Rhuyting* Flandris telum ſimile. ſed erro: Excerpta poſt Conſtantinum Porphyrogenitum ῥιπτύσται, ῥιπταίεια. credo intelligi ejectamenta & ſordes, quae e caſtris projiciebantur. Hinc forte porcorum proprium *verrueten*, *vrueten*, ſordes ſcrutari.

Ibid. *Gaeſum.* Sibylla γαισὸς. & Statio *gaeſſa*, unde fecere *geſta.* Servius virilem haſtam exponit; an q. ταὶ ὀιστος. ut Gajus Gajam dicunt.

Pag. 179. Herodian. 11. Ἀλβολία, an non *Javelyn*? Illyricis tribuit. & ſane alia multa ſunt verba Illyrica, quae noſtratia.

Pag. 174. Leo Imp. *Maſtriobarbalum.* Excerpta poſt Conſtantinum Porphyrog. *Marzomabulon* dicebatur, quod nunc *Saliba.* an pro, ἁλιβάσια, id eſt τῇ θαλάσῃ ἀπολῦσαι, id eſt, purgamenta quae ad mare deferebantur per fluvium. credo me ſic in Favorino olim legiſſe.

Pag. 180. *Cateia*, Irenicus l. 4. Exegeſeos Germanum ſcutum facit. addit teſtimonium ex xx. l. Sid. Apoll.

Quondam fracte ſubis Cimber, clypeiſque gravatus
Ante manus ſolitas juſſi portare cateias.

ſed quis ille xx. liber Sidonii.

Pag. 197. Ammian. l. xxvii. Sagitta eſt *cannea* inter ſpiculum & arundi-

nem multifido ferro coagmentata. an *caucea*? *caucus* Bedae poculum ferreum ventroſum, ut hîc ſagitta cannea deſcribitur. non enim capio quo modo dicatur canna inter arundinem & ſpiculum, niſi cannam majorem arundine intelligat. ſed tu ipſe cenſes ferrum excavari, cum (*quod*) loco (*quae*) ſubſtituis, & ad ſpiculum refers. caucus, caucalium, baucalium eadem. Neſcio an ſic in Apulejo legendum. *Inter orci caucos adhaeſiſti.* pro (*cancros*) ut ad urnam Aeaci alludat, cui ſortes & nomina demortuorum impoſita. Et plures videntur urnae fuiſſe. hinc Aldelmus in Joanne. *Gemina damnatus urna.* hinc & Orcivus theſaurus Naevio.

Pag. 205. *Funibus chalant.*] Vincent. in Speculo Doctrinali, *funibus calant.*

Pag. 149. *Directae trabes*] Recte in longum poſitae. ſic Plautus Curculione. *Clypeatus elephantum ubi machaera dirigit.*

Capio enim, in latum vel longum transfodit, id eſt, *rygen aen 't ſweert.* ſic forte Plinio recta ungulata tunica, id eſt, diſciſſa & annulis aſtricta. ſic *Regia.* niſi utrumque malis a Graeco, ſcribendumque *Rhecta*, *Rhegia.* Scio quid Feſtus ſentiat in Recta, & Regillo. nec forte diſſentit. in hoc forte omen novae nuptae, & liberis in togis virilibus. An ſimile quid in nuptiis noſtris manſit? nam primo a nuptiis die, diviſam introrſum tunicam induunt novae nuptae. Neſcio an *Zebillie* pro *Zobiellie* huc alludat.

Pag. 20. [1] *Mangana*] technas impeditas & invias Hiſpani *magañas* vocant. voce Graeca.

Pag. 21. Deut. xx. Hîc noſtri recentiores cum Rabbinis negarent proprie de machinis Moſem loqui, nam vertunt, *munitionem* aut *propugnaculum*: & videntur favere LXX. qui; χαράκωσιν ἐπὶ τὴν πόλιν. Vallum ergo, dicat aliquis, non machinas. Sed evolvi facile. Vallum a LXX. vocari machinas omnes, quibus arctatur & cingitur urbs; quo in numero, vineae, turres &c. Rabbini vero illi falluntur ut ſolent. iiſdem nos conſonantibus *Metzer*, galli paullo aliter *Maſſon*, hinc etiam Latinis *Maceria*. MATZOR מָצוֹר a צוּר TZUR (ſi non ipſum radix) non obſidionem primario, ſed quod anguſtat & ſtringit atque coarctat, ſignificat: & inde ad obſidionem traducitur. An non hoc de turribus & ſimilibus machinis intelligitur aptiſſime. ſtat etiam pro noſtra verſione Paraphr. Chaldaeus, cujus verba idem ſonant. ſtat Joſephus lib. 4. cap. ult. qui, ἐκ πάσων μηχανημάτων. ſtat Vatablus Hebraicae linguae callentiſſimus, qui; *machinas obſidionales.* Maneat ergo penes Judaeos origo machinarum: nec pro Graecis quis pertendat. fortaſſis etiam intelligendi, Periclem inter Athenienſes primum ab Artemone uſum. Verum enimvero (Lipſi) fortaſſis hoc loco Moſeos, noſter machinam latiſſima ſumpſit ſignificatione, pro vallo, aggere, & omni inſtrumento ac munitione obſidendarum urbium: ut vereor ne malivolis locus iſte haut ſatis firmare videatur ſententiam tuam, quam in fine quoque capitis repetis. Poſterioribus quidem temporibus, ante tamen opinor Peloponneſiacum bellum, clarum ſuppetit teſtimonium, ſub Ozia Rege (Amulius tunc apud Latinos Rex) cap. 26. lib. 2. Paralip. verſ. 15. ubi recentio-

res

[1] Et haec reperimus, ſed manu Delrii ſcripta, ad Lipſium.

res quoque conſentiunt, de machinis bellicis iſtis agi. In Machabaeorum Hiſtoria frequens mentio, ſed illa tempora poſteriora.

Pag. 67. Quaeſo (indicari mihi cupio, nam nondum inveni) ubi D. Hieron. *loriculam* vertit: in noſtra quidem Deut. 22. *murum tecti per circuitum exſtat?* vertit quidem Vatablus *loricam*, & alii recentiores: & vocabulum Hebraeum מעקה *Maghachech* ſignificat aliquid arctans & includens. ſolebant aedes Palaeſtinorum eſſe ſuperius planae ad deambulandum & apricandum (ſolaria vocabant, Hiſpanis, *ſolanas*) ſtrata lateribus, vel caemento indurata & nonnihil in marginibus declivia, ut inde aquae defluerent. ſecuritatis ergo, & praetereuntium & inambulantium cauſa, cingebantur aliquo vel muro, vel alio ſepimento aut munimento; non quattuor digitorum altitudinis, ut ſomniat *Cammius*; ſed quattuor circiter pedum, ut inde liceret deambulantibus deſpicere in plateas; decidere non metuerent. Ex tali ſolario vidit David, quam vidiſſe tota vita poenituit. *Cajetanus* dicit *Pectoratas* vocari. *Gader*, h. e. ſepimentum *Jarrhius* Judaeus exponit. Chaldaeus Paraphraſtes, גדרא *theiacha*, quod idem *Jarrhius* docet munimentum ſignificare. Ex quibus colligo & uſum hujus familiaris loricae & altitudinem, & materiam, aliquando ex latere vel lapide, aliquando ex vallis vel lignis aliis.

Pag. 70. Quaeſo ullumne exemplar vidiſti Tibullianum, in quo; *cervos*, & non *nervos* legeretur. nam ante annos viginti ſic & ego; & *Guellius*, tantum ex conjectura correximus.

Pag. 111. Tertulliani verba vellem integra poſuiſſes, & ſimul lucem aliquam illis, quae omiſiſti verbis, *trabes machina eſt*; in quibus mihi tenebrae & ſuſpicio de mendo. num *trabs e mach.* aut quid ſimile.

Pag. 115. In Ammiani verbis vide num male deſcripſeris, *Poliorcetes eſt oppugnatus*, pro, *nominatus*, aut quid ſimile.

Pag. 120. In Athenaei loco, bonum, ſi quod teſtimonium adderetur, quo καλαμίδαις de militibus, & non machinis: maxime cum ſubdatur, de aliis telis.

Pag. 160. Ego vero vix dubito Phoenices ab Hebraeis hoc ut cetera multa accepiſſe; nam etiam Jobi tempore, qui vel ante Moſem vel ei coaevus, & unus ex poſteris Eſau, funda nota: c. 41. & vel ante tempus Othonichi (juxta Joſeph.) vel ipſo Judice Iſraëlis (ſecundum *Seder olam*) cum Benjamitae funditores peritiſſimi Jud. c. 20. quando vix noti Phoenices.

Pag. 180. Noſter MS. *teutonas vocant*, puto germanum, h. *teutonicas*. Noſter ille idem, *Cajam*, non, *cavam*: & dixerit ille idem ſcriptor corrupte *Cajam* pro *Catejam*; vel cum abbreviate ſcriptum eſſet, Iſidorus legerit; *Cajam* errore, quod *Catejam* legendum.

Pag. 184. Fallere Graecos, & quod ſolent, veros non eſſe, nihil ambigo. qui jam inde ab Iſmaële Abrahae filio Sagittariam duco. Gen. 21. poſt & ab Eſau Jacobi filio, Gen. 27. Confirmat quod Hebraea d. c. 21. multiplicis ſunt ſignificationis; ſignificantia inter cetera, Oleaſt. *multiplicantem arcus*, vel Vatabl. *peritum*, ſive Hamer. *magiſtrum arcus*: quae ad inventionem non male deflectantur. Ipſum quoque nomen *Schutter*, ab Hebraeo aperte ducitur, quibus arcus קשת

cheſcheth, a ſono: inde *geſchut*. Hoc malo, cum Hebraea ſit prima & matrix linguarum ceterarum.

Pag. 198. In emendatione Heſychii: vide ne de asbeſto aut ſimili ſpecie lapidis egerit.

EPISTOLA DCCCXXXI.

SEBASTIANUS MACCIUS DURANTINUS

J. Lipſio.

Levanium.

ILluſtre, & peracre ingenium tuum ego ſemper ſum admiratus, teque ipſum, tuasque animi dotes, egregias profecto, & ſingulares, omnibus verborum ornamentis pro mea in te, mihi quidem minime notum, ſed cognitum, ac perſpectum, obſervantia proſecutus ſui; non enim ſolum jugem de tuis virtutibus doctiſſimorum virorum praedicationem ubique gentium audivi, ſed etiam multitudo, & copia librorum, qui jam abs te in omnium hominum utilitatem editi ſunt, aperte teſtatur, te verum eſſe bonarum literarum columen, & reſtauratorem. Expectabam profecto annis ſuperioribus, ut Bononiam, quo fueras accerſitus, non ſine maxima tui ipſius laude, & gloria, te conferres, ut, quam tibi abſenti debebam, debeoque in praeſentia, obſervationem, ac reverentiam, praeſenti maxima cum animi mei voluptate exhiberem. Sed caſu, neſcio quo, factum fuit, ut nolueris venire, deterritus, credo, tam longo itineris intervallo; hoc enim uno literarum profeſſoribus nihil eſt moleſtius. Quamobrem, quî poſſum hoc tempore meum in te animum oſtendere? Te diligo equidem. Imo, ut verius dicam amo. Sed quo amore, cum nulla mihi tecum propter interpoſitos montes poſſit eſſe familiaritas? Obſervo etiam; ſic enim eſt dicendum de eo amoris vinculo, quo peritiſſimi literarum profeſſores complectuntur. Sed eſſet hoc etiam parum, niſi quoque te colerem ex animo. Atque, ut hanc meam erga te voluntatem aliquo ſignificationis genere declararem, decreveram ad te mittere *Soteridem* meam, opus verſibus confectum, ac typis impreſſum, de humani generis Redemptione, in quo etiam reliquas omnes Chriſti actiones, Epiſodice tamen, recenſui, ut res ejus geſtae omnes, & vitae totius quaſi curriculum tanquam in ſcena videri, & conſpici poſſent. Sed defuit mihi mittendi facultas; iſti enim bibliopolae ex propria conſuetudine multa pollicentur, ſed nihil unquam faciunt, quod imperantis, & mandantis voluntati ſatis morem gerat. Si opus ejuſ-

1 Reſpondet Lipſius v. Centur. Miſc. Epiſt. 54.

2 *Maccii* hujus laudes poſt *Nicium Erythraeum* in Pinacoth. pag. 277. ingenti praeconio celebrat *Morhofius* de Patavinitate Livii cap. 1. librum ſcripſiſſe de bello Aſdrubalis didici ex *Naudaei* exercitatione de Sena, quae nunc Theſauri Italiae Tomo VII. eſt addita, ubi diligentiam ſingularem in explorandis locis Piceni & deſcribendis commendat pag. 8. & 28. & aliis in locis: prodiit Venetiis 1613. in omni ſcientiarum genere fuiſſe eruditum & exercitatum adfirmat *Erythraeus*. Vitam *Maccii* celebraſſe *P. Gibelinum* refert *Konigius* in Biblioth. pag. 491.

Digitized by Google

ejuſmodi in manus tuas perveniret, exiſtimarem non eſſe injucundum cum propter Chriſtianam pietatem, quam profiteris, tum etiam propter ordinem, & methodum, quae a me in eo pangendo ſervata eſt; volui enim, quamvis hoc jam ab omnibus orbis terrarum hominibus judicatum eſſet fieri non poſſe, Chriſti redemptoris actiones poëticis numeris deſcribere, nihil tamen diſcedens ab Ariſtotelicis de Poëtica facultate praeceptis. Atque id, ut doctiſſimi homines (abſit verbo invidia) mihi perſaepe ſignificarunt, ad amuſſim factum, ſervatumque a me eſt. Quin etiam *Soteris* eadem in compluribus locis, & gymnaſiis publice ab interpretibus, & magiſtris ſacrae Theologiae, artiumque liberalium profeſſoribus declaratur. Si me docebis, quam debeam inire rationem, ut ad te mittatur, nulla a me interponetur mora, quo minus hoc aere alieno graviſſimo me quamprimam eximam. Nonnulla etiam alia hiſtorice conſcripta paucis ab hinc diebus a me prodentur in vulgus, quae etiam curabo celeriter ad te perferenda; utarque ea mittendi facultate, quam tu ipſe mihi offeres in praeſentia. De te cum *Felice Paciotto*, Philoſopho acutiſſimo, & cum *Baptiſta Guarino*, equite, ac Poëta celeberrimo, ſermones habeo creberrimos; cupimuſque omnes, ego vero in primis, ut unam vultus tui effigiem aeneis tabulis impreſſam, vel peritiſſimi alicujus viri manu delineatam ad nos mittas, ut eam ipſam, tanquam te praeſentem, intueri, & contemplari poſſimus. Atque, quemadmodum noſtrae bibliothecae, unaque in primis bibliotheca Sereniſſimi *Franciſci Mariae Ruverei* Urbinatium Metaurenſium Principis, praeter aliam innumeram, ac prope infinitam librorum, eorumque praeſtantiſſimorum, ſupellectilem, exornatae ſunt tuis inſignibus literarum monumentis, ita etiam hoc uno decorentur tuae imaginis ſplendore. Erit hoc nobis ingentiſſimi beneficii loco. *Franciſcus* vero *Maria*, *Sancti Angeli Comes*, intimus familiaris ejuſdem Principis, quam ſaepe mecum de te loquatur, teſtis ſum ego ipſe, & coeteri, qui nos de te loquentes quotidie audiunt. Te mirum in modum amat, ac nomen tuum veneratur. Noviſſime ad nos delatus eſt tuus ille Seneca, in vitam prorſus abs te revocatus. Quam vero elegans, quam doctus, quamque eruditus exiſtat, tibi etiam ab aliis ſignificatum exiſtimo; ego enim eum admiror, & ex tuis eruditiſſimis praeceptis diſciplinae Stoicae, ut politioris elegantiae, miro teneor deſiderio. Propter hoc cumulus etiam aliquis acceſſit ad meum in te amorem, ſi tamen aliqua in parte ille augeri potuit. Perge, vir doctiſſime, atque alia in dies ede tui ingenii monumenta, ut unus omnibus ſemper profuiſſe videare. Tuus ille Cornelius Tacitus, nunquam ſatis commendatus, ab eodem Sereniſſimo Principe, tam docto, & perito, quam benigno, & perhumano, nunquam de manibus poni conſuevit. Tot enim, tantaque abs te uno animadverſa ſunt, quot nunquam viderunt omnium hominum oculi. Te hominem dicit coelitus miſſum ad bonarum literarum ſtudia in lucem reducenda. Ejus vero teſtimonium non flocci faciendum eſt: non ſolum enim eſt omni liberali doctrina politiſſimus, ſed etiam miris modis philoſophicas, theologicasque rationes profitetur. Habet etiam in ſua Aula peritiſſimorum familiarium catervas. Iis autem ita circumſe-

ptus

ptus inambulat, ut omnes omnium aures ex ejus ore pendere videantur. O utinam illum posses noscere, posses intueri, posses alloqui; semel enim eum tantum conspectum nunquam dimitteres. Sed haec, multaque alia, quae in praesentia consulto omitto, universo terrarum orbi nota sunt. Quapropter tu hanc meam excipe erga te, resque tuas omnes propensissimam voluntatem, atque me ama, ut meum erga te studium in dies expromere cumulatius possim. Vale, Pisauri VI. MDCIV. Idus Quintilis.

EPISTOLA DCCCXXXII.

J. LIPSIUS

Olivario Manareo, Sacerdoti Societatis Jesu.

Bruxellas.

ADmodum Reverende in Christo Pater. Si ad quemquam munusculum hoc mittere, certe ad R. tuam debui, vel a tuo, vel a meo affecta, qui sic volebant. Scio enim quam R. tua, & pleraque omnis Societas affecta sit in hanc DIVAM, scio & benevolentiam, qua me dignatur prosequi; itaque & ego vicem reddere provocor, & quod munus includit, cum licet, rebus testari. Facio, mi Pater, si non in magna re, tamen sacra: & rogo uti ab hoc aspectu ames, & me, qui sum censeas, id est, planissime tuum. DEUM & DIVAM oro tueri longum & firmare R. tuam & rempub. erigere lapsantem. Lovanii. postrid. Id. Sextil. CIↃIↃCIIII.

J. Lipsius.

Unum hoc seorsim R. P. scribo. Intellixisse me a P. Rectore, itemque ex literis R. V. ad P. *Leonardum* meum, agi de titulo *Consiliarii status*: quem vereor invidiosum apud quosdam fore, & ego minore profecto contentus esse possum & debeo, ac sufficiat simplex, *Consiliarii S. Celsitudinis*, qui solet etiam Quaestoribus & aliis dari. Nam rogo, R. V. animum interiorem meum norit, non ambio titulos: neque vel minimum cupiam, nisi ex dignitate ipsa studiorum & doctrinae videretur, non censeri in grege, quibus Deus aliquid praeter ceteras in iis dedisset. Ego hîc in publicis consessibus agmen Professorum soleo claudere, quod exteri, si qui veniunt, mirantur, & quidam eorum, qui me solo Doctoris titulo praeeunt, inter auditores meos fuerunt. Quid facio? ambitiunculam meam detego: sed merito, apud medicum. velim totum meum pectus videas, & fenestram ei Prometheus (veteri voto) indidisset. Vale R. P.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA DCCCXXXIII.

J. LIPSIUS

Olivario Manareo.

Bruxellam.

REverende in Chriſto Pater, & ſemper mihi venerande. Accepi literas, quibus amanter, prudenter, pie me hortaris, ut ſcriptionem ſuſcipiam & exſequar miraculorum, quae Beatiſſima Virgo in vicinia voſtra, Colle aſpero, aſſidue patrat. Quid ego tibi petenti (meo animo jubenti) aliud abnuam, mi Pater? nedum ut iſtud, quo religio & ipſe affectus meus me vocant. Corde colo, & afficior erga hanc Divam: & utinam poſſim in honorem ejus, quae velim! potero autem illa adſpirante, & te R. P. precibus tuis auxiliante. ſed audi, quae me morata ſint, aut morentur. Primum Antiſtes Antverpienſis hoc operis ſuſceperat: & ipſe mihi ſcriptum ſuum oſtendit, & reliquit diſpiciendum. Alieno labori haud libens intercedam, neque pudorem meum decet, praeſertim talis illius viri. Acceſſit denique propria mea occupatio, quia nunc *Senecam* totum edo, itemque *Monita & Exempla Politica*: in quibus vel corrigendis vel alibi augendis, ut fit, ſic occupor, ut aegre ad aliam curam me donem. Quid? quod valetudo me abjicit? & hanc aeſtatem ſic infeſtam habui, ut aegre aut vix fuerim corpuſculo ſuſtinendo. Tamen ſepono omnia, te ſuadente & animante, nihil obduco: moram tantum brevem poſtulo; qua & coepta illa profligem, & vires ac ſpiritus recipiam ab aegrimonia imminutas. Tum vela pandam, & in aequor me dabo. proveho autem, & juvabis, o pater, (ſupplex peto) ſacris precibus tuis, & (ſi auſim addere) tuorum. DEUS & DIVA R. V. incolumem diu, & pro bonorum votis praeſtent. Lovan. III. Kal. Octobr. CIↃIↃCIV.

EPISTOLA DCCCXXXIV.

J. LIPSIUS

Olivario Manareo.

Bruxellam.

ADmodum Reverende in Chriſto Pater. Diutius imperare animo & affectui non poſſum, quin erumpat in gratias, & benivolentiam hanc tam inſignem, imo beneficentiam, non illo ſolum incluſam geſtem (quod ſemper erit) ſed verbis etiam & ſtilo iſto prodam. Debeo mi Pater, debeo, & quis parens magis amanter, magis ſollicite, de filio cogitet, atque agat? Accipio beneficium, quomodocumque res cadet, & hoc teſtimonium tuum & de me judicium, pluris facio, quam quidquid a Principe poteſt obvenire. Nihil hîc blande, ſed rem dico. Ceterum de ipſa re, nihil equidem habeo, quod ſuggerere prudentiae tuae poſſim: niſi (quod ſcio illam facere) cogitet de vale-

tudine mea hac tenui ſemper & incerta, nec poſſe eam ad res ullas civiles aut actiones utiliter admoveri. Scit R. V. genus vitae meae a puero, ad has aevi metas, ſemper quieti & tranquillitati, & uno verbo, Studiis conſecratum: rogo ut in eo finire mihi fas, nec ſenem, ſine uſu rerum, & levi auditione vel lectione tantum earum gnarum, quocumque colore ad illas mitti. Crede mihi de me, mi Pater: non ſubſiſtam, & clitellae bovi impoſitae rideantur. At eadem illa aetas, & valetudo, poſt annorum triginta ſex continuas ſcriptiones aut lectiones, quietem aliquam & ferias non injuria ſibi poſcit, & ab optimi Principis benignitate ſperat. Atque id ſine publico detrimento, aut Academiae noxa futurum, audacter ſpondeo. quia neque totus deſinam, & per intervalla etiam legere potero; & idoneum aliquem ſucceſſorem (qui nunc praemanu eſt) reperiam, quem ipſe paullatim dirigam, inſtituam, & formabo. Cui rei magno impendio opus non erit. nam quadringenti floreni ſi a Sereniſſimo noſtro impetrantur, ſuffecturos in me recipio; & ipſe in veteri honorario meo acquieſco. Illud ipſum temporis, aut aevi, quod mihi reliquum erit, lectionibus ereptum, ſtilo (ſi Deus volet) impertiar, & plane otioſum otium meum non habebo, nec indoles aut natura mea patiatur. Plura brevi cum R. V. agam, & una cum Monitis & Exemplis Politicis Bruxellam veniam, quae Principi noſtro inſcripta ipſe, de tuo conſilio, ſum oblaturus. Interea gratias, quas dixi, repeto: nec dies ex animo avellet, vel ille extremus etiam, ſi boni ſenſus & virtutes poſt mortem perſeverant. Deum rogo, diuturnum te Eccleſiae, & bonis omnibus, bono omnium eſſe. Vale, Reverende in Chriſto Pater. Lovanii, v. Kal. Febr. ↀↀ.ıɔc.v.

Diva Sichemienis tua (nam te auctore ſuſcepta eſt) ad Antiſtitem Mechlinienſem ivit, a noſtro cenſore approbata.

EPISTOLA DCCCXXXV.

D. FRANCISCUS QUEVEDO

J. Lipſio.

Lovanium.

Dii tibi dent annos: a te nam caetera ſumes.

PHoenix aetatis famam adhuc velem, & pietatem tuam cognoſcere: & ideo has tibi litteras mitto, quibus nil, praeter candidum amorem, niveamque ſolicitudinem polliceor. Lipſius es, lynceus: lippus ſum. Igni Veſtalium lucem attuliſti, vidi, vidi, totum ſolem agnovi. Fuerunt (ut ais) qui libarunt, & ego Hiſpanos veſpertiliones vidi volantes per umbram, & opus inane foriis, plenum typis parabant; caſtos, non doctos illos appellares. Virgines enim, quas prae manibus habebant, intactas reliquerunt. Quapropter toto corde de Veſtalibus ſcribere decrevi. Virgines tetigi non profanus, ſed ſtudioſus. Dicebam cum Eliu, *Junior ſum tempore, vos autem antiquiores: idcirco demiſſo capite veritus ſum vobis indicare ſententiam meam: Sperabam quod aetas*

pro-

prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret ſapientiam. Sed ut video ſpiritus eſt in hominibus, & inſpiratio Omnipotentis dat intelligentiam. Non ſunt longaevi ſapientes, nec ſenes intelligunt judicium. ideo dicam audite me. Cecidit ſpiritus ille tuo docto Syntagmate, cecidit, ſed adhuc non ut antea de Veſta, de numero Virginum, de poena, vel praemio, de igni, de templo, (tu haec exactiſſime) de ſubtili quaeſtione agere inſtitui. Quidquid ſcribam, dubia manu, ſuſpenſa mente ſcribam. mittam, corriges amiciſſime, ac de tua valetudine certiorem facies. Vale noſtri memor. Pinciae, & Septembris. 4. Anno. 1604. Arnobii nodum (meo videri) ſic ſolvo. 2. adverſ. Gent. *Idemtidem in alios mores, ac ritus priorum condemnatione tranſiſſe* —— Addis tu, mi Lipſi, Tum adjungit, & aſtruit. *Nunquid magiſtratus per populum creatis? In poteſtatibus obeundis leges conſervatis annarias? In penetralibus Veſtae ignis perpetuos ſervatis focos?* Quas omnes interrogationes negandi mente ſuſcipi palam dicis. Concedo, ſed non abſolute, ſed his exceptionibus. Non negat Arnobius creari magiſtratus, ſed per populum creari. non negat conſervari leges annarias, ſed conſervari in poteſtatibus obeundis. non negat perpetuos ſervari focos, ſed ſervari in penetralibus Veſtae. Idque roboratur ipſiſmet Arnobii verbis cum lib. IV. ait; *ſedent in ſpectaculis publicis ſacerdotum omnium, magiſtratuumque collegia; necnon & caſtae nutrices, & conſervatores ignis perpetui Virgines.* Amiſſam Arnobius flet religionem, omnia enim nimia licentia profanari conqueritur. Quod non repugnat dictis, quia idem eſt ac ſi diceret. Jam Virgenes non antiqua religione celantur; ſedent in ſpectaculis, non propriis in locis. idem de ſacerdotum collegiis. Reſcribes pro tua humanitate. & de nodo candidum, vel nigrum calculum amo. Iterum vale: Manu aliena, nam propria langueo.

Reſpondet ad hanc *Lipſius* v. Centur. Miſc. Epiſt. 55. *Franciſci* vero *de Quevedo Villegas* (hunc enim noſtrum eſſe puto,) vitam, eruditionem & fata deſcribit *Nic. Antonius* in Biblioth. ſcriptor. Hiſpan. recentiorum tom. 1. pag. 352.

EPISTOLA DCCCXXXVI.

D. FRANCISCUS QUEVEDO

J. Lipſio S. D.

Lovanium.

AD incitas uſque (ut ajunt) fui redactus, deficiebam: ſed tuae literae mihi pro Eſculapio fuere. Vivo, ſed valetudinarius, & ſalute miſſa a Lipſio, ſalutem amiſſam adeptus. *Pallentes* (ut ait ille) *morbos* excutio. Nunc verbis virtutem ineſſe credo, non a Magia, ſed a tua doctrina: & ideo quae olim ſcripſiſti lego. Quae ſcribis opto pro futuris laboribus tibi a Deo vitam, & ab illis mihi. Veſtam tuam denuo illuſtratam mittas rogo. Nulli fas, niſi Lipſio penetralia illa penetrare. Ignita Dea igneum ingenium expectabat. Scribe

1 Reſponſio eſt ad Centur. v. Miſc. Epiſt. 55.

inceſſanter: tuis laboribus conficis tibi *monumentum aere perennius*, & non tantum *magna pars tui vitabit Libitinam*, ſed Lipſium totum ignorabit Libitina. Seneca noſter te totum habet, & non aliter totum Senecam habere poſſumus. Felix ille, qui tuo labore ante ultimum ſolem mundi iterum vivus *volitabit per ora virum*. Bellis ferrea veſtra tempora videntur, ſed tuis ſcriptis aurata ſecula emulantur. Credo & Marti, non Minervae facta, ſed tu facis. Quid de mea Hiſpania non querula voce referam? Vos belli praeda eſtis. Nos otii, & ignorantiae. Ibi miles noſter, opeſque conſumuntur. Hîc nos conſumimur: & deſunt qui verba faciant, non qui dent. Viduo pede ambulant melioris notae viri: ſed ſolamur. Διὸς μεγαλοῖο ἔκηλα. Politicas tuas maternae linguae dedit D.[2] *Bernardinus a Mendoca*, caecus ille Tireſias, Argos ille caecus. Feliciter ſpero, ſed magis opto. Conceſſit naturae vir ille: cujus monitu patrio ſermone (id fortaſſe haut maturo conſilio) injurias Homero illatas a *Scaligero* vindicare fuit animus: occaſione ſumpta a tuis in Vellejum notis. Fave. Mihi numen eſt. *Votiſque aſſueſce vocari*. Vale noſtri memor. Pintiae. 22. Novem. ann. 1604.

Sed eus amice, quid tibi videtur de his Lucani carminibus in. VI. vſ. 712.

Janitor & ſedis laxae, qui viſcera ſaevo
Spargis noſtra cani.

Si Cerbero loquitur, ipſe *janitor* appellatur. Quis eſt iſte canis, ſi ipſe Cerberus canis eſt? Janitores enim canes, & canes Janitores vocabantur ab antiquis. Sic *Aeſchilus* in Agamemnone: citatur a *Scaligero* in ſuis conjectaneis. *Hortenſius* in ſuis commentariis ſic. De Cerbero loquitur Lucanus, & nihil aliud: il. fas corrigere paucis mutatis ſic corrigo locum.

Janitor & ſedis laxae, qui viſcera ſaevus
Spargis noſtra canis.

Et conſentaneum videtur dictis: ſed non fas, meo videri, & ideo lucem affero dificultati his verbis Laërtii in vita Pitagorae lib. VIII. 31. Porro *Mercurium animarum quaeſtorem eſſe, atque ideo deductorem dici janitorem ac terrenum*: & ucusque Laërtius. idem inſinuare videtur Lucanus: qua propter meo videri Mercurius Janitor illè eſt, qui Viſcera ſpargit cani ſaevo, id eſt, Cerbero. Suſpicor aliquid peculiare includi illis verbis *Viſcera noſtra*, ad poenam veneficae aniculae. Hanc difficultatem tibi ablegandam cenſeo, Etruſcus mihi Aruſpex.[3]

2 Quem deſcribit Nicol. Anton. Biblioth. Hiſp. tom. I. pag. 170. ubi & verſorum ab illo Politicorum Lipſii meminit.

3 Neſcio quid *Lipſius* reſponderit. ſed poſſet Lucanus a Cerbero alium canem, ejus comitem, Orthrum diſtinxiſſe, quem Silius Italicus, *polluto eviſcerare ungue* dixit lib. XIII. 847. ubi vide quae Heinſius notavit.

EPI-

EPISTOLA DCCCXXXVII.

J. LIPSIUS

Joanni Viringo Sacerdoti Societatis Jesu.

LEgi, legi libellum, & in eo me, an divam Virginem dicam? ſtigmatibus compunctam. Nec de me indignatus ſum; ſed quamquam in morbo (credes hoc mihi) ſuaviter riſi. Quidni iſta plebeja, *vernaculorum dicta*, *ſordidum dentem*? Tela levia, quae non me, vix veſtem meam tangunt. Et quid repellere ea opus? ego ne poſſim quidem: neque rei aliquid video, cui inſiſtam. & fac poſſe: cum ſcurra aliquo componar? Scribant, ſcribant: ad gloriam Divae, ad meam etiam facient haec tam vana, tam imbellia. & ſcommata tolle, quid habes? ſi audior, nec alteri quidem auctor ſum reſpondendi: neque video fructum. Exſpecto e Germania aliquid ſimile, & litteris monitus ſum parari. O ſecurum me reprehenſionum, in hoc quidem argumento! & utinam alia ſcripta mea ſic munita! illud ſtabit, & fida ea tutela defendet. Vale R. P. & ſolens me ama. Lovanii Poſtrid. Non. April. CIↃIↃCV.

De *Joanne Viringo* vid. Valer. Andr. Biblioth. Belg. p. 577.

EPISTOLA DCCCXXXVIII.

J. LIPSIUS

Joanni Viringo Societatis Jesu.

SUave de Sannione illo (ſic appellavi) Batavo. O homines religioſos, & vere ſacros! jam Antverpiae acceperam de tranſfugio & perjurio. & pudet vel a talibus peti. Nam tangi, abſit haec injuria: & tamen ego obiter tetigi, & & repoſui aliquid, quod in calce DIVAE ASPRICOLLIS videbis. Forte, ciſi breve, eſt & *μεγαληγορία* aliqua noſtra apparet: cur non iſtos? Illum *a lacu* (opinor enim eum eſſe) vidi, & doctius aliquid affert, & laudes & fraudes in me miſcet. Objicit quae in adoleſcentia dixiſſe (non enim feciſſe aut ſcripſiſſe) me dicit: ſed dicit. ſumma eſt alium tunc me fuiſſe. Negare fortiter & vere poſſum: ſed itane ſolis nobis portus poenitentiae non patet, ſine crimine levitatis? Illis ad nova ire a veteribus fas eſt: nobis redire, ſi leviter deflexímus, eſt inhoneſtum. Omnia facta aut dicta tueri, non eſt hominis: ſed gaudeo, cum ſic abuſque unguiculis examinor, non aliam in me calumniam repperiri. Ego & iſtum, & proles ejus omnes male mulctabo, ſi Deus aliquis vires mihi donat. adhuc quidem langueo. Tu, vale. V. R. & ſerio mihi amice. Lovanii VII. Kal. Majas CIↃIↃCV.

EPISTOLA DCCCXXXIX.

J. LIPSIUS

Carolo Scribanio.

AMphitheatrum tuum vidi, in quo pro honore veritas depugnat, & illum aſſeruit, & hac vel factioſorum ſuffragiis vicit. O raram & doctam manum! o felicem defenſum! ſit tibi pro meritis Gloria, & non erit, quia e myriade litterionum (ut hodie res ſunt) non unus, qui plene pervideat aut aeſtimet ſtili tui robora, aut ornamenta. Quam omnia rara, & ex adytis litterarum petita! exhauſiſti oratorum & vatum theſauros, & veteri verbo, flaviſſas. Quis textus etiam eſt? non Arachnes omnis ſoboles tam ingenioſum. Noſtra DIVA plaudit, ſed decore: fortaſſe & mea ſcripta, quia valetudo plura inhibet, & manum ſiſtit, ne dedecoret priora. Jure mihi illa cautio eſt. aliquid tamen Sannioni Batavo repoſuimus, uno ſtili impetu: Fortaſſe & Gallo (an quem dicam? latet & nondum erui) fortaſſe inquam, ſi ſanguis & ſpiritus facient, ſine quibus equidem quieſco has partes. At non te amare, mi Pater. Lovanii III. Kal. Majas CIↃIↃCV.

Cur non ita reſpondit *Scaligero*, & aperte in laudes hujus deteſtabilis & nugacis Amphitheatri apud eum excurrit? ſed alius erat apud *Scaligerum* & *Caſaubonum*, alius apud Jeſuitas. vid. ſupr. ad Epiſt. CCXLVIII. CCCLXV. & IↃCLIX.

EPISTOLA DCCCXL.

BALTHASAR MORETUS

J. Lipſio.

CLariſſime ac Doctiſſime Domine. Folia impreſſa dumtaxat mitto; nec ulla quae legas aut corrigas. operarius his diebus negligentior fuit, nec potuit aliquid praeparaſſe in tabellarii hujus diſceſſum. At ſatis litterarum nunc mitto, ut foliorum vicem legas. quarum unas *Euphrenius* dedit, unas *Buytewechius* miſit; reliquas frater Francfurto cum bono Deo redux attulit. De Auctore Idoli Hallenſis, quidquid quaeſierit, haud potuit cognoviſſe. *Gruterus* ſerio & conſtanter aſſeruit ſe neſcire: alium in Germania eſſe, qui in eamdem DIVAM meditaretur; ſed nunc omittere. Addebat inſuper, etſi Auctorem noviſſet, malle per alium nobis eum innoteſcere: *Hyppolitum* enim a *Collibus* inimicum ſibi experiri, quod prodiderit ipſum Codicis Mirandulani Auctorem. Interea nos Pariſios ad *Somnium*, in Bataviam ad *Raphelengium*, ſcripſimus; ſi forte illic noviſſent. At parum eſt de hoc Auctore ignoto. majoris tibi momenti eſſe opinor, Oratiunculae Jenenſis de duplici Concordia Auctorem a fratre meo in nundinis deprehenſum, *Melchiorem Goldaſtum*, vigin-

ginti ſeptem circiter annorum adoleſcentem, pauperculum, etſi nobilis haberi velit, ac proinde malis iſtis fraudibus victum quaeritantem, Jenenſium dominorum ac miniſtrorum aſſeclam, quorum conſilio lepidam iſtam oratiunculam dictarit, ac inſuper lucellum ex ejuſdem venditione exſpectarit. nam ſuis ſcilicet impenſis excudi curarat, & bibliopolae deinde ſuo nomine vendendam commendarat. Sed operae pretium ſit latius explicare, quibus indiciis eum frater auctorem cognorit. *Gruterus* ad fratrem primum venit: & quid, inquit, Morete, num Hieroclis Facetias vidiſti, Satyricum in eruditos libellum? Nebulo ille *Goldaſtus* in lucem protulit; & opinamur eumdem Auctorem, etſi neget. ille ſcilicet eſt, qui Paraenetica vetera nuper edidit cum Notis *Rittershuſii*, quas malo furto & abſtulerat, atque ipſo inſcio evulgavit ſceleſta & hominis impudentiſſimi fide. imo quod lepidiſſimum eſt; ſui laudatiunculas admiſcuit, *Rittershuſio* quaſi auctore. Ipſo initio Conjecturarum legas: *Palmaria eſt emendatio Melchioris Goldaſti ab Haiminsfeldt, auditoris atque hoſpitis quondam mei ſuaviſſimi.* Ille inſuper eſt, qui Oratiunculam Jenenſem falſo nomine Lipſii divulgarat. Reſpondet frater, & ſimulat ſe jam ante noviſſe: Quid? idem ille *Goldaſtus*, qui de duplici Concordia edidit? Is ipſe, inquit. Prima haec actionis ſcena eſt. Secedit *Gruterus*, & *Goldaſtus* cum ſuo libello prodit. Ecce, inquit, Morete libellum; quem rogo te ad Lipſium curare. Quid? reſpondet frater, ſolum libellum? nec ullas Auctor addat litteras? an tanti ei non eſt Lipſius, ut epiſtolii laborem impendat? Nomen, inquit, meum infra ſcribo: *Incomparabili Viro J. Lipſio Goldaſtus.* idem Paraenetica mea nuper per te ad eumdem miſi. Itane, ſubjicit frater. ſed dic ſodes, an non & tu auctor Orationem de duplici Concordia alias ad Lipſium quaſi auctorem miſiſti? Obſtupeſcit miſer ad haec verba; totus pallet, tremit, & aegra voce vix tandem negat. Tertia jam ſcena prodit iterum *Gruterus*: *Goldaſtus* amico cuidam ſuo queſtus eſt, Morete, quod ipſum redarguas & novi libelli & Orationis Jenenſis auctorem. at ſaltem non mei meminiſti, qui indicaſſem. Minime, reſpondet frater. nam de novo libello, nomen ſuum exemplari ipſe ſubſcribit, quod Cl. Lipſio miſſum deſiderat. Miratur *Gruterus*, & per fidem noſtram quaeſo, exemplar iſtud ſervem, quo eum Auctorem convincam, quod hactenus negat; atque aliud Lipſio redde. Permitto, inquit frater, ſed ea lege, ne reſciſcat tibi me oſtendiſſe, tantum te fortuito in taberna deprehendiſſe. Admitto legem, inquit *Gruterus*. Poſt haec tandem frater: tanquam indubitato auctorem eum ſciret. Sed quae potiſſimum cauſſa nebulonem impulit, Oratiunculam Jenenſem edendi? Nimia improbitas, reſpondet *Gruterus*, & ſpes levioris lucelli. Habes Actiunculae hujus finem, Vir Clariſſime, atque in eo epiſtolam hanc finio. Sed & litteras nefarii illius habes. nam quia monuerat eum frater, haud omiſit. Vale, Clariſſime Domine, invidia omni major. Antverpiae. in Officina Plantiniana x. April. M.DCV.

EPI-

EPISTOLA DCCCXLI.

JOANNES DECKERIUS

J. Lipſio.

Lovanium.

AMpliſſime & Clariſſime Domine, Extorſit hanc a me epiſtolam lectio libri veſtri Exemplorum; qui diebus proxime praeterlapſis ad manus meas ut pervenit, deponi ante non potuit, quam integre perlegiſſem. Nulla certe fuit pagina, ex qua non didicerim atque excerpſerim multa. Ingratus omnino eſſem, niſi ſi gratias agerem per epiſtolam tum meo, tum totius Reipub. literariae nomine; ac ſingulariter Sereniſſimi *Caroli* Archiducis: cui quotidie ſuaſu meo (ſum enim illi a Confeſſionibus) ad menſam liber hic veſter praelegitur. Legi etiam opuſculum illud, quod ſuppreſſo Auctoris nomine *Scaliger* non tam contra perſonam veſtram, quam cauſam totius Eccleſiae & Divae Virginis honorem elucubravit. Et quidem ad ea Perſonae veſtrae quod ſpectat, neque ego neque quiſquam hic, qui legit, quicquam motus eſt, vel magnopere digna cenſet ea, ad quae reſpondeatur. Illa enim per ſeſe ruunt. Peſſimam tamen cauſam contra honorem Deiparae, non peſſime tractavit homo peſſimus, quiſquis libri Auctor eſt. Fortaſſe operae precium eſſet, & res una a multis hic deſiderata; ut pro appendicula ad divam Hallenſem, aliquouſque cultus Dei matris defenderetur. Nam ut hoc factum ſit a multis Theologis, qui controverſias tractarunt, non tamen ſtylo illo florido & amaeno, quo ampliſſima tua Dominatio excellit. Quo fit ut quamplurimis qui noſtra legunt, & alia iſta nunquam vel minuſculo ſuo attingunt digito, veſter hic labor plurimum prodeſſet. In lectione porro illa exemplorum ſcrupus unus vel alter mihi adhaeſit, quem nunc D. V. A. conſiderandum vel eximendum proponam. Libro ſecundo monito 6. pag. 71. miraris ubi mens fuerit Appiano, quando initio operis ſcripſit, nec Aſſyriorum, Medorum, Perſarum tria regna ſimul congeſta aequare illud ſpacium aevi potuiſſe, quod in Romano imperio ad ſuum illud tempus eſſet. Falli illum nequicquam dubitas. Eo, quia a Roma condita ad Hadriani, hoc eſt, Appiani aevum, nongenti circiter anni ſunt, quot ipſe Appianus numerat. In Aſſyriis vero mille ducentos, trecentosve annos ſtetit imperium. Quae omnia rectiſſime dicuntur, ſi imperium Aſſyriorum illud vocemus, quod Ninus in Ninive condidit. Caeterum alia longe videtur mens & probus calculus Appiani. Qui quomodo Strabo libro 1. ſic ipſe Babylonios & Chaldaeos vocat Aſſyrios. Herodotus quoque lib. 7. *Aſſyrii*, inquit, *a Graecis Syri vocabantur, ſed a barbaris Aſſyrii ſunt vocati, inter quos Chaldaei ſunt*; & libro 1. Babylonem ait *eſſe metropolim Aſſyriae*, & Baltaſſarem filium Nabuchodonoſoris, quem ille vocat *Labinitum*, quem Cyrus devicit, *Regem fuiſſe* ait *Aſſyriae*, hoc eſt, Chaldaeae ſeu Babylonis. Quo etiam modo Xenophon paſſim, Juſtinus lib. 1. Clemens Alex. lib. 1. Strom. Euſeb.

Euſeb. Hieron. Theodoret. Oroſius ipſaeque divinae litterae crebro loquuntur. Porro Babylonem expugnavit Cyrus Anno Urbis 224. ducentis Annis praeciſe antequam Alexander Macedo ad Graecos tranſtulit Monarchiam. Uti ex Dionyſio Halycarnaſſ. & aliis liquet clariſſimis hiſtoriis. Nullus ergo error in calculo ineſt Appiani. Siquidem Monarchia Babylonis ſeptuaginta duntaxat annos ſtetit; atteſtante id ſacra ſcriptura.

Rurſus eodem illo lib. 2. pag. 99. Alexander ille Veles aſſeritur vilis fuiſſe quidam e plebe & imaginarius Antiochi filius; qui pacificus Syriae poſſeſſor factus in vitia & luxum ſe effuderit: quemque Demetrius Demetrii inter ſcorta ac menſas jactatum invaſerit, ſuperaverit, trucidaverit; denique qui in imperio annos novem & decem menſes exegerit. Auctorem iſtius hiſtoriae & chronologiae lubens noſcerem: Pugnat enim cum divinis libris 1. Machabaeorum cap. 10. vſ. 1. 20 & 50. ubi diſerte aſſeritur hic Alexander fuiſſe filius Antiochi Epiphanis, & coepiſſe regnare anno Graecorum 160. quo & Jonatham conſtituit ſummum Pontificem, & cum illo foedus icit. Anno autem Graecorum 165, quinto anno regni ſui occiſus eſt in Arabia a Zabdiel Arabe. Ibidem cap. 10. vſ. 67. & cap. 11. vſ. 16. Scio quid de illo ſcribant Appianus, Euſebius, Juſtinus, Oroſius, Sulpicius & Marianus Scotus, qui omnes cum ſcriptura pugnant, ex qua corrigendi ſunt; plerique etiam inter ſe diſſident.

Leviculum etiam eſt illud ex lib. 2. pag. 68. ubi Nimrod pronepos Noë ille eſſe dicitur, quem profanae litterae ad primorem ſyllabam alluſione Ninum appellant. Scio id ante viſum *Gerardo Mercatori* in Chronico, & multo ante Clementi Rom. lib. 4. recognition. Caeterum obſtat ratio Temporis & auctoritas hiſtoricorum. Nimrod enim conditor fuit Turris Babylonicae anno poſt diluvium 131. Porro Abraham aliquot ſaltem centenis annis eſt natus poſt diluvium, Anno fere 42 vel 43. Nini: uti ex Joſepho, Euſebio, Hieron. Auguſtino, Oroſio & aliis quamplurimis proclive eſt demonſtratu. Sola haec tria mihi occurrerunt: Poteſt fieri ut mihi aliud videatur quam veritas habet, nec tamen aliud a me fiat, quam caritas habet. Amiciſſimam proinde reprehenſionem gratiſſimo accipiam animo, ſimulque & benevolentiam agnoſcam tuam & culpam meam ſi me corrigas: Et quantum dominus dabit in uno gratus, & in alio inveniar emendatus. His finem facio: de rebus, quae hîc geruntur & nuptiis Sereniſſimae Conſtantiae, aliquid hîc attexet R. P. noſter Rector. Vale in Chriſto, vir ampliſſime, Graeci 1. Septemb. 1605.

De *Deckerio* vide ſupra ad Epiſt. DXXV. & DCLIX.

EPISTOLA DCCCXLII.

J. LIPSIUS

Franciſco Vellerio S. optat.

UBi es, mi Velleri? quid feciſti? a quibus, ad quos iviſti? O meum dolorem! florebas ut laetum germen inter tuos: quis turbo ſubitus evertit? ſi error, fraus, impetus eſt, redi, agnoſce, reſipiſce. Portus ille poenitentiae ſemper patet, & Pharus divinae bonitatis allucet. Ah redi, ſacra majorum cogita, ſacramenti tui Religionem. Et noli ad minutas diſputatiuncula ire: hîc eccleſia eſt, hîc ſucceſſio, hîc conſenſus, quae fruſtra alibi quaeras. Quid addam, ſi etiam virtutem & probitatem alibi requires, illam veram & ſine fuco. Repete memoria, quae legiſti, quae audiviſti: non conquieſcet animus, & interior meliorque ratio dicet, quid feci? cur feci? me vide, qui aetatem, & uſum habeo, & doctrinam aliquam, ac prudentiam, nec hoſtes detrectabunt. Me, inquam, vide: Trepidavi & ego aliquid in adoleſcentia: & mecum magna ingenia, nihilque novum, aut mirandum eſt in tot procellis: ſed grandior firmavi pedem, & in Religione majorum conſto, e qua nec mors depellet. Errare liceat, redire libeat, & poenitentiam, quam aeternam poenam malle. Examina illud aeternum, rem factam habes, & iterum es noſter. O quam te amplectar? quam etiam tui! nec timenda propone, quae mali, aut malus ille fingunt. Ego ſpero, & rogo: Et quocunque loco es, eriſque, te amo, atque utinam ſine exceptione poſſim! Vale, & hanc epiſtolam uni tibi ſcriptam ſcito, nec malo more divulga. Lovanii v. Idus Septembris CIↃIↃCV.

De hoc *Franciſco Villerio*, Monacho Franciſcano, ſed qui relicto Monaſterio tranſiit ad puriora ſacra, agit *Caſparus Diemenus* in Epiſt. 852. ad Lipſium.

EPISTOLA DCCCXLIII.

FRANCISCUS VILLERIUS

J. Lipſio ſuo S. D.

Lovanium.

EGo tui candoris vera jampridem habeo documenta, certam amicitiam in re incerta, & applaudentem Famam inter exſibilantium voces. Candorem exoſculor iſtiuſce modi: & ſiquid in Religione conſulis, plus hîc adferat auctoritatis, quam loquacitas aliorum. Praeterea de judicio tuo non aliter judicem, quam Naturam fuiſſe tibi parentem, non novercam. Laborem denique tuae lectionis fateor etiam admirari. ſed quantum haec differat a ſcientia, te quoque ſcire nullus ambigo. Utut eſt, eum ego te cenſeo, qui ratiocinari poſſis, ſiquis alius. Quod ais igitur Eccleſiam a te ſtare aut conſenſum, rem nihil attinere putavero. Rationes quam teſtes malim. Homo natus eſt intel-

le-

legere, non credere, niſi mancipium hunc eſſe voles ignorantiae. Si credant omnes, inveſtigandus eſt, cui credas. Ad intellectum revolveris, aut opinionem. hoc mehercules eſt errare: illud non jam credere, ſed ſcire. At longius non evagabor. Quid eſt Deus? Vis, qua res naſcuntur & moventur. Naturam liceat tua pace nominare. Quid homo? Naturae foetus, omnium animantium princeps, qui parentem colat, homines tueatur, aliis imperitet. Habes ecce Religionem, ſive nomen hoc aptius, Virtutem. Virtus eſt immortalitas, Virtus aeternum illud, quod nobis occinis, Virtus bonorum finis, Virtus pietas aut officium, quod ab homine Natura poſcit. Haec in animo ſedem fixit, non in veſte; mentis incolit penetrale, non ordinum iſtorum ſuperficiem. Omnia aſſunt bona, quem penes eſt Virtus; ſed bona, non blandientis lenocinia Fortunae. Quem commendat Virtus, Natura probat, amant homines, verentur omnia. Is generoſa Naturae proles, amicus hominum, omnium imperator. Qui contra vitio mancipatur, gerit Nemeſin in tergo. Quid mihi *Sedulius* caudas draconum ſomniat, & Inferorum neſcio quae monſtra? Mali circumferunt monſtrorum Lernam ignorantiam. huic Fortuna comes eſt. Satis Inferorum, ubi iſtae dominantur. Nihil praeſens ſtulto placuit; dependet a futuris: numquam imbibet fugientis aquas. Ut quiſque malus ſive ſtultus eſt, ita vel adverſis opprimitur, vel ſecundis illuditur, non eſt periculum, ne vexari deſinat. Scientia virtutem, haec vitam beatam parit. Inſcientia vitium, hoc miſeram mortem gignit. Quid mirum? Homo differt ab animantibus intellectu, homo deſtinatur ad ſcientiam. Officii meminit? Beatus eſt, & hominis adeptus dignitatem. Neglegit? Miſer eſt, & degeneravit in beluae vilitatem. Quid alia cottidie comminiſcimur? Non videmus alborem nivis? Non haec talia ſentimus, quidquid reclamet opinio? Spem & Metum damnarunt Sophi. bene. Nihil his enim cum ſapiente commercii. Stulti ſunt, Lipſi, ſtulti, qui Religiones ex his conflatas humani potius ingenii, quam impetus eſſe beluini credunt. Niſi puerilia ſpectra metuas, niſi pupas blandiores expectes, malus eris? Imo malus es, niſi deſinis ſic inſanire. Bono quidem & ſapienti tranquillitatem peperit intellectus: malo autem atque ſtulto fluctuationem ignorantia. Religionis medulla Probitas. Ut major ſtrepitus oſſis vacui, quam pleni; ſic loquacior ea Religio, quam opinionis ventus inanem fecit. Firmior eſt Virtutis baſis, quam ut argutiis fulciri debeat; altior ejuſdem apex, quam ut pertingant logorum fumi. Et ſimulacrorum vultus, & Divorum pompa, & ſuppliciorum iſtorum minae, & funes, & cuculli nihil ſunt aliud, quam glaucoma, quod imponat imperitis. Hic ſuperſtitionis velut fulgor, qui perſtringat aciem intuentium. Omnia Natura docet: apage aniles fabulas. Quid hominem corruptum blatiunt? Naturae lege perfici res omnes volunt. accidit, ut quid impediat: ea quoque lex Naturae, ut opponat quaeque ſuas vires, tamque valeat, quam reſtiterit. Homo ſuam quaerit temperationem qualitatum. haec modum exceſſit? Natura clamat; uti morbum Virtute corrigas: nec hoc adſcribendum Naturae fuit, ſed obſtaculo. Pueri monaſterio nos addiximus: laudat Superſtitio, Natura culpat.

pat. Obedientia ligat intellectum, ut nihil intellegat, ſed credat. Caſtitas almam generationem tollit, qua Natura hominem aeternat ac animantes. Paupertas aut opulentis relinquit opes, aut eripit opem inopibus, deſidiam quidem ac inertiam peſtem animorum adfert. Arbiter es, Lipſi, Superſtitionis & Naturae. Jam uxorem duxi: haec amare, illa jubet exſecrari. Quid cenſes? Non me beluam fore, ſi cervicem indam Superſtitionis jugo? Ecce tuum Villerium, mi Lipſi. Nos haec ſentimus, alii fabulantur, nec mentem hanc ipſa mors immutabit. Sum veri ſtudioſus, verum amplectar, donec homo. Siquid verius habes, cedo; erit gratia. Mi Lipſi, aeternum mihi ſalve.

Quam autem nihil aries Aeterni tui laedat, mecum ratione parumper puta. Nego Mortalem Aeternum illud mereri poſſe. Praeterea caelorum naturam quinctam animus ſeu ejuſdem, ſeu alterius naturae capit: magis igitur terram. Quae cum ſit pervia, regiones Acherunticas nemo vidit. Ad haec nuſquam major elementi perfectio, quam in centro: ergo terrae centro nec denſius quidquam, nec frigidius eſſe debet. Haec autem ignis loca crediderіs, quo nec ſubtilius aliud, nec calidius? Si nunc ignis agit, aut vincere, aut vinci neceſſe eſt: nihil igitur hic aeternum. Nam nec aeternum alere, niſi infinitum, nec infinitum laedi poteſt. Omnis paſſio mortis initium eſt. Poſtremum & quae pereunt, & quae permanent, redeunt unde ſunt exorta: nec aliter immortalitas aut continuatio fingi poteſt. Ergo non ante ſtatuamus, animos aeternum apud Inferos puniri, quam ſciverimus indidem ortos eſſe. Expecto, mi Lipſi, quid reſpondeas. Nam hoc aevum unum te agnoſcit, cui pateant haec arcana. Et is mihi ſemper viſus es, qui ſapientiam magis probes, quam loquentiam. Quidam Dii haberi volunt, ſi quod alius ſcripſit, aut memincrint aut imitentur. Hos ego deſpicio, te ſuſpicio, mi Amice. 1606.

EPISTOLA DCCCXLIV.

J. LIPSIUS

Florentio vander Hario Canonicorum Theſaurario.

Inſulas.

NEque has quidem literas tuas ſine reſponſo deponere volo, neque debeo. Et amor tuus, vel meus, ita poſcit. Vereris, ut legatus Regius in ſolutum accipiat excuſationem de valetudine: At ego ſpero, ſi humanitatem ejus novi. & vera ſane excuſatio eſt, neque de colore aut fuco ſumit. Si coram me videas, quam ſim fili, ut ſic dicam, tenuis & fragilis: ipſe diſſuadeas commoveri, & quietem ac manſionem domi probes. Amo alioqui & veneror illum virum, & paucos tales, an multos dicam? Hiſpania nobis dedit. De ſilentio meo ad libellos iſtos pugnatorios, probari tibi conſilium gaudeo: quid probari? ipſo praeiviſti. Et vere & prudenter ſcribis, controverſiam non de religione, ſed de re mea aut perſona fere: & nihil hic fructus praeter lites & reciprocationem exſpectari. Sane me taedet & piget, cum acria ejuſmodi & odio-

odiosa scripta video, aliena non ab eruditis solum, sed ab hominibus, qui vere illud nomen habent. Ubi, non dicam Christiana caritas, sed modestia, sed pudor est? Mea vero manus torpeat, & calamus conteratur potius, quam ut ad hos usus moveatur, aut se impendat. Didici amare omne humanum genus, bona iis exoptare, & si aberrent aut cadant, derigere vel allevare qua possum, & certe non insultare. Errores odi, miseror errones. de repub. quod scribam non habeo. nisi valde me illud tuum probare, *vive tibi, moriere tibi.* cui Tertulliani hoc consonat, *nemo alteri vivit, qui moritur sibi.* Et quid in curas istas imus? Reges consilia sua & decreta habent: utinam bona semper & salutaria. sed qualiacumque, per nos haud emendanda. si vis me libere tecum loqui, ego in tota Europa priscos & magnanimos illos Rege desidero. & si unus aliquis esset, jam unus esset. Deo permittamus, nostra curemus: quod mihi opportunum aut necessarium est ad metam eniti. sed ad illam ipsam & amorem tui & memoriam servato. Vale, Reverende & Clarissime Domine. Lovanii XVII. Kal. Septemb. CIↃIↃCV.

Agit de vocatione Parisiensi. ejusdem fere argumenti Epistola Centur. Misc. v. 67. vitam hujus *Florentii vander Haer*, ex nobilissima apud Ultrajectinos familia, quae nomen ab arce de *Haer* trahit, oriundo, vide *Val. Andr.* Bibl. Belgic. pag. 217. Maxime memorari meruit libro, quem scripsit de *initiis tumultuum Belgicorum*, a Caroli V. morte ad Albani Ducis adventum, Duaci 1587. maturi judicii laudes ipsi tribuit *Catullus* in Tornaco pag. 18. ubi librum *de Castellanis & Comitibus antiquis* exquisitum vocat & commendat maxime.

EPISTOLA DCCCXLV.

ROBERTUS SCHEIDLERUS

J. Lipsio.

Lovanium.

DIfficulter explicaverim, quam fuerint variae & intricatae meae cogitationes de tuo tam longo silentio: metuebam enim (absit omen) ne apud te gratia excidissem, liberavit me hac molestia epistolium tuum, quod nuper accepi, falsum me fuisse serio laetor! perseverа amare nos tuos; coram probasti ingenium & mores meos, absentis cultum & industriam non requires. Scripsit ad nos Canonicus *Vander Haer* Praesidem *Richardotum* nolle te proficisci ad haec loca. acumen boni viri! conatur nos celare negligentiam suam hoc praetextu, scimus eum perfunctorie tecum egisse de hoc negotio, sin secus, Praeses non vult te scire, quot & quantos procos hîc sis inventurus. *Casaubonus* & *Roillardus* commendarunt mihi sarcinulas suas, fac eos certiores ubi acceperis. *Casaubonus* totus est in concinnanda editione PolibI, in dedicatoria libelli de Satirica Poësi diluit Naevos Amphitheatrales, elicuit id, quod Obscurus, (*Clarus* inquam) illi propinavit pharmacum. Vale, Lutetiae Parisiorum III. Id. Septemb. CIↃIↃCV.

Salutant te *Antonius Oiselius*, P. *Fronto Ducaeus* mittit effigiem *Florimundi Raemondi.*

Digitized by Google

EPISTOLA DCCCXLVI.

J. LIPSIUS

Jo. Clementi Xandrino S. M. D.

ENimvero ſilentium tuum egregie compenſaſti hac ſcriptione, & hac [2] ſcripti ab Illuſtriſſimo *Columna*, miſſione. O gratum viſu lectuque *judicium*! Quod a tali viro & in hac dignitate, tum & in ipſa urbe natum eſſe, plane gaudeo. Profecto doluit omnibus nobis, qui non dicam Regem, ſed verum aequumque amamus, publice ſic traduci & aſpere proſcindi caput & fulcrum (ſi potentiam ſpectes) Chriſtiani orbis. Et quem etiam Regem? ipſum & majores ſemper religioſiſſimos, ſemper Eccleſiae & ejus rectori addictiſſimos, ſemper inter vindices & tutores. En gratiam, quam refert. Neque de re diſputo, aut temere pronunciatum velim: ſed modum hunc publice ſcribendi, imo proſcribendi, haud approbem, neque ratio aut mos ita ferunt. Primum, quorſum in Hiſtoria hac, velut in judicio accuſatio? ſane aeterna ea ſtigmata ſunt. Et ut rex aut Regii culpam agnoſcant & emendent, manent tamen libri editi, & apud poſteros legentur. Deinde cur non privatim admonere potius, & docere? Quod ſi rationes nullas admitteret, nec ipſe idoneas ad refellendum adferret; tum ſane ad aſperiora haec tempori ventum fuiſſet, neque ſic omni defenſione inaudita ſententia videtur praecipitanda fuiſſe. Fiunt haec in privatis hominibus. cur Regi non deferatur. Eſt & iſta conſideratio, quod importune hoc tempore dici iſta videntur, quo cum maxime haeretici Eccleſiam, & Rex Catholicus haereticos oppugnat. Quid niſi iſtis animos addere, hujus refrigerare, ipſa accuſatione videntur? Scio non hoc agitare piiſſimum virum, ſcio, ſed crede mihi, haec eveniunt, & conſtat avidiſſime iſta legi & produci ab adverſariis noſtris. In odium, inquam, Regis favent & Pontificiae cauſſae. Sane magni illius major ratio haberi debuerat; & ſi quid etiam peccarat, clementius, parcius, conſideratius admoneri. in Tragoediis velo quaedam teguntur, nec foeda omnia oculis exponuntur, decori cauſſa: idem hîc oportebat, & in Aula atque inter aulaea Regem convenire. Nolo plura, neque libenter haec pauca diſſerui. ſed excitavit me recens ea ſcripti lectio, ut incluſos animi ſenſus apud te promerem. ſed apud te, & ſerio rogo, ne emanent.

1 Eidem epiſtola *Lipſii* Cent. II. ad Belg. 95. inſcribitur, ubi JCtus & Canonicus vocatur, & Brugas mittitur.

2 Intelligit ſine dubio ſcriptum contra *Baronium*, qui Regis Hiſpaniae jus in Siciliam a Papae jugo liberum, in Annalibus impugnaverat. vid. *J. Nicii Erythraei* Pinacoth. II. cap. 48. ubi non favere videtur *Aſcanio* Columnae Cardinali, quem tamen *Muretus* & alii multis laudibus extollebant jam juvenem. vid. & *Miraei* Scriptores Seculi XVII. pag. 270. Edit. Fabric. de *Baronii* libro hîc queritur *Lipſius*, propter hunc vero librum *Baronius* hoc ipſo anno, opera maxime hujus *Aſcanii Columnae* fuit a Papatu excluſus, teſte *Thuano* lib. CXXXIV. in principio, & deinceps controverſiam inter *Baronium* & *Columnam* accurate narrat. unde haec *Lipſii* querela lucem habere poteſt. vide & ad Epiſt. CCXCIX. & praefationem noſtram ad Theſauri Siciliae Tomum III.

Digitized by Google

nent. Certamini huic miſceri, non eſt conſilium, & alii erunt, qui potentiſſimo Regi advocabunt. Tu me ſolens ama, V. R. ego non deſiſtam. Lovanii VI. Kal. Nov. CIↃIↃCV. ſtatim ut tuas accepi.

EPISTOLA DCCCXLVII.

PAULUS PP. V.

Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quod nobis Apoſtolicae dignitatis munus, in tua Senecae ad Nos miſſi praefatione, gratularis, facis tu quidem peramanter, & quae tua in Nos fides & obſervantia eſt, ſummopere laetaris; ſed longe aliter nobis videtur. Quamvis enim hic Deo proximus Majeſtatis gradus ad ſpeciem, ſicuti re ipſa eſt, honeſtiſſimus ſit, eſt tamen maxime ad laborem proclivis, & anceps. Quis enim eſſe poteſt quieti locus in eo, qui ad ſe recepiſſe cogitaverit, ut exactam Deo omnium Chriſti fidelium rationem ſuo periculo referat? Praeterea cum Pontificis vita altiore loco poſita ſit, ideoque omnium ad ſe oculos rapiat, nonne ille perpetua quadam ſolicitudine urgeatur, ne qua in re ab religione officii declinaſſe argui poſſit? Quare cum ſupremo huic muneri tanti labores impendeant, non videmus quid ſit cur tantopere laetari debeamus. Neque tamen inficiamur ſpem aliquam in eo Nos conſolari, quod facultas nobis oblata ſit, publicae Chriſtiani Orbis tranquillitati, & eorum praeſertim paci, ac ſaluti, ſicuti optas, quantum in nobis erit, conſulendi, qui bellorum motibus jamdiu agitantur, errorumque tenebris miſere involvuntur, atque etiam piorum hominum religionem, & Litteratorum ſtudia remunerandi, qui in fidei Catholicae propugnatione operam, eruditionemque ſuam effuderunt, ad quorum numerum Nos brevi nomen tuum adſcripturos eſſe confidimus. Etenim, ut in antiquitatis memoria praecipue colligenda, & in omni Regni jure diligenter explicando, ac variis, egregiiſque in rebus illuſtrandis nervos induſtriae tuae hactenus contendiſti, ita etiam ſperamus fore, ut brevi ad Eccleſiae Catholicae amplitudinem, & excellentiam, quae longe omnium Regnorum praeſtantiam vincit, pro dignitate tractandam, augendamque ingenii tui vires conferas. Quid enim eſt dignius, in quo aut maturae aetatis tuae labor, & ſtudium expromatur, aut Chriſtianae pietatis cultus, religioque declaretur? Atque etſi vetus Roma priſcis illis temporibus clarorum civium gloria, & ſummorum hominum, atque omni virtutum laude praeſtantium copia floruit, ea tamen, cui nunc Chriſto Domino regnante praeſidemus, non eſt adeo horum ornamentorum expers, quin religioſiſſimos, eruditiſſimoſque Viros complures habeat, qui proxime ad veterem illam, inſignemque doctrinam atque ſapientiam accedere, & cum ipſa antiquitate aequari, conferrique poſſe videantur. Verum, ut his omnibus careat (quod certe non eſt) clariſſimae Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli victoriae, glorioſiſſimaeque pene innumerabilium Sanctorum Martyrum coronae multo majorem famam, gloriamque conficiunt, quam

quam quantam ceteri omnes alii veteres Romani Imperatores ſuis triumphis atque victoriis pepererunt. Quae de Cardinalium in Nos miro conſenſu ſcribis, ea Spiritus Sancti gratiae, qui neſcit tarda molimina, & omnium ejus Ordinis Virorum ſtudio, ac voluntati, qui Nos elegerunt, accepta referimus. Neque ea in re proprias virtutes, ac laudes, quas commemoras, ipſi agnoſcimus, fuit illud divinae in Nos Largitatis munus, quae ſola dignos eligendo facit; fuit ſingulare illorum de nobis Judicium, a quo eum honorem, non ut nobis debitum, ſed tanquam ab illis ultro delatum, nobiſque penitus inopinatum ſingulari Dei beneficio accepimus. De ipſo vero Senecae, Viri hominum judicio Sapientiſſimi, tuarumque in eo elucubrationum munere, pro comperto habere te volumus, illud nobis fuiſſe gratiſſimum, & tanquam tuae optimae erga Nos, & Sedem Apoſtolicam voluntatis pignus accepiſſe, & quemadmodum totum hoc opus eruditione refertum eſſe non dubitamus, ita etiam nihil, quod pietati repugnet, in eo contineri confidimus; Et idcirco illud quantum per occupationes licebit ipſi legemus, ac Viris doctrina, & religione praeſtantibus, quorum opera ad ejuſmodi res utimur, cognoſcendum trademus. *Philippum* autem *Rubenium* Latorem ejuſdem tui muneris, qui proximas etiam tuas literas nobis reddidit, benevole excepimus, & quibuſcunque officiis pro dignitate poterimus, tua libenter cauſa proſequemur. Interea noſtram & Apoſtolicam benedictionem, quam efflagitaſti, toto paternae caritatis affectu tibi deferimus, ac fauſta, & felicia omnia a Deo bonorum auctore precamur. Datum Romae apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die VII. Januarii M. D. C. VI. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

M. Veſtrius Barbianus.

Ad *Paulum* Epiſtola, qua Senecam ſuum offert, repetita eſt a Pontano pag. 18. ad hoc vero Breve, ut vocat, reſpondet v. Centur. Miſc. Epiſt. 98.

EPISTOLA DCCCXLVIII.

J. LIPSIUS

M. Veſtrio Barbiano.

Romam.

REverendiſſime Domine. Cum *Breve Apoſtolicum* legi, quod heſterno die accepi, facile mihi fuit, etiamſi nomen tuum ſubſcriptum non vidiſſem, agnoſcere ex ipſo ſtilo te auctorem alterum, id eſt ſcriptorem. Itaque ut Summo ipſi Pontifici ſtatim, ut debui, reſpondi, volui & pauca haec tibi, renovando veteri amori noſtro, eique magis firmando. Equidem gaudeo munus noſtri *Senecae* non diſplicuiſſe tanto arbitro: ad quem cauſſa mittendi vel praecipua mihi fuit, ut palam omnibus oſtenderem cultum & affectionem animi mei in hanc *Sanctam Sedem*. Quam, quod hortatur me *Sua Sanctitas*, ut etiam ſtilo adornem; & vere *Admiranda* ejus oſtendam: ſcio & ante monitum me fuiſſe, & jam tunc reſpondiſſe, voluntatem meam inclinatam eſſe. At nunc certe

certe magis, cum tantus impérator (ita loquendum eſt) accedit: & ſi Deus vitam ac valetudinem largietur, incipiam ac patrabo. Alioqui & alio genere ſtudium meum propugnandae veritatis ſum profeſſus, editis *Miraculis Divarum* apud nos *Hallenſis* & *Sichemienſis*, quarum prior in veteri cultu eſt, altera nunc incepit, & utraque beneficiis ac miraculis inſignis. Scis, Reverendiſſime Domine, nihil aegrius eſſe adverſariis, quam vel de Diva iſta audire, vel de Miraculis: quia & illa eſt, quae Eccleſiae teſtimonio haereſes omnes vicit; & haec ſunt inter verae & Catholicae, id eſt Romanae Eccleſiae, certiſſimas notas. Itaque etſi profeſſione in aliis ſtudiis ſumus, tamen & pietas nos interim ad haec ſacra vocat: magiſque ſequar in aetate hac graviore, & quae me ad ſeria & ſalutaria jure hortatur. Nam & de poſtuma vita ſcio cogitandum. Reverendiſſime Domine, ſalvere longum te cupio & amantem me redamare, & affectus ejuſdem ſcintillam in *Phil. Rubenium* ſpargere, amicum meum & dotibus ingenii merentem. Delectaberis, cum eum bene noſces. Lovanii, III. Kal. Mart. CIↃIↃCVI.

EPISTOLA DCCCXLIX.

NUNUS MENDOZIUS

J. Lipſio.

Lovanium.

ECce jam nos in alio orbis tractu, ſed in eodem in Lipſium affectu, aeternumque erimus; quis enim Lipſium (id eſt delicias & ornamentum noſtri ſaeculi) non diligat & colat, & fama ipſa, communique litteratorum provectu obligari ſe videat? Ego vero arctius me ſtringi cenſeo, qui te conveni, a te ſaepe, heu quod non ſaepius! benigne exceptus ſum. Quid? qui me tuis humanioribus litteris decoratum amici nomine quondam donatum video. Hoc mihi in Africa, id in antipodis ipſis animo defixum erit. In Africa ergo ſumus: bellumque longe Belgico diſſimile cum Barbaris nobis tractandum, ſed qui non barbare rem tractant. Non tamen ea nunc Maurorum inundatio, quae praeteritis his temporibus crebris incurſationibus cum noſtris manum inſerebant: civilibus vel potius inteſtinis bellis impliciti, diviſo inter fratres Mauritaniae imperio, rarius cum Chriſtianis pugnam ineunt. Sed nos aſſidue ad praelium accincti, ut qui Chriſti cauſam contra infideles defendendam ſuſcepimus; utinam eo animo, qui verum Chriſtianum decet. Atqui remittit arcum aliquando Apollo, & ad amoenos Muſarum hortos (ita ad me ſcripſeras) divertere permittitur, ad libros, inquam, Clariſſime Lipſi, quos habui viae comites, quos mihi in ſolatium exuli, in patronos gubernanti deſignavi; & eo magis, quia illos dono acceptos Lipſi nomine, Lipſi manu inſignitos conſpiciam. faxit Deus, ut & authorem tandem incolumem reviſam, qui totus in Belgium rapior. Quomodo enim vel in altiori honoris gradu tot amicorum oblivi ſcar? (Lipſium venerationis ergo excipio) Quomodo in Principum cultum non fe-

rar desiderio saltem? spero & effectu; ipsis namque post beneficia jure deserviam, pro quibus Patriam affectu tantum quondam reliqui. Sed de his latius aliquando: nunc feliciores Belgii eventus, tibi vero publici boni amatori gratulor, libentius de firmata jam pace congratulaturus. Sed meliora sperare debemus, qui meliora jam videre coepimus. Hoc in votis, & te Clarissimum virum diu valere: vale ergo, & me inter amantes amantissimum habe, & redama. Tingi pridie idus Januarii CIↃIↃCVI.

EPISTOLA DCCCL.

MICHAEL GROENEWEGHIUS

J. Lipsio.

Lovanium.

CLarissime & Doctissime Domine. Gaudeo vim factam ingenio meo, verecundiori, quam fortunae meae conveniat. Licet enim te potissimum autore didicerim, Clarissime inter optimos, inter clarissimos Optime, Juste Lipsi (ut verissimum a *Wouwerio* meo elogium mutuer) nusquam meliore damno frontem poni; tamen ingenuus dicam, an subrusticus, pudor hactenus detinuit. Quo magis laetor natam mihi occasionem, imo impositam necessitatem ad te scribendi, Vir Cl. Nam cum praeter meliorem hunc animi cultum, quem coelesti ingenio tuo ita refero acceptum, ut propitii Numinis hoc vel praecipuum munus habeam, ingens tibi beneficium debeam, dissimulare id, nec sine ingratitudinis nota, nec sine alterius injuria, non possum. Etenim Illustrissimus Poloniae Regis legatus, in beneficio quodam regio conferendo inter multos competitores, non alio magis nomine me ceteris praetulit, quam quod Magni me Lipsii quondam auditorem, divinique ingenii admiratorem profiterer. Nimirum ea est nominis tui fama, & incomparabilis doctrinae admiratio, ut vidisse Lipsium, & suspensum ab ore illo probo inter auditores aliquando consedisse (quod mihi Leydae biennio toto contigit) magnum habeatur. Felices nos Belgae hoc tam claro Sydere, cujus se lux adeo longe lateque diffundit, ut ubique excitet cultum & admirationem sui. Sane Illustrissimum legatum adeo in te propensum repperi, ut ipse beneficium accipere videatur, cum quid tibi gratum fecerit. Vir est eximii candoris, & qui Regis sui dignitatem, & suam, splendore vitae egregie tuetur; Heri amicissime vocavit ad prandium, super mensa non alii, quam de te sermones, aevi nostri decus, cum ubertim suppeditaret, quae libens depromerem apud amantissimum tui, flagrantissimus meus in te affectus, quem mihi a pueris fuisse vehementem duos locupletissimos testes habeo, & tibi longe carissimos, *Wouwerium* & *Buteweghium*. Quorum, ille paucis diebus in Hispania cognitus, ob hanc praecipue causam in amicorum album recepit, & ingens reliquit desiderium sui, Hic δεσπ τῶν ἀπαλῶν studiorum sub [1] *Assendelphio* socius, arctissimo amicitiae vin-

1 Vid. ad Epist. XLIII. & hinc apparet discipulos illum habuisse Catholicos.

vinculo conjunctus, & plane germani fratris dilectus loco, hunc in me affectum primo admiratus, deinde imitatus est. Quae spero movebunt benignissimam naturam tuam, ut me in eorum numerum admittas, quos ob amorem cultumque tui, aliqua benivolentiae tuae aura prosequi soleas: dederis hoc *Butewechio* alteri, ut ex ipsius literis intelliges. Natales nobis honestissimi, vitam moresque & Belgicum quendam candorem hactenus probarunt gravissimi viri; a familiari tuo congressu non me tua humanitas, sed aetas immaturior & meus pudor prohibuit. Summa nunc votorum, ut tribus verbis ad *Groeneweghium*; proximum, ut Illustrissimo me legato porro de meliore nota commendes, quae sane petere non auderem, nisi animos faceret meus in te amor cultusque eximius, qui ita dictitant, singularem tuam & omnibus obviam humanitatem tam amanti homini non defuturam, in quo omine desino, Deum rogo ut te, clarissimum Belgicae lumen, nobis & literis servet incolumem. quod ita ex animo peto, ut ex intimo sensu serio addam. De nostris annis tibi Jupiter augeat annos. Illustrissimus *Fulvius Constantius*, Patronus meus, Marchio Corleti, & supremi Collateralis Consilii assessor primarius, amicissimam tibi salutem adscribi jussit. Vir est & generis nobilitate, & dignitate amplissimi muneris inter procerum primos, adeo studiosus tui, ut quod gravissimis negotiis curisque otii suffurari potest, nusquam libentius, quam divini ingenii tui monumentis lectitandis impendat. Vale Cl. Domine, & me ardenter amantem ama. Neapoli XVII. Kalendas Februarias. anno ab orbe redempto CIↃIↃCVI. Si Cl. D. T. scripserit literas, Barum inscribat, ibi enim Canonicus sum Sancti Nicolai, & Stabilem sedem habeo, nunc Neapoli tantum animi causa dego benigne ab Illustrissimo *Constantio* evocatus.

EPISTOLA DCCCLI.

MICHAEL GROENEWEGHIUS

J. Lipsio.

Lovanium.

VErear ne molestae tibi sint tam crebrae litterae meae, nisi argumento commendentur. Quid enim tibi humanissimo juxta atque doctissimo viro jucundius, quam amor judiciumque amplissimi & prudentissimi viri? Sane in Illustrissimo *Procbnicio* adeo haec eminent, nihil ut candidissimo hoc pectore fingi possit tui amantius. Quod etsi certioribus tibi argumentis, quam nudis litteris, satis superque constare scio, tamen tam insignem ejus in te voluntatem, tot honorificos de te sermones, plenos sinceriſſimi cujusdam affectus, silentio obruere ingrato, pene religio est. Seneca tuus a *Wouwerio* transmissus, dici non potest, quam illi gratus fuerit. Tuum jure dicimus, quem non perpetuis tantum Scholiis, sed divinis etiam illis Manuductionibus sic illustrasti, ut & ipse nova vita famaque donatus, & omnes sapientiae candidati insigniter adjuti aeternum tibi debeant. Non exiguam addebat commendationem,

expreſſa ad vivum tua effigies, quam in argento a *Wouwerio* dono miſſam oppido quam exoſculatus eſt: unum dolebat, non auro potius, hoc eſt praeſtantiſſimo metallo, praeſtantiſſimi viri vultum effictum. Itaque ſtatim id fieri curavit, argenteos autem paravit ſibi plūſculos, nec id ſolum, ſed vaſculis quibuſdam menſae uſui os illud probum inſeri juſſit, ſubinde dictitans, effecturum ſe, ut etiam poſt rogum vivat vigeatque in familia ſua Cl. Lipſii memoria. Etiam vaſcula aliquot argentea tibi deſtinavit, in queis videre eſt fidum illud κοὶ Φιλάνθρωπον ζῶον. quod & tibi in delitiis, & in ipſius gentilitiis eminet inſignibus. non ſine occulta quadam συμπαθείᾳ, & ad devinciendos invicem animos argumento. Quid ad hanc humanitatem addi poteſt? vincit tamen ſemper ſe ipſe cum a nemine vincatur, excurſurus mehercules in amplexus tuos, ſi per aetatem & impoſitum ei a Rege ſuo munus liceret. Sed ſi quae vis belli (quod Deus omen avertat) tanta ingrueret, ut ſolum tibi vertere in animo eſſet, domum ſuam non benigne magis, quam vere & ex animo offert, honeſtiſſima & regia plane conditione. Brevi enim in Poloniam ſe emigraturum ſperat, unde uberius te, commodiuſque novis ſubinde officiis demereatur. Crebri etiam nobis ſermones de divinis ingenii tui monumentis. In quibus magnopere ſuſpicit epiſtolas tuas, quae ſemper ipſi ad manum: valde tibi autor ſit, alteras duas centurias edendi: quamplurimas enim ſupereſſe tibi cenſet, queis χιλίαδα abſolvas, quem numerum ad hanc aetatem nemo implevit, quibus in fine addi poſſet Epiſtolica inſtitutio, nec minus e fama & re tua arbitratur, ſi omnia quotquot adhuc evulgaſti opera, quam fieri poteſt elegantiſſime & emendatiſſime typis excudenda cures. futurum enim ut te ſuperſtite, & accuratius & fidelius operam praeſtent Typographi. Duos illos de prudentia civili & militari libros, quos in laudatis illis monitis politicis promittis, avide expectamus. Lovanium a te editum audivimus, nondum vidimus. Nihil autem (mihi ſaltem) gratius optatiuſque, quam quod intellexi, te de conſcribenda hiſtoria Belgica hortantibus Principibus, Ordinibuſque cogitare. O dignam Provinciam ingenio tuo ſtiloque, alterum nobis Tacitum jam animo auguror. Deum precor ex animo, ut confirmet hanc mentem tibi, vitamque diuturnam & valetudinem firmam tantoque muneri parem largiatur. Te oro obteſtorque, Vir Cl. des veniam huic affectui, cui dum tam libenter indulgeo quam difficulter impero, video epiſtolae me modum exceſſiſſe. Itaque deſino, ſi pauca de manſione mea Neapoli addidero: diutius hîc opinione mea haeſi, benigne ſane liberaliterque ab Illuſtriſſimo *Conſtantio* Patrono meo habitus, qui tui ſtudioſiſſimus, eo nomine pluris etiam me facit. detinuit autem, quod peregrinationem ad Divam Virginem Lauretanam inſtituerant, & me ſibi volebant comitem, ſed dilata eſt ob invalitudinem filii, itaque perendie Barum redeo, fruiturus & Canonicatu meo & beneficio ab Illuſtriſſimo *Prochnicio* in tuam praecipue gratiam mihi conceſſo. Deum in ſacris pro ſalute tua toto animo deprecaturus. Vale & Salve, hujus ſeculi & Patriae decus. Neapoli Nonis Aprilis. anno ab Orbe redemto 1606.

EPI-

EPISTOLA DCCCLII.

CASPAR DIEMENUS

J. Lipſio.

Lovanium.

ULtimis meis litteris 4. Id. Decemb. datis prolixe tibi ſcripſi. In praeſentia brevior ero, utpote qui tuas prius expecto. Has inſertas here a *Villerio* noſtro accepi, quas quia miſit apertas, legi, & iram, fateor, non mediocrem ex iis collegi. Oſtendit ſane cerebrum ſuum, ſi quod modo illi cerebrum erat, medico eguiſſe, cum illa ſcriberet. Nam longe aliter ſcio eum ſentire, vel ſi ſentit, nihil terra unquam levius hoc homine produxit. Non ſemel enim apud me & alios egregie tam de Catholica Religione, quam de vita monaſtica locutus eſt, affirmans Regula S. Franciſci (haec ipſius verba) nihil eſſe ſanctius, nihil divinius. Tum quoque narrabat ſe olim ſcripſiſſe, & habuiſſe publice Orationem contra obtrectatores Ordinis Monaſtici. Non obſtantibus his cum jam Apoſtaſiam cogitaret, in ipſo monaſterio compoſuit Satyram inſigniter ſcurrilem contra eundem Ordinem. Precibus efflagitavi ut oſtenderet. Legi quaedam; docte quidem ſcripta meo judicio, ſed abſurda abſurdorum abſurdiſſima, ut ait ille. Tum quaerens num ita ſentiret. Nequaquam reſpondit. Cur igitur haec ſcribis, dico, Villeri. Impulſus, inquit, a Concionatoribus, qui haec me inſerere volebant. Deinde etiam ſtili gratia haec ſcripſi, & odio, invidiaque, ut verum fatear, adductus. Haec ipſa verba cum illo habui. Quid de miraculis Divae Virginis Hallenſis dicam? de quibus an tu vel melius ſcripſeris, vel ille ſincerius pronuntiaverit, non facile judicavero. Audi amplius. *Dominicum Baudium* te etiam in hanc ſententiam attraxiſſe teſtari ſolet, quem ajebat jam optime de praedictis miraculis ſentire. Tu, Vir Doctiſſime, an mereatur reſponſum, vide. Ego an expediat neſcio, tamen ne triumphum canat ante victoriam, ſi videtur, aliquid contra ſcribendum erit. Mitto exemplum ipſius ad me epiſtolae, in qua valde ſibi placet, ac reſponſum urget. Revera, mi Lipſi, cum hominem proprius introſpicio (citra calumniam dico) neminem unquam vidi confidentius arrogantem, aut impudentius mendacem, talemque eum comperio, ut cum talibus nec amicitiam velim, nec inimicitiam. Quid jam agat, quaeris? Totus eſt in Paracelſo, & arti Alchymiſticae videtur valde addictus. Sed quaerit miſer quod nunquam inveniet. Unde recte, & vere hos verſiculos ſaepe inculcari audivi.

At nuſquam totos inter qui talia curant
Apparet ullus, qui re miracula tanta
Comprobat.

Sed plura de *Villerio* quam volebam. Habeo hîc vaſculum vini Hiſpanici exquiſiti paratum, una cum caniſtello uvarum dactylidum, quae prima occaſione mittam, ubi per glaciem liceat, quae nobis hanc remoram facit, quo

minus mittantur. Optarem ut glacies se remitteret, ac illa ante quadragesimam domi tuae habere posses. *Goltzius* (amicus mihi vere Pyladeus) officiose te jubet salutari, voluitque per me tibi significari, se memoriam tui ex animo colere; quod re ipsa, ni fallor, etiam declarabit. Sculpendi artem, si nescis, jamdiu est, quod reliquit, & pictoris officium agit, in quo tam faeliciter versatus est, ut prae illo reliqui pictores velut umbrae habeantur. Haec scripsi ἀυτοχεδιαζόμενος, & multis obstrepentibus negotiis. Amsterodami. 9. Cal. Feb. 1606. Vale, & me ama, Vir Clarissime.

EPISTOLA DCCCLIII.

HENRICUS SOMMALIUS

J. Lipsio.

PAx Christi: &c. Quoniam mihi, Doctissime Lipsi, plura de Virgine Maria edendi miracula incessit desiderium, nolui id quidem facere, nisi T. H. ea de re prius certiorem facerem: Hallensia etenim & Sichemia nuper latine evulgasti magno, ut spero, piorum commodo: quae etiam Romam ad R. P. Generalem nostrum misi, quae mihi D. *Moretus* pro sua in me benevolentia donarat. Gratum sibi munus, ut multis profuturum judicavit. Nactus sum vero miracula, quae duobus in locis Germaniae contigerunt, & ea quidem a *Joanne Tritthemio* abbate Benedictino etiam latine scripta. Cum autem illa edere in vulgus meditarer, occurrit mihi non abs re futurum, si adderem & alia plurima, quae pridem, (etiam & nunc) in Belgio nostro contigerunt: veluti in Cambronensi monasterio, in oppido Cerviensi, in pago Tongrensi, tum vero quae ad sacrum Atrebati cereum, qui incensus non imminuitur, velut alter rubus Moysis, quem is vidit ardere, sed non comburi. Haec equidem Gallico sermone omnia sunt a viris fide dignissimis edita, sed quae nunc Latina fiunt: ut honorificetur Deus in matre sua virgine augustissima, etiam apud alias atque alias nationes: tum vero ut Belgium nostrum, tot annis bello attritum, non carere ejus ope, multiplicique auxilio probetur. Forte T. H. optaret sua nostris addi, quae ad editionem parata habeo, forte id minime quidem: qua in re, vestrae omnino voluntati sum lubens obsequuturus. & quo citius ea mihi perspecta fuerit, eo gratius id mihi futurum. Me sanctis T. H. precibus etiam atque etiam commendo. Gandavi. 1606. 12. Februarii.

Henricus Sommalius Dionantis, Jesuita. vide *Valer. Andr.* Bibl. Belg. p. 369. & *Alegamb.* Biblioth. p. 177.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA DCCCLIV.

MELCHIOR HAIMINSFELDIUS GOLDASTUS

J. Lipſio S. P. D.

Lovanium.

SOlent, qui Genii alicujus faventiam aucupantur, vel e diſſitiſſimis locis dona mittere, quibus illum placent, ut ſeſeque reſque ſuas interceſſis precibus bene vertat. non alio voto meos item libellos ad Deos litterarum amando, quos colo ac veneror, quoſve inter Lipſius tamquam Jupiter regnat, pulſo Saturno Roterodamio. Si dona mortalia immortalibus illis prodeſſe nihil poſſunt, nec illorum indigentes ſunt, nec ipſi dona potius quam animum reſpiciunt donantis: haut magis mei inficeti ac impoliti libelli litterarum juvabunt Deos, quibus affectum ſtudeo declarare incluſumque animo amorem externis his munuſculis. quem illi reſpicientes, non dona compenſare, ſed ut Divi animae damna reſtituunt, ita iſti mala animi averruncant, vitia evellunt, divinaeque particulam aurae in ſalebris & luto haerentem retrahunt in planam artamque ſemitam, denique pedes componunt, ne aut vacillantes cadant aut exorbitantes aberrent. Hoc animo ad te nunc venio, mitiſſimum & comiſſimum litterarum numen, puſillum hoc munuſculum in donario tuo offerens. non temere nec inconſiderato ad te feror, cujus limina nihil minus horreſco, quam qui Divûm adyta ſalutaturi accedunt. Pertraxit me Typographus tuus Antverpianus, qui ut meis me verbis tibi commendarem auctor ſuaſorque exſtitit, ſummo praedicans opere tuam in Paraeneticis accipiendis promptam voluntatem & favorem non vulgarem. Quo nomine tibi, Lipſi optime maxime, gratias ago atque habeo numquam intermorituras. Meo ipſius judicio non magni momenti ſunt, quae miſimus. nam praeter quod protrita fere omnia & nota in vulgus, ſubitata inſuper ſunt & ſub calamo in ſeceſſu Alpino nata. majora ſunt, quae in ſcriptores molimur majores. tamen diſcupio cognoſcere, an quid ſit, quod calculum tuum dignetur auferre. unius tuum judicium ceteris antiſtabit omnibus. Vale, &, quod abs te voveo, fave. Francofurto a. d. XVI. Kal. Apr. 1606. raptim. *Freherus* litteras ad me recte poterit procurare.

Si auctor fuit *Goldaſtus* orationis illius Jenenſis, de qua vid. Epiſt. CLVIII. CCCXCVIII. & DCCCXL. certe candorem & integritatem in eo deſidero; qui hac in epiſtola Lipſio os ſublinit, dum ejus famae grande clanculum vulnus imponit: exagitat hujus ſceleris, ut vocat, nomine *Goldaſtum*, *Scioppius* in Amphot. pag. 103. & ſeq.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA DCCCLV.

RODULPHUS BUCLANDUS

J. Lipsio.

Lovanium.

UT amictum in te animum inducrim, jam olim eruditio tua fecit (cultissime Lipsi) ad amorem, dum doctissime in Suetonium praelegenti, ac Numo lumen nummis omnibus praetiosius adferenti, Lovanii quondam per itineris occasionem interessem, accessio facta est. Conceptam benevolentiam jam tum provexerat ea pietas, qua ad veri Dei vera castra prudentissimo ac saluberimo consilio contuleras. Tot tuos in facultate literaria exantlatos labores gratulor: ultimas in Diva Hallensi, Sichemensi illustranda collocatas horas, quam maxime. Est autem quod de his referre queam. Atque ob tui communisque Matris Catholicae studium referam. Splendide illae quidem & satis pro dignitate quin alibi terrarum exceptae sint, nihil haereo: quomodo apud Britannos, audi. Quibus veteris avitaeque fidei tenera est offensa, tenax constantia, illibatus amor, obvii assertorem amplectimur. Quibus innovata placet ἀυτηρμία ista καὶ ἀυτηματία nihil unquam accidit odiosum magis. Antagonistam exprobratorem, veteratorem illum Italum (si rite ferunt) praedicant, evehunt, nihil supra. Defuturum tibi animum respondendi (sed decoctorum fide) spondent; defuturas animo vires; defecisse Lipsio frontem, mentem, ebuccinant, immanem impietatem, apertaeque idolomaniae ad summum ventum clamant: legentes stupent, referentes horrescunt. Vidimus. Nos ridere, bene dicta tueri, objecta strenue diluere, invocationis tuae formulas (nam & sanam servari verborum formam monet Apostolus,) luculenter confirmare, valide evincere. De intemerata virgine semperque praedicanda Dei genetrice nihil magnificentius dici, vel fere fingi potest, quam quod a priscis Patribus in medium adductum est. In cujus dignitatem tuendam (nec tantum Christi Salvatoris) quis mortem dubitet oppetere pius? Neque enim cum eandem Beatus Efrem in orat. de Deipara. *Spem patrum, captivorum redemptricem*; Athanasius Serm. de Deip. *Reginam & Dominam*; Cyrillus Hom. 6. contra Nestor. *Fidei Catholicae sceptrum*; Augustinus Serm. 18. de SS. (nisi velint Fulgentium, Augustini ferme aequalem) *unicam peccatorum spem*; Damascenus Serm. de dormit. Deip. *unicum dolorum levamen* salutaverint; intra Numinis exortes terminos provecti sunt, sed secundum piam fidei analogiam accipiendi. At neque cum per eam *gaudio affici Angelos, hominem ad coelum revocari, gentes ad fidem converti; per eam sperari delictorum veniam, in ea expectationem praemiorum nostrorum positam acciunt*. At neque Victor Uticensis, cujus haec sunt ad Apostolos, l. 3. de Persce. Vand. in ipso fine. *Prostrati rogamus, ut non spernatis vestros miseros peccatores, per eum, qui vos ad Apostolicum culmen provexit humiles piscatores.* vel alii vetustissimorum, qui similia tibi passim exhibent. Ad quorum exemplar semper collimare debebimus, — *& veras hinc ducere voces.* Est ut caelesti ore neminem bonum de-

demnciemus niſi ſolum Deum; & ne patrem niſi Deum vocemus ſuper terram: legitime tamen bonoſque patreſque uſurpari quis, niſi qui cathariſmo ad ſtuporem inſaniunt, inficias iturus? Faceſſat itaque moleſtus ille interpellator, cujus cavillatrices nugas tu, vel leviſſimo pollicis ductu, amolieris totas. Immo ipſum viribus, quibus polles, ac notis artibus, (ipſamet prae omnibus veritatis acie) peſſunda, protere, confode. Id ut celeriter naviterque effectum des, ad honorificam Virginis benedictae claritudinem, ad famae tuae integritatem, ad ſolamen noſtri egregie faciet. Ego ut velis obteſtor, efflagitamus omnes. Semel aggredere. Quandoquidem pancratiaſtes Parthenopaeus eſſe coepiſti; macte animo: atque —— *Italo perfuſus aceto*, ut extergas incumbit, oleum camino poſtquam addidiſti; ut genus hoc irritabile luculenta defenſione vel ſopitum vel exarmatum reddas oportet. Excuſſi ſuis non argumentis, ſed querelis & ineptiis vacillent, taceant. Nihilque a fide alienum, nihil a Patrum traditione devium, nihil viro pio doctoque indignum, nihil futile ſentire Lipſium

—— —— —— invita fatebitur uſque
Invidia, & fragili quaerens illidere dentem
Offendet ſolido. —— —— ——

Si ſcripſeris, parum eſt quod pergratum apud amicum ignotum feceris, praeſertim, qui nec talis ſit, ut ei referat gratum quid praeſtitum: id facies quod ex humanitate tua erit; forte & e re tua, niſi non ſit in rebus tuis fama tui. Ut optime ſatisfacias atque ora obſtrepentium aeternum obtures,

Quam tua doctiloquo celebravit penna decore,
Diva ſuum Virgo protegat, author opus.

Vale. Dudum (ut tu) monitus meliora ſecutus, atque vel hoc nomine tibi certe animo conjunctior *Rodulphus Buclandus* inter Chriſti operarios minimus. April 1606.

EPISTOLA DCCCLVI.

CAESAR CARDINALIS BARONIUS

Joanni Moreto.

Antverpiam.

QUod ex meis poſtremis ad te datis litteris accepiſti, idem ex iſtis intelliges, ſed vehementiori energia, nimirum me perſtare firmiſſime in ſententia, ut undecimus Annalium tomus abs te cuſus non edatur, vel ſaltem unius verſus diminutione. Summa iſta audacia, ut S. R. E. Cardinalis cuſus Apoſtolica auctoritate liber, per Bibliopolam decurtetur quovis praetextu regnantium Dominorum. Crede mihi, praeſtat te jacturam facere cuſorum ternionum, quam toto Chriſtiano orbi publicis iiſdemque cuſis noſtris litteris denunciari librorum corruptorem, & alia quae conſequeris damna: poenitebit erroris. Vide quid facias. & quorſum iſta ſint perventura. Cuſus eſt non Romae tantum, ſed & Venetiis, itidemque Moguntiae, idem Tomus undecimus absque alicujus elementi diminutione. Si tu cujuſvis auctoritate juſſus ſecus fe-

ceris, certo ſcito te daturum, quas non exiſtimas, poenas. Excuſationem, quam tuis litteris ingeris, nullius eſſe momenti, neque apud me, neque apud quemlibet, qui penſet quanti ſint ponderis Scripta S. R. E. Cardinalium. Vale. Romae XII. Kal. Martii Anno Domini M. DC. VI.

Confer cum hac Epiſtola aliam ſupr. DCXIX.

EPISTOLA DCCCLVII.

M. ANTONIUS BONCIARIUS

V. C. *Marco Velſero* S. D.

Auguſtam.

ASſem para, & accipe fabulam; imo hiſtoriam, ſed de fabula. ſub initium menſis Septembris, anni proximi ſuperioris, inclytus mercator ex Belgio regreſſus in Italiam, nunciavit Sereniſſimo Urbinatium Duci, Juſtum Lipſium, diutino morbo conflictatum, Calendis demum Sextilibus, cum moerore ac luctu omnium ad plures fuiſſe translatum. frequens in Curia erat *Sebaſtianus Maccius*, vir inſigniter litteratus, Lipſii cultor, praedicator, admirator (ut ego credebam) inter primos, ut res docuit, ſupra primos. is cum a Principe accepiſſet de Lipſiano caſu; poſt lacrymas querelaſque non minus triſtes, quam quae Parentibus debentur, confeſtim adit Sacerdotes, quotquot Piſauri notos habebat: ab his flagitat, ut primo quoque die pro Lipſii anima faciant. litteras etiam quoquoverſum ad amicos dimittit, rogans, obſecrans, ut parenti omnium litteratorum ab omnibus litteratis parentetur. ille autem in templo maximo Piſaurenſi, ad aram expiandis Manibus paratam plus centum hoſtias uno die immolandas curavit, & juſtis exequiarum rite celebratis, in magno concurſu hominum eruditorum funebrem quoque (ut praeſenſi) de illo habuit laudationem. Haec nimirum jam erant confecta omnia, me tamen ignorante, cum proximae a Lipſio litterae venerunt: illas dico, quas per te accepimus, Velſere, ad Illuſtriſſimum Cardinalem legatum, & ad me datas. quibus dies adſcripta erat, pridie idus Octobris. Hae omnium pectora inſperato gaudio cumularunt, & coëgerunt amicum meum reponere Caelitibus pro parentatione gratulationem.

Proverbium eſt noſtratium, quod utinam hic valeat, cum mors alicujus falſo rumore diſſertur, propagari eidem vitam ad decennium. quid cum pro certo habetur, & funus ducitur & conclamatur? crediderim duplo amplius. Jube hominem ſpe optima vivere, Phoenicem apud nos renatum, qui non ſolum ſibi propagat vitam, ſed aliis donat aut reddit. Annaeum Senecam vide, cui ſenium & annos adimens, vegetam reſtituit juventam. & hunc credimus moriturum, per quem alii vivunt vigentque? Habeo illum ſalutare ab Illuſtriſſimo *Bevilaqua*, cum quo heri Peruſiam reverſo, duas horas ſuaviſſimo ſermone conſumpſi. harum maximam partem Lipſius occupavit. cujus litterae, fidelius atque celerius ad nos perlatae, quam ad alios ſolent, etiam Velſeri mentio-

tionem & laudationem induxerunt. promiſi, miſſurum hodie aliquid ſcriptorum tuorum. De quibus jam ſcito factum eſſe a me diligenter, certe loquaciter, quod imperaſti. totas decem paginas implevi, generatim de omnibus hiſtoriis, & ſpeciatim de tuis, non cenſendo ego quidem, ſed diſquirendo. cum Amanuenſis copia erit, quae in praeſens non erat, curabo deſcribendum, mittamque ſtatim ad *Remboldum*. Aliud quid? luſi aliquid verſiculorum ad tuas Martyres. quod cum mittere ad te vellem, non prius dicere; hoc tamen fieri debuit, quia illud non potuit, ne viderer in tam longam diem protrahere mandatum tuum officium meum. Vale IX. Calendas Martii CIↃIↃCVI.

Fuit mihi perquam gratum & amoris non utique vulgaris indicium, quod Lipſii litteras prius legeris, quam ad nos miſeris. idem in poſterum facias volo, ſi quid ab illo, ſi quid ab alio. Cardinalis *Bevilaqua* legit mihi, quas a Lipſio accepit, & quas ad Lipſium remiſit. utraeque admodum diſertae, ac de nobis (quod tu volebas) honorifice loquentes. Et heus tu, mitte amabo, ſi quam forte habebis ad manum Epiſtolam Lipſianam, quae in nos aliquid, ſive de nobis. Acque honeſtum cenſeam mihi futurum ad poſteros, vel mulceri ab illa manu, vel diſtringi ab illo calamo; ſed hoc alterum & fructuoſius. Vale iterum.

EPISTOLA DCCCLVIII.

[1]CHRISTIANUS BRUNINGIUS

R. P. *Heriberto Roſweidio S. J. Theologo* S.

Antverpiam.

Orem triſtem ac pene Tragicam! immo e triſti & Tragica (Deo & Divae Sichemienſi gratia eſto) laetam jam nunc & Comicam! Vix Antverpia ſolveramus, cum ecce vitae thorique conſortem mei repentinus, & atrox lateris ſiniſtri dolor oppreſſit. Illa *βαρυνομένη τὴν χαρίεσσα* queri miſera, ingemiſcere, quiritari, in magna muliercularum aliquot vectorumque miſeratione ac *συμπαθεία*. E quibus unus & alter pleuritidem dicere eſſe videri. Dordracum poſtridie ad horam IV. pomeridianam expoſiti Medicum arceſſimus. Venit homo bellus, videt, negat etiam inter evidentiſſimas funeſtae pleuritidis notas (quae nos tamen facile fallebant mali illius & artis medicae ignaros,) negat, inquam, pleuritin eſſe: negat & venam aegrae incidendam. Quid factum? imperitiſſimi tenebrionis fiducia imo fraude, cogitationem omnem *φλεβοτομίας* (primum & ultimum in hoc genere mali remedium) ſeponimus, diem poſteram Dordraci ſpe meliorum conſumimus. Interea dolores intendere, augere cruciatus; magis magiſque in horas immo momenta angi miſera. Die tertia, conducto curru ſingulari, molliſſimis cervicalibus ac pulvinis reclinatam, lente ſane atque tractim, inter gemitus & ejulationes aſſiduas, (quod doloris ea vis ac magnitudo curulem motum aut agitationem adſpernaretur,) tamdem

1 Hic ſe *Bruningium* vocat, qui ſupr. Epiſt. DCCXXVI. *Brunoninm* ſe dixerat. ubi vide.

ſub noctem ipſam Ultrajectum deportamus. Tum illa noctem inſecutam queſtibus fletibuſque inſomnem ducere: nos miſerari, erigere, ſolari, nihil minus quam pleuritin ſuſpicati: & ignari prorſus neceſſitatis ultimae, in qua verſabatur infeliciſſima, vix tandem quarto jam die, ex quo languere coeperat, ad Medicum mittimus: invita & renitente etiamtum miſerrima feminarum. Quid faceret optima? Etiam in tantis cruciatibus, conſultum tamen domeſticis rationibus volebat, & cautum a ſupervacuis (ita fide bona cenſebat) Medicorum impenſis: minime alioquin ſordida vel adſtricta in languore hominum etiam alieniſſimorum. Negat igitur, primi illius ſed infeliciſſimi Dordracenſis Medici fidem ſecuta, negat, inquam, extra pleuritin Medicorum opera utendum ſibi: dolores ſponte ſua, cum bono Deo, lenituros. Arceſſitur nihilo ſecius Medicus, venit, videt, pleuritin ipſiſſimam in ipſo primitus adſpectu denunciat, depoſitam clamat, ſimul imperitiſſimum tenebrionem Dordracenum inclamat. Inter ultima tamen ad Chirurgum mitti jubet. Venit ille, & miſerae jam tum primum ſectionem paſſae, baſilicam incidit in brachio laevo: ſanguinem copioſiſſimum educit ad uncias novenas, nigerrimum, putidiſſimum, virulentiſſimum, &, ut ſemel omnia complectar, extrema infauſto & funeſto colore ſuo denunciantem. Venit alter cognatus item Medicus, conſulitur, eadem omnia cenſet & in ultima vitae tegula miſeram ſtare. Dies dehinc una & binae noctes interpoſitae: quum ecce dolorum vis tota e ſiniſtro in dexterum latus converſa, pleuritin novam facit: attonito & ſtupente medico, & inuſitatam rem clamante. Ah miſera, quid tibi tunc animi, aut virium fuit, quum ſomni omnis cibique ſextum jam diem expers, fracta doloribus acerbiſſimis, minuta ſanguine, alvo fortiter laxata, ad haec ἐν χερσὶ ἔχεσα, ad venae iterum ſectionem, id eſt praeſentiſſimam necem adigeris? Miſera facies, Reverende Pater, miſera, & quae ferreum etiam pectus fregerit. Sed quid aegerrima inter haec mulier? Illa fortis & intrepida brachium Chirurgo dexterum praebere, ſanguinis plus etiam quam antea mittere, ad eamdem plane faciem & colorem: illa ad Deum Divamque Virginem mente pariter ac voce intenta vel levamen cruciatus intolerabilis poſcere, vel conſtantiam in ferendo: illa diſſimulare, vel potius (quod miretur aliquis) negligere lacrimas & lamenta adſtantium, ſpei & fiduciae in Deum Divamque matrem non plena tantum, ſed (ita narrat) ſecura. Ego interea flere in arcano, Deum Divoſque conteſtari, in auxilium rogare: &, auctore bono Genio meo, votum DIVAE ASPRI-COLLI pro uxore aegerrima maritus triſtiſſimus facere, ego, inquam ille Divae Tutelari meae vetus cliens. Quid fit? Audit Diva ſupplicem ſuum, audit: & die altera tertiave, ex qua votum factum, conclamatam jam uxorem doloribus levat, viribus auget, ſed ſacra primum & myſtica Unctione delibutam. Itaque a coeleſti & Virgineo Numine recreata, quae letum ſpectabat paulo minus, ea lectum deſerit, Medicum dimittit. Qui confeſſionem ſacram excepit & injunxit, *Johannes Wachtelarius* ad D. Mariae Canonicus eo die ipſo, quo die has exaravi, ad vos ibat. ille dicet. Itaque jam ipſe non negotii ſolum mei cauſſa ad vos iterum ſpecto, ſed

votu

voti ſolvendi, religioniſque liberandae. Ades o & fave tu illa inclyta DIVA mea, & ſpes votaque noſtra caetera auxiliari illo Numine tuo imple, ſodes: ut, munere ac beneficio unius tuo, e fece iſta ac turba Calvinianorum (qui novo rurſus genere ὄφεις hîc inquietant & ad Orcum adigunt Cultores tuos) una cum ſtirpe noſtra erepti, in meliore aliquo ac puriore tractu, JESU filio tuo, tibique JESU matri pure pieque, in publica civium tuorum luce, faciamus, placeamus! Caeterum ad te, mi Pater, redeo. Interceſſit deſtinato itineri meo, quod audiſti, uxoris meae fatum: & abſque hoc fuiſſet, jam apud vos aut in Grudiis eſſem. Interea ſuper negotio meo ubertim a me ſcito ad *Vermidam* ſcriptum. Scripſeram ad *Puteanum*, noſti. ſed adhuc ſine reſponſo. atqui de profeſſione Graecanica ſcripſeram: & ſcripſeram ſero, τὰς μηχανὰς, ὡς ἡ παροιμία, μετὰ τὸν πόλεμον κομισάμενος. Sed, ut eſt apud Pindarum, πολλὰ δὲ ἀνθρώπους ὑπὲρ γνώμαν ἔπεσεν. Ea re decretiſſimum habebam ſcripto hominem repetere. Sed pro meliore viſum dum ſilentii cauſſam e *Vernida* noſtro reſciſcam, ſuſtinere. Fors eſt, ut aut tempora mutarint illum, aut loca quae inſedit peregrina & a Belgica ſimplicitate noſtra longiuſcule aliena. Verum tamen quoniam NON LIQUET, diem diffindo. Quod ſi tu mi pater, *Vermidam* appellari e re noſtra eſſe cenſebis, fac, quaeſo te, litteris quamprimum tuae & mei negotii ſeria commendatio apud illum appareant: excita hominem non ſanguine duntaxat mihi uxorique innexum, ſed alias prona mente & manu faventem ingenio & fortunae noſtrae: & adde, quod dicitur, currenti calcar. Me Decimarum hîc frumentariarum auctio vel nundinatio tenebit & ſiſtet in dies pauculos: protinus alioquin excurſurum ad vos: Ubi Pelopidum neque dicta neque facta, noſti cetera. Ita profecto eſt. Quo primum die in Bataviam hanc meam e veſtris finibus reverſus ſum, ἐξαυτῆς mihi videor εἰς τὴν ἀδὴν veniſſe. Bene vale, Reverende Pater, & pro me uxoreque ſuaviſſima latas laetaſque laudes & grates JESU Domino, Divaeque Aſpricolli age, noſtri proprie ac peculiariter inter myſtica iſtaec Sacra tua memor. Ultrajecto. VIII. Kal. Jul. ∞. DC. X. *Johannem Woverium* clariſſimum Virum, familiariſſimum meum officioſe a me & uxore ſalutes velim: & quod nec illum in diſceſſu meo, ita, uti pro neceſſitudine amicitiae noſtrae debui, appellarim, feſtinationem meam excuſa: & purgaturum dic, ubi in rem praeſentem rediero. Narra, amabo te, aut, ſi tanti eſſe putabis, praelege utriuſque noſtrûm amantiſſimo homini fortunam uxoris meae, & DIVAE ASPRICOLLIS in hac auxiliarem manum. Cujus ego laudes (ita me ſervet illa, juvet, amet) a LIPSIANA etiam manu Muſave intactas libare percupio, & diffundere grata & geſtiente pinna quadam per Chriſtianum hunc orbem. Iterum, mi Pater, narra, ſodes, Woverio meo. Hoc ex animo te, quoniam ex animo illum complector, rogo.

Salutem a me, qui mihi iſtic a Confeſſionibus fuit, Reverendo P. *Simoni*, homini religioſiſſimo: R. P. *Joanni a Gauda*, concionatori diſertiſſimo: & jubeto macte animo & lingua eſſe. Salveat item a me Jacobus ille Janitor veſter, blandiſſimus omnium homuncio. Ejus in me comitas ita meretur.

AMPHITHEATRUM BURDIGALENSE

Ad magnum

L I P S I U M.

Magne Vir.

AMphitheatrum quod in Aquitania Burdigalae eſt, pulchri & vetuſti operis, ab opido ccc. circiter paſſ. abeſt pl. m. cis Garumnam, loco opportuno, & amaeno, ſitum. Sub eo propter viam publicam fons naſcitur; qui ſui copia eluctatus, ſtatim ibi modico flumine effluit. Eum incolae *Odejam*, alii *Divonam* appellant, ut is ſit, quem Auſonius celebravit. Hujus ad publicos ludos & communem hauſtum magnus uſus eſſe potuit: cum populus ſpectaculis veluti faſcinatus diutile ſe ad ſolem & pulverem decoxiſſet. Situs caveae congeſtitius eſt: & ut totus ille ſuburbanus ager, tuberoſus: cujus exitus, qui intima aperiebant, Architectus clauſit: & terrae aggeſtu ſummae areae aequavit. Per hos dejectus, veluti gradus, ad ipſam molem itur: quae lacera & dirupta mille locis, tamquam evanidum cadaver, vix alibi ſuis membris haeret. Et ut in eo majora oſſa longum tempus non tam facile ſolvit: ita hujus frontes, illam vere oſſeam compagem domeſticae injuriae & longa bellorum ſeries deſtruere non potuit. Jacet tamen: & quae olim forſan laeta tot caedes & in ſinum ſuum congeſta funera vidit, nunc quoque ſemetipſam videt informe cadaver & funus. Conatus tamen ſum nunc iterum animare, & ut apud Poëtam

Animas ille evocat orco. Pallentes

ego tuo juſſu, tamquam mei Jovis, ſubito Mercurius factus, id meliuſcula facie producere. Atque ut idem vetus hoc redivivum eſſe agnoſcas: totum retegam & ſigna, quae a matre habuit, oſtendam. Structurae genus graecum eſt, quod illi ψευδισόδομον appellant: & coriorum ordines, qui totum corpus ambiunt, inaequales alternatim habet. Quadrata latiora rubricans linea III. laterum velut interpoſita vena ſeparat. Id utraque parte eſt erectis coriis: ſed medius murus, & ejus quaſi venter, fractis caementis plenus, frontatis non illigatur. Lateres longi pedem unum, lati palmos duos, aut quod excurrit: toti

1 Neſcio cujus manu haec deſcriptio Amphitheatri Burdigalenſis, & Arietis Heilbronnenſis, ad Lipſium ſit miſſa. cum nulla nota, quae mihi id indicare potuerit, adſit: ſuſpicatus eram ante ab *Abrahamo Bibrano* profectam, qui *Deveonenſis* Amphitheatri deſcriptionem per *Caſaubonum* Lipſio miſerat. vide Epiſt. CCCLVIII. & DCCCXXVIII. & qui ſequenti epiſtola DCCCXXIX. aliorum Amphitheatrorum indicem Lipſio mittit. praecipue quia hic fontem *Divonam* appellari dicit, credebam *Deveonenſem*, pro *Divonenſi* potuiſſe ſcribi: nam video & *Divonam* & *Deveonem* promiſcue ſcribi. utroque enim nomine Cadurcorum caput, hodie *Caors*, a Baudrando in Lexicum Geographicum relatum. & *Scaliger* ad *Divonam* ab Auſon. in Claris Urbibus, Burdigelae Genium dictum, dicit eo nomine etiam Cadurcorum civitatem fuiſſe dictam. imo Cadurcorum urbem a fonte hoc nomen habuiſſe docuit *Had. Valeſius* in Notitia Galliae in *Cadurcis* & *Divona*. unum me moratur, quod diverſus a *Bibrani* manu character hoc vix ſuadeat. Lipſius ipſe de Amphitheatris, quae extra Urbem Romam, cap. I. meminit hujus Burdigalenſis, ſed ſe nondum nactum ejus deſcriptionem profitetur.

toti nitent: nec quod viderim nullibi, ullas puſtulas habent. Quadrata teſſellata introrſum multa calce lita cum lateribus tam arctim coëunt: ut concreviſſe putes. Nuſquam in iis lacuna aut gradus: niſi quod aër aut pluvia exedit. Venuſta omnino facies eſt: & grato adſpectu. Ejuſdem ſtructurae muros vidi Auguſtae in Taurinis, Aquaeductus triplices Emeritae in Hiſpania, alios Lugduni in Gallia. Et ibi Lutetiae lateritium opus ejuſdem generis eſt, quod vulgo aedes Juliani Imp. appellant: nunc pars aedium legati ſummi Pontificis. Sed ut ad rem. Imum pedem Tuſcanus ſtylobata adtollit, rudis ſine taenia, ſima, aut ſcamillis: quoquoverſum aeque latus: paululum a Sila, vel ejus Apophyge reſilit. Pila baſim non habet: ſupra annulum & aſtragalon, quo incomptum capitulum ſuſcipit: In eo quoque, ſi oculis meis credo, Plinthum ſolum vidi: reliqua membra echinus & regula cum Hypotrachelio pariter exeunt. Epiſtylium lateritium eſt. latereſque pulchra ratione contrario ſitu ſe ſuſtinent: qua de re tamquam ſua & nupero invento Architecti Itali triumphant.

Zophorus ejuſdem generis eſt, ſine ornatu, ut fit. Coronix pluribus membris procurrit. Ex hoc Tuſcanico opere rudiore Doricum gracilius naſcitur. Stylobatae taeniis praeveſtiuntur: baſis Attica ſub antis vel pilis, ſuis omnibus membris conſtat Plintho, toro, annulo, ſcotia, vel trochilo, altero item torulo ſuperiore & regula. Silae ſine ſpiris aut ſtriis. Capitulum a Cymatio & Abaco ſtatim ut alterum illud cum Hypotrachelio deſcendit. Epiſtylium faſcias exſertas habet.

Zophorus nudus, ſine ſigillis, metopis, aut Troglyphis eſt: uti in militari opere, in quo nihil IMPENSAE CAVSA FIT. Coronix ſua ſima, Corona, Cymatio aliiſque membris longius ante frontem ſe ejicit: & in utraque corona denticulos habet. Id Vitruvius ferre non poteſt: qui tranſlatis ex alia ratione proprietatibus in aliud genus operis offendi aſpectum ſcribit: lib. 1. cap. 2. ſed tamen hîc, & idem alibi, & idem Romae in Theatro Marcelli videtur. Equidem non laudo: nec confundi haec debent, etſi ab antiquis factum. A faſtigii tympano ſummus vertex corruit: tamen ſcio ex ſingulis angulis ſurrexiſſe acroteria: quae velut limbus extremum marginem praetexuerunt. Itaque juvit quaedam explere a mente & manu noſtra: & inter ſingula acroteria interjicere extrorſum prominentia ſaxa, ex quibus antennae cum velis ſubrigebantur. Quid excuſem? fuiſſe dicam: & cum propoſita imagine te quaſi in rem venire velim, non haec omittam. Nunc a ſummo ad imum, unde modo ſubvolavi, relabor. Ab eo arcuum ordines ſurgunt: & a porta decumana orti ea paullo minores. pilatim totam caveam circumeunt. Antepagmenta portae interiore latere caeſa cava habent, quibus peſſulum immiſſum ad occludendas fores. In quem finem diſputare non libet: ſive ad vitandas aut arcendas turbas, ſive exigendum pro locis pretium fuit: utrumque aliquam rationem habet. Antepagmenta quantum ipſa pila utrinque lata ſunt: ſine incumbis (Itali *l'impoſta*.) ſub conflexu fornicis, cujus frons tota teſtacea, introrſum aequali arcu deſcendit. Interiora caveae vacua ſunt: neque uſque ruina aut exuſtionis ſignum apparet. Non vane tamen ſuſpicer exuſta vel direpta: & podium

&

& ab eo ſurgentes gradus inaſſeratos fuiſſe : quod fieri ſolitum & factum in Placentino & Polano arbitramur, de quo Tac. lib. 2. Hiſt. Quid enim? primum Romae tota lignea erant: & illud Placentiae conflagravit: forſan etiam quae Lugduni & Viennae in Gallia: quorum nomen ferme cum ipſis periit. Quod Polae eſt & intus vacuum, id certum eſt ab igni vel furto eſſe. Andegavii ex magna mole praeter imam ſcrobem nihil ſupereſt. At quae tota lapidea & intus, extra, ſupra, infra, ubique bene firma & ferro obfixa contra omnem caſum ſteterunt: atque etiamnum ſemidiruta nomen ſuum tuentur. Vide illa Italiae: adhuc ſuis ruinis fulta perſtant: omnia Galliae & Hiſpaniae adhuc ſuis baltheis incincta ſtare velle promittunt. Neque ullum eſt, in quo non graduum ordines & vomitoria, aut eorum aliquae notae & ſigna, in arcibus appareant. In hoc nihil iſtiuſmodi aut ſimile, totum inane eſt: & totum intus computruiſſe dicas. Quot vero loca, & in circuitu arcus, tota haec machina ceperit: quam ſit longa, lata, & alta, nihil affirmo: amiſſa in itinere magna ejus dimenſionis parte. Quod ideo ſcribo, ne cum id deſideres, me tacite accuſes, cui apud talem virum nullum alioquin velum aut fucus. Sed tanti non eſt illa jactura. *Vinetus*, vel quisquis ille fuit menſus eſt: & recte ſcribit VI. arcuum parietes exſtare: in longitudinem protendi ped. LXXXVI. Aream interiorem latam ped. CXL. longam CCXXIV. Haec ille ſupplet. ſed pedem non addit, quod potiſſimum erat. Quantum patuerint carceres & ſingulae arcuationes quam latae, longae altaeve alius ſuppleat. Tunc tamen ut ſubduxi rationem, comparato utroque pede, magnitudine par fuit Nemautenſi, anguſtius Arelatenſi: utroque tamen inferius ſtructura. Hoc enim ſemilateritium eſt imbecilli operis: & inornatum: illa tota ex lapide ſecto omnibus numeris & ornamentis perfecta. Pulchrum tamen & hoc fuit, nec me poenitet A FVNDAMENTIS RESTITVISSE. utinam, nunc, tu me Aedilis, PROBES, & quod magis opto, DEDICES.

ARIES GERMANICUS.

HEilbrunnae, quae Imperii urbs eſt in vicina Suevia: unius diei itinere ſupra Heidelbergam, ad eundem Nicrum ſita: inter alia ejus loci pulcra, Trabs eſt abiegna quadrilatera longa ped. LXXVIIII. & ſemiſſem, uno cubito minor illa, qua uſus eſt M. Antonius IIIvir in bello Parthico, quae LXXX. fuit: ſed illa ſtructulis fuit: haec ex una eademque arbore. Roſtrum palmipedale ex ſolido ferro, retro ſub collo craſſum & latum dig. IX. minut. II. ante ubi tenuiſſimum, & velut in promuſcidem deſinit, dig. IV. & ſemiſſem. Ea facile fuit omne prohibendi commentum eludere: ut quae ſaccis ſuppoſitis nec averti nec excipi poſſet, ipſos cum muro perforans: nec caput facile decuti, trabi quaſi innatum. Atque id circum circa laminis ferreis longis pedes X. dig. IV. ex capite dictis illigatur. Inſuper illae laminae IV. circulis revinciuntur: qui lati dig. 3. minut. II. craſſi min. III. Spatium inter eos ſubinde augeſcit: & a primo ad alterum pedale fit: ab illo ad tertium cubitale vel ſesquipedale. Ad eumdem modum arbor a capite ad imam calcem regrediens

in A

enſis.

I Semis



ienſus fuit.

diens paullatim creſcit: ubi lata in imo palmos III. dig. II. craſſa ped. I. & quod excurrit: a capite contracta plus quarta parte minor. Id quod factum exiſtimo, ut ἰσόῤῥοπος eſſet: vel urgens a tergo pondus ruentem per ſubjectos toros machinam magis atque magis propelleret. Utroque latere annulos habet ferreos XIII. craſſos min. 3. latos in diametro dig. III. min. II. per eoſdem trajectos rudentes putem ad retinendum vel incitandum. Annulus, qui extremam oram concludit, latus dig. II. min. II. craſſ. min. 18. Haec totius machinamenti Symmetria eſt: cujus rationem minute & menſurate in pictura ſecutus ſum. Cujus aetatis ſit, nunc non inquiro: ex forma tamen videas, quae rudis & adhuc a prima inventione, poſteriore & deteriore aevo natum. Et Valturius ſimile aliquid pingit aut fingit: & ferrum illud prominulum, quod ſuo Arieti aptat, plurium laterum facit. Vidiſſe potuit tale aliquid tunc paullo ante inventis tormentis, & uſu receptis: omni hac arietaria machinatione neglecta.

Arietis hujus figuram, quae in nimium ſpatium porrigebatur, & chartae fines longe excedebat, ad minorem modum reducere, cum ipſi oſtendiſſem, in meam gratiam non refugit, licet mille laboribus obſeſſus, Vir Eximius, & Collega conjunctiſſimus, *H. Boerhavius*, qui cum omnium fere ſcientiarum ſpatia peragraverit, praecipuum hodie inter Medicos & Mathematicos nomen habet, & Academiae noſtrae ſingulare ornamentum & decus merito aeſtimatur. Ex ejus ergo delineatione Arietem illum hic exhibemus.



Digitized by Google

Digitized by Google

CLARISSIMORUM ET DOCTISSIMORUM
VIRORUM

EPISTOLAE,

PARTIM EX

BIBLIOTHECA LEIDENSI,

PARTIM ALIUNDE DEPROMTAE.

Digitized by Google

CLARISSIMORUM ET DOCTISSIMORUM VIRORUM EPISTOLAE.

EPISTOLA I.

BERNARDUS ORICELLARIUS

Franciſco Cataneo Diacetio S. D.

QUaeris, quando nos in urbem Maſſiliam, tanquam in portum, receperimus, quo pacto vitam, quam veteres dixere vigiliam, traducamus. Ego vero tibi cumulate ſatis in hoc ocio facturus, urbis ſitum, adjacentiſque regionis oram, incolarumque mores deſcribere inſtitui, quo & tu, quod poſtulas, facilius percipere, & nos commodius narrare, poſſimus. Maſſilia in colle haud ſatis edito ſita, triquetra fere forma, aditum tantum habet a terra, quae Galliam reſpicit & Septentriones: per caetera mari abluitur, quod partim ſua ſponte ſe inſinuat circumflexo littore, partim opere atque arte immiſſum, portum ſupra caeteros, quos vidimus aut audivimus, tutiſſimum efficit. quippe manufactus parvo abrupto ſpatio occidentem verſus, quo mare includit, intra ſe aperit inconſpicuam latitudinem tam abdito receſſu, ut nullam ſaevitiam maris pertimeſcat: rurſus ab externa vi maleficioque, ferrea catena obducta faucibus, reddatur incolumis. Adjacet & portus genus alterum, quantasvis navium patiens, ſiquidem mare proximum parvulis crebriſque inter ſe inſulis diſtinguitur, pumicas incolae appellant, quarum pars in dorſum porrecta ſpeciem portus praebet, profundo interjacente ſalo, vi nulla ventorum repercuſſo, ad fidam ſimul & commodam navium ſtationem. nunquam enim ibi factum naufragium, memoriae proditum eſt. Hic locus a continenti diſtat circiter millia paſſuum tria, quo, quidquid mare portumque intereſt, mons continet magna altitudine; cujus radices ab ea parte, quae ad urbem vergit & Septentrionem, portum cingunt in C litterae ſimilitudinem, ubi navalia ſalinaeque. Caetero autem ſinu, qui urbi adjacet, in cornua curvato, conſtratum mare molibus iter praebet ad portum obverſantibus: quippe ibi profunditate ſtatio navibus commodior frequentiorque uſus eſt, plurimis officinis tabernisque ſinum complectentibus, qui erectus in theatri ſpeciem meridiem verſus plurimo ſolis repercuſſu albeſcente mare lucet,

proſpectanſque adverſum montem mirum ſpectaculum praebet, cum hemicycli forma conſpicua ipſa per ſe, tum ardui montis proſpectu, cujus apici delubrum impoſitum phari inſtar ſpecula exiſtit, quae velis interdiu, noctu igne, ſignificet modo adventare naves, modo mare a praedonibus quam maxime tutum, ut ibi naturae munere ad illuſtrandam Maſſiliam mons conſtitutus eſſe videatur. At caetera regio, quae ab urbe protenditur ſatis amplo interjecto ſpatio, continetur praeruptis montibus in circuitum ductis. ab his perennes liquidique fontes manant, fluentes per declivem latitudinem, diſtinctam collibus frequentemque villarum aedificiis, quorum uberior, veluti princeps, modo ſubterraneo, interdum arcuato opere influit urbem ad libram ſummae altitudinis: unde per declivia diſtinguens corrivatos latices caſtella lacuſque ad xxx. efficit, interim ſalientibus ipſis ad voluptatem & mundiciem civitatis. res digna memoratu, vel ſi id nulla Maſſiliae deſcriptione recenſeas, quippe quae referat priſtinam antiquitatem. ſolidum enim opus eſt, veteriſque ſtructurae genere coagmentatum, &, quod ſupra fidem videri poſſit, minime ad hanc diem cognitum, a quo capite fonteque tamen ubertas aquae derivetur, cum ad eum perſcrutandum periti homines, aquarum ductu inmiſſi, ad quatuor milia paſſuum proceſſerint. Verum ut ad incolarum mores deſcendamus, ea gens Maſſilienſium eſt, ut Gallorum licentia ſimul admixta commercio cum vetere frugalitate utrumque redoleat. ſcimus enim, Cicerone Plautoque authoribus, probatiſſimos omnium habitos Maſſilienſes mores. quin immo Cicero ipſe eorum diſciplinam gravitatemque tanta praedicatione proſequitur, ut non ſolum Graeciae, ſed fere cunctis gentibus anteponat, laudarique inſtituta eorum facilius poſſe exiſtimet, quam adaequari. ſunt enim Maſſilienſes, ut in Narbonenſi Gallia, cincti undique barbaris nationibus, frugi admodum homines, humanitate & gratia ſingulari, & qui nullo officii genere vinci patiantur. procliviores tantum in Venerem epulaſque quam ſat eſt. foeminis tamen, quamvis in propatulo uſus licentior, domi caſtitas adeſt ſupra caeteras, quae Gallias & Hiſpanias incolunt. His expoſitis facile cognoſcere poteris, quo pacto vitam, ne dicam vigiliam, ducamus. in promptu enim id eſt, ac veluti e corporis partibus venuſtas exiſtit, ita ex membris, ut ita dicam, quae ad corpus Maſſiliae pertinent, oritur vivendi modus, quem ſectamur, natura ipſa loci ac veteri ſtudio adducti. Jam primum omnium nullis obligamur legibus, conſtanteſque eſſe tantum in ſola varietate delectat; modo in hortis ſumus, aquis viciſſim umbriſque refertis, modo ruri, ſaepiuſque in mari. nam quas diximus, pumicae, commodam affluentemque piſcationem habent, tunnorum praeſertim, quorum proventum, ut eſt interdum annona feracior, XL. millium exceſſiſſe numerum multi affirmant. quippe non magis navium quam piſcium ſtatio eſt, pro regione loci coelique temperie: nam & hi quoque maris facetiam ſentiunt, recepiſſeque ſe ex rapidioribus undis in tranquillo gaudent. hinc ſaepe videas frequens piſcatoribus propinquum mare, quorum labor, propterea quod uſu minime ingratus eſt, obverſantes magnopere delectat, ipſique praedae ſuae adeſſe advenas mirifice afficiuntur. At ager ferarum aviumque ferax,

rax, expoſita venatio aucupiumque nos non modo delectat, ſed afficit: brevi enim indagine quantamlibet praedam reportare facile eſt. neque mirum rivis interfluentibus colles veſtitos multiplici genere arborum arbuſtorumque gratiſſimum receptaculum, aviario vivarioque prope conſimile, &, quod maxime voluptatem cumulat, neceſſe eſt, ut ſaepe incidas in villas praediaque inhabitantium, qui nos pro more Gallico ſumma comitate ſuſcipiant, vimque afferant ſi detrectaveris. alacres enim per ſe agreſtis locus ac maxime voluptarius licentiores facit. ibi mira feſtivitas, mira hilaritas, ac ita domeſtica conſuetudo, ut jam antea fuiſſe una ſaepius futuroſque eſſe diceres. tanta comitate ſeſe Maſſilienſes agunt. His voluptatis illecebris mirum eſt, quam venuſte interſint ſtudia litterarum, quam facile ingenium diutino uſu obtuſum acuatur, reddaturque in integrum, ut ſi quid ſcribendo exaraveris, brevi veluti alter judex accedas, ſingula undique circumſpectando firmiori quodam judicio conſtituas. Hinc deſcriptio, quam te authore ſuſcepimus, etſi pro argumento minus eleganter, tamen flumine aliquo ſuccedit. Poteris id percipere e ſcriptis, quae nuper Pallanti filio miſimus, quibus complectimur praelium ad Tarum amnem, in quo pergratum mihi feceris, ſi tuum de illo judicium ſolita ſedulitate interpoſueris. ſcis enim nullo lenocinio magis nos poſſe affici, quam illa tua Catanea ſeveritate & gratia: Catoniana volui dicere: ſyllabae me decepere. Verum ut redeam ad ſeria, omiſſis jocis, cumula tantas Maſſiliae dotes, unde oritur vigilia noſtra, jam enim ita vocare liceat, tanto adjuncto comite. *Timo Coſmus Scalia* vir integritate vitae, doctrina ac ſuavitate ingenii ſingularis. unde illi Timonis inditum nomen. hic Genuae natus claris parentibus, cum exacto aetatis robore ſeſe recipere e fluctibus humanarum rerum deſtinaſſet, urbem Maſſiliam, ubi reliquum vitae tempus degeret, ex omnibus delegit. quod ipſum maximo argumento eſt urbis ſitum caeteris omnibus longe eſſe praeferendum. probari enim re ipſa ab erudito homine, qui cuncta fere maria terraſque adiſſet, vel in maximis laudibus fuiſſe non ignoras. Cum Timone igitur copulata quam primum amicitia eſt, conjunctum ſtudium. nam & ipſe taedio rerum civilium, quibus ſemper adfuit, ſe litteris & ocio reddidit, quas a pueritia ſectatus eſt. Hinc videres alterum Cavaccium re ipſa philoſophantem nos proſequi, frequenter cum eo eſſe, voluptates omnes, quas ſupra memoravimus, una capere, tanti viri interventu gratiores. Haec ſunt quae tibi habemus referre de ratione vivendi: in quo paraphraſis tua de coelo forſitan breviorem orationem poſtulat, argumentum vero ipſum, quando Timo interveniat, vigilior ipſa vigilia, multo longiorem. Vale.

De *Oricellariis*, Italis *Rucellai*.

Palatium *Oricellariorum* Florentiae olim magnificentiſſimum exſtructum, idemque vel hodiedum e praecipuis Nobilium palatiis eſt. eſt autem in via Vineae, cum oppoſita porticu, quod inter argumenta potentiſſimarum in rep. familiarum habetur. architectura ſatis pulchra eſt ex delineatione *Alberti*, hominis eruditione clari.

In fronte Eccleſiae D. Mariae Novellae, quae Dominicanorum eſt, & praeſtantioribus Florentiae eccleſiis accenſetur, legitur:

Joannes Oricellarivs Pavli F. An. sal. mcccclxx.

Porro ipſum templi limen, inſerto porphyretico marmore, diſtinctum eſt in formam teſſerae, cujus anteriora habent:

Bar-

BERNARDUS ORICELLARIUS.

Idem procul dubio, qui descriptarum epistolarum auctor est, forte fundamenta jecit, sive, ut vocant, primum lapidem. Ceterum valvae ejus templi pulcherrimae sunt ac pretiosissimae, quemadmodum & tota frons miro artificio magnisque sumptibus ex vario marmore tessellata est. Paulus Jovius Histor. sui temp. lib. 1. *Quas res, sicuti Bernardus Oricellarius, qui tum Florentiae publicis consiliis interfuit, in historiis asseverat.* Scripsit *Bernardus* de bello Italico, sive de adventu Caroli VIII. Gallorum Regis in Italiam, quae Historia manu exarata servatur in Laurentiana.

Scripsit praeterea de bello Pisano; de bello Tiphernatico; & de bello Mitanensi, atque hi libri reperiuntur in bibliotheca Strozzarum.

Fuit & *Hannibal Oricellarius*, natus e sorore *Joannis Casae*, Archiepiscopi Beneventani, ut patet ex epistola ejus scripta ad *P. Victorium*, ante *Johannis Casae* Latina monimenta. Haec Cl. *Brencmannus*, Vir Doctissimus & mihi amicissimus, qui hanc epistolam & sequentem mecum communicavit. ceterum *Aloysii Oricellarii* praestantissimi adolescentis meminit *Gualdus* in vita Pinelli pag. 352. Edit. Londin. *Joannis Oricellarii* meminit *Pier. Valerian.* de infelicit. literat. lib. 11. pag. 58. *Carolum Oricellarium* laudat *P. Victorius* lib. x. Epist. 7. De familia *Oricellaria* & Viris in illa illustribus late agit *Eugenius Gamurrinus* in Historia Genealogica familiarum Etruriae & Umbriae Nobilium, Italice scripta & edita Florent. 1668. Tom. 1. pag. 274.

Franc. Cataneus Diacetius ex nobilissima & antiquissima Florentinorum familia, quam *Scipio Ammiratus* in libro Italice scripto de familiis nobilibus Florentinis parte prima in initio late describit, & pag. 12. hujus *Francisci*, quem Philosophum vocat, vitam & opera recenset, & *Benedictum Varchium* Italice, *Eufrosium Lupum* latine ejus vitam scripsisse docet. vide & *Ghilini* Theatr. Literator. tom. 11. pag. 88. fuit Platonicus, discipulus *Mar. Ficini.* Opera ejus edita Basileae 1563. cum praefatione *Theodori Zwingeri*, inter quae Declaratio istius metri Boëthiani, *Tu triplicis mediam naturae cuncta moventem*, inscripta huic *Bernardo Rucellaio.* filiam ejus *Cassandram*, viduam *Caroli Pandolfini* duxit *Robertus Acciaiolus.* vide etiam de hujus familiae splendore & de nostro *Francisco*, eundem *Gamurrinum* tom. 1. pag. 309. & seq.

EPISTOLA II.

BERNARDUS ORICELLARIUS

Roberto Acciaiolo S. D.

NEapoli cum essem, perlegeremque monumenta ingenii, quae *Pontanus* templi parieti incisa posteris reliquit (erexit enim ille sibi perspectissimo loco aediculam marmoream) ecce mihi senex supervenit, pedisequis nonnullis priscae disciplinae sectatoribus. Tum super ea re habito ultro citroque sermone, denique in eum devenimus, authore me, quisnam e veteribus praecipue deligendus foret, quem in Historia sequeremur. Insederat jam animo, exardescente armis Italia, gesta Caroli mandare litteris, cupiebamque ex doctissimi hominis judicio facere mihi documentum. Igitur *Pontanus* ad suos conversus, praeludite, inquit, si placet, certamini, ea differendo, quae proximis Saturnalibus inter bellaria admisimus. Nam quaestio per se digna est, de qua verba multa faciamus: siquidem pauca pro tanta re praecepta Historiae extant. & Ciceronem ipsum, Eloquentiae lumen, scimus se ab hoc scribendi genere abstinuisse. Tunc e condiscipulis alius alia, ut inter coenam collocuti fuerant, recitavere. Utebatur enim senex, reliquiae prisci temporis, vel symposio, ad fovendas aetate simul ac studio confectas vires, relaxandumque ab intentione animum, quo acrior excitaretur. *Puccius* igitur, cui primae partes

in

Digitized by Google

in triclinio obvenerant, retulit, videri ſibi in Hiſtoria, veluti apes in favis ipſis conficiendis ſolent, undique decerpendum eſſe quod in opus noſtrum conferatur, ita tamen compoſita oratione, ut ſuis diſtincta numeris, noſtra, non aliunde accerſita ſit. At *Marullus* pro ingenio non adeo fecundo tutius fore contendebat, ut e veteribus certum ſcriptorem ad imitandum proponeremus, eumque tanquam ducem ſequeremur. Verum quod *Puccius* omiſiſſet de ſtilo ac genere ſcribendi id ipſum maxime probare, quod inter arduum depreſſumque aſſurgat: ac, ne recederet a Saturnalium licentia, eam in re Venerea ſibi maxime dari virgunculam concupiſcere, quae primo renitens obluctetur, denique cedat expugnata blanditiis. At *Laſcharis*, qui tertius in ordine convivarum fuerat, non multum abeſſe dixit ab ea imitatione, quae certo duce niteretur, dummodo nova nimiſque ardua declinaremus. quod autem ad phraſim attinet, eam cenſere minime improbandam, quae nec ocioſa torpeat, nec luxurians laſciviat: atque ut in machinis tractoriis id maxime genus probatum fuiſſe ab architectis, in quo nihil libramenti deperiret, cunctaque puncto temporis verſarentur, ita laudatum in narratione ipſa, ſi nihil ſuperſit nihilque deſideretur. Haec praeludia cum excepiſſet *Pontanus*, ordine, inquit, agenda quaeſtio eſt, primumque de litteris diſſerendum, quae, ut caetera cuncta ab infimo nata, id incrementi habuere, ut Catonis ſenioris aetate illuſtrarentur, rudiores tamen quam pro tanto imperio, ſed quae majeſtatem Quiritum veterum retinerent, quippe cum Sabinis jam primum conſociata republ. tetricam illorum diſciplinam ſapere videbantur. Catonem permulti ſubſecuti, inſignes illi quidem eruditione & copia innovationis, verum prae his, quos tulit aetas C. Caeſaris, obſcuriores. pubeſcens enim antea Eloquentia tum primum adulta, qua tempeſtate, ut ex Ciceronis ad Lentulum & Atticum epiſtolis perſpicere licet, magna ſcriptorum ingenia provenere, & quae fulgore ſuae claritatis inſequentium aciem perſtrinxerint. nam etſi poſthac homines Graecis artibus maxime dediti in ſummos viros evaſere, candorem tamen priſtinae aetatis minime ſunt aſſecuti. licentiores praeterea innovationibus ac laſcivienti quadam luxurie extitere, quam vel a Graecis ipſis, vel ſuopte ingenio aucupati ſunt. fit enim vitio naturae, ut cuncta a parvis initiis orta, ubi ad faſtigium pervenerint, nimia ſui inconſtantia prolabantur. His ita expoſitis conſequens eſt, ut deſcendamus ad eos authores, e quibus elicere poſſimus optimum ſcribendi genus. Caeſar ac Saluſtius ambo procul dubio inter inſignes excellunt. quorum diverſa vis ingenii laudem fere parem conſecuta eſt. ille purus, nitidus, fluens, & qui referat dictatoriam majeſtatem, ingenuo decori conjunctam. hic prorſus elegans, vehemens ac ſingulari brevitate diſtinctus. alter refert eundem animi vigorem, quo bella geſſit. alter, quae accepit, ita ponit ob oculos, ut res ipſa agi videatur. verum Caeſar tanquam ſeminarium, Criſpus lex & exemplar Hiſtoriae eſt: ita tamen, ut morolis anſam fortaſſe praebuerit inſectandi verba excerpta ab Originibus Catonis, redolentiaque nimiam antiquitatem. At Livius ut magna vis aquarum profluens inſignem ſpeciem praefert, modo altiſſimo alveo, modo tenui, interdum rapi-

do, ac freto magis, quam torrenti similis. nam & copiosus, & acutus, & gravis, par Graecis, quos ille aemulatus est, supraque posteros, quibus ille singulari magnitudine praeripuit imitandi facultatem. quippe cui si datum foret, ut Romae ortus patrium sermonem nactus esset, cunctis proculdubio praeponeremus. Post Livium, longe procul a se relinquentem prosequentium turbam, non habemus, quibus nitamur scriptoribus, usque ad Cornelium Tacitum. hic senescentibus jam litteris pristinum nitorem reducere conatus est. consulari enim viro par dignitas fuit, suis nixa viribus priscisque artibus. Verum dum veteres aemulari contendit, longe abest a pristina dignitate & gratia. vehemens tamen & gravis admodum in concionibus: ut hoc a Livio, illud a Crispo traxisse videatur. Superest Q. Curtius, post quem ulterius in Historia progredi nefas esse arbitror, siquidem Vespasiani temporibus, quibus ille vixit, cunctis pro doctrina dignitas defuit in hac scribendi facultate. Hunc e sectatoribus Graecarum artium Alexandri Macedonis gesta, minime prius Latinis celebrata litteris, illustravere, quae ipse vel e Graeco transtulit, vel ita mutuatus est, ut & figuras & phrasim aucupetur, nativo quodam lepore & gratia, ne dicam Venere, conjuncta, non adscita. Haec cum ita sint, nostra quidem sententia est, ut ex his quos praeposui, modo hunc, modo illum pro re atque genio, cui praecipue indulgendum est, ad imitandum praeferamus: dummodo e diversis concentibus concinnemus modulationem, quae ex organo nostro proficisci videatur. Haec *Pontanus*. Sed quorsum tam multa, inquies, Roberte? nempe ut intelligas, quae *Puccius* noster caeterique Pontanicae disciplinae sectatores differuere, in castigandis scriptis nostris de Re militari non procul a *Pontani* sententia censuraque abesse.

EPISTOLA III.

JULIUS PFLUG

Ad Menterum, de Dialecticis Graecis & Ciceroniano Erasmi.

QUod tardius aliquanto, quam tu fortasse expectasti, literis tuis respondeo, purgarem me multis sane verbis, si tuo in me amori diffiderem. Nunc vero quia sentio, quanti me facias, illud mihi persuadeo, ut ego mihi dicam, te ipsum pro me esse locuturum. Quamobrem non tam, quod rem necessariam me facturum arbitror, quam ut consuetudini serviam, causam silentii mei tibi breviter exponam. Cum mihi redditae essent literae tuae, idque Lipsiae stato illo mercatus tempore, rescripsissem subito, nisi meum de Ciceroniano *Erasmi* judicium requisivisses. Cui voluntati tuae cum deesse nollem, erat antea liber ille legendus mihi, quam responderem. Sic enim statuebam, iniqui esse judicis de scripto alieno, causa non cognita, pronunciare. Itaque cum essem tam valde occupatus, rem in aliud tempus differendam putavi, cum vacuus ipse ad me illum librum accurate cognoscendum, & ea quae vel-

velles explicanda dare poſſem. Sed poſtea ita cecidit tamen, ut quem ocii fructum ſperaveram, ille mihi datus non ſit. Nam extiterunt negotia non parum multa, quae me a lectione librorum, & a ſtudiis illis, in quibus conquieſcere ſolitus eram, divellerent, quibus quidem negotiis implicitus fui, donec iis, quae mearum erant partium, confectis, caetera in fratrem transfundere liceret. Quod cum non ita pridem contigerit, ut vere affirmare poſſim, quia intelligis me citius reſcribere non potuiſſe, accipies, ſi te bene novi, excuſationem meam. Ac nunc quidem, ut ſingulis epiſtolae tuae partibus ordine reſpondeam, perjucunda mihi erit gratulatio tua, in qua quidem ſe ex omnibus partibus amor in me tuus oſtendit, ac quoniam me ad amicitiam colendam provocas, non committam ego, ut meum in eo genere officium deſiderare poſſis. Atque utinam non tam longo locorum intervallo diſſiti eſſemus, ut & ſaepius inter nos congredi, & coram ſigna benevolentiae noſtrae dare poſſemus. Quod ſi rarius fiet, quam ego velim, rationem tamen inibo, ut per literas tecum quam ſaepiſſime loquar, & de omnibus rebus communicem. Nam cum e maxima periculi flamma ereptus, domum tandem ſalvus redierim, hunc quaſi portum, in quem poſt longam jactationem invectus ſum, eo libentius tenebo. Atque ut deſiderium earum rerum, quas reliqui, tolerabilius feram, certum eſt, in conſuetudine hominum mei amantiſſimorum, quam ſuaviſſime conquieſcere, vel ſi illi abſentes ſint, ex hoc literarum quaſi colloquio delectationem petere. Quod autem mihi de otio meo & ſtudiis Philoſophiae gratulare, agnoſco illud tuum ſolemne, ut ex commodis amicorum non minorem capias voluptatem, quam ſi tua eſſent. Utinam vero tantos in eo genere doctrinae progreſſus haberem, ut & tu recte gratulareris, & ego tandem, quam tribuis, agnoſcere poſſem. Sed res ita ſe habet, ut praeclare mecum agi arbitrer, ſi Academiam illam, in qua Princeps eſt *Lazarus Bonamicus*, vir aetatis noſtrae omnium (quod pace aliorum dixerim) doctiſſimus, non dedecorem. Venio nunc ad ea, in quibus tu quidem judicium meum requirens petis, ut de Dialecticis & Ciceroniano *Eraſmi* quid ipſe ſentiam, explicem. Horum alterum faciam ſane libenter. Eſt enim leve, quod imponis, onus, alterum vero facturus ſum, non libenter illud quidem; ſed tamen, quia tibi petenti nihil negare poſſum, facturus. Ac primum quidem de Dialecticis accipe. Cum τὰ λόγικὰ diviſa ſint in partes duas, in rationem judicandi & inveniendi, in utraque longe omnium, qui ſunt aut unquam fuerunt, Principem eſſe Ariſtotelem, tu ipſe optimus es teſtis. Sed ſecundum hunc in ratione judicandi, mea quidem ſententia & eruditorum omnium, quos quidem ego audivi, primas tenet Alexander, ſecundas Boëtius. Has ego Ammonio deferrem, ſi paulo uberior eſſet. Simplicius eſſet quidem in Principibus hujus artis habendus, ſi non aliud ageret. Nam in eo libro, qui in manus meas venit, totus eſt ἐν τοῖς μετὰ τὰ Φυσικὰ. In ratione autem inveniendi, Ciceronem antepono omnibus. Qui profecto in eam partem non parum lucis intuliſſe videtur, cum quae apud Ariſtotelem fuſa eſſent, & quodammodo diſperſa, in genera cogeret, ut locos, qui pene infiniti ſunt, facilius memoria tenere poſſe-

mus. Huic ſi quis illam Agricolae partitionem τοπικὴν addendam exiſtimet, nihil ſane impedit. Hactenus de iis, qui τὰ λογικὰ perſecuti ſunt, vel potius de ſcriptis eorum, quae extant. Nunc vero de Ciceroniano *Eraſmi*, quando ita tibi videtur, cognoſce, feram autem judicium, non hercle magis, quam exiſtimem me afferre poſſe, quod te fugiat, quam ut tibi amantiſſimo mei morem geram. Ac ne longum faciam, ſi tanta eſſet verborum ſylva apud Ciceronem, ut omnia, quaecunque ad dicendum proponerentur, illis ipſis explicare poſſemus, fortaſſe neque *Eraſmus*, neque quiſque alius, Ciceronem ſolum in ratione Latine loquendi viſitandum eſſe, negaret: ſed cum ille non omnia, de quibus dicendum eſt, fuerit perſecutus, niſi de quacunque re propoſita loqui velis, vocabula multa ab aliis authoribus ſunt mutuanda, ſtatuit *Eraſmus*, etiam alios bonos authores imitandos eſſe. Nam ita mihi ille ſentire aut ſentire debere videtur. Ego vero, quanquam concedo, multa propria rerum vocabula in Cicerone deſiderari, eaque, ſi opus ſit, ab aliis autoribus ſumi oportere: tamen illud affirmare poſſum; ſi quis Ciceronem ſolum recte imitetur, eum Latinius, aptius, atque ornatius de quacunque re propoſita dicturum eſſe, quam quemque alium. Nam illud inter Eruditos ſatis conſtat, duo eſſe vocabulorum genera, alterum quidem publicum, alterum vero privatum, illud convenire in omnia, hoc autem ſingularum ſcientiarum eſſe proprium. Publicis Ciceronem abundare praeclare intelligitur, quicunque ſcripta ipſius diligenter cognovit. Etenim ſive docere velis, ſive delectare, ſive monere, ſuppeditabit Cicero verba, quibus ad propoſitum facere poſſis. Nulla eſt enim in ullo genere orationis laus, cujus non perfectio aliqua (ipſe dixit *Conatum*, ut par fuit viro parum de facultate ſua ſtatuenti) in ſcriptis ejus eluceat. Quare ſi quis talem tamque praeclaram facultatem conſecutus fuerit, quid erit, de quo ille non perbene Latine loquatur? neque vero me movet illud, quod dici ſolet, privata quaedam vocabula ab aliis autoribus petenda eſſe. Quaſi vero non poſſimus aliquem recte imitari, ſi in ea ipſa imitatione adhibeamus aliqua, quae aliunde ſumpta ſint. An cenſes eum, qui in meditatione armorum, aliquem praeclare imitetur, ejuſque ſimilis ſit in inceſſu & toto corporis motu, ſi forte aliud armorum genus arripiat, ab illius, quem imitatur, ſimilitudine receſſurum? Hic ne erres, quanquam tu quidem minime erras, ſic habeto. Imitationem eam eſſe rationem, ut veſtigia alicujus eatenus perſequamur, quatenus tales, qualis ille eſt, efficiamur. Quamobrem ſi quid ſumam ab aliquo, quamvis illius ſimilitudinem non continuo arripio, fit, ut aliud ſit imitari, aliud vero ſumere, ſeu mutuari. Cum praeſertim hoc non tam eo pertineat, ut ſimiles efficiamur alicujus, quam ut ab aliquo, quod habere velimus, auferamus. Atque ut tota haec ratio ad id, quod quaerimus, accommodetur. Si Ciceronem recte imitabere, talis eris, qualis ille. Nam tali locutione tam emendata, tamque eleganti uteris, quali uſus eſt ille, eodem modo verba collocabis, iiſdem quaſi inſignibus orationem diſtinguens. Simili ratione de tenuibus ſubmiſſe, de mediocribus temperate, de gravibus denique graviter, dices. Breviter, nihil erit in toto veluti corpore ora-

orationis, quod non erit elegans, nitidum, aptum, pulchrum. Hîc ſi aliquot vocabula a Jureconſultis, aut Medicis, aut Theologis fueris mutuatus, non continuo illos imitabere. Nam cum imitationis proprium ſit, talem efficere, qualis ſit ille, quem ſibi aliquis ad imitandum proponat, illud autem ſumere ab aliquo aliquot vocabula non efficiat continuo ſimilem ejus, a quo ſuminus, licebit certe unum aliquem ſolum imitari in loquendo, etiamſi privata aliquot vocabula ab aliis fueris mutuatus. De qua re ut paulo enodatius agam: Quis exiſtimabit eum eſſe Ciceronis ſimilem, qui ſingula illius vocabula, eaque non juncta more ejus proferat? Nemo profecto, qui modo ſapiat. Eſt igitur imitatio poſita in conjunctione verborum, atque ſtructura, tum in toto quaſi corpore orationis. Quod ipſum ſi praeclare imitaberis, etiamſi aliquot vocabula ab aliis fueris mutuatus, eris nihilo ſecius Ciceronianus, & laudabilis eloquentiſſimi viri imitator. Quae cum ita ſint, poteris tu quidem Ciceronem ſolum imitando, tibi egregiam Latine loquendi facultatem parare. Egregiam dico? Imo multo praeſtantiorem, quam ille habeat, qui omnes alios authores vel optimos imitetur. Neque id injuria. Etenim ſi omnes alii boni Latinitatis autores in unum conferantur, cum hoc uno comparari non poterunt, ut doctiſſimus quiſque magna authoritate ſentit & loquitur. Quis igitur non malit unum hunc imitari, quam caeteros illos tot ac pene infinitos? Huc accedit, quod ſi varios imitabimur, naturalis ille nitor & ſuccus orationi ineſſe non poterit. Ut enim ex varietate cibi malus gignitur ſanguis, & ex eo color non bonus: Ita ſi ex variis ſtylis unam orationem confundas, eam ſanam eſſe poſſe & bellam, veriſimile non eſt, perinde ac ſi illam naturalem quaſi ſanitatem orationi ademeris. Obſecro te quo reliquum feceris, quod vel ſplendorem, vel decus habeat? Quamobrem ſi conſtitutum eſt illud, Ciceronem unum imitandum eſſe, ut ego nihil addam praeterea, per te ſtatuere poteris, quid ego de Ciceroniano *Eraſmi* ſentiam. Haec fere ſunt, quae tibi quaerenti reſpondeam, reſpondenda eſſe putavi. Quae quidem tum mihi veriſſima eſſe videbuntur, cum ea a ſenſu tuo minime abhorrere intellexero. Libros Pandectarum Norinbergae imprimi arbitror te audiſſe. Adjicientur illis, ut ſpero libri autenticorum Graeci: opus erit praeclarum & bene emendatum. Vale, ac mihi quam primum reſcribe. Cal. Decembr. Anno M. D. XXVIII.

EPISTOLA IV.

NICOLAUS NICOLAI

Hadriano Nicolai Mario, Advocato magni Conſilii, Fratri cariſſimo S. P.

Mechliniam.

FRater cariſſime. Scripſimus nuper ſatis prolixe ad omnes, reſpondimuſque ad ſingulas literas veſtras, quanquam id properanter, quod tunc in eo eſſent negotia, ut ſtatim mittendus veredarius crederetur: qui quum hactenus retar-

1 Quaedam Epiſtolae *Joannis Secundi* & *Nicolai* hujus editae in Appendice Gudianar. n. LII. & ſeqq.

datus eſt ob ingruentia negotia, viſum eſt has tibi ſuperadjicere, ut aliae noſtrae literae minus vetuſtae tibi videantur.

[2] Curſus tuus glacialis quantopere placuerit nobis, ex aliis noſtris literis intelligere potes: Vetuſtatem illam plane refert, & miram majeſtatem habet. Quaedam tamen (ut cuique ſua eſt ſententia, & ut delicatuli ſumus) communicato inter nos conſilio, mutari non incommode poſſe cenſuimus, ut ex exemplari, quod tibi mittimus, apparet. Quorum etiam rationem nonnullam adſcribere libet, ut intellectis noſtris conſilis, ipſe judicare poſſit, an ratum habere debeas, quod nos ſine ullo praejudicio fecimus. Verſus ille, *Si qua tamen dubio fallet te littera tractu*, ne omnino furtivus eſſet, pro (*tractu*) mallemus *ductu*: ſcis enim idem apud Propertium legi. Adde quod *ductu* ſuavius eſt atque aequabilius, praeſertim hic, ubi nihil durum requiritur, quamquam hoc parvum eſt. *Dein liquidum immotis prolabitur aëra pennis*: pro *Immotis* maluimus *tacitis*, ut verſu magis fluente ac dulciore, melius ille volatus exprimatur: nam & ipſum verbum (*immotis*) gravius quiddam ſonat, & colliſio illa, non conſtantem illum & lenem volatum, ſed perturbatum & ruptum magis ſignificaret: quod diſcreparet a tua deſcriptione, & ſi verbera alterna alarum deſcriberes, non malus eſſet is verſus, quemadmodum nos in [3] Hodoeporico noſtro verſum fregimus, ubi remorum ictus graves atque aeque diſtantes, defatigato ac laborioſo magnarum avium volatui comparamus, hoc modo

Haud aliter quam ſi tepidum protenſus in Auſtrum,
Arctoaſque nives horrentiaque arva pruinis
Effugiens, longo diſtinctis ordine turmis
Grus volucer cava remigibus natet aethera pennis.

Ubi male dicturus fuiſſe videor, *Grus cava remigibus volucer natat aethera pennis*:

Talos junctos facili arte locamus: Nos mallemus, *talos facili ſimul arte locamus*, aut tale aliquid: nam iis verbis, *facili arte* difficultas magis & labor exprimitur, quam facilitas, ob interruptionem atque hiatum ſive abſorptionem, ut vocant.

Sicut in immenſo pelago &c. Dignius videtur, *Immenſo velut in pelago: Vertitur ad clavi motum*: *Motum* humile videtur neque ſatis expreſſum, in comparatione tam bona: quare, mallemus (*nixum*) aut aliquid ſimile.

Circulus apparet circum ſpumantibus undis. Quum haec comparatio egregia ſit, & plena rei, mallemus *ſpumantis aquae*, ut videlicet in majeſtatem quandam verſus deſinat. Adde quod *undas* ſaepius in hoc carmine habes. *Immotae ſtantes truduntur*. Verbum *truduntur*, praeterquam quod rude eſt parumque decorum, violentiam etiam habet, quae neque ipſi rei convenit, neque cum facilitate ejus, quod ſequitur (videlicet *aequora tranant*) ſatis quadrat: quare (*vertuntur*) maluimus ſupponere:

Illaſque Hollandis primum monſtraſſe colonis.
Unde olim trepidae nomen duxere tenentque.

Hi-

2 Vid. Poëmata *Hadr. Marii* pag. 12. ubi videbis pleraque ex ſententia *Nicolai* emendata.
3 Nec hoc inveni in editis *Nicolai* carminibus.

Hi duo verſus parum nobis placuerunt: parumque te digni, & cum caeteris non comparabiles viſi ſunt, ſed magis Horatiani, & qui praeter menſuras parum haberent. Qualis & ille nobis eſt judicatus, initio carminis. *Et in calamo tibi liquor, haec dum ſcribo, gelatur*: quamquam hunc tamen reliquimus tuo judicio: Duos illos frater *Joannes* ſuſtulit, inque eorum locum, octo alios plenos atque amoenos, uti res requirebat, ſubſtituit, hos verſus

Ac primum Batavis artem monſtraſſe colonis:
Unde etiam crepidis regionis nomen adhaeſit,
Raraque jam Batavos ignorat terra cothurnos,
Quos auguſta colit per aquoſas Flandria valles,
Et fecunda Brabantiacae per flumina gentes,
Cymbrique, Morinique, & gens infrena Sycambri,
Et fumoſa cavis algens Germania campis,
Et quoscumque premunt glacialis ſydera plauſtri:
Stringit Hyems undas.

Quod ſaepius habeas, *undas*, mallemus *latices*, aut ſimile quippiam, quod ipſum dulcius eſſet, magiſque reſponderet amoenitati terrae, de qua loqueris.

Sed haec omnia (ut dixi) ſine praejudicio melioris ſententiae fecimus. Neque dubitamus, quin optimam in partem ſis accepturus: Certe ego plurimum te oro, ut idem in [4] Narciſſo meo, inque epiſtola Elegiaca, aliiſque omnibus meis facias. Quis enim neſcit plura a pluribus animadverti, & aliena judicia, ut liberiora, ita fere meliora eſſe: Nam blandiri nobis ipſis ſolemus atque indulgere.

Scripſi *M. Everardo* fratri de ſtatu magiſtri *Jaſparis* in Hollandia pro te ſollicitando: quod ſi iſthic impetrari non poſſit, me hic ſollicitaturum. Neque eſt quod deſperes te obtinere poſſe: Itaque tibi ſuadeam, ut magno animo id ſollicitari cures.

Rotulum brevi confice, ibi quoque tuum negocium agam, nam & ego interero ei rei.

Prothocolla & chartas magiſtri [5] *Franciſci*, fratris noſtri defuncti, cupio, ut colligas, ac ſeponas mihi in meum reditum, qui erit cum volam: vellem autem brevi, ob malas has ſolutiones, ſi iſtic vacaret bonus ſtatus, qualis eſt griffia veſtra, quae mihi jam ſatis promiſſa eſt: ſed neſcio quid facere expediat: Nam ſi expectativam illius accipiam, & poſtea non vacet illa, vacent autem alia, ea res mihi damnoſa futura eſſet. mirum autem quam ſenex ille *Vander E* nondum velit mori: Tu mihi ſcribe de illius mala valetudine, ſi gratum facere cupis: Quod ſi contingat illum mori, pro me ſtatim ſollicitetur. Quod ſi debilior fiat, aut aegrotet, & reſignare velit ſuum ſtatum ſub penſione parva, aut ſaltem tolerabili 200. aut 300. florenorum annuorum, fortaſſe non inconſul-

4 Vid *Nicol. Grudii* Eclogam *Narciſſum*. p. 151.

5 Hujus *Franciſci* nulla mentio fuit in commentario de Gente *Nicolai* poſt *Jo. Secundi* Poëmata: ubi pag. 449. *Nicolaus Everardus* dicitur quinque filios *Petrum*, *Everardum*, *Nicolaum*, *Hadrianum* & *Johannem Secundum* reliquiſſe. memorat *Valer. Andr.* in Bibl. Belg. pag. 236. *Franciſcum Nicolai* quendam, Ordinis minorum Monachum, ſed de ejus gente aut patria nihil addit.

ſulte fuerit id aggredi, quanquam magis e re atque honore meo eſſet, ſi libere ad eum ſtatum aut titulum pervenire poſſem: poſſem autem, ſi vacaret. Nam (ut libere tibi dicam meam ſententiam) ut me invitum revocari non patiar contra honorem meum, ita ſi mihi hic ſatis factum, ſatisque proviſum eſſet, nihil minus facturus ſum, quam me rurſum fortunae, & iſtorum finantiariorum fraudibus atque injuriis exponere: ſed contra curabo, ut ab illis non dependeam: quod per id officium fieri poſſet, quum a principe non habeat ſtipendium, ſed a vulgo. Quod ſi mihi aliquando contingat, & tu Mechliniae reſideas, hoc tibi libenter praeſtare cupiam quod nunc *Joanni*, ut mecum honeſte ac citra tuam aliquam impenſam agas, unaque vivamus hilariter. nam id omnino ſtatui, & praetera Dominam Matrem noſtram apud me ſine ullo ſuo ſumptu alerem, quamdiu illa vivet, & mihi unde victitemus Deus conceſſerit. Scio enim illi parum ſupereſſe, & non libenter eam in tanta puerorum turba degere, neque libenter oneri eſſe fratri: ut ut res habeat, Deus ſuam voluntatem faciat. Bene vale: meque ſingulis commenda: E Toleto die 25. Martii 1534. Hodie hinc ad vos redit *Joannes Schamelardus*, *Ludolfi* noſtri frater, videtur enim illi diſplicere Hiſpania: Ei dedimus Caeſarem unum gypſeum, unamque effigiem meam: per poſtas mittemus alias ex metallo: quia metuimus ne gypſeae rumpantur continuis quaſſationibus.

Repperi inter ſcripta manu *Bonaventurae Vulcanii*, commentarii formam de Gente *Nicolaia*, ex qua & *Scriverium* multa hauſiſſe video; ſed ego in tabella brevi hîc eam exhibere utile putavi. Caput, unde reliqui fluxerunt, fuit *Everardus a Gripsherka*, hoc enim nomine quidam ex poſteris etiam uſi, cujus filius *Nicolaus Everardi* Middelburgenſis, J. C. Senator Mechlinienſis, mox Praeſes Hagani Senatus, inde Senatus Belgici Mechlinienſis praeſes. obiit v. Idus Aug. 1532. hic habuit filios ſex. I. *Petrum Nicolaium*, Theologum ordinis Praemonſtratenſis, de quo vide *Joh. Secundi* Poëmat. p. 188. II. *Everardum Nicolaium* Praeſidem Senatus Friſiaci, mox Mechlinienſis, qui Equeſtri dignitate auctus obiit A. 1561. III. *Nicolaum Nicolaium*, *Grudium* dictum, quia Lovanii natus, Philippo II. Hiſpaniarum Regi a conſiliis, & Ordinis aurei velleris ab actis. qui reipublicae cauſſa in Italiam profectus obiit Venetiis 1571. & a Senatu Veneto honorificis exſequiis elatus. IV. *Hadrianum Marium*, ita dictum, quia *Hadriano* & *Mariae* die ſacro natus, Advocatum Mechliniae. qui deinde *Franciſco Cranenburgio* ſucceſſor datus, Gelriae Cancellarius, obiit, Bruxellis 1568. Mechliniae in tumulo patris conditus. duxit *Petri Blocii* filiam. vid. ejus Poëmat. p. 67. v. *Joannem Secundum*, Poëtam eximium, qui apud Nervios obiit, conditus in aede S. Amandi 1536. natus annos fere XXV. Errat autem vir doctus, H. V. R. qui nuper Belgice edidit Antiquitates Delflandiae & p. 412. Tornaci in aede S. Amandi eſſe conditum ſcribit, cum oppidulum, ab aede illa ita dictum diverſum ſit a Tornaco. VI. *Franciſcum*, cujus nulla a *Scriverio* mentio, ſed quem *Nicolaus Grudius* memorat hac epiſtola. praeterea *Iſabellam* vel *Elizabetham Nicolaam* Virginem ſacram, Latine doctam & pingere peritam. vid. *Jani Secundi* Poëmat. p. 146. ex *Everardo Nicolaio* nati *Carolus Nicolaius* Friſiae Senator, & *Arnoldus Nicolai* Praeſes Hagani Senatus, cujus meminit *J. Douza* fil. Poëm. pag. 89. ex *Nicolao Grudio* duae filiae, *Maria*, quae nupſit *Georgio de Lynde*, & *Helena*, quae ex *Henrico van Ameyde* protulit *Arnoldum van Ameyde*, ad quem, credo, eſt Epiſtola Lipſii DCCCXII. *Cornelii Nicolai* Senatoris mentio eſt apud D. *Heinſium* in Poëmat. p. 15. qui cujus filius fuerit ignoro.

EPI-

EPISTOLA V.

NICOLAUS NICOLAI

Hadriano Mario S. P.

CAriſſ. frater. Scribis te quaedam adhuc fratris carmina deſiderare, quorum titulos ſive catalogum manu ipſius habeas: De quibus quid ſentiam accipe. Hexaſtichum ad Alciatum, id eſſe puto, cujus initium, [1] *Aureus hic Phoebus* &c. eſtque in libello fratris. Elegias duas ad Neaeram arbitror eas eſſe, quae in Neaeram ſcriptae extant in libro ſecundo elegiarum: Epigramma de Helena & Menelao, nunquam vidi, neque opinor ab illo conſcriptum fuiſſe, ſed conceptum: Id ipſum etiam judico de epithalamio funeſto, quandoquidem ne nomen quidem unquam ab illo audivi, neque tu, opinor: & ſolet ille, quoties aliquid carminis fecerat, id nobis vel per literas communicare. Elegiam ad [2] *Saratum* tibi miſi, & accepiſti, ut tuae teſtantur literae. Diſtichon de Nevia illud exiſtimo eſſe, in quo ponit comparationem nobilis canis, qui tamen lingat os canis ignavi. Epitaphium Legati Angliae vidi Montiſſoniae: id eſt in manibus Doctoris *Rodolphi* Cantoris Caeſarei, quo adhortante ſcripſit, Eſt, ut memini, heroicum, decem fortaſſis aut duodecim verſuum, Neque eſt, meo judicio, quod illud magnopere moremur, vel ſi quae alia minutiora deſideramus, quum plurima habeamus praeclariſſima. In his quaecunque mutaſſe te ſcribis, judicio tuo libenter ſubſcribo, Ego quidquid illius habebam nuper per *Cornelium* ad te miſi, qui mihi abs te literas rettulit: rurſum autem excuſſi chartas meas, neque aliud invenio. Epitaphium fratris *Petri*, ſic ut ad me tranſmiſiſti, publicandum cenſeo.

Tetraſtichum tuum non elegantia modo ac facilitate, ſed ipſa etiam brevitate mihi placuit. Vereor tamen ne lectores non ſatis plene mentem fratris intelligant. Itaque fuſius ego idem argumentum ſum proſequutus, relictis tamen omnibus pene Verſibus tuis integris, quantum quidem licuit propoſitum ipſum ac thema nonnihil varianti, nam tu ad libellum, ego ad Grammaticos ſermonem habeo:

Ad Grammaticos, quur ſcribat laſcivius.

Carmina quur ſpargam cunctis laſciva libellis
Quaeritis? inſulſos arceo grammaticos.
Fortia magnanimi canerem ſi Caeſaris arma,
Factave divorum relligioſa Virûm,
Quot miſer exciperemque notas? patererque lituras?
Quot fierem teneris ſupplicium pueris?
At nunc uda mihi quum dictent baſia carmen,
Pruriat & verſu mentula multa meo,

1 Legitur pag. 104. Edit. Scriver. quaedam vero non reppeti inter poëmata Secundi.
2 Ad eum eſt Epiſtola lib. 1. 13. & *Nicolai Grudii* lib. 1. Epiſt. pag. 182.

Me legat innuptae juvenis placiturus amicae,
Et placitura novo bella puella Viro,
Et quemcunque juvat lepidorum de grege Vatum
Ocia festivis ludere delitiis:
Luſibus at tetrici procul hinc abſiſtite laetis
Grammatici, injuſtas & cohibete manus,
Ne puer, ob molles caeſus lachrymanſque lepores,
Duram forte meis oſſibus optet humum.

Habes judicium meum, quod ipſum tamen tuo ſubjicio. Expecto tempus illud quum omnia nitide conſcripta tu ipſe huc deferes, unaque relegemus. Hagae 24. Octob. CIↃIↃXXXVI.

EPISTOLA VI.

NICOLAUS NICOLAI

Hadriano Mario S. P.

REmitto poëmata *Secundi* fratris. ſemel atque iterum relegi, & mutavi quaedam, ut videbis. Atque inter alia folio 187 pro eo quod ſcripſerat, *Aut qui Pegaſea labra rigavit aqua*, ego repoſui, *ſed qui Pegaſea* &c. Nam cur neget hoc loco te poëtam eſſe, quum ubique id jactet, & quidem ſtatim poſt aliquot verſus, ubi dicit, *Annuit intonſa Phoebus & ipſe coma*:

Item fol. 209. *Quod Flandria palmas non habeat*, pro eo quod ille ſcripſit. *Aptat Idumeas olim tibi Flandria palmas Evinctura caput rami victoris honore*, Ego ſcripſi ſic:

Plectit odoratas tibi Flandria laeta corollas
Terra parens, cinctura caput redeuntis Alumni.

Et quum admonueras quibuſcunque tuis locis *Titus* primam haberet brevem, mutavi in Elegia ad *H. Montium* ſic:

Quales Strozigenae laus, & duo ſydera gentis.

Tu poteris reponere ſicut erat, aut aliter mutare. Illud libenter admonuerim, mihi non videri expedire, ut edantur ea, quae vel de [1] Rege Francorum, aut Delphino ſcripſit. Caeterum quod dubitabamus an Glyconium Carmen primo loco Trochaeum reciperet aut Jambum, id Ninivita mihi diſſolvit, dum ait: Utrumque horum recipere, non ſolum ſpondaeum. Citat Horatium oda 15. lib. 1. *Ignis Iliacas domos.* Catullum. *Puellae & pueri integri. Marullum* etiam, apud quem nullo diſcrimine paſſim invenies. Quanquam de iis, quae ad Odas pertinent, ſicuti & de aliis, certius judicabit *Goclenius.* In Elegia 6. lib. 3. *Et tu ſturne loquax cum das imitate volumen.* Videndum an id ſit ſturnus, quod ipſe putat, nempe *een ſpreeuw.* Tum in dialogo Polyph. & Nept. an grammatice poſitum ſit *Neptunie* vocandi caſu.

Item

1 Neſcio an Innuat epitaphium *Franciſci Valeſii*, Delphini; quod in editione *Scriverianâ* eſt pag. 196. ſatis acerbum.

Item in epithalamio. *Murmur* pro querimoniis reponens, videndum quanta ſit ſyllaba *mo*:

Ea quae tu mihi miſiſti abs te emendata remitto: tuae enim limae prorſus accedo. quare judico ponenda ſuo quaeque loco. Epiſtolae ad *Ottingerum* duo miſiſti exemplaria: quorum alterum auctius eſt, & multis locis emendatum: quare arbitror id eſſe poſtremum ac recognitum. Itaque ſic edendum cenſeo inter epiſtolas idoneo loco. ſed duobus ademptis verſibus, qui etiam in altero minori exemplari non ſunt, nempe. *Hoc canat, ut nemo per te tamen inclyte dignum Servet in extenta poſteritate locum.* Aut omnino eos ego non intelligo, aut *Ottingerum* ridet: ſed tu mihi ſcribes tuum judicium. *Surius* legit prope omnia, & vehementer probat. *Rumoldus* legere non potuit per occupationes & itinera. *Conradus* facile erit unus pro omnibus, ſi modo volet, (quod confido,) diligenter evolvere. Ipſe autem illum per literas id ſummopere oro. Gaudeo D. Matrem plane convaluiſſe, atque utinam ſanitas illi diuturna ſit. Ei me commendabis diligenter. Cupio autem ex te ſcire (nam facile expiſcaberis) an ipſa ad nos ventura ſit. Nam conduxi novam domum, quae ei eſſet commodiſſima, nempe domum *Treslongue*, quae eſt proxima Magiſtro *Arnoldo Gaes*, & non longe a ſorore, ut ſcis. In eam immigrabo menſe Majo, aut citius. Et conduxi in multos annos. Bellum Tunetaeum Fratris brevi remittam. *Arnoldus Cobelius* nondum venit, quare neque Palingenium adhuc vidi. Scire cupio, *Steelſius* habiturus ne ſit characterem illum, de quo tibi dixeram, & cujus praelo commiſſurus ſis Fratris opera. multum enim refert habere diligentem ac doctum typographum. Et neſcio quam gratiam conciliat character. mitto tibi literas ad *Conradum*, ubi legeris, obſignabis, item ad *Triſonſium* ſororium meum. Vale. Hagae 5. Novemb. 1537.

EPISTOLA VII.

NICOLAUS NICOLAI

Hadriano Mario Fratri S. P.

GRatiam tibi maximam habeo, mi frater, quod tam libere atque exacte me admonueris tui de apotheoſi mea judicii, & quae mutata maluiſſes, niſi jam divulgata eſſent exemplaria. Id quoniam nunc integrum non eſt, reſtat ut tibi ſcrupulos eximam, qui offenderunt. Primum non ſatis probas, quod *denam noctem*, pro decima, dixi: quod *denus* non aliud ſignificari videatur, quam decem. Ego, quanquam ad manum non habeo exemplum, tamen ratione ipſa adductus ſum, ut ſic non vererer loqui. Quum enim *denus* & *dena* nomen ſit diſtributivum numeri pluralitatem ſignificans, non quidem mirum eſt, ſi pro decem accipiatur, quoties aliud nomen adjungitur numeri pluralis: ſed quum nomen apponitur ſingularis numeri (ut in meo carmine,) non poteſt decem ſignificare, ſed decimam. neque interea dubito, quin facile exemplum inveniri poſſit inquirenti: mihi certe nunquam dubium fuit quin

ita dici recte posset: Quod pertinet ad illud, *sollicitumque tenet*, ubi tu maluisses *sollicitumque habuit*: crede mihi, sic me initio scripsisse, sed studio mutasse, maluisseque & hiatum eo loco, ac praesertim in dictione trisyllaba, evitare, qui mihi nunquam placuit, & simul praesentis temporis verbo uti, ut majorem continuationem doloris mei ac sollicitudinis exprimerem. Nam quod sequentia, ubi *oppressit* praeteriti temporis verbo explicatur, movere non debet, quum quae ibi significantur, longo temporis intervallo post longam & variam sollicitudinem accidisse innuantur, quum addam, *tandem*. neque alioqui novum aut infrequens est poëtis, praesertim Ovidio, subinde eadem etiam in re verborum tempora & modos variare: ut ubique est obvium, neque exemplo eget: Quin & verbum *distendit* praesentis temporis judicari oportet, non praeteriti. Illud miratus sum, te mirari aut dubitare potius, an recte sit quod dixi, *Innitens pectora*, quum fatearis te legisse *Innixus pectora*, imo superstitiosum mihi videtur hoc tuum judicium. *Mityleneum* pro *Barbarossa* dixi, quia apud *Consentinum* quendam, qui Tunetensem expeditionem scripsit, legi ex Mitylene ortum: In quo si erratum est, (quod facile credo,) non tamen capitalis est error, quum sit error facti: Et meo judicio nihil admodum vetat, urbem Genuensium, quam vulgo *Metelen* vocant, *Mitylenem* dici a Latinis; quemadmodum in Hispania quoque *Carthaginem* dixerunt, quae *Carthagena* est. Et scis alioqui, quam licentiose etiam prisci scriptores in propriis urbium, locorum & fluviorum nominibus luserint. Quare non admodum in hoc torqueor: & quanquam clarius fuisset, quod tu censes, *Barbarossa*, tamen quum secunda omni ratione brevis esse debeat, non ausim eo loco ponere, etiamsi, (quod nunc non est) integra adhuc res esset. sed de ejusmodi videbimus, quum rursus edetur. Venio ad verbum *distenderis*, quod tu longe aliter intellexisti atque ego: tu enim pro torqueris aut cruciaris esse positum credidisti, quum ego *distendi* dicam eum, cujus animus ita distrahitur in diversas undique cogitationes, ut nusquam haerere possit, neque certo constituere quid primum quid postremum aggrediatur: quod potissimum sit, ubi spacium non est ad multa peragenda. Atque ut libere dicam, ipse mihi valde placui eo verbo, tanquam significantissimo atque aptissimo ad id explicandum, quod volebam. Neque sane sine authore sic usus sum: sed Ovidium secutus, qui in Consolatione ad Liviam de Drusi morte, sic ait. *Nec tua te pietas distendit amore duorum*: quem locum ubi videris, abunde tibi satis factum dicis, opinor. Illud postremum est inter ea, quae notasti, quod *quamdiu* pro spondaeo pede usurparim, quod plane perperam factum pronuncias, neque posse subsistere. addis rationem hanc, *diu* dissyllabam esse dictionem.

Id, mi frater, non ignoro: Itaque antea sic dixeram. *Exspectate diu*. subdis, priorem brevem esse, posteriorem longam. Ego posteriorem ambiguam credo: quum meminerim legisse me tale aliquid in versu pentametro, *morte mea non diuturna mala*: quanquam nunc non succurrit author. sed sive longa sit sive indifferens ultima, parum operatur, quum frequentissima apud omnes veteres sint exempla, ubi vel duae breves, vel brevis & longa vocales in unam

contractae, unius longae vicem ſortiuntur. ſic dixit Catullus. *Et Diis invitis deſinis eſſe miſer, &, O Dii ſi veſtrum eſt miſereri*, Et, *ſed de Poſthumii & Cornelii narrat amore*, Item, *deſerto in Mallii nomine opus faciat.* Item, *At Voluſii annales Paduam morientur ad ipſam*, & Propertius dixit, *Et qui nunc nulli maxima turba Gabii.* Item, *Tunc animi Voluſi Decii Brutique ſecures.* Sed fortaſſis haec tibi non ſatisfaciunt neque ſimilia videntur, quum fiat contractio ex ſimilibus. Ut ex duobus *ii*. Quare audi Virgilium dicentem in Pharmaceutria: *Uno eodemque igni, ſic noſtro Daphnis amore.* & Propertium dicentem *laeſerat abiegni venter apertus equi.* Audi ſimiliter Catullum, & *iu* vocales contrahentem, quod plane meum eſt exemplum, quum ait. *Caelius Amphilenum, & Quintius Amphilenam, Flos Veronenſium depereunt juvenum.* Sed non neceſſe eſt conquirere tam multa exempla, quum res nota ſit: quanquam eo plura hîc congeſſi, quod tu prorſus negaveras meum *quamdiu* poſſe conſiſtere. Arbitror, mi frater, his tibi ſatisfactum eſſe, id quod ex proximis tuis literis intelligere certe cupio. Vale. Bruxellae poſtridie Calendas Apriles 1549.

EPISTOLA VIII.

NICOLAUS NICOLAI

Hadriano Mario S. P.

FRater Amiciſſime. *Theodorum Bezam*, quem ad me miſiſti, ſatis diligenter legi: & placet quidem mihi ſummopere illius vena atque eruditio. Quanquam autem quaedam a te annotata deprehendi, aliique non nulla damnare in illo niſi ſunt, me certe tamen tam rigidum cenſorem non eſt habiturus. Atque ut ea percurram, hominemque, quantum poſſim, excuſem. folio 8. verſu 20. *Occidite, at noſcent.* &c. legendum haud dubie eſt, [1] *Occide.* Nam ad *Antonium* ſolum ſermo convertitur: quod ex ſequentibus ſtatim verſibus apparet. Et alioqui veriſimile non eſt hallucinatum fuiſſe tantum virum, in ea praeſertim quantitate, quam alio in loco, ut in epitaphio *Jo. Dampetri*, egregie obſervaverit, ubi ſic cecinit. [2] *Ergo haud occidit ipſe, quod putaram: Occidit potius ſuos amicos.*

Fol. 11. verſu penultim. *ebrio.* minime ſane eſt erratum: quum omnis vocalis ante conſonantem cum liquida ſit indifferens: unde *tenebras* & *tenēbras* dicimus. Virg. *clauſae tenebris & carcere caeco.* Martial. *Somnus qui faciat breves tenēbras.* & idem Virg. *docuit quae maximus Atlas.* Martial. vero. *Non aliter ridetur, Atlas cum compare gibbo.* Sed ſunt ejus rei exempla infinita.

Fol. 14. verſu. 19. *Pro patriae afflictae rebus* [3] *publicaque ſalute.* Eadem plane ratio eſt cum ſuperiore.

1 Ita legitur in tertia editione, quam habeo: pag. 73.

2 Pag. 96.

3 Correxit poſtea Beza, *populique*: pag. 79. nam nullo modo ſyllaba natura ſua longa brevis fieri poteſt, propter conſonantem cum liquida.

Fol. 56. in Xenophontis imagine. *Et literas Pallas* &c. Studio nimirum primam corripuiſſe videtur, non aliter quam *lituras* dicimus: quia vero utrumque vocabulum a *lino* verbo procedere judicaverit; in qua ſententia (Calaepino aliiſque grammaticis teſtibus) multi fuerunt: quae mihi quoque fit veriſimilis. Etenim ſi per ſe longa fuiſſet *i* litera in priori ſyllaba, neque opus fuiſſet, neque uſu receptum, ut *t.* litera geminaretur: ſicut in voce *quattuor*, quoniam *a* breve eſt natura (quod apparet in illo Virgilii. *O terque quaterque beati*) ideo *t.* literam geminatam fuiſſe conſtat, ſicut *l.* in *religio*. Et memini me apud *Joachymum Camerarium* inveniſſe *quatuor* prima brevi.

Fol. 64. de Aldo Manutio. *Didonis cecinit rogum diſertus Maro, Pompeji rogum Lucanus.* Pronunciandum eſt ſine controverſia *Pompēii*, ut ſit quadriſyllabum. Quod vero primam *Lucani* brevem fecerit, error non eſt: quum in propriis nominibus atque agnominibus primae ſyllabae variare ſoleant: quorum ſunt plurima apud probatiſſimos poëtas exempla. Sic dixit Virg. *Italiam fato profugus*: & idem, *Italis longe disjungimur oris.*

Idem dixit. *fluctus nymboſus Orion.* Ovidius autem *ſtrictumque Orionis enſem.* Nam quod *Lucanum* quidam a *luce* dictum putant, non habet idoneam certitudinem. Quid? quod ipſe quoque Beza in ſuo agnomine variavit, quod quum fere prima longa ponat, tamen fol. 87. dixit. *omnes delitiae latent Beſaei*, quod certe non niſi ſtudio factum eſſe credi debet.

Fol. 64. in eodem epigrammate. *Vitam reddere quod queant ſublatam.* hic rurſus eſt conſonans cum liquida, ut in nomine *Atlas.*

Fol. 65. *Iejunus ſobrium mihi Platonem.* eadem eſt ratio, quae ſupra in *ebrio*, & in *publica*, & in *ſublatam.*

Fol. 73. *ſobrius ad ſobrii prandia fertur Amor.* Eodem iterum modo dixit; & quaſi oſtendere veſſet indifferentiam (ut ita loquar) eodem in verſu, eandem produxit & corripuit. Quale quiddam etiam reſpexiſſe videri poteſt Lucretius, quum ait. *Craſſaque conveniunt liquidis & liquida craſſis.*

Fol. 79. *Sic ſervitur avare, non amatur. Avare* nomen eſt vocandi caſu, non adverbium:

Fol. 87. *Mi pes, dic mihi, tenelle mi pes.* Annotari hoc neceſſe non erat, quando & typographus ultro inter errata indicavit, ſic eſſe legendum. *Mi pes, dic mihi, ō, tenelle mi pes.*

Fol. 88. *Qui te in aſtra ferant ubi ſublimis.* Rurſus eſt conſonans cum liquida: & alioqui videtur delectatus fuiſſe *Beza*, indicandis ejuſmodi, fortaſſis ut ſcrupos eximeret nimium ſuperſtitioſis.

Fol. 95. *Quum velis Uxorem.* Hoc ſolo loco dubius ſum: neque ſatis poſſum conjicere. Quare non quidem ita ab autore ſcriptum, ſed (ut fit) mutatum temere ab alio fuiſſe crediderim potius, quam inſignem & eruditiſſimum (quod ſatis conſtat) virum erroris inſimulaverim. Tametſi, totum illud de Uxore ducenda & de non ducenda, quod ſub nominibus Pontici & Cornelii eſt, mihi quidem frigidius videtur, quam ut audeam affirmare a *Beza* conſcriptum: quod ipſum etiam judicavit noſter *Betſius*, praeſertim de ea parte, qua con-

conjugium diſſuadet: fortaſſis, quod puderet tam cito poenitentiam profiteri ſui inſtituti. Ut ut eſt: mihi certe valde placet *Beza*, & eo nomine multum ei debemus, quod de fratre noſtro [4] *Secundo* tam ſcripſit inſigne teſtimonium. Audio hominem ex Galliis profugiſſe ad Helvetios, neque tamen cauſſam fugae intellexi: ſuſpicor autem Invidiam ſibi conflaſſe, eo epigrammate, quo *Doletum* celebrat, hominem atheum, Pariſiis judicio publico concrematum. Quod epigramma utinam non edidiſſet.

Opera *Joannis Secundi* relego, ut rurſus edi poſſint. Inveni autem duos inſignes errores, quos emendavi: primum in Elegia tertia primi libri. *Nec mihi deficiat calor hic hyemantibus annis.* neque enim *deficio* dativo jungitur, ſed accuſativo. quare ſcripſi *me deficiat*. Secundus error eſt in epigrammate ad *Petrum* quendam. *Quum tu ſis levior.* &c. ubi *atomos* maſculino genere protulit, quum ſit foeminini generis nomen. Itaque pro *quique* ſcripſi *quaeque. quaeque ſole puro Per leves atomi feruntur auras.*

Revidi & mea nugamenta: quae, ſi tua poëmata ſtatuiſti edere, poſſemus omnia ſimul excudenda & conjungenda curare. Quare velim, ut quid cogites, mihi ſcribas, ut & ipſe conſtituam. Bene vale, Bruxellae die XVIII. Decembris 1549. Cuperem nos iterum revidere noſtra poëmata, & propterea communicare tibi traductionem prioris libri *Corteſani*, quae ſtatui edere, ſine nomine, ut judicium hominum intelligam tacitus atque in tuto.

4 Pag. 149.

EPISTOLA IX.

NICOLAUS NICOLAI

Hadriano Mario S. P.

FRater optime. Perlata ad me ſunt tua poëmata cum literis iis, quas Ruremunda dederas: quibus deinde ſucceſſerunt alterae Venloae datae. Praeſagium ejus nuncii de morbo tuo, non eſt cur tibi ſuſpectum ſit, aut mali ominis loco habeas, quando comperi a Vate non nimium veridico profectum eſſe, nempe ab Actuario rerum iſthic feodalium. Poëmata illa tua legam ſumma cura, & ſi quid minus arridebit liberrime admonebo: Idem a te in meis fieri poſtulans. Sed mea nondum mittere poſſum, quod unicum adhuc exemplum habeo. Expecto autem in horas ſingulas adoleſcentem eruditum & ſcribendi elegantia praeſtantem, qui deſcribat. Interea *Georgii Rotalleri* Sophoclem accipe. *Vida* meus ad manum non eſt. Nam etiamdum vagatur Andoverpae: ubi redierit, ad te ablegabo. Mitto interea exemplum epiſtolae, qua ille ad *Honoratum* ſcribens, epigramma ſibi de ipſo meum placuiſſe teſtatur. Id erat ejuſmodi

[1] *Eridane, aequoreas longe qui ducis ad undas*
Centum amnes, merito & nomina regis habes, *Moe-*

1 Legitur lib. 1. Epigram. pag. 44. ſed verſu 2. *merito nomina regis habens.* alios vero verſus non reperi.

Moenia quando tibi fas eſt ſpectare Cremonae,
Aeternum ſacris qua fluis udus aquis,
Pro me magna mei venerans cunabula Vidae,
Ipſe, licet properes, haec mea vota refer;
State precor, ſtabunt veſtri dum vatis honores;
Vicinuſque aevum Mincius invideat.

Mitto etiam exemplum eorum verſuum, in quos, calore neſcio quo inſolito correptus, erumpere coactus ſum, quum Hymnos illos ſacratiſſimos ejus de Trinitate legerem. quos verſus nondum ad illum miſi: miſſurus ubi tuum judicium audivero. Vale. Bruxellae. xxviii. Septembris. 1551.

EPISTOLA X.

HIERONYMUS MONTIUS

Hadriano Mario.

SI rationem aliquam invenirem, qua tibi ſtomachum & bilem (quod ajunt) in naſum concirem, libentiſſime id quidem jam feciſſem, ut te ad ſcribendum excitarem, quando, ut ille inquit, facit indignatio verſum: ita enim quod ſponte recuſas ac differs, invitus ageres, ſed niſi fallor viam repperi, & tibi nugas meas obtrudere ſtatui, hoc enim non dubito te commovebit, cum videris me, qui tantum ab illa tua ſuaviloquentia abſim, tam impudenter tamen mea iſthaec circumferre, intelligaſque quanta fama prives ſcripta tua: excitavi enim nuper apud eos, qui Elegos tuos ſuperiore anno ad me tranſmiſſos legerant, expectationem quandam incredibilem tuorum carminum, idque feci lectis tuis ad *Renicum* litteris, quibus facile oſtendebas ſcire te, quam gravi cum Daniſta res tibi foret, & qui optime Calendas ſupputaret, cui quantumvis magnas uſuras perſolveris, nunquam illius deſiderium ſatis expleveris. Sed ut tibi fabulae noſtrae argumentum explicem, ſcito ſolere Romae doctorum hominum celebres quottidie conventus agi, ubi ſiquid quis legerit, quod aut animum illius praeter modum delectarit, aut aliquid minus intellectum torſerit, in medium proponat, & vel amicorum adſtantium unumquemque ſententiam roget, vel jucunda rei perlectae narratione moveat: horum exemplo quindecim fortaſſe numero Scholaſtici apud matronam quandam quottidie conveniunt, nobilem, & dum juvenis eſſet ſupra modum forma & morum elegantia excellentem, nunc vero ſenio plane confectam, ſed fortaſſe prurientem, ubi ſorte ducti a principio fuere, qui duo primi coeteris praelegerent, Alter Virgilii Bucolica, Alter amatorias latina vulgari *Franciſci Petrarchae* cantiones explicaret, ac mox poſito legendi munere carmen proprio Marte compoſitum proferret, coeteriſque clara voce recitaret. Horum ego inſaniam ridere volui, qui ſciam illorum pleroſque vix bonas literas attigiſſe, ſed quam bene tu videris, omnia tamen Ironice ſcripta exiſtimabis: nam & perſona, ad quam ſcribo, ficta eſt; expecto tamen in dies ridiculum magis aliquid, quod ab hiſce prodeat, quo

quo acrius poſſim maledicendi aculeos intendere, quod ſi fit, habebis tu quoque quamvis longe remotus, quod multum rideas, qui non ſolum illorum ineptias intelliges, ſed & meam hac in re ſcribendi inanem operam ridebis. vale, & a me, poſtquam foenum in cornu gerere coepi, caveas, hoc eſt ſaepius ſcribas, alioquin habebis me immodicum ceſſationis tuae in ſcribendo ultorem: vertam enim ſtilum, ut te velut ab amicitiae officio deficientem arguam, poſtquam te ſcio commode per *Sipraudi* noſtri patrem poſſe literas Antverpiam uſque mittere, unde ad nos facillime perferuntur. Ticini pridie Calen. Junii 1535. *Vicecomes* ac *Benedictus* ſe tibi plurimum commendant.

De hoc *Montio* nihil mihi conſtat, praeterquam ex *Hadriani Marii* Epiſtola, carmine ad eum & *M. Ant. Caimum* pag. 72. Poëmat. ſcripta, ubi ſtudiorum comitem ſuum vocat. *Joannis* etiam *Secundi* lib. III. Eleg. 3. ad eum ſcripta eſt: *Montii* duo ad *Secundum* carmina pag. 65. & 67. exſtant.

Hieronymi Montii ad Hadrianum Marium Mechlinienſem eidyllion.

Tene ego cara meae liqui oblectamina mentis?
Te potui infelix deſerere, Anna, abiens?
Quae poteras torvis miſerum me reddere ocellis,
Atque eadem placidis ſola beare jocis:
Ut patriam peterem dilectaeque otia terrae,
Hic ubi nulla mihi culta puella placet,
Ceruſata cui facies, miniove rubeſcit,
Aut uncta externo membra colore nitent;
Cultior ut fucata ſuo videatur amanti,
Quem trahit artifici ſub ſua jura dolo.
Quis furor eſt ipſas naturae invertere leges?
Non placet haec ſuperis ſedula cura deis.
Alma Venus formae nuda in diſcrimina venit,
Nudus amor tales non amat illecebras.
Laſcivi procul o mores, procul ite; puellas
Haec picta Auſonias non bene forma decet.
Illa ſinu placeat niveo formoſa videri
Quae cupit, & nivea conſpicienda manu eſt.
Inducat dum nulla ſuo tectoria vultu,
Nec tingat variis ſe medicaminibus.
Quae rugas tremulae faciunt properare ſenectae,
Longa premat canum quam caput ante dies.
Iſta juvent fortes pigmenta ad bella Britannos,
Extremi Seres corpus & ora linant.
Sint potius nobis exempla domeſtica curae,
Quaeque decet Latiam forma pudicitiam.
Aſpice nativo qualis ſuffuſa colore,
Quam contenta ſuis poſſe nitere bonis,

Principis advenit noſtri gratiſſima conjunx,
Quae genus a magnis regibus orta trahit.
Sive patrem ſpectes, ſeu matris ſtemma coruſcum,
Undique praeclara nobilitate nitet:
Cui non ſat dederat laudum fortuna benigna,
Ni quoque in hac faceret parte, beata foret.
Tali ut conjugio, tam claris nupta hymenaeis
Solvat legitimo debita jura thoro,
Ah felix, omnes ab fortunata puellas,
Una alias inter, quas vagus orbis habet,
Quae tali conjuncta viro, quo juſtior alter
Conſiliis non eſt, nec pietate prior;
Gratatur plauſu tibi plebs fremituque ſecundo,
Omnia perque urbis compita perque vias.
Namque illa quis luce hilarem compeſcere vultum?
Quis potuit tacito gaudia ferre ſinu?
Laurigero ducta eſt ſimilis cum pompa triumpho,
Qualem ſecurae commoda pacis habent.
Spectavit populus, proceres, ſanctique ſenatus
Conſpicuos magna cum gravitate patres,
Et juvenum nivcis in veſtibus ire phalanges
Vidit, & innocua pila tenere manu.
Qualis caede madens nulla, ſed laetus in armis;
Effuſo miles cum redit hoſte domum.
Totque triumphales ſtatuit per compita portas,
Cum titulis poſuit nomina ſcripta ſuis.
Hic variae ſpecies ſpectatum, culta puella
Cuncta notat celſa pendula de ſpecula.
Ex aequo aſt alius venientes ordine longo,
Luſtratosque oſtro ſepe recenſet equos,
Miratur magnos proceres comitesque puellae,
Quos ſecum e patria duxerit illa ſua.
Atque novo ornatas cultu videt ire puellas,
Inſolita & comptas ſpectat ab arte comas.
Qua tractum turba Marium ſi cernere in illa
E tam longinquo mi foret orbe datum.
Qualia fortunae ſupplex ego dona tuliſſem,
Carmine laetitiam teſtificante meam?
Quod videt optatum longo poſt tempore amicum,
Montius haec ſanctae munera magna deae.

And.

And. Alciatius Hieronymo Moreſino Mediolan. ſtudiorum cauſſa huc profecto.

Quod Pallas, quod ſancta Themis tibi plura dediſſent
Dona, quod ingenii dote ſuperbus eras,
Naiades invidere, equitem & merſere ſub undis,
Heu ſpes momento quanta perempta brevi eſt!
A. M.DXXXII.

Alciatus D. Melchiori Volmario Grammatico cum placenta, quam nos Martium panem vocamus.

Hanc e melle Arabo, Graeca & juglande, Placentam,
Volmario Alicatus dulcia dona ſuo.

Montius Uxori Volmarii, ad quam mittebatur Martius panis.

Ambroſiae ſimilem, ſed adhuc ſine nomine, Mazam
Accipe, felici juncta puella toro.
Ingratos ſi quando cibos tibi fecerit aeſtas,
Languida quae nimio membra calore facit.
Hoc libo melle ex Arabo & juglande Pelaſga
Amiſſam valeas ut revocare famem.
Verum Hominum genus ingratum; ſua nomina Tigris,
Et lupus, & ſerpens & crocodilus habet.
Et tamen hoc tantumque bonum ſine nomine paſſi,
(Heu facinus) Latii poſſe carere ſuo.

Haec ego, quoniam vere proprium nondum ſcio nomen.

Inſcriptio in marmore Feneſtrae

ANNA MEUM COR. MEVM DECVS.

Negligit averſa triſtes quas aure querelas
Pulchra, aſt Ionio ſurdior Anna freto,
Excipiunt duris miſerata haec marmora venis,
Anna meum, ut retinent, corque decusque meum.

M. Renſio, ad carmina cujuſdam, qui objurgaverat ſcribentem in Scholis obſcena membra, & carmina.

Lingua nequit quoniam male ſanae diſſona menti
Eſſe, meum quod cor expetit haec loquitur.
Hinc linguae bene fida comes nil dextera novit
Scribere, quam noſtri delicias animi.
Aut pulchre arrecto pendentia vaſa Priapo,
Aut cunnum, & quae adeo mens juvenilis amat.

Digitized by Google

Hier. Montius Aurelio Suevo, diſcedenti in patriam poſt accepta doctoris inſignia.

Quod tandem gratis cogor ſermonibus, atque
Congreſſu, Aureli docte, carere tuo,
Diſcrucior: neque enim invenio ſolatia triſtis,
Quin noſtra inſano corda dolore premar.
Aſt alia de parte alacris ſim omnino neceſſe eſt,
Cum ſubit inſignes eſſe datum titulos
Ferre tibi, & patriae victricem reddere laurum,
Sueverat Elaeo victor ut in ſtadio
Optato caris genitoribus, inter amicos
Conſpicuo, & Themidis nobili honore ſacrae.
Conſule tu quid agam, nodos cui ſolvere legum
Conceſſum, & medio dicere jura foro.
Num durum abſente eſt laetum me vivere amico,
Durum, crede, tuis non hilarem eſſe bonis.
Sed video: Auſteram mavis me ponere frontem,
Et fauſtum in patriam vis precer ut reditum.
I felix, Grajis decus Auſoniiſque Camoenis,
Et gemino ornatus juris honore caput.

Montius Joanni Secundo Hagienſi Amico optimo.

Quod deſiderium patriae tam dulce teneret
Moerebam, hinc quum tu nuper iturus eras.
At nunc terrarum poſtrema Hiſpania quando
Advocat, & magni Principis aula tui,
Num doleam, quod longo aberis magis intervallo?
Anne erit illa animi magna medela mei?
Quod brevis haec variis ſit circumfuſa Elementis,
Ut punctum medio eſt terra repoſita loco,
Nec diſtet multum Eois Hiſpanus ab Indis,
Aut Libs a Scythica jam regione Niger.
Dum mens propoſiti conſtans, & fida, Secundi
Perſtet in abſentis ſemper amore mea.
At diſcedenti proponat Julia dira
Omina, quam primis pes tuus in foribus
Haeſerit, & numeret patriis quae tum hoſpes ab oris
Funcla peregrina membra reliquit humo:
Quae proficiſcenti ſuevit narrare Tibullo
Impatiens tantum Delia ferre morae.
Mi gratum magno creſcat quod honore Secundus,
Utilis externis, utilis ipſe ſuis.

Dum-

Dummodo amicorum me oblivio nulla tuorum
Insontem e numero non queat eximere.

AD AMICUM.

Et faciem & mores referam tibi quaeris, ut hujus
Urbis, post rigidi tot dura incommoda Martis,
Atque instauratum, Sancto sub principe, tandem
Gymnasium, coeli mira hic clementia, quam nec
Insani potuit boreae convellere fluctus,
Externo aut veniens miles recutitus ab orbe,
Ille licet miseris vacuarit civibus urbem
Atque opibus, licet ille domos, licet hospita tecta
Diruerit, magno & foedaverit omnia luctu,
Hic Themidis qui sancta colunt sacraria, Ripa.
Qui matutinus subsellia detinet, hora
Vespertina habet Alciatum, *nam caetera turba*
Haud referam quid agat: quis enim te sanus inepte
Dicere Alexandrine *queat? quis te* Leonarde
Incomptum multis accentibus: O male cura
Commissa his Juvenum, cur tandem, sancte senatus
Barbariem non hanc sentis? quam vitat & odit,
Matrona, insignes proceres quae torserat olim
Atque duces, mediae dum flos fletit ille juventae:
Nam postquam teneraeque genae, nigrique capilli
Defluxere, olim & tumidae periere papillae,
Composuit studiis animum mentemque severis,
Atque Academiam erexit, quo lecta juventus
Confluit, irati postquam jejunia ventris
Solvit, & est multo mens exhilarata Lyaeo.
Hic aliquis, cui ducta cava sors obtigit urna,
Enarrat flentis Meliboei aut tristia fata,
Spernentem aut miseri Coridonis munera Alexim:
Mox alius numeros, vulgaria scripta, Petrachae
Explicat, utque illo defunctus munere primum est,
Etruscis carmen numeris Latiave Camoena
Compositum profert, proprios quo cantet amores.
Quo multa in rigidam faciat convicia amicam,
Quo se deceptum nimia levitate queratur,
Hunc audit veneranda cohors, hunc suspicit unum,
Quod bene deducto sint verba sonantia filo,
Adnotat, aut seriem rerum vel voce sonora,
Cumque suis prolata accentibus omnia laudat,
Aut probat ingenium, nec docta inventa silentur.

O Fortunati coetus, quos ille probavit,
Quos tam concordi mirabitur ore caterva:
Non ſecus Elaeo quam cum ſua praemia victor
In ſtadio, fortisve manu pugil abſtulit, illum
Circunſtat plebs laeta, audit, comitatur euntem,
Virtutem extollit, nec ab uno lumina flectit.
Nam modo qui docti furatus ſcripta Secundi eſt,
Et velut e propria fluxiſſent carmina vena,
Integram multum tumidus recitaverat oden,
Quam magno plauſu exceptus, quantoque frementis
Conſeſſus ſtudio eſt? madidis dum baſia labris
Poſcit, ſuavicrepo centum ſibi murmure jungi,
Qualia multivolo conceſſit Leſbia vati!
His coepta auſpiciis Academia crevit, ad hoc tu
Gymnaſium ut properes, multum rogo & hortor, Amice.
Ne dum tam longo abſentes ſimus intervallo,
Fructus amicitiae ſic noſtrae intercidat omnis.
Pertaeſus limam haec ſcripſi, nimiumque laborem,
Vix flueret longa cum deſuetudine verſus.

EPISTOLA XI.

SPLINTERUS AB HARGE

Hadriano Mario S. P.

GRatiſſima mihi fuit, Humaniſſ. D. Hadriane, & memoria tua noſtrae conjunctionis, quam non obſcuram ex literis tuis perſpexi, & amicitiae etiam augendae voluntas, quae jam pridem non mediocri me voluptate ex conſuetudine noſtra, utilitate ex conſilio atque opera tua affecit. Diploma ex animi ſententia impetratum & legitime confectum, ut in poſterum citra amicorum injuriam poſſim mori, gaudeo, gratias immortales acturus, ni tanta neceſſitudo quam mihi tecum eſſe voluiſti, omnem gratiarum actionem recuſare videretur, & ego malim praeſenti officiorum meorum pietate & aſſiduitate, memorem me tibi probare. Moriendi ſecuritatem, quam mihi diplomate praeſtitiſti, ad liberius vivendi rationem, tuum conſilium ſecutus, traduxi, ſatius ratus, vita, quam morte amicis gratificari; animo interim vivam tranquilliori, quo de humanis neceſſitatibus, mihi amiciſque omnibus rectius proſpectum eſſe ſciam. Ex quo a vobis diſceſſi, fortunam pro temporis difficultate expertus commodiſſimam, bonis auſpiciis coeptum iter, melioribus confeci, ac tandem ſalvus & incolumis Patavium veni. venienti D. *Damianus A Goes* Luſitanus, cum D. *Joanne Jacobo Fuggero* & Germanis aliquot commilitonibus noſtris, diei unius itinere occurrit. poſt mutuos complexus & gratula-

rulationes, ſumma alacritate & quaſi publica laetitia, tot amicis comitatus in urbem deductus ſum, ut non jam peregrinum & hoſpitem in Italiam me redire, ſed patriae poſt varios caſus & mille pericula rerum reſtitui crederem: hujus gaudii mei, quod ex amicorum erga me ſtudio ac benevolentia concepi, expertem te nolui, quem mei ſtudioſiſſimum & amantiſſimum cognorim. De rebus bellicis rumores hîc feruntur varii. Veneti cauſa & tempore arrepto, infenſiſſimis animis & ſummis viribus, adverſus Turcam bellum moliuntur, Imperatoris & P. M. auxiliis freti: Execrantur omnes, qui de Pace ad Senatum referent, conſilio iis interdixerunt, quorum intereſt pacem componi, aut qui in Aſia merces exercent. ut ſperandum ſit, daturum aliquando perfidiae ſuae poenas Tyrannum unum omnium, qui ſunt, qui fuerunt, qui futuri ſunt, crudeliſſimum. Rex Galliae magno conatu in Regionem Pedemontanam inrumpere conatur, ut Taurinenſibus ſuppetias ferat, & commeatus ſubvehat. *Marchio del Guaſto* non minori contentione exercitum XXV. M. militum his objicere, & Alpium ſaltibus & arctis occupatis viam praecludere ſtatuit. Legatos Veneti deſtinarunt ad Imp. M. & Regem Galliae, ut diſſenſiones componantur, & Rex ſocietati contra Turcam initae ſe adjungat. Praeter has bellicarum rerum mutationes, & Paſquillus inſignem Metamorphoſim paſſus eſt, conſtans alioqui & intrepide convitia excipere ſolitus, invidiam tamen & male feriatorum hominum dicteria non ferens, nominis verſuram facere eſt coactus. Haec de eo carmina accipe.

Paſquillus.

Vera mea haec eſt effigies, quam conſpicis: hoſpes
Accipe Paſquilli ſigna paterna dei.
Non ego magnificis templis delector & aris,
Romanos ſatis eſt carpere Pontifices.
Nunc iſtam formam, nunc illam ſumo quotannis,
Vertumnus verſo dicor ab ore deus

De Variis Paſquilli formis.

Ipſe fui coeli qui mittit fulmina ab arce,
Et ſacra quem Pelago fuſcina ſola juvat.
Quique etiam clavae oblectatur robore, & ille,
Qui deus exultat ſanguine & enſe nimis.
Auratas pariter qui fert poſt terga ſagittas,
Et dea, cui bellis haſta tremenda placet.
Inſuper & pharetra quae in ſylvis utitur, & quod
In manibus Thyrſum numen habere ſolet.
Divaque & excoluit priſco quae tempore fruges,
Pene fui veterum non niſi quiſque deûm.
Sum modo Vertumnus, magis ut ſim denique gratus,
Stopinus quando frater ineptus ero?

Ad

Ad Paſquillum.

Sumpſiſti pulchri juvenis Paſquille figuram.
Inde places populo, gratia tanta tibi eſt.
Gratior eſſe potes, vis dicam quomodo? verte,
Verte humeros, verus efficiere deus.

De Paſquilli pudore.

Incluſit ſeptis ſeſe Paſquillus, & ora
Hoc anno cerni non tulit ille ſua.
Quinetiam ora miſer foedus nigredine tetra
Perſonam voluit diſſimulare ſuam.
Ridiculum puduit tot ineptis verſibus eſſe;
Conſuetum a doctis vatibus ante coli.

Jam finem ſcribendi facturus accepi a D. *Grantuellio*, oratoris C. M. apud Venetos literas, ex quibus haec iiſdem verbis uſus tranſcripſi.

Ex litteris ad me Rom. Regis XIX. *Octobris datis, intellexi exercitum omnem ipſius adverſus Turcas, incolumem & ſalvum erectiſque vexillis abſque ullo impedimento perveniſſe ad caſtrum Walpo, ibique ſatis commeatuum habere, & in conflictibus hinc inde factis pro certo occubuiſſe* Mechmet Wegk *Baſſa in Belgrado, & ſuum Vice Baſſa; cum aliis quibuſdam magni nominis Turcis. ex noſtris autem duos Nobiles viros deſideratos,* Paulum Bakyſch. & Petrum Roſchyn, *mariſchalcum Boëmiae: Literae ex Mantua allatae habent Gallos difficultate itineris preterritos, de referendo gradu cogitare, deſtitutos ab Helvetiis, qui contra Imperatorem venire nolunt, quamdiu cum Turca Galli ſint confoederati.* Prolixiorem me non loquacitas, ſed meus erga te amor facit, quem mutuum eſſe percupio. Patavii. ipſis Kal. Novembris A°. M. D. XXXVII.

EPISTOLA XII.

[1]PHILIPPUS COBELIUS

N. N. S. P.

CUm rogaſſes ante menſes aliquot & exegiſſes, integerrime vir, ut aliquoties te carminibus noſtris ceu ſtrenulis ſalutarem, ab hoc officio adeo non

1 Eſt haec epiſtola *Philippi Cobelii*, ſed ad quem neſcio. An hic *Cobelius* fuerit *Nicolao Nicolai*, *Joannis Secundi* fratri, adfinitate junctus, etiam ignoro. *Nicolaus* certe habuit uxorem primam *Annam Cobellam*, cujus mortem deflet Eleg. 1. libri Funerum. & in Epigrammatibus *Hadriani Marii* pag. 55. memoratur *Arnoldus Cobelius*, qui quo gradu ſanguinis juncti fuerint, aut an frater *Philippi* ille fuerit, non patet mihi: Belgice dicti *Cobel* fuere, unde *Cobellus*, & *Cobelius* deduxerunt. Quae in margine carminis notantur ejus ſunt, ad quem Epiſtola, manu ſcripta: forte *Nicolai Nicolai*, cujus character non multum diſſimilis videtur. *Cobeli* cujuſdam meminit *Viglius Zwich.* in Epiſt. ad *Hopperum* III. & XXXIV. & alibi. Ex Ecloga apparet non perfunctorie Muſis litaſſe virum inſignem, qua ſola dote meritus eſt, ut memoria ejus Belgis renovetur.

non deterrebar, ut perquam lubens etiam (promerentibus hoc praeclaris tuis virtutibus ea tua humanitate, benevolentia) morem gererem, ſed quo minus optatis tuis pro animi mei ſententia ſatisfacere potuerim, praeter alia fuit & illud impedimento, quod ubi terrarum fueris jam menſes plus minus quatuor certo non ſciverim, diverſis videlicet diverſa afferentibus: omnis igitur occaſio eſt adempta mecum expoſtulandi, quod ſerius tuis juſſis obſecundem. Ab hoc dubio proxime frater noſter *Arnoldus* tui obſervantiſſimus, & utriuſque noſtri amantiſſimus, literis ſuis id petentem me vindicavit; faciundum itaque putavi, ut praeviis his ac jam diu abſolutis promiſſum calamum tuum provocarem, quae nequaquam in hoc dari exiſtimes, quo fidem noſtram liberemus, ſed ut liberandi ſtudium teſtemur, id ſi parum feliciter a me tentatum eſt, erit humanitatis tuae, incredibilem hanc animi propenſionem aequi boni conſulere, dum ex lautiore penu alias plura, fortaſſe & meliora, tibi nos optima ſpes eſt deprompturos, atque animo majora (ſi muſae canenti non deerunt, precibuſque vocatus Apollo) paraturos. Interim illud unum majorem in modum te rogo: ut exquiſitius omnia limes, calumque ſuperfluis adhibeas, aut ſaltem quae commutanda, quae eximenda putaveris annotes, quo a viro undecunque doctiſſimo & diſertiſſimo laudanda reprehendenda diſcam. Bene vale, humaniſſime vir omniumque virtutum dotibus cumulatiſſime, cum tibi chariſſimis, cum Gratiis ac Muſis tuis, quarum particeps fieri ex aliqua parte impenſe peto. Lovanii anno 1540. idibus Octobris.

ECLOGA DAPHNIS.

THELGON, FAUSTULUS.

Thelgon.

Fauſtule, quandoquidem rediit nova temporis aetas,
Lenibus & Zephyris vario patefacta colore
Terra nitet, teneris quaeque & nunc frondibus arbor
Exultat, ſurgensque gravi de palmite gemma
Parturit, exhilarant volucres & vocibus auras,
Intermiſſa, precor, repetamus carmina tandem,
Lanigeri foecunda greges dum gramina carpent.

Fauſt. *Huc ades, o Thelgon, hic lenis ſpiritus aurae,*
Hic virides lauri, hic Veneri gratiſſima myrtus,
Hic tiliae molles, & opertae vitibus ulmi,
Aſpice ut obſcuris fundunt umbracula ramis;
Fons ſonat in medio nitidis uberrimus undis,
Mollibus hic ſtrati cantu certemus in herbis.

Thelg. *Daphnidis hic ſtrati reditus celebremus in herbis,*
Cujus ob aſpectum jam ſtagna loquacia gaudent
Circum, & laetitia montes Sylvaeque reſultant;
Arridetque novo jam lumine clarus Olympus,

Et te Pierides leve carmen arundine Muſae
Ludere Trinacria docuere Heliconis in antro.
Fauſt. *Te quoque Pegaſeis guſtaſſe e fontibus undam,*
Phocidos ac ſaltus ajunt, Pindumque ſubiſſe,
Parnaſſique jugis ſacras vidiſſe puellas,
Ipſe ubi frondenti cinxit tua tempora lauro,
Atque dedit calamos dono tibi Phoebus agreſtes.
Thelg. *Eia age, ſi quid habes, dicendi noſtra viciſſim*
Munera ſuſcipimus, majora negocia quando
Non revocant, facileſque vacat dare cantibus aures.
Fauſt. *Proceſſit tandem roſeo gratiſſima ab ortu*
Illa dies, magno affectu, votiſque petita,
Qua patriam gentem longo poſt tempore Daphnis,
Et patriae fines repetit, notoſque penates.
Ergo mirifice aſſenſu laetantur amico
Omnia, feſtivo & monſtrant nova gaudia cultu,
Diffuſum reſonat felici murmure coelum,
Blandius aequoreis ſol aureus exit ab undis,
Sydera clara micant, cunctae ceſſere tenebrae,
Laetitiam ingentem cuncta illuſtrata nitenti
Luce probant, plauſuque fremunt gaviſa ſecundo.
Jam nunc vernat humus, ridetque virentibus herbis
Almus ager late, generoſo & flore renidet,
Bacchica paulatim frondoſo vitis amictu
Pubeſcit, redeunt ceſſatis pabula campis,
Nunc & amoena comis plaudit frondentibus arbor.
Surgit ab oceano [1] liquidis aurora volucrum
Cantibus, inviſum linquens formoſa *cubile,*
Hinc patula fagi reſidens Philomela ſub umbra,
Populeiſve comis, modulatur gutture mille
Diſſimili voces, hominum jucundius arte.
Daphnide laeta modos meditantur cuncta recepto,
Ipſi etiam montes, ipſa haec arbuſta videntur
Motari in numeros, & carmina ſaxa ſonare.
Daphni, tuos reditus pecudes pictaeque volucres
Applauſu claro per gaudia magna ſalutant,
Ter felixque tuum jactant ad ſydera nomen.
Nunc praedulce canunt per mollia prata puellae,
Certatimque legunt flores, gremiumque ſinuſque
Aut calathos onerant, haec candida lilia carpit,
Illa metit calthas, nec jam moerentem hyacinthum,
Has roſa blanda tenet, ſunt his vaccinia curae,

Pars

1 Ego ſic mallem *liquidis comitata volucrum* &c. & pro *formoſa*, *Aurora.*

Pars florem, Narciſſe, tuum, pars ſubſecat ungue
Pallenteis violas, tum quidquid rura miniſtrant
Aequales populant coetus, pleniſque caniſtris
Ecce tibi innumeros ſpargunt, pulcherrime Daphni,
Per ſola perque vias flores, nectuntque corollas.
Paſtor oves nunc atque armenta & paſcula lacta
Ire jubet ſurgente die, recubanſque ſub umbra,
Propter aquam, levibus meditatur carmina cannis.
Auditos ſylvae referunt & flumina cantus,
O nos felices, nimium felicia prata,
Felices hortos, tandem quibus illa tueri
Ora datur, placidoſque illos agnoſcere vultus.
Salve iterum atque iterum ſalve, optatiſſime Daphni,
Paſtorum decus & nova gloria Daphni tuorum,
A quantum expectatus ades, tua gaudia nobis
Qui revehis tecum, Saturni plurima tecum
Jam redeunt, redit & ruris jucunda voluptas,
Nataque falciferi libertas aurea regis,
Mellibus Hybleis fontes & flumina paſſim
Tota fluent, tibi jam rorabunt nectare ſylvae,
Thelg. *Fauſtule dulce ſonant auri tua carmina noſtrae,*
Nec motus nemorum (zephyrus dum recreat arva)
Sic me delectant, curvi nec littoris ictus,
Nec per ſaxa vago lapſu quae murmurat unda,
Fauſt. *Paſtorem Thelgon capras armentaque oportet*
Paſcere, & hinc tenui rude fundere carmen avena.
At tu promiſſos cantus gratiſſima nobis
Munera perſolvas, Daphnim reditumque cupitum
Carmine concelebres, namque ipſe eſt carmine dignus,
Thelg. *A quam lugubri ſqualiebant omnia vultu?*
Dum procul hinc aberat, dum ignotos advena ſaltus,
Ignotas rupes Daphnis, campoſque peragrat,
Quem ſine fine omnis grex, quem pecus omne vocabat,
Pro cujus reditu votis ardentibus omnes
Solliciti, ſuperis libamina ſacra ferebant.
Non ita lenta ſalix petitur cythyſuſque capellis,
Frigida non rapido cervis optantur in aeſtu
Flumina laſſatis, teneris non frugibus imbres,
Ut tuus aſpectus nobis, praeſentiaque ora
Luce ſerena magis, fortunatiſſime Daphni,
Ruris amor ſummus, rerum ſpes unica Daphni.
Te ſine nullus ager nobis, loca nulla placebant,
Ruſtica jam late non ulla ſonabat avenis

Fiſtula diſparibus, ſed moeſta ſilentia circum,
Abſentem flebant ſolum te Najades udae,
[1] Luxerunt *Driades, & Oreades* [2] ululârunt,
Tecum rapta ſibi ſolatia ſuſpirabant
Capripedes ſatyri, ſimul & paſtoria Panes
Numina, & errantes ſylvae per devia Fauni.
Regnaque paſtorum tardos deſerta recurſus
Viſa queri, placidaeque boves, caper, atque capellae.
Quinetiam poſitis ſtabat tunc frondibus arbor
Omnis nuda comas, tunc florum protinus omnis
Conſumptus vigor eſt, pecori nec pabula campis
Ulla apparebant, ſegetes nec pinguibus agris,
At cultore carens informis terra jacebat,
Hortorumque furens decuſſerat auſter honorem.
Arebant ſalices ripis, ac robora paſſim
Montibus in noſtris, dulces & collibus umbrae;
Sed nunc venit Io, venit poſt tempora ſoſpes
Longa inſperato Daphnis, patria arva ſolumque
Natale inviſit, nunc o gaudete coloni,
In patriam tandem atque in limina nota recepto
Daphnide, ſacratis fument altaria flammis,
Debitaque agricolae laeti perſolvite vota.
Ecce diem ſpargit veniens ſuper aequora Titan
Fulgidiore coma, pexis & crinibus aurae
Mollius aſpirant, venti tecidere protervi.
Daphnidis adventu noſtri nunc omnia cultu
Exultant faecunda novo, nunc terra virenti
Gramine ſe veſtit, [3] ſuaveſque nemoribus umbras
Condenſant coryli fragiles, & Chaonis arbor.
Nec liquidi fontes, non carmina laeta volucrum,
Non molles abſunt ſomni, non florida prata,
Non Bacchi vites, divinaque munera mellis.
Omnia nunc gaudent, pecudes mutaeque natantes,
Nunc alacres riguis ludunt in vallibus agni,
Dulce boves; vitulique ſonant in pinguibus agris,
Ipſae etiam ad mulctram veniunt [4] bis, *& omnia vaccae*
Lacte redundanti nunc ubera plena ferentes,
Scilicet aſpectu [5] (nec habet ſententia falſum)
Effeciſſe ſuo, cuncta ille ſerena videtur,

Et

1 Lugebant.
2 Exululabant.
3 Suaves in collibus.
4 At illic ter mulgentur: ter poteras dixiſſe.
5 Nec me ſententia fallit.

Et circum laetis foecundaſſe imbribus arva.
At tu vive diu, tantum, patiare nec unquam
Divelli a nobis o te, celeberrime Daphni:
Nam ſine te laetum quid ſit vel amabile cuiquam,
Dexter ades nobis, longum ſalveque valeque.
Fauſt. *Os tibi blandiloquum, & Muſae ſua carmina donant,*
[1] Nec tantum vitulus ſemper bove vincitur omni,
Nec tantum molles concedunt matribus agni,
Quantum tu reliquis praeſtantior arte canendi.
Thelg. *Eia age ſurgamus, pronus ſol aequora ſpectat,*
Veſper & extremis veniens effulſit ab oris,
Nunc pecus omne domum ſuadet deducere tempus.

1 Cenſeo hunc verſum immutandum.

EPISTOLA XIII.

JOHANNES CALVINUS

Philippo Melanctboni.

VIde quam pigro ventri literas tuas dederis. Eas enim vix quarto demum menſe mihi reddidit, & quidem multo attritu jam diſruptas ac laceras. Hoc tamen ipſum, quod vel ſero ad me pervenerint, magno in lucro poſui. Nam dum eas huc atque illuc circumfert; mirum, quod non alicubi reliquerit. Ergo, utcunque ejus negligentia ſingularis gaudii fructu privatus ad tempus fuerim: facile tamen veniam a me impetravit, ubi eas recepi. Utinam vero, ſicut dicis, ſaepius nobis, ſaltem per literas colloqui liceret. Tibi quidem nihil inde accederet: mihi autem nihil foret in hoc mundo optabilius, quam in literarum tuarum ſuavitate acquieſcere. Vix credas quanta hîc negociorum mole premar atque urgear. Sed inter has anguſtias duae res ſunt, quae me plurimum excruciant: quod mihi legitimus operae meae fructus non conſtat: deinde quod abs te pauciſque aliis tantopere diſſitus, illo, quod me in primis juvare poſſet, conſolationis genere deſtituor. Verum quando ne hoc quidem optionis noſtrae eſſe convenit, ut locum ſibi quiſque arbitrio ſuo deligat, ubi ſerviat Chriſto: in ea nobis ſtatione manendum eſt, quam cuique noſtrum deſtinavit. Hoc ſaltem nobis nulla regionum longinquitas eripiet, quin hac conjunctione, quam Chriſtus, ſanguine ſuo conſecratam, Spiritu quoque ſuo in cordibus noſtris ſanxit, contenti, dum vivimus in terra, ſuſtineamur beata illa ſpe, ad quam nos literae tuae revocant: in coelis nos ſimul perpetuo victuros: ubi amore amicitiaque noſtra fruemur. Caeterum, quod in lucubratione, quam nuper edidi, abuſus ſum tuo nomine, hoc vel amori erga te meo ignoſcas, vel tuae humanitati concedas, peto. Inter multas rationes, quibus eo adductus fui, haec non poſtrema fuit, quod

Sadoletum Pighius delegerat, cujus nomine ſuas nugas venditaret. Verum ideo ſubticui, ne mihi ad comparationem deſcendere neceſſe foret. Neque tamen hîc longa excuſatione utar: cum teſtatus fuerim, ideo me feciſſe, quae mihi per tuam humanitatem benevolentiamque, quam mihi defers, licere certo confiderem. De rebus noſtris multa ſunt quae ſcribam, ſed hoc ipſum eſt, quod me tacere cogit, quia nullum finem invenirem. Laboro hîc & fatigor mirum in modum; proficio mediocriter. Et tamen miruntur omnes, me tantum proficere inter tot impedimenta, quorum magna pars eſt ab ipſis miniſtris. Haec tamen mihi magna eſt laborum levatio, quod non tantum haec Eccleſia, ſed tota quoque vicinitas fructum aliquem ſentit meae praeſentiae. Adde quod nonnihil in Galliam uſque & in Italiam redundat. Statum veſtrae Germaniae non ſine acerbiſſimo dolore audio. Nec leviora ſunt mala, quae timeo, quam quae lugeo. Nam ſi verum eſt, quod narratur, Turcam majoribus rurſum copiis bellum inſtaurare: quis obſtabit, quo minus longe lateque pro libidine graſſetur. Et quaſi parum eſſet, turpiter dilapſo exercitu, tot impenſas fruſtra profudiſſe, tantum accepiſſe dedecoris: praeterea praecipuum roboris florem primum continua peſte triennii, deinde hac poſtrema lue perdidiſſe: nunc multo gravius ab inteſtinis diſſidiis laboratur. Necdum tamen tam acriter perculſi noſtri principes expergefiunt, ut dare diſcant Chriſto gloriam. Hoc tamen me nonnihil recreat, quod ajunt, Colonienſem & alios quoſdam ad repurgandas Eccleſias animum ſerio adjeciſſe. Neque enim parvam acceſſionem eſſe duco, quod Epiſcopi, ex quorum ordine nullus adhuc nomen Chriſto dederit, nunc ſublata manu, profiteri ab Idolo Romano defectionem incipiant. Tantum nunc advigilandum & enitendum eſt nobis, ut eorum curſum promoveamus, ne ex dimidio Chriſto pejus monſtrum renaſcatur. Interea Ro: Pontifex jam concilii ſimulachrum Tridenti oſtentat, ut orbem exſpectatione ſuſpenſum aliquantulum adhuc retineat ac moretur. Sed Deus non patietur diutius ſibi illudi. Fallor, niſi hic annus maximam rerum converſionem parturiat, quae brevi emergat: Sed jam nimis multa. Vale igitur, Vir modis omnibus ornatiſſ. mihique ſemper in Domino colende. Dominus te diu ſervet incolumem in gloriam nominis ſui, & Eccleſiae ſuae aedificationem. Miror, quid ſit cauſae, cur tamdiu Danielem tuum domi ſuppreſſum teneas. Neque enim me lectionis ejus fructu privari aequo animo patior. Do: *Martinum* reverenter meo nomine ſalutes, quaeſo. Habemus hîc *Bernardinum* Senenſem, magnum & praeclarum Virum, qui ſuo diſceſſu non parum Italiam commovit. Is ut vobis ſuo nomine ſalutem adſcriberem, petiit. Vale iterum cum tua familia, quam Deus ſemper cuſtodiat. Genevae. 14. Calendas Martias. 1543.

EPI-

EPISTOLA XIV.

JULIANUS AURELIUS

Hadriano Nicolai Conſiliario S. Majeſtatis.

Arnhemium.

QUod ſerius literis tuis reſpondeam, Hadriane doctiſſ. ſimul ac humaniſſ., quam vel officii mei ratio poſtulat, vel fortaſſis ipſe expectas: ideo certe factum eſt, quod neminem in hodiernum uſque diem reperire potuerim, qui iſthuc proficiſceretur. Siquidem mira eſt apud nos nuntiorum ad vos commeantium penuria. Imo ne nunc quidem habeo, cui has committam. Sed cum mihi diutius temperare non poſſem, quin tui memoriam ſcribendo mihi refricarem: libuit interim per ocium parare domi, quod ad primam nuntii occaſionem ad te tranſmitterem. Ut autem ad literas tuas deveniam, quibus puerum, quem coram multis verbis mihi commendaras, rurſus accuratius ſcripto commendas: hoc tibi, mi Hadriane, pro reſponſo ſit, eum tam curae mihi futurum, quam ſi ex me natus eſſet, talemque me diligentiam adhibiturum, ut Gallicam linguam addiſcat, ut ne praemonſtratoris quidem officium refugiturus ſim. quod quidem facturus ſum perlibenter, tum in tui gratiam, cui modis omnibus placere ſtudeo, nempe ſummo amico, ac etiam patrono fortaſſis aliquando futuro: tum vero, ut ampliſſimo Viro D. Cancellario veſtro, cujus ſummas virtutes ac incredibilem eruditionem ubique praedicari audio, hac me ratione inſinuem, aliquaque apud eum amicitiae parte haeream. Nam eum mihi amicum eſſe ſupramodum cupio, quod ejus amicitia multorum aliorum amicitias mihi paritura ſit. Itaque, mi Hadriane, etiam atque etiam te oro obſecro ac obteſtor, primum quidem, ut antiquum tuum erga me non ſolum obtineas, ſed etiam augeas: deinde ut D. Cancellarium, cujus noticia te autore mihi parata eſt, ita confirmes, ut me perpetuo in amicorum albo retineat. Scripſiſſem ad eum, niſi pudor, ac propria tenuitatis meae conſcientia a propoſito me deterruiſſet. Accedebat quod in publica commoda mihi peccaturus viderer, ſi eum tot ſanctis negotiis occupatum vix tantillum legendis nugis meis remoratus fuiſſem. Itaque tibi relinquens totam mei commendandi provinciam, ſatius eſſe putavi homini occupatiſſimo non obſtrepere, quam inopportuno fortaſſis tempore occurrens, odioſus eſſe. Bene Vale cum conjuge ſuaviſſima, cumque[2] *Stratio* collega tuo, quibus, niſi moleſtum eſt, meo nomine, ſalutem plurimam precaberis. Mechliniae. 17. Junii. 1544.

1 Eſt hic *Julianus Aurelius Haubrechus* Leſſignienſis, cujus habemus libellum ſatis eruditum de deorum cognominibus; & commentarium in duas priores Horatii ſatyras. vide *Valer. Andr.* Bibl. Belg pag. 597. praeter vero laudata *Valerio* habeo ejuſdem *Aurelii* declarationem ad l. *jurisgentium* §. *Quinimmo* ff. de pactis, ſeditam Pictavii 1538. in 12°.

2 Ad hunc *Joannem Stratium* eſt *Hadriani* Elegia quinta lib. II. p. 34. & *Joannes Secundi* lib. III. Eleg. 14. p. 57.

EPI

EPISTOLA XV.

PETRI GILLII

Ad Amicum Epiſtola.

Poſtquam Franciſcus Rex me primo reliquit, quam ad ullos ejus nummos perveniſſem, quorum ſpe veneram in Graeciam, ad Codices antiquos inveſtigandos, ac etiam obiter ad cognitionem Hiſtoriae naturalis; binas literas ad te, alteram ad Cardinalem noſtrum ſcripſi, quibus conabar tibi renovare memoriam Gillii veteris tui, dicerem, congerronis, niſi ſummus ille tuus gradus verbum hoc jam non agnoſceret, timens ne longa & longinqua peregre profectione ex mente tua omnino exciderim. Jam verō longiſſime gentium abductus, ea aetate tyro, in Bellum Perſicum, qua veterani emereri ſolent, neceſſe habeo, iterum tibi nonnullam recordationem mei ſuggerere, qua incolumi, nondum deſpero nidum aliquem ſenectutis meae aſſequi me poſſe. Jam annus eſt, cum in Galliam maxime redire conabar, ſi nummi ex Sacerdotio meo mihi hoc tempore affulſiſſent, priuſquam eorum deſperatione adductus, profectus eſſem in Soltani *Solymani Pachi* expeditionem, ne Byzantii in languore deſiderem, nummulos meos exſpectans diu. De qua quidem expeditione, & de toto itinere noſtro informarem te magno volumine, niſi prius viſere cuperem Aegyptum; ſed uſque ad ſinus Arabici proximum portum, quem jam appellant Sues, olim Arſinoen: qua peragrata & te & Cardinalem Armagniacum informabo, mediocri quidem ingenio, ſed magno volumine, de toto itinere noſtro, ubi rediero Byzantium. Et ne charta haec vacua ſit, addam itineris ſummum. A Chalcedone, poſita in faucibus Boſpori Byzantini, ad Tauricum urbem, quatuor decies millia centena paſſuum fecimus, non modo dimenſorum Ptolemaei longitudinibus & latitudinibus, ſed etiam paſſibus noſtris: primum per Bithyniam, in qua vidimus Diacibicen, quae olim Libyſſa appellabatur, Hannibalis ſepulchrum; poſtea Panthicum, cujus meminit Antoninus Pius, & Helenopolim, cujus Procopius, Caracen, cujus Stephanus. Deinde Nicomediam, & lacum ſupra Nicomediam, de quo Plinius, quem falſo quidam putant Aſcanium, cum hic ſit juxta Niceam, diſtans ab illo amplius centum mille paſſibus, cujus fluvius influit in Propontidem, illius vero in Zagarim, & deinde in Pontum Euxinum. Juxta hunc locum Juſtiniani Pontem vidimus, celebratum Procopio, & Agathii epigrammatibus, adhuc exciſis in ponte exſtantibus, & etiam in florilegio Epigrammatum edito in vulgus. Poſtquam ingreſſi ſumus in Phrygiam, ſeu Gallo-Graeciam, in qua cum aliarum urbium multarum ruinas vidimus, tum Boli, quam olim vocabant Aboni, moenia celebria, nobili emporio, & balneis & infinitis Graecorum & Romanorum monimentis. Ex Gallograecia venimus in Paphlagoniam, in qua vidimus Theodoſiam Grangrorum. Ex Paphlagonia pervenimus in Cappadociam, tranſito amne, quem Turci Caſilimar, id eſt, amnem rubrum.

Pro-

Procopius a colore vocat Tyberim, quod aquas habeat rubras. Ego vero alio tempore monſtrabo eſſe Halyn, Lydici & Perſici Imperii limitem, cum imperaret Croeſus Iſthmo Aſiae, id eſt minori Aſiae: cujus juxta pontem ſtatim in Cappadocia eſt collis Saye, undique praeciſus, & magna planitie circumdatus: in cujus jugo eſt arx, quam primam obtinuit Ottomanus, fundator Imperii Ottomanici; eamque arcem alii appellant Ottomagith, alii Ottomagich. Inde aliquot caſtris factis, vidimus Hierapolim, in ſupercilio excelſi montis, relinquentes prius ad dextram Amaſiam, & Jobatam, & Angeram, ad ſiniſtram vero Synopem: poſteaquam trajecto amne Iri vidimus Neocaeſaream, prope quam fluit amnis Lycus. Quo trajecto, attigimus Armeniam minorem, in qua ſpectavimus Azam Urbem, & foſſas, unde Bolus Armenius effoditur: & oppidum Daſcuſum, quod hodie vocant Aeſnigam. Etſi Euphrates fere fluit, tamen amplius binis caſtris non eum tranſivimus, ſed ternis eo trajecto non longe ab ejus fonte propeque oſtium Arſeni fluminis, tribus caſtris per Armeniam majorem factis, venimus Eſdron, quam Procopius vocat Theodoſiopolin, limitem Romani & Parthici imperii, tempore Juſtiniani. Inde binis caſtris tranſivimus Araxen, tendentem ad Orientem, & dividentem Armeniam majorem a minori Media. Ex Araxe quartis caſtris vado trajecimus Tigrin, non longe ab ejus fonte, a quo non procul eminet mons Nimbarus, in cujus jugo dicunt Arcam Noë reſediſſe. A Tigri ſex Caſtris tentoria fiximus juxta lacum Mantianum, ſalſum, in ambitu complectentem iter octo dierum, in quem octo magna flumina ingrediuntur, & nullum exit. Ex eo lacu ſeptem caſtris venimus in Cohinam planiciem, ſed magna difficultate vallium anguſtarum montis Tauri, in quibus totus exercitus conſtans amplius ſeptingentibus millibus equorum aut camelorum, a paucis opprimi potuiſſet. Ex Cohina planicie ad veſperam ſolventes iter, totam noctem & medium diem inſequentem continuavimus, ob inopiam pabuli, & copiam aquarum ſalſarum. Haec nox tyrocinium militiae meae valde exercuit. nam cum Regis copiae ſe in fugam conjeciſſent metu Perſarum, ego equo & reliquis ornamentis ſpoliatus, a media nocte ad diem uſque inter tot millia equitum fugientium fugi pedes, ut mei ſocii mirati ſint, me incolumem evaſiſſe. ſed Deus ludere voluit tyronem ſenem, & ſervare ad neſcio quos alios fortunae ludos, utinam jucundiores. Inde quartis Caſtris pervenimus Tauricam, quam quidam falſo putant Ecbatana, ſed falſius *Paulus Jovius*, qui eam putat in Armenia, cum ſit in Media; & quidem bene penitus, neque amplius ducentis mille paſſibus. Ubi quinque diebus conſumptis, cum Rex *Sophianus* aufugiſſet in montes aſperos, & ad eum inſequendum commeatu deficeremur, urbem reliquimus incolumen, duntaxat Palatio vaſtato, ac redire coepimus, quinquagintaque millibus confectis, lacum Spontani invenimus, adeo ſalſum, ut ejus totum littus per quatuor ſtadia extra aquam tectum ſit perpetua glacie ſalis. Ego ut experirer, quod Strabo falſo tradit, pruritum doloremque facere, per ipſum nudus ambulavi ducentos paſſus, tendens in ejus altum: neque tum aqua attingebat umbilicum: vidique totum vadum ubique tectum cruſta ſalis,

ut nuſquam ſolum appareret. Hic lacus ſex dierum iter in ambitu habet. Juxta hunc lacum aliquot millia Turcorum caeſa ſunt. inde quartis caſtris tranſivimus fauces anguſtarum vallium, ubi circiter quinque millia Camelorum, equorum & mulorum perierunt. Inde profecti ſumus ad obſidendum Mantianum caſtrum, in colle ſitum, undique praeciſo, undique circumdato magna planitie. quo deditione facta intra octo dies capto, tranſivimus montem Niphatem, juxta quem ruit Tigris, & ſubit lacum Arethuſam, & Betelmos, quos Zagris montis ramos arbitror: in quorum vallibus anguſtis multa animalia perierunt, praeſertim cum tanto exercitui neceſſe fuit tranſire foramen rupis, non majus porta, excavatum in ſaxo. Ac tandem trajecto Tigri, venimus in urbem Caramiti, quam Procopius vocat Armidam: unde Rex Turcorum inſtitutum iter coactus eſt relinquere, & ſe convertere contra Regem Perſarum, qui totam Armeniam majorem jam excurrerat, & Eufrate trajecto penetraverat in minorem. ſed prius Rex Solymanus miſit Eliam fratrem Regis Perſarum in Babyloniam, & Suſianam, quam nuper cepit: ex praedaque Regia triginta Camelos onuſtos miſit Imperatori Solymano. quod munus heri in hac urbe Alepa vidi offerri Regi, & deportari a ſexcentis Genniſeris, ordine pompatico, ut mos eſt, cum Regi Turcorum quippiam datur. Nimirum in orbem magnae areae ambulantes, & ſinguli aliquam muneris partem manibus geſtantes, Regi repraeſentabant, ſpectanti ex cancellata feneſtra: Alii ferebant ſtoreas, gracilibus arundinibus auro argentoque textilibus inductis elaboratas. Alii ephippia gemmis diſtincta, alii arcus Perſicos, plerique ſtragulas veſtes, & Babylonicas: alii peripetaſmata belluata ex auro argentoque textilibus: alii tentoria ſumma arte laborata, alii libros Perſicos auro & gemmis ornatos. Nonnulli facculos gemmarum plenos. multi ferebant imagines hominum reliquorumque animalium ex ſerico auroque & argento elaboratas. alii alia, quae longum eſſet recenſere. Exin Alepia caſtra relinquimus, & profecti ſumus Melitonem Urbem Armeniae minoris ſeptem diebus. Inde rurſus trajecto Eufrate redivimus Amidam, ex qua quinque caſtris venimus in urbem Edeſſam, quam hodie vocant Offam, in qua Turci dicunt natum Abraham. Ideoque ex fonte, ex quo fluvius manat diſcurrens per urbem, piſces ſacros habent, & non attingunt. At Judaei dicunt Abraham natum in Carram, diſtantem ab Edeſſa iter unius diei, quam Carras eſſe arbitror nobiles clade Craſſi. Ex Edeſſa tribus caſtris Eufratem trajecimus inter Hierapolin & Zeugma Comagenae, ubi adhuc viſuntur reliquiae antiqui pontis, ubi cathena in hanc aetatem ſervatur, cujus meminit Plinius. Ab Eufrate tribus caſtris venimus in Urbem, quam hodie Syri vocant Alep. ſed olim vero ea erat Beroea, non, ut quidam tradunt, Hierapolis. Hîc hiberna quatuor menſium exegimus. Plura non addam, reſervans longum volumen itineris mei in reditum meum Byzantium. Tu vero interea, dum Aegyptum viſo & Byzantium redeo ad menſem Julium, ne obliviſcaris tui Gillii: ac ſi forte ullum locum vides, ubi aedificare poſſim nidum ſenectutis meae, ne praetereas. Ita enim canus ad vos rediero, ut humi cubare perpetuo malim, quam ſemel erigere in nidum ſuſpenſum ex longa ſpe.

Ad-

Adderem, niſi Regem audirem remotum a litteris, efficeres cum Domino *Caſtellano*, Epiſcopo Matiſconenſi, ut Rex peregrinationi meae faveret. Sed ne ſim importunus, totam hanc proviſionem relinquo judicio tuo, qui ſenſus regis, ejuſque intimorum noſti, non minus quam fortunam meam deſtitutam omni auxilio, & ſolo meo tenui vectigali aegre ſuſtentatam tot annos peregrinationem. Verum ut ſit a litteris Rex remotus, non tamen a juſtitia; quod ex eo colligo, quem quotidie chariorem Regi fieri audio, non ob aliud, quam ob ſingularem juſtitiam tuam. Quid juſtius, quam Heroicum Regem tam divitem, debitum praeſtare paternum? Ego per hoſce viginti annos non deſtiti bene mereri de Rege *Franciſco*, ac potius de tota Valeſia gente, cum aliis orationibus, tum tribus ad Regem Angliae ſcriptis, ſuadentibus Franciae regium nomen ne amplius uſurpet, aut ejus partes repetat, quas priuſquam ſcriberem teſtis eſt Cardinalis *Armagniacus*, me hyemem conſumſiſſe in Bibliotheca legendis codicibus Pontificum, apud quos haec cauſa tum diſceptabatur: quos ſi *Seiſſelius* legiſſet, longe aliter hanc cauſam tractaſſet. quid aequius, quam Regem mihi dare aliquod perfugium ſenectutis meae, qui Regis praeſcripto tantam peregrinationem ſuſcepi, & tamdiu ſuſtinui, nullo regio auxilio adjutus? omnibus me voluptatibus privavi, ſenex tot aerumnas ſubivi, ut jucundum quiddam Regi gratificari poſſem. Bene vale. Ex Urbe Alep, Emporio celeberrimo totius Orientis. IV. Non. April MDXLIX.

Tuus antiquus Cliens
Petrus Gillius.

De *Petro Gillio* videndus *Teiſſerius* in Elogiis ex Thuano excerptis tom. I. pag. 247. & *Scaev. Sammarth.* Elog. lib. I. pag. 23. hanc epiſtolam vidiſſe ſe teſtatur *J. Tollius* de infelicitate literatorum pag. 455. nos eam editam eſſe neſcimus, nec credimus, ideoque inſigne magni viri hoc monumentum prodere voluimus. Obiit Anno 1555. Romae. *Miraei.* Chron. Belg. pag. 413. De *Gillio* etiam vide inter Epiſtolas Lipſianas, *Mutelli* LVIII.

EPISTOLA XVI.

JOH. PIPINUS

Ant. Mizaldo ſuo S. P. D.

GAudeo mihi oblatam eſſe occaſionem, chariſſime Antoni, qua rem novam ac plane admirabilem tibi nuntiare ſit datum. Nuper ex India Orientali Regi noſtro allatum hîc vidimus lapidem, lumine & fulgore mirabiliter coruſcantibus, quique totus veluti ardens & incenſus incredibili lucis ſplendore praefulget micatque. Is jactis quoquo verſus radiis ambientem circumquaque aërem luce nullis fere oculis tolerabili latiſſime complet. Eſt etiam terrae impatientiſſimus: ſi cooperire coneris, ſua ſponte & vi facto impetu confeſtim evolat in ſublime, contineri vero includive loco ullo anguſto nulla poteſt hominum arte; ſed ampla liberave loca duntaxat amare videtur.

ſumma in eo puritas, ſummus nitor; nulla ſorde aut labe coinquinatur. figurae ſpecies nulla ei certa, ſed inconſtans & momento commutabilis. cumque ſit aſpectu longe pulcherrimus, contrectari tamen ſeſe non ſinit; & ſi diutius adnitaris, vel obſtinatius agas, incommodum affert: ſicuti multi ſuo non levi malo, me praeſente, ſunt experti. quod ſi quid ex eo fortaſſis enixius conando adimitur, aut detrahitur, (nam durus admodum non eſt) fit (dictu mirum) nihilo minor. addit inſuper is hoſpes, qui illum attulit, homo, uti apparet, barbarus, hujus virtutem ac vim eſſe ad quamplurima cum utilem tum praecipue, regibus inprimis, noxiam: ſed quam revelaturus non ſit, niſi pretio ingenti prius accepto. reliqua ex me praeſenti audies, cum primum Rex ad vos redierit. ſupereſt ut te, & ſi quos habes iſtic viros eruditos, diligentiſſime orem, ex Plinio, Alberto, Marbodeo aliiſque, qui de lapidibus aliquid ſcriptum reliquerunt, ſollicite diſquiratis, quiſnam ſit hujuſmodi lapillus, aut quod illi nomen (ſi modo antiquis fuerit cognitus) praeſcribi verum poſſit. nam in eo peranxie, nec minus infeliciter ab aulicis noſtris eruditis hactenus laboratur. quibus ſi palmam ea in cognitione praeripere poſſem, mecum felicíſſime actum iri exiſtimarem. Incredibilis enim & Regi inprimis, & toti denique procerum aulicorum turbae, ea de re commota eſt exſpectatio. Vale. Bononiae. pridie Aſcenſionis Chriſti M. D. L.

Hic *Pipinus* mihi prorſus ignotus. ſed adſcriptum huic epiſtolae erat, manu mihi ignota, fuiſſe medicum Connetabilis.

EPISTOLA XVII.

N. N.

Cornelio Walthero & Georgio Caſſandro S. P.

MIror quod a vobis nullas accipiam, amici in Chriſto Chariſſimi. Ego aliis profectionibus impeditus nihil potui ſcribere. Ritus Ruthenorum &c. nondum potui habere, quia Viennae inter libros meos remanſerunt, Mitto hic quaedam forte a veſtro inſtituto non abhorrentia, addam plura, ſed ſucceſſive poſteaquam recepero, per Venetorum nuncium. Curo ritus in Corſica & aliis provinciis mihi deſcribi. Forte non inconſulto feceritis, ſi in lambendo partu aliquot menſes inſumeretis, certe cupio vos candori ſtudere, ne hoc ſeculo corruptelis undequaque obnoxio, alienae quoque impietatis vos faciatis miniſtros. Non placet quod cenſurae veſtrorum theologorum vultis ea committere, quia anſam dabitis de vobis, ſtudiis ac ſcriptis veſtris, eo magis in poſterum judicandi: taceo quam omnia ad limam ipſorum quadrabunt, ſi praefari velitis, ut omnino neceſſarium judico, nempe ut recenſeatis quid quoquo tempore inſtitutum, quando creverit &c. Nam is fructus veſtri hujus laboris erit precipuus, & quem *Caſſander* vel maxime nobis poterit exhibere.

Agam

1 Auctoris nomen deerat: videtur viri cujuſdam Primarii, qui ad comitia Auguſtana erat profectus, eſſe epiſtola.

Agam cum *Oporino* aut alio bono viro, qui bona fide imprimet, & ſi mea res ageretur, mallem potius nomen ſupprimi, quam cedere veritati, ne latum quidem unguem; Accipietis hic Miſſam Chryſoſtomi Pragae impreſſam, Legem Salicam & reliqua poſſetis, ut opinor, facile ex Galliis habere per bibliopolas modo ſcriberetis. Rogo ad me exemplar unum atque alterum tranſmittatis; recte ſi adderitis Friſionum & Anglorum leges. Scribit ad me Vir quidam bonus & ſummopere urget, ut vos horter, quo alteruter ad *Tilium* proficiſcatur, & omnibus modis cum eo agat, ne ſupprimat, ſed edi curet quae habet: veretur enim ille, ne quod ſaepe ſolet evenire, inſula literis multum obſtet, quod ſi animadverteretur, vel deſcribi quaedam poſſent vel accipi ab ipſo accomodato: ego illud iter pro viribus meis ſumptibus etiam juvarem, ſed neſcio veſtram commoditatem, praeſertim hoc tempore belli, & quos ſejungi nec poſſe nec debere ipſe exiſtimo. Praeterea hortor Vos, ut, hiſce nundinis paſcalibus Francofortium proficiſcamini, ut cum Τῷ Ἰλυρίκῳ, quem eo venturum audio, conferre de variis poſſitis, ipſe vos ibi expectabit. Eſt vobis quoque non parva commoditas navigio aſcendendi Rhenum ac deſcendendi, frequenti civium veſtratum conſortio, & ſumptibus non magnis, quos feram lubens ex parte. Nunc nihil mitto, quia nec certi ſunt homines, nec intelligo quo loco ſint res, quid pro me deſcriptum ſit, vel quid effeceritis, Miſeram corbem plenam libris ad vos ex Liſer ſupra Moſellam cum epiſtolio, ſcribite num acceperitis. In Betburch rogo Paſtorem ſollicitetis de illo libro, in quo agitur de originibus monachorum &c. quicquid conſtiterit. Apud praedicatores Coloniae ad dextram in introitum eſt liber, in quo ſunt Epiſtolae Caſſiodori. In fine ſunt libri duo, Urbanae praefecturae, hos duos libros cupio prae aliis omnibus mihi deſcribi, habetis praeterea indicem eorum, quae deſydero. Rogo ſtrenue pro me, vel ut verius dicam pro publico literarum bono, invigiletis, & ſcribite ſaepe quid coeptum, quid abſolutum, ſumptus liberaliter per doctorem *Gerhardum Aquenſem* ad vos curabo adferri. Epiſtolas Synodales ex libro pergameni deſcriptas una cum originali, ſi jam *Birckhmanno* tradaretis, pergratum eſſet: indico ipſi cui Francofordiae talia committat ad me perferenda. Lovanii eſt impreſſus liber anno 51. in 8°. per *Petrum Phaleſium* De veritate corporis & ſanguinis domini &c. In eo quaedam ſunt, quae vobis erunt forte non ingrata, congeſſit enim plurimos tractatulos. ad me nihil deſcriptum mittite, niſi certi ſint tabellarii, Et quia non dubito Reip: Colonienſis deputatos hic eſſe, facile ad me certo poteritis. hoſpes mihi eſt *Daniel Ulſtatt*. fui apud Canonicum, qui & legem Salicam habet. In fine ipſe has interpretationes antiquorum vocabulorum annotaverat, ut incluſa eſt ſcedula. Principi *Ottoni Henrico* Palatino veſtra miſi, nihil adhuc reſpondit, urgebo denuo & ſumma diligentia veſtrum negotium agam. ac ſignificabo, qualem invenero. Dominum D. V. *Velſium* ſalutate & reſcribite, quis fuerit Tragoediae exitus. Apologiam ſi quam edidit ad me mittite, literas veſtras ſi vel Spiram miſeritis ad Dom. *Furſtenbergium* recte curabuntur. Manſurus ſum hic per Comitia, *Birckhmannus* quoque recte

curabit perferri. Si certior fuerit tabellarius poteritis literis veſtris ſubinde aliquid conjungere. Calendarium Ruthenicum ad vos mittam poſtquam deſcriptum fuerit. Initium anni facit a Septembri & multorum ſanctorum Graecorum nobis incognitorum notam continet. Hiſce valete in Domino & reſcribite ſaepe. Datae Auguſtae. 18. Martii Anno. 55.

EPISTOLA XVIII.

JOACHIMUS HOPPERUS

Cornelio Gualtero & Georgio Caſſandro S. P.

Mechliniam.

VOlenti mihi heri D. *Viglio* valedicere, Clariſſimi amiciſſimique viri, ille reſpondit, ſe habere quod adhuc hodie in prandio mecum ageret. Quo minus ergo in prandio vobiſcum eſſe poſſim, quemadmodum condixeram, veniam dabitis, ad coenam autem omnino approbante Deo adero. Ut igitur & vos iſthic maneatis, & quod me viſendo beneficium mihi praeſtitiſtis, id nunc ultra conſtitutum nonnihil commorando, cumuletis, vos etiam atque etiam rogo. Quod quidem vel eo minus vos mihi puto denegaturos, quod ſpem habeo adferendae novae hiſtoriae *Sleidani*, quodque ſchedia veſtra variarum antiquitatum nondum vobis reſtitui. Sic igitur facietis, & cum uxorcula mea, quam meo nomine ſalutabitis, interea temporis gaudebitis. Bene valete, Clariſſimi amiciſſimique viri. Antverpiae 14. Maji 1555.

EPISTOLA XIX.

JOACHIMUS HOPPERUS

Cornelio Gualtero & Georgio Caſſandro S. P.

Brugas.

MItto vobis, Clariſſimi Domini & Amici, ea quae ex Franciſcanorum Bibliotheca vobis mandaveratis exſcribenda. Si rudior & minus emendata fortaſſis eſt ſcriptura, jubebitis iterari, curabo ut non ſolum bene, verum etiam eleganter omnia vobis exſcribantur. Remitto etiam leges Freſionum, quas mihi jam deſcripſi. Si qua ratione fieri poſſit, velim vos hac redire Coloniam, habeo enim quod vobiſcum convenirem, meo ac veſtro judicio valde ferium, de eo videlicet, de quo ſub abitum veſtrum pluſcula colloquebamur, quae non tam commode literis mandari, quam coram tractari poſſunt, videor enim mihi repperiſſe aliquid, quo reapſe operam aliquam reipublicae ea in re navare poſſim, maxime ſi habeam adjutores aliquot, qui mihi pedetentim ſunt comparandi. Dominum *Scoonhovium* velim meo nomine plurimum ſalutatum, & ſi intelligam non ingtatum illi fore, ſi de antiquitatibus noſtrae gentis, hoc eſt Freſiorum, per literas ſubinde ad illum ſcribam, & interio-

riorem paulatim cum eo familiaritatem contraham: ita faciam, nam quemadmodum libenter ab amicis diſco, ita nihil quoque eſt in mea tenuitate, quod non iis viciſſim omnibus modis ſit expoſitum. Bene valete, Clariſſimi & chariſſimi viri, & nos, ut facitis, amate. Mechliniae 3. Id. Junii 1555.

EPISTOLA XX.

JOACHIMUS HOPPERUS

Cornelio Walthero & Georgio Caſſandro S. P.

QUi haſce vobis reddidit, *Cornelius Rhetius* eſt Juriſconſultus, meus amicus & familiaris. Is Coloniam commigraturus habitatum, vobis per me commendari voluit, ratus meam commendationem pro noſtra veteri neceſſitudine aliquid apud vos poſſe. Quo minus autem ea ſpes illum fallat, vos diligenter curaturos etiam atque etiam confido. Nam praeter hoc, quod & virtus veſtra tanta eſt, & noſtra amicitia, ut nihil diffidere debeam: tum etiam ipſe *Rhetius* ejuſmodi eſt, ut doctorum ac proborum hominum favorem ſua ſponte mereatur. Quare ſi ita caſus ferat, ut vel ad profeſſionem Juris commendare illum poſſitis, vel ad forum, liquide utrumvis licebit: nam & juris cognitionem habet valde eximiam, & forum multis annis diligenter tractavit De *Sleidano* ad me miſſo magnas habeo gratias, pretium dabit *Rhetius*. Bene valete, ac me veſtrum eſſe vobis perſuadete. Mechliniae Calendis Aprilis. 1556.

EPISTOLA XXI.

JOACHIMUS HOPPERUS

Antonio Schoonhovio S. D.

QUi haſce tibi reddidit, Clariſſime Domine Schoonhovi, patronus cauſſarum apud nos eſt, nomine *Stenemolen*, homo probus ac diligens. Is quoniam procurator negotiorum Capituli veſtri, quem hîc perpetuum habere ſoletis, vita functus eſt, in locum ejus ſuffici optaret, utque ſuper ea re dominationem tuam in cujus authoritate ſummum praeſidium ponit, interpellarem, vehementer me rogavit. Quare ut commendatum eum habeas, & quod cum Capituli veſtri commodo fiat ſuffragio tuo juves, etiam atque etiam oro, neque ita facturum valde confido. Quod res Capituli mihi commendas, hoc tibi perſuade, me quatenus aequi ac boni ratio permittit, ſemper commendatas habiturum. De tuis annotationibus magnas habeo atque ago gratias. Quantum iis ſim adiutus, malim te aliunde ſuo tempore, quam ex iſtis literis cognoſcere. Eſſent quidem mihi ad aliquot adhuc dies uſui (tam enim varie occupamur, ut perparum ſuperſit temporis, quod ſtudiis liceat impartiri) ſed

ſed pudet jam ſecundo admonitum non remittere. Quare ſi quid eſt in noſtra bibliotheca, quo viciſſim utendum cenſeas, tantum opus eſt uno verbulo, ſum enim totus tuus. Vale, clariſſime ac eruditiſſime Scoonhovi. Mechliniae XIX. Septembr. 1556.

Hic *Shoonhovius* fuit Canonicus Brugenſis, cui debemus Eutropium, primum ejectis aliorum interpellationibus ſibi reſtitutum, quam laudem perperam *Eliae Vineto* tribuit *Naudaeus* de Sena pag. 14. vide *Glareani* Praefat. in Eutropium. *Valer. Andr* Bibl. Belg. p. 75. & *Ant. Sander.* de eruditis Brugenſibus pag. 19. *Raimoldus* vero *Stemerola*, ſi hic ille innuatur, ut puto, fuit praeceptor *Jani Secundi*, quem celebrat pag. 109. & 113. Poematum. & cui epitaphium poſuit *Hadrianus Marius* pag. 63. unde apparet ab actis Batavi Senatus fuiſſe. vid. *Andr. Valer.* p. 804.

EPISTOLA XXII.

JOACHIMUS HOPPERUS

Joanni Birckmanno Librario S. P.

BInas tuas literas, eruditiſſime atque amiciſſime Birckmanne accepi, quibus quod non confeſtim reſpondi, per negotia factum eſt, quibus propter Praeſidis abſentiam, vel hanc tantillam epiſtolam vix tandem potui eripere. Quam mihi ab *Caſſandro* nuncias ſalutem, gratiſſima fuit, quemadmodum & libelli, quos una miſiſti, quorum alter a *Caſſandri* inſtituto non videtur alienus. Quod de meis nugis me tam ſerio interpellatis tu & *Caſſander*: nae pro veſtro quidem amore facitis, ſed ipſe ſcio quam mihi ſit curta ſuppellex, ut omittam in tanta multitudine negotiorum, quam parum ſit otii ad commentandum, & quanto minus, ad bene commentandum: nam ut de manu quidquam dimittam, quod non ad plenum perfectumque ſit elaboratum, neque haec aetas fert neque ordo, neque ſane ea eſt inſtituti mei ratio. plane tametſi pollicitis meis nondum hoc tempore poſſum reſpondere, & quod vobis debetur aes alienum perſolvere, quod etiam Cardinalis aliqua ex parte ſibi vendicat: niſi tamen ſatisfecero non conquieſcam, ſperoque brevi effecturum me, ut vos placatos reddam, prius quidem *Caſſandrum*, cui minus opuſculum debetur, deinde vero te, ad quem majorum vigiliarum opus excudendum mittetur. De *Lindani* ſcripto adverſus *Caſſandrum*, nihil equidem audivi, nec vero puto ullum extare, ſed ſignificavit aliquando coram nonnulla eſſe, quae non ſatis probet. Ut Anabaptiſtas fortiter oppugnet *Caſſander*, etiam atque etiam hortor. De *Pfluggi* judicio de ſcriptis *Caſſandri*, quod ad me miſit, eſt quod illi plurimum gratuler, nec dubito, quin apud multos multum ſit ponderis habiturum. Inſtitueram ad *Caſſandrum* aliquid ſcribere, ſed intervenerunt hoc ipſo momento quaedam negotia, quae quod illum capere oporteret intercipiunt. Itaque mittes ad illum exemplum harum literarum ſi videtur, ut vel aliquo modo quadamtenus ei ſatisfiat. De libris, quos abs te habeo, & mihi non ſunt futuri uſui, ita faciam ut ſcribis. Cura, optime *Birckmanne*, ut valeas, & ſi qua fieri poteſt, antequam Coloniam redeas, ad nos excurre. Raptim Bruxellae, pridie Calendas Februar. M. D. LXIII.

EPI-

EPISTOLA XXIII.

JOACHIMUS HOPPERUS

N. N. Cognato ſuo S. P.

TE ſalvum ac ſanum, cognate Clariſſime, Spiram veniſſe gaudeo, oroque Deum, ut reliqua fortunare & ad animi tui ſententiam concedere velit. Librum, quem *Caſſandri* judicabas, paulo ante e Gallia acceperam, quam tuae literae ad nos perferrentur. Placet ſane, ſed, quemadmodum etiam tum dicebam, nequaquam puto eſſe *Caſſandri*, idque multis argumentis, quae hîc nihil attinet referre, quando *Caſſandrum* jam ipſe conveniſti. [1] *Franc. Balduinum* in Gallia eſſe in familia Cardinalis *Lotharingi* jam, credo, audiviſti: fertur etiam author Orationis, quam contra *Bezam* Cardinalis habuit, ſatis meo judicio luculentam, ita ut ſpes ſit fore, ut in viam *Balduinus* redeat, quod vehementer etiam atque etiam ſpero: nam quanto quis ſit doctior, & in antiquitatis ſtudiis diutius verſatur, tanto magis ac magis a novis iſtis inventis recedit, & ad interpretationes patrum veteremque uſum Eccleſiae ſe applicat, cui (ſi quando paululum corrupta eſt) reſtituendae, non autem evertendae operam dare oportet. Novarum rerum, quod te putem ignorare, hîc nihil eſt, niſi quod Epiſcopatus noſtri novi aliquot jam ſunt conſtituti, ut Iprenſis, Harlemenſis, & Middelburgenſis. D. Cardinalis Archiepiſcopus Mechlinenſis autem heri cepit, aut hodie capturus eſt poſſeſſionem, per procuratorem ſuum [2] *Couthautium* noſtrum, quem noſti. Gallia tota turbulenta eſt, & quantum conjicere licet, meditantur magnum malum. Nobis cum haereticis Tornacenſibus & Flandrenſibus Galliae finitimis multum eſt negotii, ſperamus tamen meliora, ac potiſſimum quidem ex novis iſtis remediis, quae meditamur, aut vera, aut certe ad vera proxime accedentia. Cura, optime Cognate, ut valeas. Uxor ſe plurimum tibi commendat. D. *Andreae Gail* multam a me dices ſalutem. Raptim Bruxellae. XXIX. Novembr. M. D. LXI.

1 Hic *Balduinus* vario ingenio & ſubdolo, primum addictus Papiſticae Sectae, deinde Genevam abiit, & *Calvini* & *Bezae* familiaritate uſus, iterum ſe contulit ad pontificios. Principi etiam Arauſionenſi ſe inſinuavit. vide ejus vitam apud *Valer. Andr.* Bibl. Belg. p. 221. *Sammarth* Elog. l. 11. pag. 106. *Melchior Adam* Jct. p. 200. & praecipue *Bayl*: diction. Critic. t. 1. p. 474. multa de eo in *Caſſandri* quoque Epiſtolis mentio, ſed praecipue Ep. XL. XLII. LXVIII. & LXIX. ubi de libellis ejus contra *Bezam* & *Calvinum*. adde & Epiſt: a D. *Heinſio* Editar Centur. 1. 53.

2 Metuo ut hoc nomen bene ſit expreſſum; nec aliud tamen ex ſcriptura elicere potui.

EPISTOLA XXIV.

JOANNES SAXO

Cornelio Gualtero S. D.

Coloniam.

MEminiſti ſine dubio ſaepius in literis noſtris ultro citroque miſſis mentionem vitae divi Willibrordi factam eſſe. Velim itaque, ſi potes, mihi eam ſoluta oratione alicunde conficias. Hoc feceris mihi longe gratiſſimum. Poſtremis tuis literis, ſi recte memini, videbaris mihi ſignificare te audiviſſe eam alicubi extare proſa oratione ſcriptam. Cuperem etiam ſcire, ſi commodum eſt, quo tempore Coloniae ſis futurus, ſi forte quid incideret, de quo tecum per literas commentari vellem. In his regionibus nihil novi accidit, niſi quod duodecim cohortes militum aut circiter, duce *Weisbergo* Wueſtfriſiam hujus ditionis partem, inter oſtia Albis & Viſurgis fluminum, ad mare ſitam, proximo vere diripuerunt, atque omnibus rebus mobilibus ſpoliaverunt exinaniveruntque, contra omnium hujus dioeceſis ordinum voluntatem. Illi Cares, cum audiviſſent duces Brunſvicanos cum exercitu adventare, varias in regiones diffugerunt, vexillis diſcerptis. Hîc deus juſtum judicium exercuit. Nam in illa fuga non gregarii milites, ſed dux ipſe, tribuni centurioneſque iſtius latrocinii autores, poenas dederunt. *Weisbergus* ipſe in manus praefecti arcis Pinnenbergenſis in Holſatia venit. Illic adhuc eſt in cuſtodia. Tribunorum centurionumque alii Hamburgi, alii in oppido Itzeho Holſatiae (Nam illic decreverant militum manu iterum coacta etiam tumultum facere) partim in vinculis ſunt, partim in hoſpitiis adſervantur cuſtodiunturque. Landvogtius hujus dioeceſis, qui illis hujus facinoris autor adjutorque fuerat, in fuga Lunaeburgi compraehenſus, in turri illa nobili, quae Springintguet vocatur, hoſpitium habet. Concionatores hujus capituli & civitatis acriter inter ſe diſceptant pro concione de corpore & ſanguine Chriſti, ſine tamen omni motu aut perturbatione populi. Maxima pars concionatorum totius Saxoniae & ſeptentrionis ſentit cum illa parte, quae aſſerit in coena dominica verum, naturale, eſſentiale corpus & ſanguinem Chriſti ſumi, ſolumque corpus & ſanguinem non eſſe ubique, ſed Chriſtum (qui verus deus & verus homo eſt, & quatenus homo eſt, ex anima rationali & corpore humano glorificato conſtat) ubique eſſe. Eſt enim novum vocabulum *Ubiquitatis* jam inventum, & proditum in vulgus, quod ſoli corpori & ſanguini tribui non poſſe, inter factiones convenit. Ego metuo ne & de iſtis & aliis religionis noſtrae capitibus nimium altercando veritatem amittamus.

De vita Willibrordi memineris, & valebis una cum *Caſſandro* noſtro, in Chriſto feliciter. Brema natali divae Magdalenae, Anno LVII.

Hic eſt *Joannes Saxonius* J.U.D. dictus a *Valerio Andr.* Bibl. Belg. 559. qui fuit Hatſtedius Friſius & Hamburgenſis Eccleſiae decanus, & Bremenſis Canonicus: ut ipſe ſe mox vocat. ejus vitam deſcripſit ejus aequalis & amicus *Suffrid. Petr.* de ſcriptor. Friſiae decad. XII. 2.

EPI-

EPISTOLA XXV.

JOANNES SAXO

Cornelio Walthero S. D.

Coloniam.

DE libello legum Friſicarum ad me miſſo magnam tibi merito gratiam habeo. Quod mihi etiam Bonifacii Archiepiſcopi Moguntini, Liudtgeri Monaſterienſis & Gregorii Ultrajectenſis Epiſcoporum vitas deſcribendas curaſti, quam mihi gratum ſit, verbis aſſequi nequeo. Ubi deſcriptae & cum exemplaribus ſuis collatae fuerint, velim eas *Henrico Magen* Colonienſi, qui mihi tuas literas reddidit, hujus epiſtolae latori, qui hîc mercaturam panni exercet, ad me perferendas committas. Earundem vitarum ſcribae grato animo mercedem ſuam perſolvam, cum quantum poſtulet ſcivero, quod ut mihi indices rogo. Quod ipſe vitas exſcriptas cum ſuis archetypis conferendi & emendandi laborem mea cauſa ſumpturus es, admodum libenter audivi. Ad vitam Willibrordi Ultrajectenſis Epiſcopi exſcribendam, cuperem aliquem juvenem literatum, in monaſterium Epternacenſe Colonia Agrippina meis ſumptibus per te mitti, qui tam eruditus ſit, ut eam & recte deſcribere, & deſcriptam ad exemplar rite conferre, & ſiquid ſcribendo erraverit, ipſe inter relegendum corrigere atque emendare norit. Scis enim ipſe, quam nulli uſui ſint exempla cum ſuis exemplaribus non ſedulo comparata. Si talem hominem nactus fueris, velim mihi ſignifices. Confeſtim enim & viaticum & praemium laboris, quantum indicaveris, illi mittam.

De Colonia & Ambronibus, quod ex me ſcire cupis, breviter ſic habeto. Coloniam oppidum aut locum ad ſeptentrionalem Oceanum Germanicum ſive Balticum unquam fuiſſe, nunquam vel legi vel audivi. Sunt autem mihi plerarunque nobilium urbium antiquarum nomina, ad mare Balticum & in ejus vicinia ſitarum nota: quae cum olim, maxime ethnicis temporibus, admodum floruerint, ante aliquot ſecula aut ad nihilum venerunt, aut in vicorum formam degeneraverunt. In Suedia clara Gotorum urbs Birca interiit, ſed finitimae Upſalae incrementa ſuo interitu dedit. Idem accidit Lethrae in Selandia Danica. Nam inde aucta eſt Roskildia, ſepulchris Danicorum regum & eccleſia cathedrali nobilis. In Gutia meridionali Sleſvicum ad quinquaginta millia civium armare poterat: nunc aegre ducentos armat. Oldenburgum in ejuſdem Baltici maris littore, in Vagria quondam Venedorum ſive Sclavorum provinciola, nunc Holſatiae parte ſitum, epiſcopatu, Barbaroſſa imperatore, Lubecum inde tranſlato, omni priſtino decore amiſſo, a mari etiam ad duo paſſuum millia deſerta, paucis tuguriis vix vetus nomen conſervat. Ea urbs olim tribus nominibus inſignis fuit. Saxonice enim Oldenburgum, Venedice Starigart, idem ſignificante vocabulo, Danice alia ratione Brandeneſia appellabatur. Nam erat in harum trium nationum confinio poſita. In Gotlandia inſula emporium opulentum & populoſum fuit Wisboia. Inde

mercatus ſuperioribus ſeculis, fatis omnia mutantibus, Wiſmariam primo, & cum illa etiam quaſi defloruiſſet, ex ea urbe multo poſt Lubecum traductus eſt. Wisboia nunc vicus eſt maritimus non magni precii, arce tantum conſpiciendus, veterem celebritatem cellis cameratis earumque ferreis valvis utcunque etiamnum oſtendens, & quod lex nautica, ut antiquitus in mari mediterraneo a Rhodo, ſic toto Baltico ſinu adhuc a Wisboia nomen habet, atque ejus nomine a nautis colitur & obſervatur. In Pomerania magnifica urbs Wineta ſic intercidit, ut etiam locus ejus ignoretur. Creditur tamen propinqua Stetino fuiſſe. Julini in eadem provincia maximas quondam opes maximamque civium convenarumque frequentiam fuiſſe ſcriptores noſtrates confirmant. Eſt autem in ripa Suevi fluminis, non procul ab eodem mari poſitum, nunc pauperculi oppiduli ſpeciem habens, & nonnihil contorto vocabulo vulgo Wollin dicitur. Bardevici nomen tibi notum eſſe puto, in terra Lunaeburgenſi ad fluvium Elmenoviam, ad ſecundum a Lunaeburgo, ſed ad ſextum ab Albi lapidem, in quem Elmenovia influit, collocati: quae urbs cum prius, quam ab Henrico Leone Saxonum duce everteretur, potentiſſima fuerit, nunc ſub vici figura vetus tantum collegium canonicorum & octo templa, quae vulgus parochialia nominat, admodum deformia, & aggeres veteres ex parte dirutos adhuc oſtentat. Hujus everſio Lunaeburgo multum profuit. In occidentali ripa Albis, in Cauchis, qui nunc Kedingi appellari putantur, e regione Sturiae fluminis, qui ab oriente ex Holſatia in hunc profluit, & ante & poſt Chriſti redemptoris exortum, Dorſtadium oppidum & mercimoniis & hominum multitudine & divitiis excelluiſſe, memoriae proditum eſt: quo inundationibus deleto, ex illius ruderibus hoc Stadium ad Quingam fluvium, duo paſſuum millia longe ab Albi exaedificatum exiſtimatur. Sed ne inſtituti obliviſcar, inter tam multarum veterum urbium vel nomina, vel cadavera, vel reliquias, nullus annalium, harum praeſertim regionum, ſcriptor, quod ego ſciam, Coloniae, quae his in locis fuerit, meminit aut mentionem facit. Urbs tamen illa, in qua princeps elector Brandenburgenſis habitat, cum Sprea flumine (quod Chriſtianus Pirkheimerus Nurembergenſis in Germania ſua Suevum olim vocatum fuiſſe, perperam ſcribit.) in duas partes dividatur, quae pars urbis orientalem ripam attingit, Berlinum dicitur, quae vero occidentalem tenet, in qua ejus Electoris arx ac ſedes eſt, Colonia nominatur, omnibuſque principis Electoris nomine illinc dandis literis locus ſic adſcribitur, Datum *Zu Collen ann der Spre.* Sed hoc oppidum ad LXXX. millia paſſuum & eo amplius a mari Baltico diſtat, propterea fortaſſe minus ad hiſtoriam ſive fabulam Urſulanarum virginum pertinet. Novi etiam vicum in Turingia, cui nomen eſt Cucolonia, id eſt vaccarum Colonia. Is multo minus noſtro propoſito ſervire videtur.

Ambrones, ut ſcis, Gallica gens, Cimbrorum & Teutonorum ſocia, ad Aquas Sextias una cum Teutonis a C. Mario ad internecionem caeſi fuerunt. Ejus gentis ſi ullae reliquiae fuerunt, illas in Gallia haeſiſſe crediderim. Hic in vicinia pars Friſiae Amberlandia, ejuſque populus Ambri vocantur, quorum

ca-

caput eſt Oldenburgum ad Huntam flumen, ubi nobilis ille & potens Oldenburgenſis & Delmenhorſtenſis Comes domicilium habet. Utrum hi Ambri priſcis Ambronibus cognati ſint nec ne, nihil pro certo alterutram in partem affirmare auſim: neque quidquam de Ambronibus mihi praeterea conſtat.

Fui verboſior quam putaveram, tecum per literas philoſophandi garriendique quadam voluptate ductus. Ignoſce igitur, aut ſi libet & vacat, prolixiore epiſtola quibuſvis de rebus ſcripta, par pari referto. Sincfala Flandriae maritimus locus, qui olim Friſiae terminus meridiem occidentemque verſus fuit, quo etiam naves e Norvegia & Gutia appellere quondam conſueverunt, a noſtratibus chronographis interdum nominatur. Siquid de ejus ſitu & forma compertum habes, id mecum ut communices peto. Habeo vetus chronicon Hamburgenſe, in quo haec ſequentia ad verbum habentur. *De Ripa in Flandriam ad Cincfal veliſicari poteſt duobus diebus & totidem noctibus. De Cincfal ad Prol in Angliam duobus diebus & una nocte. Illud eſt ultimum caput Angliae verſus auſtrum, & eſt proceſſus illuc de Ripa anguloſus inter auſtrum & occidentem. De Prol in Britanniam ad S. Mathiam uno die.* Haec ille. Caeterum Ripa urbs eſt Gutiae ſive Gutlandiae, id eſt Cimbricae Cherſoneſi in littore occidentali ſatis lauta, epiſcopatu Ripenſi celebris. Terra, in qua Ripa ſita eſt, Nortgutlandia appellatur. De Sincfala ergo, rogo ut mihi indices ſiquid reſciviſti.

Vehementer mihi gaudeo, quod tecum & cum eximia doctrina viro, Domino *Caſſandro* noſtro, ſuperiore anno noticiam amiciciamque contrahere contigerit. Neque mihi in illa peregrinatione Friſica quidquam laetius accidit, quam quod in vos viros eruditos, honeſtos & comes bona quadam fortuna incidi. Eam amiciciam cupio inter nos eſſe perpetuam, ſumque & tibi & illi ad gratificandum paratiſſimus. Vale, & ſaluta eundem meis verbis diligenter. Datum Brema IX. Calend. Febr. anno LVI.

Joannes Saxo Hatſtedius Eccleſiae Hamburgenſis decanus, Eccleſiae metropolitanae Bremenſis Canonicus, I. V. doctor.

EPISTOLA XXVI.

JOHANNES MOLINAEUS

Georgio Caſſandro S. P.

Duisburgum.

PErpetuo mihi viſum eſt, Caſſander Doctiſſime, meae decretorum profeſſioni, nihil aeque neceſſarium eſſe, ac eccleſiaſticae cognitionem antiquitatis; qua quidem in re cum compertiſſimum habeam omnia tibi perveſtigata eſſe & cognita, dici non poteſt, ex quo Regia Majeſtas nos hanc Spartam Lovanii excolere voluit, quantopere conſuetudinis tuae fructum deſideraverim, quam utinam ſtipendii mei ſemiſſe liceat redimere. Caeterum quando longioribus dividimur ſpatiis, quod proximum eſt, precor ne grave ſit, epi-

ſtola te vel authorum nomina, quibus quicquid huc pertinet pertractatum eſt, percenſere. Liturgicis tuis ingenue profiteor nonnihil me adiutum. Tamen id velim perſuadeas tibi, a ſtudioſis nullam te initae ſponſionis acceptilationem conſecuturum, ni fontes ipſos, unde omnia deprompta ſunt, detexeris. Liturgias ipſas, te ſic jubente, jamdudum expectamus. Quo quidem in opere ut auctius prodeat, Jacobi apoſtoli, fratris dicti domini, Miſſam Graecam lubens ſuppeditabimus. Reor equidem hactenus tibi eam minime viſam eſſe, quamvis ſit omnium reliquarum vetuſtiſſima, & prope parens: cujuſque teſtimonio uſi conſpiciuntur patres Canon. 32. Synodi Conſtantinopolitanae in Trullo, quae oecumenicarum ordine ſexta exſtitit. Quod ſi quis te Genius huc aliquando (quod imprimis opto) pertraxerit, exhibebo tibi Iſodorum, Burchardum, & Ivonem Carnotenſem vetuſtos canonum concinnatores, quorum nullus adhuc typos ſenſit. Nam quae Burchardi Ivoniſque nomine circumferuntur paſſim decreta, nihil ſunt, quam horum compendia, ab ignotis ut plurimum authoribus digeſta. Habemus & Graecorum canones plures omnino, quam ſint Lutetiae impreſſi: quamvis multos etiamnum deſideremus. Confidimus tamen propediem nos habituros omnes: & una cum iis etiam epiſtolas canonicas patrum Graecorum, quod eſt volumen alterum. Multa ſunt praeterea, quae inſtaurandae praelectionis noſtrae ergo undique conquiſivimus. Ordinem Romanum interim, cujus penes te eſſe arbitror tria exemplaria, nuſquam potui reperire. Si liber eſt molis non omnino magnae, velim meo aere hunc codicem deſcriptum habere. Si quid erit praeterea, quod ad inſtitutum noſtrum judicabis pertinere, quaeſo, ne graveris indicare. *Vale.* Lovanio Calendis Julii 1559.

Salutabis meo nomine D. *Cornelium*, *Othonem* etiam cum conjuge, & ſi qui erunt alii amici nominatim.

Joannis Molinaei, ſive *vander Meulene*, Gandenſis vita eſt apud *Valer. Andr.* Bibl. Belgic. pag. 541. & *Sweert.* Athen. Belg. Decretorum Regius Profeſſor factus A. 1557. ordinarie & continue legens. *Valer. Andr.* Faſt. Academ. pag. 156. & 195. de eo ſcribit Viglius Zwich. Epiſt. XXV. *priſtino deſtitutum favore rediiſſe Lovanium, ſed perſuaderi ipſi non poſſe, ut Gratiani decreta praelegat, ſed ſua dictamina loco eorum ſurrogare.* Reſpondet ad hanc epiſtolam *Caſſander* Epiſt. XIV.

EPISTOLA XXVII.

JOHANNES MOLINAEUS

Georgio Caſſandro S. P.

Coloniam.

LIterae tuae, Caſſander eruditiſſime, quibus nihil omnium mihi potuit aut jucundius aut ſuavius accidere, redditae ſunt mihi ad iter, quod Gandavum ſuſcipiendum verſus erat, accincto. Itaque diffidebam poſſe me meas eidem tabellario tradere. Caeterum quum is commodum heri ſub multam reverſo noctem hodie ſeſe offerat, nolui prorſus vacuum remittere. De cenſura operae tuae in hymnorum libello nihil nunc attingam, quod otium non fuerit cri-

criticorum ſententiam, quidve eos moverit ad damnationem, exquirere, quamvis id me facturum per oportunitatem lubens recipiam. Plane ut retractetur judicium, quod magnopere a me contendis, ne ſpes quidem eſt ulla. Illud interim dolorem lenire poterit, quod in catalogum librorum lectionis improbatae nedum ea referuntur, quae haereſim quampiam aut ſtatuunt, aut redolent, ſed quaecunque aetati noſtrae parum videntur congruere. Velim profecto te hymnos ipſos edidiſſe ſuppreſſis ſcholiis, quae labore nos tuo frui haudquaquam ſinunt. Eſt Gandavi [1] *Franciſcus Goetbals*, *Othoni* fortaſſe quam tibi notior, nobis certe notiſſimus, qui editionem ſecundam meditatur. Ac ut eſt in iis carminum generibus, quibus conſcripti ſunt hymni, verſatiſſimus, multa caſtigavit, verſusque, ubi minime conſtaret numerorum ratio & quantitas, quorum ingens eſt, ut ait, multitudo, conatus eſt reſtituere, ſemper retento ſenſu priſtino, quinetiam ipſis verbis: nam tranſpoſitione vocum frequenter vitium ſuſtulit. Miſſam Beati Jacobi dedi ſtudioſo cuidam deſcribendam propediem ad te miſſurus. Nunc in Ivonis Carnotenſis decreto caſtigando laboramus. Sed parum foelici ſucceſſu, quod unicum exemplar dumtaxat ad manum ſit, idque non admodum correctum. Quod ſi ejus plura noſti exemplaria, velim id te perſcribere. Tuo nomine Salutem dixi [2] *Tiletano*, *Auguſtino Hunnaeo* eam debeo, quod interea non ſit viſus. Ille videtur, quantum prima fronte conjeci, non omnino integram de te opinionem habere. forte quod patriam nunquam repetas, quodque eas praeferas ditiones, in quibus quidvis ſentiendi opinandique libertas eſt major. Satius eſt tamen multo Coloniae te morari, quam Duysburgi, qui locus peſſime iſtic audit, propediemque futurum eſt, ut inde omnes revocentur, in renitentes gravibus conſtitutis poenis. Itaque gaudeo nullam nomini tuo ea occaſione notam inurendam. Ad fontes Leodienſes viſere te conſtitueram, ſed honor doctoratus propediem ſuſcipiendus in cauſa erit, quur minus adeſſe dabitur. Vale, Caſſander eruditiſſime, Lovanii: Raptiſſime undecimo die Auguſti. Memineris Coriolani Plutarchi.

Rex noſter claſſe in Hiſpaniam contendens Flandriae noſtrae & Arteſiae Egmundanum Comitem, Hollandiae & Zelandiae Principem Auriſiacum, mari Comitem de Hornes praefecit.

1 Vide infr. Ep. XXX.
2 Vide de his mox ad Epiſt. XXIX.

EPISTOLA XXVIII.

JOHANNES MOLINAEUS

[1] *Georgio Caſſandro* S. P.

Coloniam.

EN tibi Beati Jacobi Miſſam, Doctiſſime Caſſander, quae a ſtudioſo quodam tranſcripta eſt interea, quod Gandavi apud Regem Philippum commoramur. De miſſali Hiſpano memini me tum audiſſe, tum legiſſe etiam ante,

1 Reſponſio ad Caſſandri XIV. qui reſpondet Ep. XV.

te, quamvis hactenus mihi minime viso. Quidam Hispanus Dominicanus fidem nobis fecit sese curaturum, ut ejus exemplum brevi habeamus, qui si fefellerit, constitui Regium Confessarium ea de re literis interpellare, quicum mihi necessitudo est haud vulgaris. Caeteroqui si quid erit, quod ad institutum tuum promovendum pertinebit, tuus labor fuerit mandare, jubere, imperare, noster ilico curare jussaque capescere. Audio te valetudinis ergo ad fontes Leodinos commorari, quo eram omnino tui videndi cupidissimus accessurus, ni occupationum immensa moles, quam impendens [2] Doctoratus honor nobis peperit, necessario vel invitum ac renitentem retineret. Neque tamen ob id omni excidi spe, posse me te coram frui, cui haud erit molestum oportunitate oblata Coloniae te invenire. Porro de libello tuo hymnorum, quem doles in catalogum improbatae librorum lectionis insertum, etsi quidnam mihi videretur, scripserim alias; tamen ut intelligas, quantopere existimationi studeamus tuae; recipio me propediem missurum ea, quibus adducti sunt Critici nostri, ut ita decernerent. Quae si aut mutare voles aut confutare poteris, dabimus operam, ut studiosorum manibus teri possit. D. *Cornelio* ex me salutem dicito. Is ante triennium, ni fallor, abstulit commodato aliquot libros e bibliotheca Martinensium, & in his Eusebii chronicon manu scriptum. hos cupiunt, quorum ea res est, sibi restitui. Vale Lovanii 5. Septembris 1559.

2 Antea enim Licentiatus tantum fuerat: Doctor creatus v. Non. Octob. 1559. v. *Valer. Andr.* Fast. p. 195.

EPISTOLA XXIX.

JOHANNES MOLINAEUS

[1] *Georgio Cassandro* S. P.

Coloniam.

Missam Beati Jacobi graecam, quamvis non omnino emendatam, uti scribis, perlatam esse gaudeo. Tres sunt anni, cum Reverendissimus Atrebatensis codicis sui nobis potestatem faceret: tum dedi eam describendam adolescenti satis quidem erudito: sed in impressis quam manu scriptis libris versatiori. Atque hinc factum forte, ut meum exemplum, quod secutus est notarius tuus, sit minus castigatum. Is valde cupiebat nos conferre utramque scripturam, priusquam transmitteretur; quam ego operam non sponte mea, sed variis negotiis id temporis fatigatus recusavi. Crediderim tamen errores esse ejusmodi, ut facile etiam citra alterius exempli praesidium ex ipsa sententia possint restitui. Ut vero Missale Hispanum, quod *Mosarabes* vocant, aliquando nanciscamur nihil habeo spei firmioris. quod edicto Regio omnes ejus gentis, quotquot hic erant studiosi, vix uno alterove retento in Hispaniam sint revocati. Unus certe decedens promisit se curaturum, ut aliquando videamus: sed vereor ut fidem servet, quem sponsionis suae itidem submonere va-

1 Responsio ad Cassandri Ep. xv. qui respondet Ep. xvi.

vaſtiſſima terrarum mariumque intervalla non ſinunt. Dabo tamen operam diligentem, ut ne hac quidem in re voto tuo frauderis perpetuo. Expecto jam abs te viciſſim libellum ordinis Romani, quem velim te mandare alicui tranſcribendum, & quidem meo aere ac ſumptu. Ivonis Carnotenſis decretum in partes ſeptem ac decem digeſtum habemus quidem, ſed ita mutilum & mendoſum, ut de editione in publicum ne cogitare quidem poſſimus, ni acceſſerit aliorum codicum copia. Proinde feceris nobis rem longe gratiſſimam, ſi eum codicem, quem ais eſſe quam caſtigatiſſimum, utendum ad nos miſeris, quem paulo poſt optima ſumus fide reſtituturi. Quem nos nacti ſumus, is regius eſt, a *Maria* Angliae regina olim non ſine multis impetratus precibus; qui primum datus eſt cuidam monacho inſpiciendus. Is neſcio quo conſilio quem oportuit Gratiani decretum ex Ivone emendare, maluit ex Gratiano Ivonem pervertere. [2] *Tiletano* placuit, quod ea, quae offenderunt in ſcholiolis ad hymnos tuis, mutare non recuſes. itaque dedi operam, ut cenſuram videas. ſed quia ea impetrari debet a pluribus, haud ſcio an hoc tabellario expedita parataque futura ſit. Juſſit te praeterea ſuo nomine ſalvere. unde conjicere lubet aequiorem tibi eſſe, quam hactenus. Praeſes *Viglius* Aquiſgrano reverſus in menſa veſtrum officium commemorabat. Adjeci quantopere noſtram profeſſionem tu una cum M. *Cornelio* juvares. quod ſciebam ſuae Celſitudini comprimis fore gratum. Aderant tum, qui non omnino optime volunt tibi, conticuerunt tamen omnes intentique ora tenebant. ut ſcias non tam infenſos ac iratos eſſe, quam vulgus putat. Vale, Doctiſſime Caſſander, & noſtram ſpartam exornare perge. Sed heus, quod prope exciderat mihi, M. [3] *Auguſtinus Hunnaeus* Theologus nedum te reſalutat, verumetiam obnixe rogat, ut quinque illa capita, quibus revinci poſſe & ad religionem ſaniorem pertrahi exiſtimas, in epiſtola nuncupatoria ad Vigilium martyrem, nedum haereticos omnes, verumetiam infideles & paganos, non graveris communicare. Iterum Vale. Lovanio 27. Octobris. 1559. Cenſuram curabo ut habeas primo tabellario.

2 Credo eſſe *Jodocum Raveſtenium Tiletanum*, hoc tempore Profeſſorem Lovanii, & acerrimum haereticorum vexatorem. vid. *Valer. Andr.* Bibl. pag. 594. & Faſt. p. 110. & *Marchant.* deſcript. Flandr. lib. 1. pag. 82.

3 *Aug. Hunnaei*, vulgo *Huens*, vita eſt apud *Valer. Andr.* Bib. Belg. pag. 95. & in Faſtis pag. 116. in *Joannis Heſſelii* locum ſucceſſit commendatione noſtri *Molinaei*, cum Lovanienſes Theologi alium ſurrogari petiiſſent: ut ſcribit *Hoppero Viglius* Epiſt. XXXIV. in Epiſtola Caſſandri XXIX. vitio librariorum credo legi, *Auguſtinum Harpaeum*, pro *Hunnaeo*.

EPISTOLA XXX.

JOHANNES MOLINAEUS

[1] *Georgio Caſſandro* S. P.

Coloniam.

PEtrus Colonienſis tabellarius, cui Ivonem ad me perferendum credideras, Doctiſſime Caſſander; fideliter eum tradidit, paucis poſt diebus quam

1 Reſpondet ad hanc Caſſander Ep. XIX.

provinciam ſuſcepiſſet. Quod autem id ſerius tibi ſignificem, eſt quod ipſum culpes, non me, quod interea ad me nunquam reverterit. Contuli itaque tuum cum codice regio, dedique amanuenſibus tranſcribendum. Qua in collatione ut deprehendi exemplum tuum noſtro eſſe cum vetuſtius, tum emendatius; ita non omnino mendis eſſe vacuum, codicum comparatio commonſtravit. potuiſſemque univerſum ad amuſſim meam caſtigare, ni id in alieno & praecario accepto libro audere viſum fuiſſet hominis eſſe nimium familiaris, vel potius temerarii & improbioris. Perlatus eſt nuper & ordo Romanus, cujus uti hactenus videndi, inſpiciendique deſiderio langui; ſic nunc in intelligendo laboro, tuamque potiſſimum operam poſtulo, cujus fruendi non minimam ſane ſpem audita nuper morte Cl. V. [2] *Joannis Walteri* conceperam, ſed qua nunc prorſus excidi, quod intelligam ſine te D. *Cornelium* adveniſſe. Ego, vero etſi nihil habeo, quod pro tuis tot tantiſque in me beneficiis rependam, tamen iis non expleor, quin plura ſemper aveo abs te accipere. Cenſuram certe mihi nuper non ſine fatigatione oſtenſam, tibique valde deſideratam paucis accipe, ſed ſententiam, non verba, quae prolixiora erant, quam ut luberet deſcribere.

Principio offendit in epiſtola nuncupatoria ſeu praeliminari (ni fallor) quod [3] *inſignes* a te libri appellantur. qui quatuor adverſus Synodum ordine ſeptimam, quae fuit Nicena ſecunda, olim conſcripti ſunt. Profecto id encomii genus parum videtur abeſſe ab haereſi, ſi modo non media eſt dictio, quaeque natura ſui tam bonis, quam malis, tam vitiis, quam virtutibus jungitur. Nam ex aequo dicitur *inſignis latro*, *inſignis nebulo*. ut doctor ut martyr & ſimilia. Neque ſum neſcius hoc verbo eruditionem notari poſſe: non etiam pietatem. Verum enimvero ut ut ſit, conſultius eſt, praeſertim noſtra tempeſtate, ut omnis calumniandi criminandive anſa praeripiatur, ab ejuſmodi ambiguis loquendi formulis temperare.

Proximum eſt quod [4] aſſeris in ſolenni & publica euchariſtiae adminiſtratione confirmationem ſanguinis ſtatim & ſemper communicationem corporis ſequi conſueviſſe. Ubi ſi pro *confirmatione*, *conſecratio* legi debet, adſtipulor tibi, ſin *confirmationem* vocas complementum communionis, tum idem judicium eſto, quod de ſequentibus. Ais enim plenam communionem habitam non fuiſſe ſine communicatione ſanguinis. Expreſſior eſt, fateor, & ἐμφατικωτέρη repreſentatio paſſionis Chriſti ſub utraque ſpecie, quam ſub altera; tamen nihil amplius, aut majus, ſub utraque ſumitur ſpecie panis & vini, quam ſub altera aut panis aut vini; quin in quavis euchariſtiae particula totus eſt Chriſtus, *cujus gratia*, ut ait pulchre Auguſtinus, *non conſumitur morſibus*. Id quod in manna, hujus myſterii figura, manifeſtiſſimum fuit, de quo neque qui plus collegerat habuit amplius, neque qui minus paraverat invenit minus. Sic aeque ſanabat contactus fimbriae Chriſti ſervatoris ac admotio manus: & aeque manus, ac totius admotio corporis. Proinde haec digladiatio de ſpecie altera vel utraque mi-

2 *Cornelii Gualteri* vel *Walteri* fratris.
3 Pag. 155. ubi libros illos, Caroli Magni titulo, de imaginibus, hoc elogio ornat.
4 Pag. 218. in Scholiis ad Hymnos.

Digitized by Google

mihi prope de lana caprina esse subinde visa est. Neque tamen ob id censeo laicis iterum calicis usum esse concedendum, uti olim scimus liberum fuisse. quin justius adversarios culpo; qui ob rem tantillam, nescio quas non turbas concitant, & ad defectionem provocant. Quippe perpetuo aliquis fuit usus eucharistiae sub altera specie, licet rarior: id quod ex eo solo consuevi adstruere, quod olim Christianis, longum iter per paganos aut haereticos forte ingressuris, mos fuit secum conferre hostiam consecratam, quam ingruente mortis discrimine, ne sine sacro viatico decederent, perciperent. in quibus Cypriani martyris aetate commemoratur aliquis, qui proficiscens orario suo eam incluserat. Hoc utique non est verosimile, ne credibile quidem, sub vini similitudine sanguinem dominicum asportasse. Minus etiam antiqui judicarunt, quod itidem affirmas, communicationem corporis & sanguinis necessario esse conjungenda. Quamvis non eam inficias, creberrimam fuisse ejuscemodi communionem, & aliquo fortasse tempore extra casum praedictum, profectionem scilicet, vel similem, (valetudinem, inquam, aetatem, sexum, aut naturae singularem qualitatem, hoc est corporis *ἰδιότητα*.) perpetuam, & ita longa consuetudine corfirmatam, ut prope pro lege haberetur, absolute tamen necessariam fuisse nunquam admiserim, quamvis Gelasius, canon concilii Turonensis, Julius primus, Pascasius, Algerus, Micrologus (ut nihil dissimulem) urgeant. Verum quod Christus mandaverit, ut omnes sumant sub binis speciebus, id nullo pacto mihi probaveris. Sic tradidit, fateor. Sic & post coenam dedit, non etiam tum porrigi praecepit. alioquin absit, ut Ecclesia id fuerit unquam adversus Christi praeceptum mutatura, sanciendo *ut jejuni & impransi mysteria accipiant*, ut eleganter ad Januarium docet Augustinus. Caeterum ex Micrologo, quod citas de intingenda eucharistia cap. 19. uti fidem agnosco bonam, ita reprehensio authoris in promptu est, qui eo loco est *Berno* Abbas Augiensis, uti a doctioribus accepi: impingit enim manifestum mendacium ordini Romano, uti nobis apparet. Die parasceues servatur mos inter Latinos offerendi *τὰ προηγιασμένα*: pridie videlicet vel die dominica, uti apud Graecos, consecrata. Neque vinum tum fit immissione corporis sanguis Christi. Sed vinum manet: ut toto coelo aberret *Berno*, vel quisquis illius capitis sub principium est author. Jam vero mos communicandi sub altera specie non temere increbuit. id quod varii canones de sanguine effuso neglectiusque habito coarguunt. Quibus accessit & hoc, quod pleraeque mundi plagae & praesertim septentrio prope totus, vini neutiquam ob nimiam frigiditatem feraces sunt. Adeoque verosimile mihi fit, tunc hunc morem invaluisse primum, cum innumerae gentes in hoc terrarum spacio Christianam religionem receperunt. Tunc certe crediderim reliquos occidentis populos, partim ut pericula vitarent, partim & maxime ut sese in sacramento pacis reliquis, quibus vini usus erat incognitus & vix parabilis, pretio conformarent. ne quid neophyti quererentur sibi minus esse, quam aliis. neve ejusmodi disparitas unius duarumve specierum alicui tumultuandi in republica Christiana ansam praeberet. Quapropter qui consuetudinem tot jam seculis intermissam

& obliteratam revocare nituntur, non tam ſtudent paci Eccleſiae, quam motibus & ſeditionibus in ea excitandis. Adeo conſultiſſimum eſt ab iis authoritatibus citandis abſtinere: ſin minus; ut ſaltem non ſine praeſenti nota producantur. Duo ſunt, quae ſuperſunt. [5] Illud *omnes ſancti orate pro me*, ſic explicas, quaſi nudum deſiderium ſignificetur, non autem oratio, ſive intimatio deſiderii ad aliquam perſonam ſecundam, quam alloquaris. Non ſic Latini, non Graeci patres. Non Eccleſia Romana, non denique hymni illi tui, tuos jam dico, quos concinnaſti. Extremum eſt quod tradis bona opera non eſſe cauſam vitae aeternae ſed ſignum, occaſionem & viam, & quod haec locutio, [6] *propter merita datur vita aeterna*, ſignificet conſecutionem, & non cauſam. ſi ita eſt, ſi verum dicis, quorſum igitur Paulus, *bonum certamen certavi, curſum conſummavi, de caetero repoſita eſt mihi corona juſtitiae*? vel quid, *fide credimus Deum unicuique redditurum ſecundum opera ſua*? Haec ſi dignaberis mutare, omittere vel mitigare, & moderari, quod ut facias obſecro, tum demum licebit tuis frui lucubrationibus, & nobis tui ſtudioſiſſimis te acrius ab aemulorum ſycophantarumque morſibus tueri. Illud ſane nolui omittere, quin tibi ſignificarem, quendam familiarem meum Gandavi [7] *Franciſcum Goethalſium*, virum doctum, emendaſſe in hymnis rationem metri quoties peccatum animadvertit, cujus laborem cum ſcirem tibi non ingratum fore, non me piguit hac de re ad eum literas dare. Illud quoque intelligo Luteciae ſub praelo eſſe theſaurum miſſarum. Vale, Caſſander doctiſſime, & me tuis officiis ornare perge. Reſalutant te M. N. *Tiletanus* & *Auguſtinus Hunnaeus*. Lovanio 18. Martii 1561.

5 Pag. 242.
6 Pag. 262.
7 Hujus vita eſt apud *Valer. Andr.* Bibl. Belg. pag. 230. & *Sander.* de claris Brugenſib. p. 28. Jctus fuit & Poëta: in hunc puto eſſe feſteviſſimum & aculeatum illum jambum *Jani Douzae* lib. III. Epigr. pag. 65. unde apparet illum criminatum eſſe *Douzam* & roſiſſe ejus ſcripta. Uxorem ipſius Monachis & ſacerdotibus uſurariam lepide ibi exagitat.

EPISTOLA XXXI.

JOHANNES MOLINAEUS

[1] *Georgio Caſſandro* S. P.

Antverpiam.

PLuribus ad me tuis epiſtolis, Doctiſſime Caſſander, quod hactenus nihil reſponderim, neque per occupationes, neque per aliquam culpam meam accidit. Prolixiorem illam, qua rationem adferebas, ad omnia illa, quae in ſcholiis ad hymnos tuis theologorum cenſura notarat, principio M. *Auguſtino Hunnaeo* tradideram. deinde M. N. [2] *Lovanio*. & tandem etiam *Tiletano* noſtro. cae-

1 Reſponſio ad Caſſandri Epiſt. XIX. XXIII. XXV. & XXIX.
2 Intelligit *Joannem Heſſelium* Lovanienſem, de quo vid. *Valer. Andr.* Biblioth. Belgic p. 515. & cujus mentio apud Viglium Zwich Epiſt. XXV. ad Hopperum & XXIV ubi male *Haſſelius* dicitur, qui diverſus fuit. vid. *Simon:* Bibl Critiq. t. 1. cap. 7. Epiſtola *Caſſandri* ad *Heſſelium* eſt inter ſelectas edita a D. *Heinſio* Cent. 1. 50.

Digitized by Google

caeteroqui illius ordinis eam vidit nemo. Equidem iis, quos duriores paulo intellexi esse tibi, nihil unquam communicavi. Aequioribus porro, aut, ut verbo utar tuo, minus morosis ne tu quidem invidebas, quin legerent. Visusque mihi sum omnino quam diligentissime observasse quicquid super hac re praescripseras. Plane ab *Hunnaeo* & *Lovanio* nullam censuram elicui. Sed ne a *Tiletano* quidem quicquam adnotatum est, nisi quod ad Synodum Francofordianam adscripsit haec verba. *haec mera calumnia est: nam definitio Synodi Nicenae longe alia est, ut facile patet eam perlegenti.* & paulo post ad Gregorii Romani Pontificis sententiam haec subjicit, *manifestum est Gregorium loqui de adoratione, quae propria est deo, non autem de veneratione*: caeteroqui nulla est nota. Et sane, ut ingenue eloquar quod sentio, universa epistola mihi videbatur tantopere & authoritate & ratione munita, ut mordendi nullus relictus foret locus. quae etiam consideratio me impulit, ut etiam antesignano omnium Lovaniensi exhibere non formidaverim. Verum admodum diu apud *Tiletanum* delituit. neque licuit recuperare, quam demum his quindecim diebus proximis: quae causa fuit cur minus potuerim ad ea, quae petebas, respondere. Illud compertissimum esse velim tibi, quanquam fortasse nunquam deerunt, qui calumniabuntur & suggillabunt; tamen omnibus prope studiosis gratissimum esse laborem tuum, quem in divulgandis corrigendisve libris ecclesiasticis impendis, ut nullo te pacto debeat ab instituto tam sancto tamque utili paucorum praejudicium revocare. Mihi sane proposito ordine Romano magis acuisti famem harum rerum, quam expleveris. Neque satiabor, nisi etiam reliqua opuscula, quorum meministi, edideris. quod ut quam ocyssime facias te etiam atque etiam quanto possum opere rogo ac obtestor. Quod ad Ivonem pertinet, scito pene ad finem esse perductum. ubi fuerit absolutus quamprimum istuc remittetur una cum binis exemplis impressis, quorum unum tibi servabis, alterum ad monasterium, unde nactus eras, transmittere curabis. Prior Martinensium ante pentecosten Coloniae fuit, cui de te percunctanti, dictum est in Flandriam profectum esse. Inde spes nobis accessit videndi tui, & coram de communibus studiis tractandi, qua re nihil mihi accidere potuit gratius, nihil antiquius. Quod si etiamnum integrum est huc excurrere, nolo te alio uti hospitio, quam nostro. Aedes habitamus exiguas quidem, at a tumultu populari semotas & supra modum, praesertim hac anni tempestate, amoenas atque jucundas. itaque hortor ac moneo, ut, si sine incommodo magno poteris, te aliquantulum una cum amicis aliquot familiarioribus istic reficias. Adest nunc & *Ximenius*, qui te Duysburgi commorari apud parentem tuum nunciarat. Hujus negocia jam omnia cum Theologorum collegio expedita confectaque sunt. quod cum scirem voluptatem tibi allaturum, nolui silentio praeterire. D. *Hopperum* si constituisti visere, Bruxellam petas oportet, ubi in Senatum privatum, ut vocant, nuper lectus agit. Cujus collega *Zenbelius* de te semper interrogat diligentissime, vir cumprimis candidus tuique, quod certo scio, amantissimus. Si quid impedimento erit ut non venias, obsecro me certiorem fieri, quo nunc te recipias. an Coloniam an Duysburgum. Ut si qua me occa-

ſio in has regiones rapiat, te ſaltem ex itinere & obiter ſalutem. Vale, praeceptor eruditiſſime, Lovanio Vigilia Joannis 1561. Quaeſo meo ut nomine quam officioſiſſime ſalutem nuntiés Clariſſimo Viro D. *Cornelio* & *Birckmanno* typographo, & ſi qui praeterea ſunt alii noti.

EPISTOLA XXXII.

JOHANNES MOLINAEUS

Georgio Caſſandro S. P.

Gandavum.

EN tandem exemplum Decreti Ivonis Carnotenſis, quod munuſculum etſi me minime fugit levidenſe eſſe, ac vulgare: cupio tamen ut ſit, qualequale teſtimonium, & veluti pignus obſervantiae veteris erga te meae. Porro quod ad membranaceum codicem (quo in caſtigando plurimum uſi ſumus) pertinet, *Gravius* typographus in ſe recepit una cum exemplo impreſſo, Coloniam ad *Birckmannum* mittere. quod volui indicatum tibi, ne hanc in cauſam fortaſſe quid te ſolicitet. Illud ſane mihi ſignifices velim, an & quando, nos viſere conſtitueris. jamdudum enim exſpectaris a multis, quibus gratiſſima eſt omnis ea opera, quam in eruenda Eccleſiae antiquitate impendis. hortanturque te quod poſſunt, ut in hoc tuo inſtituto perpetuo pergas uti coepiſti. Vale, raptim Lovanio 7. Auguſti anno. 1561.

EPISTOLA XXXIII.

VIGLIUS ZUICHEMUS

Joachimo Hoppero S. P.

MItto per D. *Franciſcum*, mi Hoppere, *Elberti* reſponſum ſuper controverſia Baroniana; quod mihi certe bene doctum & exactum videtur: expectabam autem ut duntaxat tuo adjiceret, quae ad pleniorem juris adſtructionem facerent, verum quod amplius opinione noſtra praeſtitit, id non niſi grato hilarique animo recipiendum eſt: velim autem ut D. V. ſecum diſpiciat; ſatiuſne videatur in unum utrumque contrahere, an unumquodque per ſe relinquere: plus autem forte auctoritatis ſingulis erit, ſi ſeparata relinquantur, nec offendi pluralitate judices poterunt, poſtquam utrumque ſatis breve ac ſuccinctum eſt. Opus porro erit ut D. V. diſpiciat de aliquo, qui in eis deſcribendis operam nobis navet, & poſtquam *Vulcanius*, uti mihi nuper coram retulit, factus eſt Reverendi Domini Baronis penſionarius, atque filium habet, qui hanc operam praeſtare queat, haud abs re mihi videtur, ut antequam D. V. huc commigret, hac de re coram ibi provideat. Non improbo ut D. V. Reverendiſſimo ac Illuſtriſſimo Domino Cardinali epiſtolio aliquo de nova dignitate congratuletur, ſeque mox ſubſecuturum ſignificet, quo illum reſponden-

di

di labore hoc tempore ſublevet, quo undique ad eum ejus generis literae adferuntur. Ego autem ad diem Sabbati aut Dominicam proximam D. V. expecto. Omnino vero convenit ut D. V. aliquot diebus hic adſit, antequam uxorem ac familiam huc traducat. Erunt enim in novis aedibus multa reparanda, & illa cum tempore commodius ſequetur. Interea vero ego veſtra conſuetudine ſuaviter perfruar, & erit quoque D. V. ab curis familiaribus ſpiniſque domeſticis ſoluta, ad novam functionem aggrediundam alacrior. Bene Vale. Bruxellae 7. Apr. 1561.

Haec epiſtola inter Viglii editas quia non exſtat edenda fuit, ex qua conſtat *Bon. Vulcanium* jam in primis annis maximis his viris fuiſſe notum, & amatum.

EPISTOLA XXXIV.

CORNELIUS VALERIUS

Joachimo Hoppero S. P.

CUm nudius tertius in templum cum noſtro *Cauchio* veniſſem, forte incidi in *Simonem* tuum cognatum, ex quo cognovi te jam in Collegium Conſiliariorum arcani regii ſenatus eſſe cooptatum, & a principibus viris inauguratum, quam ego dignitatem & tibi, quem ſummis honoribus omnes, qui te modo vel nomine tantum norunt, decoratum cupiunt, & Reip., cujus eſt in hominum prudentium atque doctorum induſtria, poſita ſalus. Oro Deum Opt. Max. ut ea res tibi fauſte atque feliciter eveniat, & idem perpetuo te proſequatur favor, quem omnibus in locis ubicunque verſatus es, hucuſque reliquiſti, idemque bonorum erga te ſtudium atque benevolentia nunquam decreſcat. Videre mihi videor id, quod jam nunc multorum votis expetitur futurum, ut, ſi quid humanitus optimo ac doctiſſimo prudentiſſimoque viro D. Praeſidi *Viglio* acciderit (cui neſcio quo pacto non male etiam valenti interdum metuo) tu conterraneo ſuccedas, iis exornatus virtutibus, quibus ille ad ſummum dignitatis gradum pervenit; interea vero ſis illius vicarius, ut ego quondam, (ſi parva magnis conferre licet) amici noſtri *Nannii*: ſis, inquam, illius Atlantis duri coelum qui vertice fulcit, & jam diu magno pondere preſſus opem videtur aliquam poſcere, ſucceſſor Hercules. Salutem plurimam uxori tuae liberiſque doctiſſimis. Noſtram brevitatem *Cauchius* hic noſter compenſabit: bene vale, & me tui ſtudioſiſſimum amore mutuo, ut facis, complectere. Raptim Lovanii die 21. Aprilis anno CIↃIↃLXI.

LIP-

EPISTOLA XXXV.

CONRADUS GESNERUS

Georgio Caſſandro S.

VIvere te & valere & in reip. Chriſtianae bonum ſemper aliquid elucubrari his diebus ab amico, Clariſſime & doctiſſime D. Caſſander, ſumma laetitia mea intellexi. Deus Opt. Max. quam diutiſſime te nobis & Eccleſiae ſuae incolumem conſervet. De ſcriptis tuis quaecunque edidiſti, aut ad editionem paraſti, per occaſionem certior fieri cupio. Nam pro Bibliothecae noſtrae nova editione paulatim aliqua colligo. Mitto Catalogum lucubrationum noſtrarum, etſi in eo nihil graviſſimis & ſanctiſſimis ſtudiis tuis forte dignum ſit. Communicabis cum amicis, quibus haec & ejuſmodi cognoſcere vacat & libet: imprimis Excellentiſſimo medico D. [1] *Echtio*, cui me vehementer commendari abs te vellem. Dioſcoridis ὑποθέσεων libros, nunquam antea viſos, Graece & Latine editioni nunc adorno, intra hos proximos dies, ſpero, abſoluturus, inde ad hiſtoriam ſtirpium, jam olim a me inchoatam, totum me conferam, ad quam Cl. D. *Echtius*, quicquid & quantulumcunque habet, quod conducat, circa nomina, icones, aut facultates quorundam, ſi communicarit, ut alacriùs abſolvam tantum opus, & mentionem ipſius quoque honorificam faciam, author mihi erit. Urge, quaeſo, & inſtiga hominem occupatiſſimum. Mithridatem meum de differentiis linguarum forte vidiſti, ante annos aliquot excuſum, a quo tempore multa multis e regionibus accepi, quae ad eum augendum & Illuſtrandum faciunt, Nuper autem ex Doctiſſimi viri D. *Ge. Aemylii* ad me literis intellexi, habere te quaedam rara de vetere Gothica aut Germanica lingua, nempe alphabetum, ſuis characteribus, orationem dominicam, & alia quaedam: quorum ut me participem facias, etiam atque etiam enixe te rogo: & ſi quid aliud hujus argumenti, ut meo in Mithridate tua quoque liberalitas locum habeat. Ego viciſſim, ſi qua in re optimo & Doctiſſimo Caſſandro meo gratificavi, faciam nae ex animo ut me ſui amantiſſimum obſervantiſſimumque eſſe non obſcure intelligat. Vale & ignoſce feſtinationi ac lituris. Scripſi Tiguri Octobris die 9. A°. 1562. multa jam nocte: non relegi.

1 *Joannes Echtius* Medicinam fecit Coloniae, natus in Belgio. vid. *Mercklin.* in Lindenio renovato pag. 574. multa ejus & honorifica mentio in Epiſtolis *Caſſandri.* vid. Ep. LXVI. & mox in Epiſtola Ximenii XL. duxiſſe ancillam ſuam idem *Caſſander* ſcribit Epiſt. CXIII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XXXVI.

PETRUS XIMENIUS[1]

Georgio Caſſandro S. P.

Coloniam.

ORnatiſſime Domine Caſſander: Magnam tibi habeo gratiam ob laborem ſuſceptum in tradendis nuncio Colonienſi ſarcinis, quas ab eo integras accepi; paulo tamen meliore conditione accepturus, ſi cum eo de precio prius conveniſſes. Adſunt quidem arma noſtrae militiae, quorum adjumento & nos quoque meditando, ſcribendo, docendo Deo gratum obſequium praeſtare poſſemus. Sed utinam tuam diligentiam imitarer, quam fruſtra impedire conatur valetudinis tuae imbecillitas. Quod tamen ad profeſſionem meam attinet, ea differetur ad aliquot hebdomades, dum nimirum Reverendiſſimus Dominus Hochſtrato redeat. Profectus eo fuerat ad ſuſcipiendam e ſacro fonte filiam Domini Hochſtratani, & quo die eo pervenerat, incidit in gravem ſatis morbum, qui quamvis affirmantibus medicis periculo Dei benignitate vacuus ſit, reditum tamen ejus, ut nobis ſcribunt, qui eum comitati ſunt, non paucis diebus morabitur. Interim cum D. Archidiacono, qui hic quoque relictus eſt, in alio genere ſtudiorum verſabimur. Magno me affeciſti beneficio, quod Galliae in negotio religionis ſtatum tam luculenter mihi deſcripſeris. Faxit deus, ut & ipſis, & iis, qui Tridenti nunc convenire dicuntur, & omnibus Chriſtianis nationibus cum concordia ſpiritum largiatur, qui eam in poſterum quoque tam validam ſanciat, ut hiſce malis, quibus nunc labefactatur, non ſit tam facile obnoxia. Rependerem, mi Caſſander, beneficium, ſi memoria retineret longam quoque de actis conventus illius Gallicani hiſtoriam, quam epiſtola quaedam Bruxellae ſcripta, ac me praeſente recitata, narrabat. Summam tamen, ſi potero, complectar, & addam decretum de Euchariſtia, quod poſtulavi mihi permitteretur exſcribi. Actum a principio fuerat de liberando rege aere alieno, quo ſicuti ajunt graviſſime premitur, deque reformando ſtatu Eccleſiaſtico, & de tollendis novis his opinionibus quotidie magis invaleſcentibus. Supervenere poſtea miniſtri Proteſtantium, ſeu Calvinianorum ſatis magno numero, fide publica illis data eo evocati. Horum princeps *Theodorus Beza* nomine omnium copioſam & eloquentem in concilio, rege, regina matre, totaque nobilitate praeſente, habuit orationem, in qua primo artificioſa quadam inſinuatione ſibi conciliavit benevolentiam. Purgavit dein id, quod ſuis ſciebat objici, quod eſſent ſeditioſi, turbulenti, abhorrentes ab ommi concordia, conditiones proponentes iniquas ac plane intolerabiles. Secuta dein eſt fidei explicatio per omnes articulos, in quibus a nobis diſſident, cujus

1 De hoc *Ximenio* egimus ad Epiſtolam *Lipſii* CXXV. & multa ejus mentio in *Caſſandri* Epiſtolis, ex quibus in primis videnda LXXXIII. pleraeque ejus Epiſtolae Anni certi notam non habent, nec ex *Caſſandri* Epiſtolis ſemper licuit certum tempus aſſignare, quare, ſi in conjectura aberraverim aliquando, veniam, ſpero, dabit lector.

ſcopus, propter narrandi artificium & adhibitas interdum probationes, etiam ad perſuadenda illa dogmata auditoribus ſpectavit. Poſtremo falſo de illis vulgatum crimen deluit, quod docerent non eſſe parendum magiſtratibus, cum contraria ſententia ubique in concionibus ac ſcriptis coram traderetur. Auditus eſt magno ſilentio, adeo ut cum ipſe initio orationis ad dicendam orationem Dominicam procidiſſet in genua, idem facientibus principibus, etiam epiſcopi id imitati ſint. Semel tantum ſtrepitus excitatus eſt, cum agens de Euchariſtia, tantum diceret diſtare ab ea Domini corpus, quantum caelum diſtat a nobis. Poſt habitam orationem ſcriptum exhibuit, ejuſdem fere argumenti, & modeſtiorem ſententiam in illo de Euchariſtia articulo. Intelligi ſatis non poteſt, quid in hoc conventu ſtatuatur. Suſpicabatur auctor hujus epiſtolae Regem relaturum in patrimonium ſuum omnes regias fundationes, alias autem relinquendas, partim pauperibus ſcholaſticis, partim miniſtris eccleſiarum: probabile etiam eſſe diſputatum iri de ſingulis ſeorſum confeſſionis eorum articulis. Judicat etiam idem, omnia paulatim tendere in favorem adverſariorum. Vulgatum eſſe hoc Septembri edictum, quo abſolvebantur omnes, qui in armis fuerant hac aeſtate ob cauſam religionis, reſtituuntur exules, liberantur e vinculis capti: miſſis etiam ad concilium miniſtris quibuſdam ſparſarum etiam per Gallias eorum Eccleſiarum, ſibi quoque Eccleſias per ſingulas civitates concedi poſtulant, quas forte, ſi publice id non permittatur, per vim occupabunt. Qui ſedent ad regni gubernacula, magna pars nobilium ac doctorum, creduntur illorum eſſe ſententiae. Accedunt Germanorum artes & machinae, qui ad recipiendam Auguſtanam confeſſionem principe Palatino eos ſollicitant; magnas itaque portendi mutationes in eo regno, niſi alias rationes ineant Catholici. Ipſos principes Catholicos ſpem abjicientes ſaniorum conſiliorum ad ſua reditum parare, inter quos Lotharingius Cardinalis, magnis conatibus fruſtra quaedam voluiſſe impedire, Cardinalem Ferrarienſem, qui nihil cum ſuis effecerit, quamvis ſtrenuam operam Praepoſitus Jeſuitarum navarit, Romam rediiſſe: ſparguntur & belli ſuſpiciones, quia Navarra repetatur, commeatus invehantur Caletum, a nobis dimiſſa munitio Gravelingae iterum ſuſcipiatur. Ne ſim prolixior, confugiendum nobis ad remedium Regis Joſaphat, hoc eſt, ad orationem, quae ſola poteſt impetrare ea, quae humanis conſiliis regi nequeunt, & quia ſtatim aderit nuncius petiturus a me epiſtolam, ne ſim illi in mora, non poſſum haec tranſcribere, quae tamen aegre leges. Decretum de venerabili Euchariſtia hoc modo habet, quod ex Italico ad verbum verti in linguam Latinam, ſicuti illius author Epiſtolae ex Gallica verterat in Italicam. *Cum fides promiſſas nobis res praeſentes exhibeat, cumque haec ipſa fides veriſſime ſuſcipiat corpus & ſanguinem Jeſu Chriſti virtute Spiritus Sancti, ſecundum hanc conſyderationem, fatemur corporis illius praeſentiam in Sancta coena, in qua nobis praeſentatur, donatur & exhibetur ſubſtantia corporis & ſanguinis ejus per operationem Spiritus Sancti, recipientibus & manducantibus nobis ſpiritualiter & per fidem idem corpus, quod pro nobis mortuum eſt, eo quod ſimus os ex oſſibus ejus, & caro ex carne ejus, in eum finem, ut ſimus vivificati, & percipiamus, quicquid requiritur ad no-*

noſtram ſalutem. In hoc decretum conceptum ab iis, quibus negocium hoc demandatum fuerat, tam a noſtris quam a proteſtantibus, reliqui Catholici nullo modo conſentiunt, & quia nondum publicatum eſt, omni ratione dant operam, ne id fiat, & potiſſimum Cardinalis *Lotharinghius*. Authores decreti ex parte noſtra fuere Epiſcopus Valentiae in Delphinatu, Epiſcopus Sagienſis in Normandia, doctores Sorbonici tres, *Deſpenſa*, *Salignaco*, *Botiglieri*. Ex adverſariis[2] *Beza*, *Petrus Martyr*, *Saules*, *Marloratus* & *Della Spina*. Interim, mi Caſſander, in Domino valebis, ac perge tuum Ximenium ſolito tuo amore ſemper complecti. Humaniſſimus Dominus *Cornelius* hanc epiſtolam tecum communem habeat. Ego vos ſemper, ut debeo, de meis rebus certiores faciam. Iterum valete, ac officioſiſſime meo nomine ſalutate virum a me humaniſſimum Dominum *Arnoldum Huſmannum*, & alios amicos. Leodii poſtridie Simonis & Judae. Dominus Archidaconus, Dominus *Visbrouh* cum ſocio vos plurimum ſalutat.

2 Reſpondet ad hanc Caſſander Epiſt. xxxviii. ſcripta eſt A. 1561. quo hoc colloquium Poiſſiacum habitum fuit. vid. Mezeray. Abreg. Chronol. in Carolo ix. Tom. v. pag. 45. & Bayliſt Lexicon Hiſt. Crit. in *Beza*.

EPISTOLA XXXVII.

PETRUS XIMENIUS

Georgio Caſſandro S. P.

Coloniam.

CUm paucis ab hinc diebus nuncius, per quem literis meis reſponderas, humaniſſime D. Caſſander, Coloniam rediret, impeditus eo tempore certis de cauſis fui, ne tibi quoque viciſſim per eundem reſcriberem. Id ergo per hunc, qui tibi has reddidit, faciam, qui mihi ſe hodie Coloniam profecturum dixit. Ac primum quod ad literas tuas attinet, nihil attinet dicere quam mihi gratae fuerint, quam gratae perpetuo futurae ſint. Merentur humanitas & benevolentia, quibus me non merentem proſecutus es, meretur incredebilis ingenii candor, meretur eruditio, & ſingularem mihi literae tuae non ſolum voluptatem, ſed conſolationem perpetuo afferunt. Atque ideo quod te certo ſciam in hoc humanitatis officio perſeveraturum, tuumque Ximenium de tua, ac D. *Cornelii* valetudine deque ſtatu rerum veſtrarum certiorem ſemper factum iri, hac ipſa cogitatione ſolidam animo percipiam voluptatem. Sed his omiſſis, quid hiſce diebus de rebus tuis acceperim, breviter indicabo, deinde de valetudine, ſicuti tibi ſcripſi, affecta Reverendiſſimi Domini, deque meis rebus, quae ſcribenda ſunt, addam. Scies igitur, mi Caſſander, me ante triduum a Doctore *Vendovillio* accepiſſe epiſtolam, in fine cujus haec de D. *Balduino* deque te erant verba. *Audio* F. Balduinum *fuiſſe nuper Coloniae, & deinceps fore in familia D. Cardinalis* Lotharingii. *Audivi etiam D.* Caſſandrum *eſſe in Galliam vocatum, idque a rege Navarrae ad componenda iſta diſſidia, vel ad ju-*

vandum ad ea componenda, ſed tamen non habeo certum authorem, ſi quid ea de re habes, velim facias nos certiores. Haec, mi Caſſander, ad me ſcribit D. *Vendovillius*: quae unde acceperit, divinare non poſſum, & tamen ſi vera ſunt, non potuere mihi non afferre eccleſiae nomine atque etiam tuo ſingularem voluptatem. Certo enim ſcio, modo vocationem hanc a Deo eſſe iis, quibus debet, conjecturis conſtiterit, te tam illuſtrem & pium laborem non recuſaturum, etiam ſi propter imbecillitatem valetudinis lectica eſſes in Galliam, ſicuti ille Dux Samnitium in caſtra, deportandus. Te vero operam tuam huic negotio praebente, debet profecto nos excellens iſta eruditio, tantam accipiens authoritatem, in optimam ſpem erigere faeliciſſimi ſucceſſus. Faeliciſſimum vero ſucceſſum concordiam voco Chriſtianam; in qua vetus & perpetua religio conſervatur, & reſtituitur, & ab omnibus approbatur, iis alteri parti conceſſis, quae concedenda prorſus eſſe moderatiores omnes ſanioreſque Catholici confitebuntur: in iis vero, quae ſalva pietate admitti nequeunt, adductis contra ſentientibus, ut ſibi vere perſuadeant ea, quae ab ipſis defenduntur, carere illis tribus tuis ex tuo Lirinenſi veriſſimis orthodoxae doctrinae notis, antiquitate, univerſitate ac conſenſu, nullamque doctrinam recipiendam in hujuſmodi controverſiis, quae illis carere demonſtretur. Ut ad tantam rem conficiendam tua opera hoc tempore haberi debeat inter potiſſima Spiritus ſancti, quibus uſurus eſt, inſtrumenta, facit ea, quam dixi, eruditio, in qua ad hunc finem paranda totam aetatem uſque ad corpuſculi tantummodo non interitum conſumpſiſti: facit ardentiſſimum eccleſiaſticae concordiae deſiderium, ac poſtremo incorruptiſſimum, ac nullo partis alicujus iniquo contra veritatem ſtudio infectum judicium. Quod ſi ergo haec vera ſint, &, quod deus avertat, ſuſcipiendum tibi iter non cenſeas, nihil addubito, quin id ideo ſis facturus, quod pro deploratis habeas res Galliae, quodque locum illic nullum fore ſanioribus conſiliis apud obſtinatos animos, & nunc factionibus etiam exaſperatos arbitreris. Deum opt. max. oro, ut Spiritus ejus, quo in tanta potiſſimum re regi debent filii Dei, primum tibi in hac ipſa conſultatione adſit, dein ſi, quod votis omnibus nobis optandum eſt, eo proficiſcaris, ea tibi ac glorioſi laboris ſociis ſuggerat, quae ad liberandum ampliſſimum regnum tantis malis ſint utiliſſima, atque ut ſpes noſtras ulterius promoveamus, quae ducto ab ampliſſimo regno initio, ad ſanandos reliqui corporis & mores & errores manare feliciſſime queant. Haec ita tibi ſcripſi, quaſi vera ſint, quae fortaſſe non de nihilo orta a *Vendovillio* mihi ſcripta ſunt. ſi falſa eſſe ex tuis literis intellexero, ea & apud *Vendovillium* & apud alios ſuſcipiam refellenda, interim dicam hîc nihil ejuſmodi dici Sin vera ſint, non dubito, quin pro tuo ergo me amore, me ſis aliquouſque tantae rei facturus participem. Humaniſſime Domine Caſſander, quo minus tibi poſſim aliis de rebus ſcribere, nuncii interventus accincti ad iter in cauſa eſt. Priora ergo cum per ocium ſcripſerim, de meis rebus haec breviſſime addam. Profeſſio mea morbo Domini Reverendiſſimi impedita eſt. Ipſe Reverendiſſimus melius quidem, laus deo, ſe habet, ſed nondum convaluit, & morbus ejuſmodi eſt, ſicuti me tibi ſcripſiſſe arbi-

bitror, ut quamvis convaleſcat omnino, niſi tamen utatur victus ratione exquiſitiſſima, in perpetuo verſetur vitae periculo. Deus illum eccleſiae ſuae nobiſque ſervet incolumem. Interim cum D. Archidiacono ac *Lampſonio* verſamur in Ariſtotele. D. *Tiletanus* mihi ſignificari curavit, & ſe & Magiſtrum a *Lovanio* apud Hiſpanos male audire, quod me abſolverint, & proin monere, ſi quid Reverendiſſimo Domino humanitus accideret, ne cogitarem de Hiſpania. Si Lovanium redeam, ſe ſuſcepturum mei defenſionem, proin me tacite monere videtur, ne vel Lovanium redeam. Sed tabellarius me non ſinit plura ſcribere. Tu mihi quaeſo per hunc late reſpondeas. Vale, mi Caſſander cum D. *Cornelio* in Domino: ſalveant & quos epiſtola tua nominaſti. Leodii 8. Decemb.

Reſpondet Caſſander Ep. XLII.

EPISTOLA XXXVIII.

PETRUS XIMENIUS

Georgio Caſſandro.

Coloniam.

SAlve plurimum Clariſſime Domine Caſſander. Dici profecto non poteſt, quanto tenear deſiderio cognoſcendi, tum de valetudine tua, tum de ſtudiis ac rerum tuarum ſtatu. Itaque majorem in modum te oro, nuncium hunc ſine tuis ad me literis non patiaris diſcedere, quamvis cum ipſe poſtremo hinc diſcederet, propter ipſius feſtinationem, meas ad te non attulerit. Spero autem te jamdudum ex iſto morbo, qui tibi nimis efficitur familiaris, Dei beneficio recreatum ad priora ſtudia rediiſſe. Eſſet quidem nobis omnibus dolendum praeclariſſima iſta ſtudia toties corporis iſtis incommodis impediri, ac fructum eorum nobis minui, atque adeo tenerum ipſum optimi Caſſandri corpus tam gravibus morbis ac tam ſaevis doloribus affligi, niſi danda Chriſtianis omnibus eſſet opera, ut & ſenſus omnis illorum & ratio ad ea probanda flecterentur, quae ſummae rationi, hoc eſt divinae, probari intelligunt. Neque dubito, quin apud te quoque, mi Caſſander, in hac, quantumvis ardua, expugnandae carnis imbecillitatis materia, conſilium divinum, ſicuti Propheta inquit, proſperum habuerit ſucceſſum. De reliquo quantum ſuſpicari poſſum, credo tibi indies minui deſiderium proficiſcendi in Galliam, ſi forte publicae utilitatis cauſa laborem hunc ſuſcipiendum, atque eo te vocantibus parendum eſſe decreveras. Huc certe omnia triſtiora quotidie afferuntur. Nihil videtur eſſe medium, nihil moderatum in ſententiis, atque utinam intra ſententiarum extremarum pugnam conſiſterent. Prorupit, jam ſicuti ex certis literis, in Gallia ſcriptis, cognovi, pugna illa ad arma, ad caedes, ad expugnationes aedium ac templorum, ac ad omnia illa mala, quae inter ejuſdem regni cives Chriſtiani nominis committi vix oculis noſtris credere poſſumus. Neque audivi hic ſaltem de aliquo, cujus conſilia ad concordiam atque ad ali-

quam conciliationem ſpectent. Quo pacto autem dici poſſit principes in Gallia mediam aliquam rationem probare, cum *Beza* potius princeps in ipſa aula religionis, ut dicitur, arbiter ſit & moderator. Itaque niſi Deus manum ſuam admoveat, videntur omnia ceſſura Calviniſtis, qui jam non viribus tantum, ſed numero, quod mihi tamen incredibile videtur, dicuntur eſſe ſuperiores. Hac de cauſa in ea ſententia te eſſe puto, ut neque tuam illic, neque D. *Balduini* operam putes profuturam, ac proin cogitationem ad furentes, ut videtur, proficiſcendi abjeciſſe. Opto tamen, an haec falſa ſint, vel in majus ſaltem aucta ex te, mi Caſſander; deque conſilio tuo, de ſpe alicujus in hiſce malis auxilii, certior epiſtola tua fieri. Interim ad ultimam anchoram, vel potius ad ſolam, hoc eſt ad deum ipſum, ut ipſe tandem nos reſpiciat eo, quo ſinguli poſſumus, affectu confugiamus.

De morbo Reverendiſſimi Domini tibi bis jam ſcripſi. Vires quidem ejus naturales per Dei gratiam vel aetatis beneficio, vel ope medicorum plane reſtitutae ſunt. In cerebro vero vel ea adhuc eſt intemperies, vel humoris noxii reliquiae etiamnum reſident, ut ad priorem mentem redire nondum potuerit: itaque (quod nobis graviſſimum dolorem affert) in minori quotidie ſimus ſpe fore, ut plane ad ſe redeat, atque ad priorem adminiſtrationem ſit idoneus. Non delirat ille quidem, ſed conſtante judicio etiam de multis rebus eloqui poteſt, ſed prolixam orationem continuare per vitium memoriae, ac potiſſimum ſeria negocia tractare nequit. Nondum adhibita ſunt acriora remedia, adhibebuntur autem, ſi ea, quibus nunc utitur, non proderunt; partim autem in illis, partim in veris proximi clementia poſt Deum nobis ſpes eſt. Is Deus Opt. Max. ſi & ipſi & Eccleſiae ipſius ſalutare erit, nobis optimum principem tandem ſanum atque incolumem miſericordia ſua praeſtet.

Morbus hic Reverendiſſimi Domini, non quod mihi cura aliqua incumbat, ſed neſcio quo modo ob perturbatam familiam lectionem publicam impedivit. Privatam tantum operam dedi Archidiacono & *Lampſonio*, ac horis aliis interdum cogito, de quodam opuſculo ad religionem pertinente, ad quod me *Vendovillius*, tibi & *Balduino* amiciſſimus, & addictiſſimus, quamvis plane imparem, perpetuis epiſtolis impellere non ceſſat. Scripſit etiam ipſe *Vendovillius* ſe feriis paſchalibus proximis Coloniam viſere ſtatuiſſe, cui, Deo volente, ſi aliqua ratione mihi fuerit integrum, ut chariſſ. Dominum Caſſandrum amplectar, me adjungam comitem. Omnino cum tam ſumus propinqui, quas nobis aeſtates Deus Opt. Max. vivere conceſſerit, in illis aliquot dies vel mihi, vel tibi eripiendi ſunt, ad hunc, ut certo ſcio, utrique noſtrum optatiſſimum amplexum, & colloquia. Amore ſaltem erga te ac benevolentia, quando alia re non poſſum, vix Ximenius tuus D. *Cornelio* ceſſerit. Tu mihi, quaeſo, reſcribes, ubi locorum ſis eo tempore futurus. Nam Duisburgum quoque, ſi opus erit, petiturus ſum. Collatum eſt mihi hic ſacerdotium quoddam. Sed quia onera habet, quae a me ſuſcipi non expedit, vel reſignaturus ſum, vel penſiunculam 12. librarum reſervaturus ad alendum hunc inexplebilem ventrem. Ita ſuadent amici, & negant ſe turpe aliquod videre, cu-

cujus tamen aliqua ſpecies ob oculos meos verſatur. Finem faciam, ne vertam folium. Valebis. Clariſſ. D. Caſſandro cum D. *Cornelio*, cui ſimul & D. meo *Bircmanno* cum D. *Rocafingero*, ſalutem multam dices. Leodii ipſo die Purific. Facies me quaeſo certiorem de *Juliano* noſtro, ac ſi illi ſcribis, etiam meo nomine ſalutabis.

Ad hanc reſpondere etiam videtur Caſſander. Ep. XLII. certe non remota ab ejus ſcriptae tempore eſt.

EPISTOLA XXXIX.

PETRUS XIMENIUS

Georgio Caſſandro S. P.

Coloniam.

ERuditiſſime Domine Caſſander. Summam mihi, ſicuti conſuevere, literae tuae attulere voluptatem, quamvis ex alia parte dolore quodam manentis adhuc ex morbo debilitatis temperatam. Placet forte Deo Opt. Max. hac veluti cruce temperare felicitatem tuam, quae fortaſſe propter beatum illud ocium, quo tot per annos frueris, & ob perpetuas de rebus divinis cogitationes, nimia foret, ne ſtimulus ſic magnitudine contemplationum te plus aequo extolli prohiberet. Precor autem eundem Deum ut, ſicuti ejus beneficio ſtudia tua tempore proſperae valetudinis ſerviunt ejus gloriae, idem in alio quoque obedientiae genere impedimentum iſtud ſtudiorum ac corporis cruciatus, ac ſtomachi illa tui perpetua nauſea praeſtare valeant. De cetero, mi Caſſander, magnas tibi gratias habeo, quod ſemper eorum, de quibus in hac noſtra per epiſtolas conſuetudine agi poteſt, me facis certiorem. Mirandum porro meo judicio non eſt, [2] ducem factionis illius in *Balduinum*, quem authorem illius libelli credebat, acriter eſſe invectum. Nam & natura ingenii vehementioris, & humanus affectus eſt, ubi eam ſis authoritatem conſecutus, ſi quid adverſus tuam ſententiam ſtatuatur, id gloriae tuae detractum putare; & ſi perſuaſi ab eo adeo ſint ab omni moderatione alieni, credibile eſt ducem ipſum hoc affectu gravius laborare. Quod autem ad libellum illum attinet, quem parari ſcribis ad prioris illius ſcripti defenſionem, opto magis, ſi divinum auxilium ſecludamus, quam ſpero magnum illius fore fructum, etſi in authore nihil omnino deſit, quod ad tractandam hanc cauſam aliquis merito deſideret. Novimus quanta ſit paucitas eorum, qui ab hujuſmodi concordia non ſint alieniſſimi. Alii ad auditum nomen conciliationis nuptias parari Chriſti & Belial cavillantur. Alii niſi, ſicuti *Wicelius* ait, omnia defenderis, eodem te loco, quo ipſos adverſarios habebunt. Fieri praeterea non facile poterit, ut in aperta dimicatione generalis tantum diſputatio ſuſcipiatur; in particulari vero vix vide-

1 Videtur & haec ſcripta eſſe circa idem tempus, quo Epiſt. XLII. ſcripta, &, ut credo Ann. 1562.

2 *Theod. Bezam.* vid. ad Epiſt. XXIII.

videtur vitari posse utriusque partis offensio, adeo ut quidam noster amicus ipsius quoque *Wicelii* suspectam habuerit generalem abusuum reprehensionem, quod eo ipso, quod nullum abusum nominaret, aliquid eum contra catholicam religionem tacite tentire merito judicari posse crederet. Ut neque sic & pia & necessaria videtur defensio, Deus ipse successum largietur, quem ipsius sapientia nobis expedite definiet. Mihi multum in eo positum videtur, si non authoritate tantum veteris ecclesiae sententia nostra confirmetur; sed solidis quoque rationibus ostendatur, vel magnas esse causas, cur revocari aliquid debeat, quod desiit esse usu, vel cur omnino retinendum, quod adversarii tanquam pugnans cum euangelio sustulerunt, utque hujusmodi rationes quaerantur, quas apud animos hoc modo affectos, atque hujusmodi persuasione imbutos, plurimum momenti habituros maxime judicabitur verisimile. Haec ad te magis confabulandi causa scripsi, quam quod opus fuerit his de rebus a me agi. Addam tamen & ipse, quae ex Galliis, quae nunc expectatione futuri earum status suspensos tenent omnium animos, quamvis primo authore incerto, accepi. Principes & praesides regni, nescio quo loco, convenerant ad constituendam in his tumultibus rempublicam. Actum est in eo conventu, quid tandem statuendum esset de Hugenotis, nam sic vocant Calvinianos. Ex 48. qui convenerant, 29. censuerunt permittendum illis esse, ut sua templa extruerent, ac ut Lutetiae extra muros quatuor loca futuris templis designarentur: in hac sententia dicitur fuisse Cardinalis *Chastillon*, & Galliae Cancellarius. Fuere sex, qui non templa quidem illis permittenda, sed publica tantum loca ad ceremonias eorum celebrandas judicarunt: unus, ut in privatis tantum aedibus id illis facere liceret, censuit. Reliquis 12, inter quos nominatur ipse Rex Navarrae, non templa, non privata, non publica loca illis concedi placuit. Cum tamen plurimorum sententia valere debuerit, nec decretum hujusmodi promulgari potuerit sine consensu regii Senatus Parisiensis, ajunt hunc Senatum vehementer illud improbasse; atque ea de causa ad impediendum edictum legatos ad regem ac praesides misisse, ac proin spem esse plane abolendam hanc templorum mentionem. Haec non plane certa, digna tamen credidi, quae tibi scriberem. Neque quicquam habeo, quod preterea scribam, nisi quod Reverendissimi valetudo eodem, quo prius, loco est, & proin nos semper inter spem & metum versamur. Spes tamen, ut verum fateamur, recuperandae integerrimae valetudinis in Deo potius est, quam in medicis: illi ergo omnia haec, & alia ea, qua decet fiducia, committamus. Interim si *Vendovillius* huc venerit, iterum polliceor, si aliquo modo mihi integrum erit, me & hinc Coloniam & Colonia Duisburgum profecturum, cum praesertim ex tuis literis intelligam, id tibi, quae tua est humanitas, non minus futurum gratum, quam mihi, qui summo desiderio teneor in tuum complexum veniendi. Salutant te plurimum D. Archidiaconus & *Lampsonius*, & ego vicissim D. *Cornelium* ac *Bircmannum* ac *Rocasingerum*. Vale. Leodii 16. Februar.

EPI-

EPISTOLA XL.

PETRUS XIMENIUS

Georgio Caſſandro S. P.

Coloniam.

ORnatiſſime Domine Caſſander. Ante tres fere menſes profecturus cum Domino Reverendiſſimo Stokhemium (oppidulum eſt ditionis Leodienſis ad Moſam paulo ultra Trajectum) poſtremam a te accepi epiſtolam: Illinc ob negocia quaedam Lovanium atque Antverpiam profectus. hiſce diebus reverſus ſum Leodium, atque ad intermiſſam hanc inter nos conſuetudinem, ſimul etiam cupidiſſime redii, quando illa potiſſima, quae inter praeſentes eſt, quaeque ſola conſuetudo appellari poteſt, frui non licet. Hoc itaque primum, mi Caſſander, intelliges, me Dei Opt. beneficio recte valuiſſe, atque a te vehementer petere de tua quoque valetudine ac ſtudiis, deque D. *Cornelio* me digneris facere certiorem. Emi Antverpia diſcedens libellum tuum, atque ejuſdem falſo accuſati defenſionem, & quia neque tunc ob diſceſſum legere potui, nunc vero amicis quibuſdam legendum eum dederim, hactenus eum non recepi, proxima epiſtola latius iis de rebus, Deo volente, agam, praeſertim cum nunc prohibear ipſius tabellarii feſtinatione, cui hanc horam, qua ſcribo, conſtitui poſtulandae a me hujus epiſtolae. Gaudeo plurimum iis, quibus oſtendi, & cauſam & doctrinam & modeſtiam tuam placuiſſe, quamvis mihi dubium eſſe vix poterat id ita futurum. Cauſam & modeſtiam etiam illi ipſi, qui maxime favent adverſario, vel inviti cogentur probare. Doctrinam tuam mirabuntur. Sed ſententiae tuae accedere non poterunt, niſi eos eadem opera ad partes pacimontanorum pertraxiſſes. Quod ut fiat neceſſe eſt omnibus tuis copiis, quas longe quam quiſquam hac in parte majores habes, in praelium eductis oppugnes & expugnes. In praeſentia nihil aliud dicam, niſi quod Deum Opt. Max. oramus omnes, ut ſint illae copiae, ſicuti certo ſperamus, laboranti Eccleſiae profuturae, & addat corpori vires & animo alacritatem, ut quam primum in lucem prodeant. Interim, mi Caſſander, quando finem imponere cogor, ingrediente Domino Reverendiſſimo cubiculum Domini Archidiaconi, apud quem ſcribo, quaeſo, ut tuum Ximenium, quo non puto habes tui amantiorem, ſicut coepiſti fratris loco habere pergas. D. *Lampſonius* quoque & propter iniquitatem adverſarii tui, & ob amorem, quo te proſequitur, vellet offerri ſibi eum, quo animi ſui indignationem erga eum propter te poſſit oſtendere. D. *Cornelium* plurimum ſalutabis. Leodii 22. Octobr. 1562.

Ad hanc reſpondet *Caſſander* Ep. LIII.

EPISTOLA XLI.

PETRUS XIMENIUS

Georgio Caſſandro S. P.

Coloniam.

CHariſſime Domine Caſſander. Cum has tibi literas redditurus ſit doctiſſ. atque humaniſſ. Vir D. *Echtius*, non videor mihi habere quod ſcribam. Ab eo quippe omnia accipies, quae de noſtris hic rebus a me tibi ſcribi potuiſſent. Summa eorum, quae ad me pertinent, eſt, me omnino ſtatuiſſe, niſi neceſſarium aliquod a Domino impedimentum mihi objiciatur, hac aeſtate ad vos proficiſci. Nihil mihi jucundius eſſe poterit tua conſuetudine, praeſertim cum parem erga me benevolentiam in te ac D. *Cornelio* experiar. Communicabo tibi Deo volente meas neſcio quas de Pacimontaniſmo cogitationes, aliquo jam uſque progreſſas, non ob id ſolum, ut conſilio tuo proſequendae ne ſint an abjiciendae, verum etiam, ut, ſi proſequendas eſſe judicabis, opera ope atque opibus tuis homo, cui tam curta ſupellex eſt, utar. Fieri poteſt, ut Reverendiſſimus Dominus dimiſſurus hoc vere ſit Epiſcopatum, & ea in parte tum reip. tum conſcientiae ſuae, tum etiam dignitati ac tranquillitati conſulturus, quando ita domino viſum eſt tenuem nobis ſpem relinquere, quod ſit animi eum vigorem recuperaturus, qui ad tantae provinciae adminiſtrationem requiritur. Oramus autem Dominum, ut quod conſilium D. *Echtius* attulit, ſucceſſum habeat majorem iis, quibus hactenus uſus eſt. Quod ſi Epiſcopatum Reverendiſſimus dimiſerit, neceſſitas me forte urgebit ad conditionem aliquam quaerendam, quam ad rem omnem mihi ſuam operam, ſicuti ex eo intelliges, humaniſſime D. *Echtius* obtulit. De obitu *Juliani* noſtri nihil intellexeram: cepi ex eo dolorem, quem par fuit, ac Deum oro ut illi voluerit eſſe propitius. Eadem ſemper metuenda ſunt nobis de omnibus amicis, vel illis de nobis. Nam & heri de alterius cujuſdam non levis amici in Dania obitu intellexi. Mi Caſſander, dici non poteſt, quanto dolore afficiar, quod toties recurrat iſte tuus morbus, oro nunc te per Deum, non minus pulchrum pietatis certamen tibi propoſitum putes in ſuperanda omni impatientia, atque in agendis Domino perpetuis gratiis, quam in iſto, quod geris, bello contra eos, qui oderunt pacem. Nihil mihi gratius eſſe potuit teſtimonio illo D. *Julii Pflugii*, itaque miſi ad *Vendovillium* tibi amantiſſimum ac communicavi cum *Molinaeo*, quo praeſente Epiſtolam tuam accepi. De victoria illa tua Clivenſi, in qua victus non perditus, ſed ſervatus eſt, tibi gratulor, vel potius Deo per te gratias ago, atque opto ſimul & ſpero parem in lectoribus illi dogmati affinibus ſucceſſum libelli tui, qui nunc ſub praelo eſt, cujus priores paginas hic legimus: ſi omnes ad quaerendam veritatem eas dotes ingenii, modeſtiae ac diſcretionis afferrent, quas in illo ad ſanitatem revocato fuiſſe ſcribis, ſine dubio potior ubique ſententia vinceret. D. Archidiaconus te plurimum ſalutat. Is proximis diebus Romam miſit exemplar unum, quod

ego

Digitized by Google

ego Antverpiae emeram, libelli tui de officio pii viri, ſimul cum ejus defenſione. Gratiſſimum utrique noſtrum feceris, ſi dignaberis unum atque alterum exemplar ad nos iſtinc tranſmittere. D. *Cornelium* D. *Metellum* D. *Tienum*, officioſiſſime ex me ſalutabis. Vale in Domino, mi Caſſander. Leodii ipſo die purificationis. ſi uſus es libris S. *Laurentii* ac vallis Divi Lamberti, eos remittes, nam ſaepius a me expenſi ſunt.

Videtur eſſe reſponſio ad Epiſt. Caſſandri LV.

EPISTOLA XLII.

PETRUS XIMENIUS

Georgio Caſſandro S. P.

Duisburgum.

Chariſſime Domine Caſſander. Seculum mihi videtur elapſum, ex quo nihil a te literarum vel ad me, vel ad alium quempiam eſt allatum. Id eo mihi moleſtius, quia poſtremis tuis ad *Bircmannum* literis intelleximus, te iterum morbo tuo correptum. Quamobrem quo pacto hac te vice tractarit, & qua nunc ſis valetudine majore, quam explicare poſſumus, deſiderio omnes cognoſcere optamus. Quin ego quoque poſt illas meas priores ad te literas longiori ſilentio non ſine gravi culpa uſus, culpam eam conduplicaſſem, ſi ſine literis meis D. Doctiſſimus *Furſtenbergius* ad vos veniſſet. Ac de publicis quidem rebus ſi quid alicunde novarum rerum allatum eſt, ob eam ipſam cauſam, quod haec ex Doctore cognoſci poſſunt, nihil eſt quod ad te ſcribam, niſi quod pluſquam unis e Germaniâ literis cognitum eſt, Imperatorem in morbo ſuo ſacroſanctum corpus & ſanguinem Chriſti magna religione ſumpſiſſe, ſub utraque ſpecie. Ex eodem etiam intelliges, peſtem hîc quotidie invaleſcere, Faxit Deus Opt. Max. ut his clementibus flagellis admoniti, & culpas noſtras ſerio agnoſcamus, & in vocatione noſtra diligentes ſimul paratique ſimus ad emigrandum, cum Dominus vocabit, atque ipſam emigrationem veluti laborioſae peregrinationis finem ac faeliciſſimi ſtatus initium, cum ſpe potius, quam timore operiamur. Quod ad me attinet, ego, Deo mihi vitam largiente, ſtatui poſt duas aut tres ad ſummum hebdomadas Leodium, atque inde poſt aliquot dies Antverpiam ob ſororis negocia proficiſci. Neque mihi plane etiam nunc conſtitutum eſt manere Leodii, quamvis grave mihi futurum ſit D. Archidiacono hac in parte non ſatisfacere. Eſt mihi habenda ratio tum vocationis meae, tum etiam libertatis in hac praeſertim aetate. Non cogor autem me ulli aſtringere, cum mihi ſoror mea ſcripſerit hiſce diebus ſibi tanti non eſſe 50. aut 60. daleros, quibus mihi ſingulis annis futurum ſit opus, ut ob ejuſmodi lucrum aequo animo patiatur vel tantillum adimi libertati meae. Quicquid ſtatuero faciam te confeſtim, Deo volente, certiorem. Eſt autem in hac mea deliberatione inſigne momentum allatura Chriſtianiſſima, ſuaviſſima atque utiliſſima conſuetudo D. *Caſſandri*, ad quam me tam ex animo ad-

mitti uſque adeo mihi exploratum eſt. Dignaberis, quaeſo, hiſce literis ante diſceſſum meum reſpondere, quod tibi deinceps facile eſt futurum, cum veriſimile ſit D. Doctorem *Furſtenbergium* frequentes literas Coloniam iſtinc perpetuo miſſurum: Non ſolum ſummo deſiderio teneor de valetudine tua, hoc praeſertim tempore, aliquid cognoſcendi, verum etiam fieri cuperem certior de ſecundis ad te Imperatoris literis, ſimul cum ſarcicula quadam miſſis. Suſpicamur omnes eſſe ſcriptum quoddam ad religionem pertinens Viennae conceptum, de quo judicium tuum requiratur, quodque etiam a te expoliendum ac locupletandum mittatur. D. *Metellum* ac D. *Bircmannos*, qui te plurimum ſalutant, ſicuti facile ſuſpicari potes, incredibile deſiderium tenet haec cognoſcendi. ac *Bircmanni* quidem vehementer, mirantur te tot jam hebdomadis nihil illis reſpondiſſe, praeſertim cum de tuis libellis ſit ſibi reſpondendum, & doctor ſucceſſum intelligere cupiat poſitionis illius, & aliarum rerum, quas tibi miſit. Faxit Dominus, ut gravior aliqua valetudo non ſit hujus ſilentii cauſa. Si peſtis adhuc magis ſaeviet, *Metellum* etiam ipſum Leodium brevi migraturum arbitror. vix itaque ſic dici poteſt, quantopere cupiam aliquid a te videre literarum, & quidem prolixarum, ſi fieri poſſet, de rebus omnibus. ſi aliqua ex cauſa tibi non erit integrum ſcribere, ne dictando quidem te fatigari oportebit. *Everardus* noſter, quem amantiſſime ſaluto, facile fungetur officio ſecretarii, quoties ad *Ximenium* tuum erit ſcribendum. Audio D. *Horſtium* hinc profectum Lovanium, ut ſuſcipiat titulum Magiſtri noſtri, ſimul cum aliis, inter quos erit nepos praeſidis *Viglii*, cujus, ut puto, authoritate & ipſe, ut hoc faciat perductus eſt, is certiora nobis referet de *Lindano*. Saluta quaeſo amantiſſime patrem ac D. *Othonem* cum conjuge: viciſſim te hîc omnes ſalutant. Interim te, mi chariſſime Caſſander, communi Domino toto pectore commendo, ut incolumi hoc tempore valetudine cum vigorem & alacritatem addat, quae ſperatam jam ubique ex ſtudiis tuis utilitatem eccleſiae aliquando afferat. Crede mihi, quando caſu ſcribere coepi, aegre dimitto calamum, ſed quando ſterile ingenium nihil mihi ſuggerit, vel quando etiam nolim tibi meo ſtudio eſſe moleſtus, iterum tibi vale dicam. De D. *Cornelio* ſi quid habes mihi ſcribere non gravaberis. Oblitus eram tibi ſcribere de eo, quod ad *Sambucum* non tu ſolum, ſed etiam *Metellus* ac *Bircmanus*, ut arbitror, de me ſcripſiſtis. Uſque adeone me honorare cupitis, ut ea mihi tribuatis, quae tanto intervallo ſuperant & ingenii mei & eruditionis tenuitatem. Sed quia nolo tibi diutius eſſe moleſtus, pro veſtro erga me ſummo amore, immortales habeas gratias; finem faciam. Coloniae ipſo die divi Laurentii 1564.

Reſpondet Caſſander Epiſt. LXXIX.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XLIII.

PETRUS XIMENIUS

Georgio Caſſandro S. P.

Duisburgum.

CHariſſime Domine Caſſander. Etſi mihi jucundiſſimum fuit de tua ac D. *Cornelii* valetudine, vel ex brevi tuo epiſtolio intelligere, alia tamen ex parte moleſtum fuit reſponſum a me ſine ulla mentione reditus tui poſtulari. Atqui tres tantum ad ſummum hebdomadas vos iſtic futuros dixeras. Spero tamen conſtitutum ad terminum vos adfore, praeſertim, ſi jucundam hanc coeli faciem imbres mutare coeperint. Novi hic plane nihil habemus, quia neque D. *Metellus*, neque ego poſt diſceſſum veſtrum aliquid literarum vel Leodio, vel ex Brabantia accepimus. *Birckmannus* tamen Francfordiam diſcedens, narrabat nobis obiiſſe Londini laudatorem illum operis tui, legatum apud Anglos regis noſtri: dicitur extinctus peſte, quae tanta dicitur eſſe Londini, ut una hebdomada numerata funera ſint paulo minus 1500. Haec nos, ſenes praeſertim, cogunt de illis regionibus cogitare, a quibus & peſtis, & omne genus malorum exulat, quas qui hîc etiam in terris poſiti animo peragrare poſſunt, praeſertim ſi credant illam eſſe patriam ſuam, ibi beatiſſimum eſſe coelum, cui ſe quoque brevi aggregandos confidunt, cujus principem ac ſimul univerſorum dominum ſe patrem ſuum veriſſime, ac ſine ulla tamen arrogantia, appellare poſſe intelligunt; non admodum moleſte ferent, ſe per corporis imbecillitatem non poſſe frui, non decora unius loci amoenitate, ſed totius etiam aſpectabilis naturae varietate. Sed de his rebus hac hyeme, ſi me non expulerit conditionis ſuſcipiendae neceſſitas, Deo volente latius agemus coram: tu quidem ut hac conſolatione lenias perpetuos animi corporisque tui labores, ad gloriam Dei ſuſceptos, ac ſilere jubeas humiliores interdum occurrentes phantaſias, ego vero ut opponam peccatis meis infinitam Dei miſericordiam ac contra ſpem, in ſpem de ſalute mea credam, & ſimul illa ipſa excitatus miſericordia, torporem hunc corporis & animi, ac ſummum charitatis frigus ipſius beneficio excutiam. Expecto ergo vos ſummo deſiderio, ac ſimul D. *Metellus* quam plurimum vos ſalutat. Vale. 9. Sep.

Duacenus, de quo ſcribis, nobis omnibus inſalutatis diſceſſit. Ad *Vendovillium* poſt diſceſſum ejus ſcripſi, non ſum tamen auſus illi indicare, quod nobis non ſit viſus tam civilis & ſincerus, ut oportuit, ne ſi forte falleremur, non ſuo merito *Vendovillio* eſſet ſuſpectus.

EPISTOLA XLIV.

PETRUS XIMENIUS

Georgio Caſſandro S. P.

Coloniam.

CLariſſime Domine Caſſander. Has tibi literas redditurus eſt D. *Johannes Metellus*, vir omnibus doctrinae, prudentiae atque humanitatis dotibus ornatiſſimus. Annus fere eſt, ex quo negociorum quorundam gratia habitare coepit Leodii, quo quidem toto tempore ob ſingularem ejus humanitatem ſumma mihi cum illo interceſſit familiaritas. Cum vero frequenter ex me intellexerit tua quoque humanitate non minorem mihi tecum intercedere, Coloniam hinc ob alia quaedam negocia profecturus, ſine literis ad te meis diſcedere noluit, occaſionem itaque te ſalutandi hac ſcripta epiſtola ei praebere volui; cum alioqui nullis literis fuerit opus, ut ejuſmodi virum ac tui cupidiſſimum ſolita illa tua in omnes humanitate exciperes. Nomen tuum, mi Caſſander, & antea quoque audierat, nunc autem lectis tuis poſterioribus libellis, ſummam pietatem & eruditionem magis coepit admirari. Addiderunt aliquid & noſtri de te ſermones. Cum autem & ipſe D. *Metellus* in eorum ſit numero, qui moderatas in religione ſententias, ex quibus fere ſolis ſpes aliqua pacis ac concordiae nobis oſtenditur, depoſito ſtudio partium vehementer amet & amplectatur, vel hanc ſolam ob cauſam, quae hoc potiſſimum tempore homines inter ſe conciliat, & ipſe ſummo teneretur tui cognoſcendi deſiderio, & tibi hoc nomine multo futurus eſſet gratior. Quoties ergo illi per negocia liberum erit, & tibi oportunum eſſe intelliget, tua conſuetudine cupidiſſime fruetur, atque ea de cauſa multum ſe negociis illis Colonienſibus, quae illum ad vos proficiſci cogunt, aliquid etiam huic meae Epiſtolae debere confitebitur. Scripſi ad te, mi Caſſander, ante aliquot dies prolixam de rebus omnibus Epiſtolam; ſi quid erit praeterea quod cognoſcere voles, D. *Metellus* tum de Reverendiſſimi valetudine, tum de noſtra etiam ac ſtudiis etiam noſtris certiorem faciet. Poteris autem quamdiu D. *Metellus* iſtic erit, me paulo frequentius literis tuis inviſere, quarum ut ſummo ſemper deſiderio tenear, & alia omittam, haec tua tam frequenter afflicta morbis valetudo in cauſa eſt. Deum precor eam tibi ac D. *Cornelio*, quem officiociſſime ſalutabis, longo tempore ſervet incolumem, in ipſius gloriam. Leodii poſtridie natalem Domini.

EPISTOLA XLV.

PETRUS XIMENIUS

Georgio Caſſandro S. P.

Duisburgum.

ORnatiſſime Domine Caſſander. Mitto ad te aliquas Epiſtolas Domini *Metelli*, cum literis *Bircmanni*. Cur tam ſero mittantur cauſa haec eſt.

Prior

Prior Epiſtola commendata fuerat *Bircmanno*, apud quem, quia non habebant, per quem eam mitterent Duisburgum, relicta fuit multis diebus. Cum autem ante aliquot dies a me poſtulatum eſſet, ut ego eam mitterem, eadem inopia tabellarii factum eſt, ut nunc primum accipias. Ac fieri quidem poteſt ut hoc ipſo die venturus ſit Dominus *Metellus*, qui turpe judicavit, ſi ipſe ſuas tibi literas traderet. Nec tamen certum habeo eum hodie profecturum, quod cum D. Doctor *Echtius* & ipſe quoque hodie Duſſeldorpium atque inde Meurſam cogitaret, neque ante diem Lunae nunc diſcedere queat, incertum mihi eſt quid ſit facturus Dominus *Metellus*. Itaque haec ad te ſcripſi in omnem eventum, ac inſcribam literas D. Doctori. Secuturus eram ipſe D. Doctorem, ſi Duisburgi fuiſſes: nunc in iſto tam celebri conventu te, ſicuti par eſt, occupatiore, diſtuli amplexum noſtrum in tempus aliud commodius. Nihil eſt quod aliis de rebus ad te ſcribam, cum ſitim tuam rerum novarum, quantumvis magnam, & hae literae & poſtea ipſe author ſint impleturi. Hoc tantum dicam, miſſam ab *Wicelio* quartam partem typi Eccleſiaſtici Latine ſcriptam, a *Bircmanno* poſt reditum Antverpia edendam, quem librum ſi legerint iniqui illi cenſores tuorum ſcriptorum, verendum eſt, ne tu pro illo apud eos habearis plane catholicus, ille in Lutheraniſmum relapſus. Tam aperte, tam acriter abuſus & vitia noſtra reprehendit toto libello, & quidem plura inter vitia numerat, quam quiſquam fuiſſet arbitratus. Lutheranos inſectatur quidem more ſuo, ſed minus acerbe, quam ante hac fecerat. Quod ad te, mi Caſſander, attinet, imo quod etiam ad illum, quotidie magis ac magis bene mihi ſperandum videtur de fructu ac ſucceſſu ſcriptorum Palaeoleucorum ac Pacimontanorum. Itaque ſi, ſicuti dixi, vel integrum opus a vobis ederetur doctrinae catholicae, vel per partes ſingula argumenta perfecte tractarentur, primum omnibus Pacimontanis eſſent gratiſſima, & multo pluris fierent, & principes fortaſſe cupide eadem amplecterentur, & ſolida totius vetuſtatis, & ea numeroſa teſtimonia minus pertinaces convincerent, praefractioribus ſilentium imperarent. Apud Lutheranos forte plus profutura, quam apud noſtros: Lutheranos enim, ſicuti mihi dixiſti, pudet diſcedere a conſenſu veteris Eccleſiae; quem tamen vos illis quaſi in tabula ante oculos poneretis. Noſtri, quo minus ad hujuſmodi typum recipiendum adducerentur, unum meo judicio habent validiſſimum argumentum, quod juxta hanc ſententiam non videtur eccleſia omnibus aetatibus paris eſſe authoritatis, ſi quidem communis ſententia totius eccleſiae, quae fuit hiſce 400. annis, repudiari poteſt, quae ante illa tempora fuerit, non poteſt. Ergo authoritas non eſt penes Eccleſiam, qua eccleſia eſt. ut hoc argumento a nullo poſſit impediri pulcherrimus ille typus eccleſiae tempore Auguſtini & aliorum, ac ſalva maneat ea, quae debet, eccleſiae Chriſti authoritas, meo judicio vobis diligentiſſime elaborandum eſt. Eo ſublato, meo judicio, ſcrupulo, vel inviti omnes cogi poſſunt ad evidentiſſimas veſtras probationes ſuſcipiendas. Sed haec a me dicta ſunt, cum nihil minus cogitarem, imo cum fere tantum mea charta tegere literas D. *Metelli* ſtatuiſſem. Futurum puto, mi Caſſander, ut ſub initium Septembris ſim rediturus

Leo-

Leodium, quo (quando fortuna poſtulat uti conditionem aliquam ſuſcipiam) & vetus amicitia D. Archidiaconi, & ſpes injecta alicujus, cauſa publicae utilitatis, per novum Electum, me vocant. Si tamen a ſumma mea ignavia & tarditate in hac aetate aliquid praeſtabitur, quod florente aetate praeſtitum non eſt. Itaque mihi eripietur doctiſſima, ſuaviſſima utiliſſima conſuetudo D. Caſſandri. Dici ſane non poteſt quantopere doleam, & D. quoque Doctorem eſſe deſerendum, cujus erga me in ipſius aedibus humanitatem nullis verbis explicare poſſum. Sed hujuſmodi ſunt mortalia. Et nos & amici omnes θνητοὶ ἀπόδημοι. Illud tantum commode eſt, quod non ſolum in hac propinquitate Leodii & Coloniae frequentior eſſe poterit, ſi vitam nobis Deus largietur, haec per literas conſuetudo; verum etiam vos inviſere frequenter potero. Non dubito, quin ante diſceſſum meum futurus ſis Coloniae, aut ego te, Deo volente, viſam. De omnibus quaeſo ad me ſcribere digneris. & nunc praeſertim de eo, quid iſtic actum eſt. Amici te etiam, ut dixi, coram brevi ſalutabunt. Tu quaeſo, humaniſſimum virum D. *Lithodium* meo nomine officioſiſſime ſalutabis. Itaque Vale, in Chriſto Chariſſime D. Caſſander. Coloniae. 10. Junii.

EPISTOLA XLVI.

PETRUS XIMENIUS

Georgio Caſſandro S. P.

Duisburgum.

QUa celeritate oppreſſus ad te ſcribam, Ornatiſſime Domine Caſſander, indicabit Dominus *Levinus*, ſi forte ante reditum tuum non poterit has literas ad te tranſmittere. Reſcripſit facultas Domino Reverendiſſimo. Summa haec eſt. Notata ſunt non pauca, in quibus ſententiam meam non probant. omnia tamen fatentur eſſe hujuſmodi, ut propter ea ne ſuſpectus quidem aliquis haberi debeat. Dicunt ſe temperaſſe potius rigorem legum adverſus ſimpliciores haereticos, tantum abeſſe, ut illi ſint authores. Haec tibi ſoli ſcripta ſint. Miror tamen cum eo loco ſcriptum meum habeant, & cum Reverendiſſimo agant, ut omnino me reſtituat priori exiſtimationi, cur praeterea collationem de illis ipſis controverſiis judicent neceſſariam. Forte putant veriorem ſententiam, mihi ab illis coram demonſtratam, majorem in animo meo vim habituram. Cum ipſi humaniſſime ſcripſerint, & Reverendiſſimus ipſe properis literis me Leodium vocarit, & magno ſe gaudio affectum indicarit, non poſſum non obtemperare imperio ejus, cui tantum debeo. Itaque accinctus ad iter haec ſcribo, atque ex ipſius Reverendiſſimi conſilio ac ſententia Deo volente de collatione cum doctoribus, deque reliqua mea vita conſtituturus; ſed quando jam beneficiis effecit, ut cogar me totum ejus arbitrio committere. Ad libertatem ac tranquillitatem ſtudiorum ac fructuoſiſſimam, qualis mihi tecum fuit, conſuetudinem votis tamen recurrere licebit, ſi re ipſa impetrare non potero. Interim, mi Caſſander, ami-

amicitiam noſtram eo uſque progreſſam arbitror, ut etiam ſi maxime liceret, verbis nullis opus eſſet ad demonſtrandum vel meum erga te affectum, vel quem induiſſe te puto ergo tuum Ximenium, qui ſemper tuus erit & per occaſionem perpetuo ſcribet, & nunc hac epiſtola te in Domino ſalutat, & complectitur toto animo, & ſalutem ac valetudinem tuam Domino commendat. Coloniae ipſo die S. Crucis.

Libros tuos reliqui Domino *Levino*. *Julianus* diſceſſit. ſi iſtic cum D. *Cornelio*, eum ſalutabis.

EPISTOLA XLVII.

PETRUS XIMENIUS

Georgio Caſſandro S. P.

Duisburgum.

CHariſſime Domine Caſſander. Ingreſſus hoc ipſo momento officinam *Bircmanni*, vidi paratas eſſe literas cum libris quibuſdam, qui mittebantur Duisburgum. Itaque hora mihi ad ſcribendum conceſſa, vereor ne ſatis mihi ſpacii ſit ad ea, quae ſeſe offerunt, perſcribenda. Dabis ergo veniam & celeritati & cacographiae. Valetudinem tuam ſperamus hîc omnes eam eſſe, qualem optamus poſt leve illud incommodum ex itinere acceptum; Deumque oramus, eam etiam ſupra vires affecti atque imbecillis corpuſculi longo tempore nobis ſervet incolumem. Hac ipſa hora, qua veni ad *Bircmannum*, redibam a Licentio *Horſtio*, qui proximis diebus per famulum a me poſtulaverat, ubinam ageres, & quando rediturus. Itaque ea de cauſa viſi illum, ut mihi indicaret, ſi quid haberet, quod te cognoſcere vellet. Summa haec eſt. Accepit literas a D. *Lindano*, in quibus arbitrari videtur, libellum hunc de communione eundem eſſe cum illo, de quo inter vos ſuperioribus menſibus ultro citroque miſſis epiſtolis actum eſt. Itaque vehementer miratur hujuſmodi libellum eſſe editum, cujus tu poſſis author convinci, qui tamen eaſdem ſententias habeat, quas ipſe in literis ad eum tuis jam tibi ab aliquot annis improbatas confitereris. Ego oſtendi D. *Horſtio* errorem. & quia hoc de hoc poſtremo libello adjiciebatur, quod eſſet valde ſeditioſus & pernitioſus, neque addebatur contineri in eo aliquod falſum vel improbatum dogma, ſuſpicor libellum nondum eſſe *Lindano* lectum; ſed ex ſimilitudine tituli, atque aliorum, qui legerint, qui ſine dubio Lovanii graviter videntur offenſi, ſermonibus deceptum, pro illo altero accepiſſe. Poſtulat, ad illum ut ſcribas, & an ſis hujus libelli author, & an te conſcio, permittente vel volente ſit editus, & rationem hac in parte tui conſilii explices, cur poſt illam tuam ad ſe epiſtolam hujuſmodi foetum exire in lucem ſis paſſus. Refert praeterea in eo libello Concilium Conſtantienſe, & Baſilienſe ſacrilegii damnari, quod ego plane falſum eſſe me omnino credere dixi. Poſtulat item ſibi quam primum reſponderi. Ipſe D. *Horſtius* ſe tranſcripturum totum hoc caput ad te pertinens pollicitus eſt, ut

ad te transmittere queam. Nolui tamen hanc occasionem praetermittere, praeterea quia nihil fere plus in eo contineri puto, quam quod hic a me scriptum est, ubi ipsa verba audieris, paratior eris, & magis meditatus ad respondendum, si tamen responsionibus agendum putabis cum tam iniquis omnium eorum, qui paulisper ab illis dissentiant, accusatoribus. Ego certe dixi me ferre non posse tantam acerbitatem, non dicam adversus talem virum, sed omnino adversus aliquem, qui non plane ab Ecclesia nostra discessisset. Multa alia inter nos acta sunt, quibus cum memorandis vacare non possum, summa est, cuperent te stare judicio hujus vel Lovanienſis Academiae, & non provocare ad eos, qui ipsis graviter suspecti sunt. Dominus munia sua nobis omnibus largiatur, & modestiam, & constantiam & prudentiam, & charitatem, quae Christianos decent, ut in hujusmodi quoque casibus ea, quae ipsi accepta sunt, praestare possimus, & Christianam animi magnitudinem ad ferenda, quae nostra culpa nobis non accidunt. Fieri posset ut D. *Echtius* & ego te simus visuri brevi, velim summopere eum in illa sententia manere, ut te ante hyemem videre & complecti queam. Nam absente D. *Cornelio* & paulo magis invalescente peste, quae forte etiam increudescet, non arbitror te huc ante hyemem redituram. Propter hunc ipsum metum pestis D. *Echtius* coëgit nos ad se, hoc est in vineam suam migrare. D. *Vendovillius* a me per literas quaesivit, an sim Duaci susceptorus conditionem docendi literas Hebraeas, simul & moralem philosophiam. Sese apud Senatum daturum operam, ut mihi hujusmodi provincia demandetur. Respondi placere professionem, si ad illam essem idoneus, & si ceteris amicis videar, omnino delatam susceptorum, sunt tamen aliquae causae, quae deliberationem requirunt, atque ideo tu quoque dignaberis ad me tuam sententiam perscribere, nisi prius, quod Deus faxit, te istic videro, & coram inquiramus, an expediat me Coloniam ac charissimum D. *Cassandrum* relinquere. Sunt qui ferant, Pontificem feciſſe, quod Caesar postulabat. Eo de te ac de libris si forte aliquid allatum erit, proxima epistola Deo volente, uberius. Nunc non licet ulterius pergere. Ad D. *Metelium* etiam scribes, ut ea ratione impellatur, ut copiose de rebus omnibus te certiorem faciat. Is te salutat officiosissime, ac aderat simul in aedibus *Horstii*, quamvis colloquio non interfuit. *Tusano* dedi genesim tuam. Occupatus aliis rebus, praesertim brevi promovendus in jure civili, nondum potuit de ea astra consulere. D. *Johannem Othonem* dignaberis officiosissime meis verbis & amantissime salutare. Coloniae Sexto Maji. Vale in Christo.

EPISTOLA XLVIII.

PETRUS XIMENIUS

Georgio Cassandro S. P.

Coloniam.

ORnatissime Domine Cassander. Cum prope non dubitem Duisburgum te ante aliquot dies esse profectum, dixi huic tabellario ut, si Coloniae

te

te non reperiret, hanc epiſtolam relinqueret domus veſtrae inquilino, quem certo ſcirem tua cauſa eam primo quoque tempore miſſurum Duisburgum. Nolui porro committere, ut ſine literis meis nuncius diſcederet, quo ex illis, vel hoc ſolum intelligeres, meam ac *Vendovillii* ad vos profectionem dilatam eſſe in feſta Pentecoſtes, ob negocia quaedam, quae illum cogant proximis hiſce hebdomadis partim Mechliniae eſſe, partim Bruxellae. Ac gaudeo ſane vehementer haec ita accidiſſe, quia eo tempore mihi multo futurum eſt magis integrum me illi comitem adjungere, & ut nunc quoque fuiſſet, ſi *Vendovillius* ipſe non potuiſſet Duisburgum accedere, ſuſcepto hoc itinere, non vidiſſem Caſſandrum meum, cujus potiſſimum gratia iter ipſum ſuſcepiſſem. Meum voco Caſſandrum, ea ratione, qua noſtra merito poſſumus appellare, quaecunque a nobis diliguntur, quia poſſident animum diligentis, quod ſi illi mutuo nos quoque amore proſequuntur, jam duplici ratione noſtros vocare poſſumus. Id nobis evenire non dubito, quia cum tu propter iſtas animi tui dotes ſis amari digniſſimus, tu me viciſſim ob humanitatem redamas. Hoc certo ſcio ſingularem iſtam tuam eruditionem, pietatem ac ſinceritatem tantum apud animum meum valere, ut vehementiſſime dolerem carendum mihi eſſe tua conſuetudine, niſi haec & ſimilia nos docerent in ſolo Deo nobis eſſe acquieſcendum, cui ſi in hac vita fide ac dilectione uniri coeperimus, in perpetuum fruemur illo omnium bonorum inexhauſto fonte, & per ipſum omnibus illi ſanctitate ac ſapientia proximis, imo omnibus rebus ab illo conditis. Sed ut eo redeam, unde me vocabulum hoc meum diverterat, quamvis ſciam te feriis Pentecoſtalibus Deo volente futurum Coloniae, velim tamen literis tuis de ea re fieri certior, itaque dedi negocium huic tabellario, ut proxima profectione hoſpitium tuum accedat, ac ſi quas apud hoſpitem domus reperiat ad me literas, eas ſibi reddi poſtulat, neque dubito quin hoſpes ipſe hanc epiſtolam quam primum ad te ſit miſſurus, & reſponſum tuum redeunte Coloniam tabellario apud ſe habiturus. E Gallia laetiora paulo afferuntur, Rege Navarrae conatibus Calvinianorum ſeſe apertius opponente. Et quia credibile eſt, neque ipſum, neque Reginam hac in parte ſimulare, occaſio forte rei haec fuerit deſideratae in eo ſaltem regno per moderatas aliquas ſententias religionis concordiae, praeſertim cum etiam cogitare dicantur de redeundo in gratiam cum Guiſianis, qui prope regno pulſi bellum etiam occulte moliri credebantur. Sed haec incerta ſunt: Interim Deum oremus univerſae tandem Eccleſiae miſereatur. Valetudo Reverendiſſimi eodem eſt loco, vel paulo tantum meliore, accedente tamen aeſtate medici pro certo ſperant eum multo melius habiturum, praeſertim cum victus ratione, qua nunc utitur, & ſumptis per intervalla medicamentis profici putent, ne in morbum recidat, quod ille faxit Deus, cujus ſolius eſt dare atque adimere ſalutem. Cives Leodienſes hic aliquantulum tumultuati ſunt, ac coactis per vim Conſulibus, revocarunt edictum a Conſilio Principis paulo ante in religione propoſitum. Sentiunt omnes non debuiſſe hoc tempore aegrotante Principe nova edicta proponi, nam quamvis in revocatione profeſſi ſint, ſe velle plane manere in veteri religione & in

obedientia Principis, & quamvis revera pauci ſint, qui in religione aliter ſentiant, non ferunt tamen ſe novis edictis premi, & putant imminui libertatem ſuam, neque deſunt, qui populo natura ſua parum tranquillo faces admoveant. Speramus tamen omnes, eos voti ſui factos compotes nihil ulterius auſuros: Hujuſmodi animantes, quales homines fuerunt, ſunt, erunt, non Deus, non Prometheus finxit, ſed unum peccatum efficere potuit. De valetudine tua, mi Caſſander, quae me non deſinit habere ſollicitum, quamvis plane reſtitutam confidam, quaeſo, diligenter ſcribe, ac de illo libello, quem a te parari ſcribis adverſus Lemannica illa maledicta; ſi quid habes, etiam facias quaeſo certiorem. Interim vero dum tempus advenit, quo te complectar Coloniae, tu ſimul cum D. *Cornelio* ac patre tuo in Domino valebitis, ac ſimul ſalutabis, D. *Jacobum*, qui apud Reverendiſſimum noſtrum habitavit, ac D. *Rhetium*, ac ſi quis iſtic erit, quem me noſſe exiſtimes. Iterum Vale. Leodii 17. Martii. Salutant te Archidiaconus & *Lampſonius*.

EPISTOLA XLIX.

PETRUS XIMENIUS

Georgio Caſſandro S. P.

Duisburgum.

OPtarem, mi Caſſander, plurimum hanc te epiſtolam plane valentem ac ſanum deprehendere, ut illa quaſi initia morbi adventantis nihil nobis, praeter inanem metum, attulerint. Quod ſi per corporis conſtitutionem id non ſinunt, ſecunda jam vota ſint, ut quantum quotidie decedit corporis viribus, tantum ſpiritualis ac Chriſtiani roboris in invicto pectore accedat, utque tantum ſaltem temporis illa ipſa imbecillitas tibi relinquat, quantum ſatis erit ad ſcriptis mandandas cogitationes, quas Eccleſiae hoc tempore ſalutares fore, jam olim plurimis piis ac eruditis viris, nunc etiam ſummis Monarchis perſuaſum eſt. Dignaberis ergo nos quam primum facere certiores tuae valetudinis. Cum nos dico, omnes intelligo, quos hîc ſalutari cupiebas, quos par mecum hujus rei ſollicitudo tenet. De reliquo accipies ſimul cum his literis epiſtolam Reverendiſſimi Treverenſis, & deinde fortaſſis enim Moguntini, quibus, ut videtur, idem quod Colonienſi de te Viennam mittendo pari ſtudio ac diligentia a Caeſaribus mandatum eſt. Tanta illis Principibus, quod nobis ex animo laetandum eſt, hujus tam utilis ac jam omnino neceſſariae rei cura eſt, tantum ad eam rem in tua praeſtanti eruditione momenti poſitum eſſe merito arbitrantur. Fuit ille ipſe conſiliarius Reverendiſſimi Treverenſis, quem noſti, qui has literas Coloniam tulit, quique te hîc Coloniae Principis ſui nomine convenire cupiebat; ubi vero ex me heri audiſſet, te valetudinem hac in parte tuam apud Imperatorem excuſaſſe, cauſam non eſſe putavit, ut ipſe te accederet, aliis praeſertim cauſis abitum ejus confeſtim poſtulantibus; itaque a me petiit, ut tibi ſcriberem quam primum Principi ipſius reſponderes, ut ipſe quoque diligentiam ſuam in literis mittendis Principi probaret. Simul etiam

me

me aſcribere juſſit eundem Principem tibi ex animo bene velle, ac voluntatem erga te ſuam in eo, quod ab ipſo poſtulabis, libentiſſime declaraturum. Utinam, mi Caſſander, dotes tuae ita innotuiſſent tempore colloquii Wormatienſis, quum viribus integris ſponte eo profectus, ne praeſentia quidem tua, ut opera tua ſequeremur, effeciſti. Sed haec ab ea ſapientia adminiſtrantur, ad quam cogitationes noſtrae pervenire nequeunt. Cum in obvium mihi heri D. *Helmannum* incidiſſem, is tuis a me verbis ſalutatus a me diligentur contendit, ut cum tibi primum ſcriberem, ipſius nomine te rogarem, inquireres, an apud D. *Othonem* locus eſſet ipſius filio, quem etiam ipſi *Othoni*, ſicuti puerum ejus aetatis atque amiciſſimi viri filium decet, commendares. Addidit praeterea ſe quoque ipſum ad aliquot menſes migraturum Duisburgum, ſi commodae iſtic aedes illi reperiantur. Feci mentionem aedium D. *Cornelii*. Itaque vehementer optat vel eas, ſi vacarent (nam D. *Rochafageran* non puto de migrando valde ſollicitum) vel alias, quas illi commodas fore judicabis, ipſi quaeri ac conduci. Facies autem illum quam primum certiorem, & quales ſint aedes, & quo precio locentur. Arbitror totius hujus conſilii peſtem eſſe cauſam, quae tamen non admodum graviter hic graſſatur. Sed tamen quia ſollicitus videtur, dignaberis ejus hac in parte deſiderio quam primum ſatisfacere. Ego, Deo gratia, ſanus & incolumis pedes perveni non Duſſeldorpium modo, ſed Coloniam etiam, tantum mei pedes tuis praeſtant: Salutavi omnes amicos, ſolus D. *Metellus* cupiviſſet te quacunque ratione iter hoc ſuſcepiſſe. Itaque prae nimio deſiderio, tum alicujus felicioris ſtatus Eccleſiae, tum tuae quoque gloriae, nullam credebat ſatis juſtam excuſationem. Literae tuae ad *Lindanum* hodie, ut puto, mittentur in Brabantiam per *Horſtium*, cui tuam apologiam quoque dedi, ac ſimul monui eos, qui in tuis ſcriptis non poſſint errorem aliquem, ſaltem graviorem, perſpicue demonſtrare, ab eorum ſimul & authoris inſectatione debere abſtinere, D. *Bircmannus*, ut puto, Latine & Germanice excudet tuam apologiam, cujus cauſa literas accipies. Omnes te officioſe ſalutant. Ego viciſſim patrem D. *Othonem* & *Everardum* ac te ſimul atque illos Deo commendo. Polonica tua nova tibi remittentur per primum. Vale in Domino, Coloniae. 4. Julii. 1564.

Indicavi D. *Bircmanno*, quae juſſeras de potione illa gemmea. Reſpondit ſe curaturum, ſed rem egere ſpacio pluſquam trium menſium.

EPISTOLA L.

PETRUS XIMENIUS

Georgio Caſſandro S. P.

Duisburgum.

Chariſſime Domine Caſſander. Rurſus me cogit tarditas mea, a te merito accuſata, literas ſcribere prioribus ſimiles. Eſt nunc prope hora noctis undecima, & craſtino die ſummo mane, Deo volente, proficiſcar Aquisgranum,

literis & proprio nuncio Domini Archidiaconi nomine Reverendiſſimi Domini mei accerſitus, ut eum illic iterum agentem ac in patriam forte rediturum ſalutem. Quo itinere nihil mihi eſt gratius, viſuro Principem de me optime meritum, & cujus morbus ac fortuna moerorem nobis incuſſere & benevolentiam augent, ſi tamen non rectius cum eo agatur, qui tantum onus depoſuerit, quod etiam ſanum gravare poterat, utcunque ſic & ipſi & nobis omnibus ea ferenda ſunt, quorum Dominus nos ὑ καθίσηκεν κυρίους. & tibi quoque, mi Caſſander, in hac tam bona gratia, quam utrinque eruditio tua, labor ac chriſtianae concordiae ſtudium reportat. Pulcherrimam & hîc & in corporis morbis tum patientiae, tum aliarum, ut noſti, virtutum exercendarum nactus es materiam. Deumque precor, quando materiam hanc impedire non ſtatuit, Spiritum quoque largiatur, per quem nihil eſt impoſſibile (ſi quidem hiſce diebus per unum atque alterum piſcatorem univerſum orbem ſibi ſubjecit) cujus beneficio ea tibi cedat in ipſius gloriam. Eundem etiam majori affectu oro, vires quoque largiri dignetur, quo minus corporis imbecillitas te impediat, integrum aliquod Catholicae doctrinae corpus, ex orthodoxis ſcriptoribus tanto ſtudio per tot annos a te collectum, in lucem brevi mittere. Quanto diligentius apud me rem eam perpendo, tanto magis confirmor in ea ſententia, ut credam & eos, qui ex noſtris tibi nunc ſunt iniquiores, longe magis tuam ſententiam probaturos. Et adverſarios, qui nunc has futiles & obſcuras diſputationes, vel ad unam controverſiam pertinentes, tot conviciis excipiunt, multis in rebus invictis principiis & probationibus, quibus ille Anabaptiſta reſiſtere non potuit, ceſſuros. Sed de his iterum Deo volente latius, nunc neque tempus, neque calamus, neque atramentum, neque ingenium plane torpens patitur me his rebus immorari. Oſtendi epiſtolam tuam, ut volebas, *Horſtio*, neque tamen flectitur, ut libellum, quem tot Catholici probant, cui tam iniqui ſunt adverſarii, ipſe probet. Mitto tibi ejus epiſtolam, quam ſcripſit poſtridie, quam ego priores illas ad te litteras miſeram, tum ob inopiam tabellarii, tibi hactenus non miſi, neque ipſe poſterioribus tuis literis reſpondi, quia cum eas accepi apud *Bircmannos* eo ipſo momento expectabatur ad te rediturus tabellarius: nec mihi ſatis fuit ſpacii ad ſanctum *Scuerinum* ut redirem, ac meas ſimul cum D. *Horſtii* literas mitterem. Fortaſſe non fuerit inconſultum, ſi reſponderes *Lindano*, ſed uteris tuo judicio, ſatiusne ſit vel contemnere, vel expectare, dum & ipſi aliquid edant. Non dubito idem fore editis utrinque ſcriptis bonorum omnium judicium, quod de tuis ac *Calvini* ſcriptis adverſariis. Mi Caſſander, non ſomnus me opprimit tecum diſſerentem, ſed intempeſta nox, talis praeſertim, quae nimis urget Theſſalicas ſagittas, me jubet finem imponere. Regina Galliae dicitur eſſe infeſtior Condejanis, quam antehac fuerit, & aperte dicere regem illo foedere non obſtringi. Egerrime tuliſſe id *Andelotium*, ac libere profiteri, non violatum iri id foedus, niſi prius moriantur decies mille nobiles, & centum millia aliorum civium: atque in quodam oppidulo ipſius praefecturae, quia incolae Catholici unum atque alterum per tumultum ex ipſius comitatu interfecerunt, duodecim cives egit in crucem. Si haec vera

ſunt

ſunt, propemodum dubitari nequit de novo bello, quo, quod Deus avertat, plane videtur peritura miſera Gallia. Angli fuere etiam adverſus noſtros ferociores, quamobrem non levis apud nos dicitur eſſe belli metus. Sed jam tempus eſt eundi cubitum, ac proinde te, chariſſime Domine Caſſander, Deo commendo. D. *Arnoldus* mittet tibi libellos, quos petis, ego raro in urbem venio: nam judico me habitare ruri: poſt reditum meum deo volente inquiram, utrum eos miſerit, & ſcribam latius, & D. *Metellum*, cujus etiam conſuetudine raro fruor in hac ſolitudine, objurgabo, ſi ad te non ſcripſerit. Tu tamen ad nos ſcribere dignaberis, quando te poterimus expectare: niſi totam aeſtatem nos deſerere ſtatuiſti. Peſtis non augetur, Deo gratia Dominus *Echtius* minimo digitulo trahere me poterit, ut longe ultra Duisburgum Dominum meum Caſſandrum inviſam, ſi tu ad nos brevi non es rediturus. De valetudine tua quoque ſcribes, quam tibi precor ex animo incolumem, ut ſaltem tanto jam tempore maturos animi foetus, atque eccleſiae hoc tempore tam neceſſarios, edere non prohibeat. Iterum vale. Coloniae 19. Maji.

EPISTOLA LI.

PETRUS XIMENIUS

Georgio Caſſandro S. P.

Duisburgum.

DOctiſſime ac Chariſſime Domine Caſſander. Puto tibi a Domino *Metello* ſcriptum eſſe, me favente domino poſt Epiſcopi noſtri Leodienſis inaugurationem Coloniam ad vos profecturum. Ego vero ne tamdiu quidem expectandum mihi ducerem, niſi D. *Marcus Peres* is, cui ego ſicuti, ut opinor, noſti, plurimis & maximis beneficiis ſum obſtrictus, ſe eodem tempore tum ſpectandae hujus pompae gratia, tum etiam ob alia negocia Antverpia Leodium venturum ſcripſiſſet. Cum is a me obnixe poſtularit, ne ante adventum ipſius quoquam diſcederem, profectio quoque mea ad vos neceſſario differetur, ad ſummum, ut arbitror, uſque ad feſtum Pentecoſtes. Non dubito, quin tu quoque, mi Caſſander, eo quoque tempore Coloniae ſis futurus. Sed, & ſi aliqua te cauſa Clivis detineret, parum mihi eſſet, & eos & quoſvis etiam montes ſuperare tui viſendi gratia. Sed aequum plane eſt ut Colonia quoque tua, praeſertim communes noſtri amici, poſt quindecim jam menſium abſentiam, *Caſſandro* ſuo rurſus fruantur, quamobrem, ſicut dixi, te quoque tunc Coloniae futurum dubitare nolo. Interim nullis ſane verbis deſiderii mei magnitudinem exprimere poſſum, quo teneor, te, D. *Echtium* ac D. *Metellum* viſendi & complectendi, te quidem ex tot morbis recreatum, tot laboribus interim fatigatum, D. *Metellum* ex tam longo ac periculoſo incendio ſalvum & incolumem; D. *Echtium* tam tenere eos, quas amiſit, amantem, & quidem etiam maximo eorum merito, amicorum adhuc praeſentia egentem, utinam autem vel hîc vel alibi quippiam in me eſſet, quod meo ergo illum amori &

illius

illius in me meritis reſponderet. Spero tamen me eum Leodii viſurum ante meum hinc diſceſſum. Spem mihi fecit adventus ſui ad inaugurationis diem, partim minuendi maeroris cauſa, partim ut agrum ſum Leodienſem commodiſſimo anni tempore perluſtret. Cohortaturus ſum illum, ut in propoſito maneat, ſi venerit, credo nos ſimul Deo permittente redituros. Vidi interim, mi Caſſander, Imperatoris ad te epiſtolam, hoc eſt ejuſmodi induſtriae teſtimonium, quale tibi omnes ſemper vere concordiae cupidi, & vere Catholicarum ſententiarum amantes, perhibituri ſunt. Eas a te Catholicae Eccleſiae teſtimoniis ac rationibus ita confirmatas non dubito, ut aequitas ſaltem contra ſentientium nihil ſit habitura, quod opponat. Invidia & iniquitas ſemper habebit. Vehementer vellem librum ipſum videre, & ſimul aequorum & iniquorum judicia de eo cognoſcere, & quem effectum ſtudio Imperatoris, & tua induſtria dignum pariat. De omnibus, favente Deo, latiſſime agam, & ſimul ſi quid in his ingenii mei ac doctrinae anguſtiis, ignavia mea ſtudiis tuis inſervire poterit, de eo, quod expedire videbitur, ſtatuere poteris. Judicabis etiam utrum pergendum mihi ſit in meis meditationibus, de quibus aliqua munde ſcripta videbis, & ſimul intelliges, me plurimis deſtitui ad tantum argumentum, ſicut oporteret tractandum, praeſidiis. Ut interim omittam incredibilem meam ignaviam, quam tua induſtria in tam infirmo corpore in die judicii eſſet accuſatura; ſi prius Clementiſſimum Dominum non exoraverim, ne in judicium cum ſervo nequam venire velit. Vides, mi Caſſander, quam ſim cupidus veteris noſtrae, cujus memoria recreor, conſuetudinis, qui te tam diu teneam. Itaque Deo volente, cum primum licuerit, ad vos advolabo. De rebus meis nihil habeo, quod ſcribam. Poſt diſceſſum Colonia meum fui Antverpia tribus prope menſibus, ubi ſororis meae & liberorum negocia Dei benignitate, ac ſtudio & cura illius honeſtiſſimi viri, quem hîc operior, ex animi ſententia confecta ſunt. Interim quinque fere ſunt menſes, ex quo hîc ſum apud Dominum Archidiaconum, cujus nimia erga me indulgentia corrumpor. Deberem potius in hac aetate, in qua jam de migrationem ibi cogitandum eſt, exteriorem hominem corrumpere, ut interior vegetus nihil aliud cupiat, nihil expetat, nihil expectet, quam beatam illam hereditatem, in qua jus nobis eſt merito paſſionis ejus, qui altero jure filii contentus alterum nobis dedit. Interim in Chriſto bene valebis, chariſſime Domine Caſſander. ac ſimul *Everardum* tuum amanter meo nomine ſalutabis. Nam D. *Cornelium* nondum ad vos rediiſſe credo. Salutat te D *Archidiaconus* cum *Lampſonio*, tui ſtudioſiſſimi. Iterum vale. Leodii ipſo die inventionis crucis. 1565.

EPI-

EPISTOLA LII.

PETRUS XIMENIUS

Cornelio Walthero S. P.

Gandavum.

CUm nihil minus fore cogitarem, Clariſſime Domine Waltere, quam me hac ſaltem hyeme Colonia diſceſſurum, vocatus ſum ſubito Antverpiam, negotiorum quorumdam gratia ad filios & uxorem fratris pertinentium. Etſi autem nova hac moleſtia interrupta ſtudia mea & turbatum placidum illud, quo fruebar, ocium non mediocriter dolebam, graviſſima tamen dolendi cauſa merito fuit, quod D. *Caſſandri* tot mihi nominibus expetita & quaeſita conſuetudine frui prohiberer, ipſumque viciſſim hoc tempore te abſente deſerere cogerer. Fuit illi autem inter caetera moleſtus diſceſſus meus, quod, cum poſt tam longas a proximo paroxyſmo inducias in quotidiano fere metu futuri morbi verſetur, ſi eo, quod abſit, ante reditum tuum corriperetur, me prae caeteris, quamvis aliis rebus imparem, ob majus otium paulo magis apud illum fore aſſiduum ſibi perſuadebat. Feciſſem ſane per Dei gratiam, quod in me fuiſſet, & id ipſum ob ejus erga me benevolentiam fuiſſet illi gratiſſimum. Utcunque ſit, hic ipſe meus diſceſſus ſummum illud reditus tui deſiderium in eo nonnihil auxit, quam ob rem etiam ut eum paulo magis accelerandum ducas, charitatem tuam hortatur. Ego vero, ut ingenue fatear, rationem etiam aliquam inveniri poſſe optarem, ut, fieri ſi poſſet, in poſterum perpetuo una eſſe poſſetis, utque vel ipſe Gandavum ſe perduci pateretur, ſi negocia tua te iſtic diutius neceſſario retinerent. Nam, ſicuti noſti, cum propter corporis ejus imbecillitatem, vix unquam metu carere nobis liceat, ne quid illi humanitus accidat, incredibili ſane dolore conficeretur, ſi vel in periculoſum aliquem morbum te abſente incideret. His tamen de rebus me tecum agere ſupervacuum eſt, cujus omnes curae a 25 annis in uno *Caſſandro* fovendo, per aeterna memoria digniſſimam benevolentiam ac beneficentiam conſumptae ſunt. Itaque veſtrum erit, ubi Deo permittente Coloniae fueris, quid negocia tua, quid valetudo ipſius poſtulet, quid communi utriuſque deſiderio, quid rurſus importunae interdum neceſſitati tribuendum ſit, accuratius examinare. Meae tantum ſunt partes & brevem aliquem finem moleſtis iſtis litibus, & proſperam utrique veſtrum valetudinem, & celerem mihi etiam reditum ad gratiſſimam & utiliſſimam *Caſſandri* tui, (nam ad te ſcribens non audeo meum vocare, vel noſtrum) conſuetudinem a Domino poſtulare. Non arbitror tamen ante feſta natalitia mihi fore integrum hinc diſcedere. Quantum autem ex poſtremis tuis literis colligere potui, ne te quidem iiſdem feſtis cum illo futurum ſuſpicor. Quod ſi moleſtum non eſt, facies me de tempore reditus tui certiorem, ut ſi & ipſe tunc expeditus fuero, poſſim tibi eſſe comes. De reliquo de iis, quae ad D. *Caſſandrum* attinent, nihil eſt, quod in praeſentia ſcribam. Ex literis ipſius, quibus meas adjunxi, ea facile cogno-

ſces. Id tantum a me accipe, D. *Echtium* noſtrum, cujus erga me ſingularem humanitatem ſatis praedicare non poſſum, brevi alteram uxorem demum ducturum, ac D. *Metellum* te plurimum ſalutare. His ergo in Domino valebis, clariſſime vir. Antverpiae. 27. Novemb:

EPISTOLA LIII.

PETRUS XIMENIUS

Cornelio Walthero S. P.

Gandavum.

CLariſſime Domine Waltere. Accepi hiſce diebus binas a D. *Metello* literas, quae proculdubio ſummam nobis conſolationem afferre potuiſſent, ſi tale corpuſculum, quale eſt D. *Caſſandri*, mediocrem aliquam ſpem nobis praebere poſſet victoriae contra tot ſimul morbos. Quicquid id tamen eſt laetioris nuncii, quicquid ex eo conſolationis, quod nobis hae poſteriores literae attulerunt, hiſce tibi, ſicut aequum eſt, breviter impertiam. Paulo meliore valetudine per Dei gratiam eſt *Caſſander* noſter. *Bircmannus* optimam ſpem de ejus reſtitutione conceperat. Ceteri medici paulo quidem minorem quam *Bircmannus*, ſed tamen longiorem illi vitam pollicentur, quam paucis ante diebus erant polliciti. Supervenit poſtea familiaris illi articulorum dolor, & quidem non ſine nova febre, quamobrem auctus iterum omnibus metus eſt, ne agmen tandem malorum infirmiſſimum adverſarium obruat. Quamvis autem ipſi medici in nonnulla adhuc verſentur ſpe; nos tamen potiſſimam ſpem in Domino collocemus, qui nobis eum, ſicut ſcribis, ad ſuam gloriam conſervare dignetur. Vehementer doleo non te ſolum, ſed neque me etiam hoc tam neceſſario tempore illi potuiſſe adeſſe. Mea Coloniam profectio dilata fuit ob adventum D. Marchionis Bergenſis, quem hodie hîc expectamus, cum ante quatriduum fuiſſet alioquin venturus. Coactus ſum illum expectare, tum ob alias cauſas, tum quia ſoror mea nupſit hiſce diebus cuidam ex familia ipſius, ipſo Marchione eum nobis per literas commendante, & nuptias liberalitate in maritum promovente. Itaque neceſſe erit primum currum expectare, qui nullus paratus erit ante hujus hebdomadae finem. Si ullo modo, mi Corneli, negotia tua patientur, ut una diſcedamus, facile intelliges te praeſentia tua propemodum poſſe ſalutem afferre animae dimidio tuae. Opto itaque, certiorem me facias tui conſilii. Si ego ſolus diſceſſero, tuorum mandatorum ero memor. Haec ad te rurſus breviter ex aedibus D. *Bircmanni*, qui te plurimum ſalutat. Ego interim precibus meis, quantum in me eſt, chariſſimi viri ſalutem Domino commendabo, cui te quoque commendo. Antverpiae 2. Januar.

EPI-

EPISTOLA LIV.

PETRUS XIMENIUS

Cornelio Waltero S. P.

Gandavum.

CLariſſime Domine Waltere. Quo loco ſit *Caſſander* noſter, ex hiſce *Metelli* literis facile intelliges. Optimo eſt ille quidem, vel per Dei miſericordiam brevi futurus eſt; ſed nobis, qui illum amabamus, ob imbecillitatem noſtram ac communem ſtudiorum ac piorum jacturam, non optimo. Ego ſane erepto mihi tali viro, talique amico, cum quo aliquot adhuc annos cum ſumma voluptate ac ſumma ſtudiorum meorum utilitate me exacturum ſperabam, cum accepi nuncium, quo forte nullum in vita accepi acerbiorem, quique, te uno excepto, alium neminem tam gravi dolore afficere queat. Unum meo judicio eſt, quod in hoc tam gravi caſu nos prae caeteris conſolari poteſt, quod non modo ob afflictiſſimam ejus valetudinem, verum etiam ob noſtram omnium jam ingraveſcentem aetatem promittere nobis non licebat, hanc noſtram tantae voluptatis conjunctionem fore diuturnam. Sed de his & de aliis, divina providentia nobis contra has aerumnas datis, remediis coram fortaſſis paulo poſt agemus. Nunc neque per occupationes quaſdam in ſororis nuptiis de his agere vacat, neque per recentem adhuc maerorem facile poſſum. De reliquo vides etiam, quid D. *Metellus* ſcribat. Si ſupra vires meas non erit, quod a me *Caſſander* videtur poſtulare, & tibi ita videbitur, neque pium, neque honeſtum fuerit deeſſe tanti amici ſupremae voluntati, ac communi quoque ſtudioſorum utilitati. De eo igitur ſimul deliberabimus. Caeterum ego profecturus etiam Coloniam fueram poſt triduum aut quatriduum. Quamobrem opperiar harum reſponſum, ita tamen, ut ſi tibi integrum non erit quam primum iter arripere; ego cum mandatis tuis de eo, quod fieri Coloniae velis, praecedam; quod ſi in craſtinum nullus occurret, cui has tradere queam, proprium ad te nuncium, ſicuti jubet *Metellus*, dirigam. Tu, quaeſo, non committes, quin viſis hiſce literis extemplo reſpondeas, cum mihi vix liceat hîc diutius haerere, ſorore ſimul cum marito Bruxellam diſcedente. Epiſtola D. *Echtii*, cujus hîc mentio fit, ad manus meas non pervenit. Itaque morbi genus, & quae in eo accidunt, ab illo nobis deſcripta ignorare cogimur. Tenuiſſima adhuc, ut apparet, ſpes de vita ipſius relinquitur, quandoquidem multi a medicis deplorati aliquando ſuperſunt, quod in *Caſſandro* noſtro ille faxit Deus Opt. Max. ut vota noſtra hac in parte exaudire dignetur. Ad fratrem quoque tuum, quando ita *Metellus* jubet, ſcribam, & exemplum mittam literarum ejus, ut hac quoque ratione ad manus tuas perveniat, ſi forte fueris Bruxellae. Interim in Domino vale, Chariſſime Domine Waltere. Antverpiae. 14. Januarii 1566.

Obiit ex hoc morbo *Caſſander* III. Nonas Februarias A. CIↃIↃLXVI. ut ex Epitaphio, ipſi a *Cornelio Waltero* poſito, quod legitur ante ejus opera, conſtat. vid. *Valer. Andr.* Bibl. Belgicam.

EPISTOLA LV.

PETRUS XIMENIUS

Cornelio Waltero S. P.

Gandavum.

ORnatiſſime Domine Corneli. Scripſi abhinc dies tertius de triſtiſſimo nuncio extremae valetudinis D. *Caſſandri*, & ſimul miſi epiſtolam ea de re D. *Metelli*. Omnino arbitror meam epiſtolam tibi redditam, ſed nihil nocuerit, has etiam literas per ipſum Gandavenſem nuncium ad te miſiſſe. Res, ut vides, deſiderat praeſentiam tuam, vel ſaltem mandatum aliquod, quid fieri velis, dum tu revertaris. Ego ipſe, quem nihil aliud praeterquam tuum reſponſum hîc detinet, vel comes tibi futurus ſum, vel perlaturus epiſtolam & mandata. Itaque non committes, quin mihi per hunc ipſum nuncium reſcribas. Interim ut triſtiſſimum nuncium levi aliqua conſolatione mitigem, ſcito me poſtea ex literis D. *Echtii* intellexiſſe, ipſum non plane deſperare, quamvis deteriora metuat. Nos tamen magno, vel ſaltem aequo animo ferre oportet, quod illi videbitur, cui nihil placere poteſt niſi optimum. Ille nobis, quaeſo, tantum amicum ac tantum Eccleſiae membrum ſervet miſericordia ſua incolumem, cui tuam quoque ſalutem commendo. Haec raptim ſcripſi in aedibus D. *Bircmanni*, qui te plurimum ſalutat. Vale 16. Januarii 1566.

EPISTOLA LVI.

ANDREAS MASIUS

Georgio Caſſandro S. P.

Xantos.

VAlde me oblectavit epiſtola tua, mi Caſſander, quam Cancellarius noſter cum chorographia Sanctae terrae, a noſtro *Gerardo Mercatore* elaborata, ad me mittebat die XVIII. hujus menſis, cum multis aliis de cauſis, tum in primis, quod te non peſſime in tam noxia caeli intemperie, ut tunc mihi videbatur, valere ſignificaret, & quod opus illud de dogmatis Eccleſiae controverſis, ut ipſo argumento difficillimum, ita ob tantorum principum expectationem tuae famae & nomini longè periculoſiſſimum, & ſimul propter temporis brevitatem, imbecillemque tuam valetudinem tibi multo moleſtiſſimum, ad finem eſſe perductum nunciaret. Ego, mi Caſſander, plane mihi perſuadeo, ſi deo propitio illud ſacroſanctae religioni noſtrae congruenter elaboraſti, ut eorum, qui hoc ſeculo rempublicam moderantur, titubans atque vacillans ad omnia & ſingula paene dogmata rituſque Eccleſiae animus, & novitate pruriens, firmetur, & a ſui judicii fiducia aut confidentia potius, ad veterum conciliorum, patrumque autoritatem reducatur, futurum, ut poſthac multo

quam

quam adhuc, ſuavius vivas, quando tam utilis tamque praeclari, immo divini operis te conſcientia miris modis ſemper oblectabit, & omnium hominum vota optima, quos certe novarum rerum libido non prorſus perdidit, te perpetuo proſequentur, ut jam nihil te poenitere debeat inſumpti laboris, etiamſi tuae valetudini aliquid detrimenti attuliſſe videatur: non credas enim, quam facile omne, tranquillata ſemel mente, reſarcietur. Illud porro faciendum tibi erit, ut bonorum approbatione contentus eſſe, eorum vero, qui novitatis, ut dixi, ſtudio prorſus inſaniunt, judicia, obtrectationeſque fortiter contemnere poſſis. Sed quid ego te hujus moneo, qui jamdudum hanc aleam probe es expertus, & prudentiſſime moderatus. Ego vero jam mirifice flagro deſiderio videndi operis illius tui, nec ſcio, an tantiſper, dum in publicum illud prodeat, ferre potero hoc meum deſiderium, certe niſi alia me ſtudia retinerent, jam nunc ad te adcurrerem, ex animo loquor, mi Caſſander; non quod ego in iis non acquieſcam, quae a veteribus tradita, & in Catholica eccleſia adhuc obſervata didici: mihi enim ſemper ſacroſancta erit majorum meorum religio, ad quam a puero aſſuevi, & qua veriorem ſimplicioremque, & verae pietati convenientiorem comperio nullam; ſed quod vehementer deſiderem illud videre ſcriptum, quo male curioſorum hominum πλυπεραγμοσύνη, in iis praeſertim fidei noſtrae myſteriis, quae ſub Eccleſiae autoritate a profanis ſaltem hominum diſputationibus tuta, καὶ ἀνεξιλέγκτα, ἀνεξιτάστα manere debebant, reprimatur aliquatinus: extingui enim poſſe, niſi per maximam rerumpublicarum viciſſitudinem, & prope novam orbis faciem, jamdudum deſpero. Sed de his hactenus. Facile enim, ut video, in publicam noſtri temporis inciderem querimoniam, ad quam nulla unquam verba ſufficient. Miſſum eſt ad me a *Plantino*, novo typographo Andoverpienſi, reſponſum quorundam Sacerdotum Anglicorum adverſus neſcio quem *Hopperum*, ei adjuncta eſt replicatio, ut vocant, *Stephani Gardineri*, in qua viſus ſum animadvertere plurimas hujus ſeculi controverſias docte, ſolide, acute, copioſe tractatas, quare velim hanc replicationem a te lectam fuiſſe, prius quam illud e manibus amandaſſes opus. Sed quae tua fuit multorum annorum diligentia & ſedulitas, nihil ſpero praetermiſeris, quod ad ſolidae veritatis agnitionem faciat, ad quam amplectendam, utinam non plurimis ſuae obſtat gloriae ambitio, & vaniſſimum novitatis ſtudium, cum implacabili vetuſtatis odio, & nullo judicio conjunctum. Plane in tempore venit *Mercatoris* noſtri χωρογραφία; jam tum enim ad ſortitionem tractandam, qua tributim terra ſancta dividitur, me comparabam. Sed quando ille ex animo, ut allegatum ſcriptum de ſitu montium Hebal & Garizim teſtatur, mihi gratificari voluit; ego mutuis ad ipſum literis meam quoque gratitudinem, ut potero, declarabo, tibi vero interim maximas ago gratias, mi Caſſander, qui talem virum mihi amicum & benevolum feceris. Fuit praeterea gratiſſimum mihi abs te munus libellus ille tuus de infantum baptiſmo, ex quo hiſtoriam adhuc mihi prorſus ignotam, veluti ob oculos depictam, videre viſus ſum, & ſimul fanaticae gentis ſubverſa praeſidia omnia. Satis intelligo, mi Caſſander, te ad hujuſmodi argumenta tractanda natum eruditumque eſſe; per-

ge ergo, aut potius ſequere macte virtute, quo divinus te afflatus ducit, & cave, ne, dum pudentiuſculus de te ipſe minus bene ſentis ac debes, ingenii tui alacritatem impedias, mentiſque vigori nebulas quaſdam offundas. Non tu, mi Caſſander, jejunus es in tuis argumentis, niſi me amor in te meus judicantem impedit, ſed occurrunt tibi dicenda, quae opus eſt, omnia, & ſuavi καὶ αὐτοχθονι oratione omnia fluunt, qui ſtilus in rebus ſacris tractandis mihi probatur maxime: quorſum enim illa Calviniana σύμματα, & inutilis orationis luxuries, niſi ad faciendum auditori vel lectori fucum. Ego veram ingenii ſterilitatem, ariditatemque in me experior, cui vel prolixiſſima cogitatione vix quidquam occurrit. Ex memoria labiliſſima nihil ſuggeritur, adeo ut quoties ſerio me ad commentandum comparo, tametſi multa legerim, multa didicerim (abſit arrogantia) mens mea videatur, veluti nube quadam ignorantiae imbuta, ſe fruſtra intendere, quam alioqui ex Dei benignitate ſatis habeo perſpicacem: ſed ita ſunt Dei dona, alius ad alia natus eſt, ut diverſis operis omnia hominum inter ſe ſocietatis officia praeſtentur. Quare ſimus, mi Caſſander, Dei in nos liberalitate contenti, eamque, illo vires ſubminiſtrante, ita exerceamus, ut olim ſortem cum foenore poſſimus rependere minime duro domino. Quod ſupereſt Deum opt: Max: precor, ut hunc tibi annum & plurimos alios det quam feliciſſimos. *Wezius* te amantiſſime reſalutat, *Reccus* apud principem per hoſce duos menſes hinc abeſt, mea etiam uxorcula multam tibi ſalutem nunciat, teque aliquando coram videre exoptat, conſcia mei in te amoris. Non vacat, mi Caſſander, ut ipſe deſcribam hanc epiſtolam, neque habeo amanuenſem, quare eſt, quod lituris ignoſcas, impedior enim jam multis literis ſcribendis, & mens, ut vides, ſaepe articulos praevertit. *Dominum Petrum* Canonicum Xantenſem & Doct: *Riſvicum* obſecro ex me amanter ſalutes, quando ad te viſent. Et tuam valetudinem, mi Caſſander, quantum potes, curato. Pridie Calendas Januarias MDLXIV. Ex Zevenera. Si quid de *Ximenio* audiſti, ubi nunc agat, velim ſignifices, quando vacabit.

Vid. *Caſſandri* Epiſt. LXXXV. pag. 1186. operum *Caſſandri*. Fuit autem hic *Maſius* Vir egregius, cujus vita eſt apud *Valer. Andr.* Bibl. Belg. & cui teſtimonium praeclarum eruditionis & moderationis dedit *Dallaeus* de uſu Patrum lib. 1. cap. 4. pag. 67. Multa ipſi familiaritas cum *Latino Latinio*, ex cujus epiſtolis multa de eo diſci poſſunt. vide t. 1. pag. 84. & de ejus matrimonio t. 11. Epiſt. 64. vide etiam *Teiſſer.* Elog. Thuan. tom. 11. pag. 461. Quam non placuerit inquiſitionis antiſtibus ejus doctrina & libertas, oſtendit Index, ut vocant, expurgatorius Quirogae Cardinalis, qui in initio quaedam expungi jubet in ejus commentariis ad Joſuam, quibus Latinum interpretem *mendoſe*, & *non ſatis conſiderate* vertiſſe, & *Diverſum monumentum ad ſolam vitae bene actae imitationem, non etiam ad religioſum cultum, quem adorationem vocant Theologi, conſervare jus eſſe* dixerat. Perperam etiam Inquiſitores eum *Maſſium* vocant in altero indice *Antonii a Sotomajor* Madrii, ut titulus prae ſe fert, edito 1682. ubi pag. 46. & 47. plura adhuc deleri jubentur.

EPI-

EPISTOLA LVII.

ANDREAS MASIUS

Georgio Caſſandro.

SAlve mi ſuaviſſime Caſſander. Iter iſthac facturo *Wezio* meo, aut noſtro verius, non potui non aliquid ad te literarum dare, pro magno meo adverſus te amore, atque hoc officio, ſimul illi tui alioqui amplectendi avidiſſimo occaſionem objicere majorem tui videndi, ſimul mei apud te memoriam inſtaurare. Nam alioqui nullum mihi jam praecipuum argumentum ſcribendi erat, niſi quod velim *Mercatorem* per te rogari, quando utrique ocium erit, ecquid certi habeat de montibus illis Samaritanis Garizim, & Hebal, quanto intervallo alter ab altero abſit, & uter altero magis, ut ſic dicam, meridionalis: vehementer enim me torquet celeberrimus ille actus fauſtae & dirae imprecationis a Moſe praeſcriptus, & a Joſua ad rem ipſam collatus. Neque enim quî potuerit illa caeremonia peragi intelligere poſſum, niſi mons unus fuerit, qui ab radice molli acclivitate aſſurgens, mox ex plano loco duobus veluti cornibus diſſectus, prope ἡμιθεάτρου ſpeciem praebuerit, atque in verticum altero Garizim, altero Hebal fuerit dictus. Si apud meos libellos eſſem, ubi haec altius ſum meditatus, ſcriberem fortaſſe complures cauſas, quae, ut ambigam, faciunt, ſed nihil opus eſt cauſis, quando ego non tam mea cogitatione *Gerardum* informare, quam quid ille, ut eſt talium rerum peritiſſimus, comperti habeat, audire deſidero. Quod ſi me hic expediverit, putabo me maximo beneficio adfectum eſſe, & avide alia quoque deinde ab ipſo percontabor, qualia ſunt de aſcenſu & deſcenſu Bethoron, & quae ſunt ejus generis. Memini me videre χωρογραφίαν terrae ſanctae, quam ille aliquando evulgavit, obſecro te, mi Caſſander, ſi iſthic venalem habet, alligatam epiſtolae tuae, qua per ocium mihi ad haec dignaberis reſpondere, ad me curato. Ego tibi precium, quantum ſignificaveris, lubentiſſime perſolvendum curabo. Nam vehementer illius generis mappis oblector, quare velim ſimul ſignifices, ecquas alias praeterea habet aliarum regionum, quas redimere poſſim. Nihil enim facilius, quam ejuſmodi chartas ad Cancellarium, ut vocant, Clivenſem mittere, unde ad me cotidie perferri poſſunt. Hoc quoque te oro, mi Caſſander, ut libellum tuum de Baptiſmate, ſive κατὰ τῶν ἀναβαπτιστῶν, quando tibi commodum erit, mittas, ut es pollicitus. Vale, mi Caſſander. Nam conveniunt frequentes Conſiliarii, ut cogar a ſcribendo ſuperſedere. Cancellarius creberrimam atque amiciſſimam tui mentionem facit, ut plane tenerrime ab eo amari videare. Iterum vale, & *Henricum* meum *Wezium*, virum ex meris virtutibus conflatum, ſuaviter amplectere. Ex Clivis Nonis Septembribus M D LXIV.

Ad hanc reſpondet *Caſſander* Epiſt. LXXXV. vide etiam Epiſt. XCII.

EPI-

EPISTOLA LVIII.

ANDREAS MASIUS

Georgio Caſſandro.

Xantos.

SAlve mi Caſſander, tametſi minus nihilo ſit, quod ſcribam, non poſſum tamen te tribus verbis non ſalutare, prius quam hinc domum recurram. Poſtquam chartaceam ſupellectilem omnem moviſſem, repperi tandem de Patriarcha illo Neſtoriano quaedam a me, cauſa memoriae, annotata, verum quae vix quidquam, immo prorſus nihil faciant ad ea ſtudia, in quibus tu potiſſimum verſaris, ſed deſcribam per ocium, neque enim amanuenſem habeo, & mittam tibi: velim tu viciſſim, quod tibi tamen commodum ſit, promiſſum tuum libellum adverſus Anabaptiſtas ad me cures. Vehementer, ut me Deus amet, gaviſus ſum, quod *Furſtenbergius* te mediocriter valere nunciaret, immo proreptaſſe ad *Cloſſii* aedes: nam *Wezius*, tui certe amantiſſimus, ea retulerat, quae me valde ſollicitum haberent de graviſſimo aliquo paroxyſmo, ſed jam expecto Cancellarii oraculum, quo domum redeundi mihi fiat poteſtas. Tu igitur, mi Caſſander, vale, & me, quod facis, pergito amare. Ex Clivis XXI. Novemb. 1564. Ego creberrimo capitis dolore infeſtor, & certe uſque eo, ut verear, ne tandem (avertat Chriſtus) in ὀποπληξίαν deſinat, adeo moleſtus, & inſuetus dolor ferit cor. Sed hoc Deo curae erit, egoque, quod potero, illius benignitate nixus, mihi ipſe non deero. Certe ſi in literis operam ponere mihi non liceat, neque vivere libet.

EPISTOLA LIX.

JOHANNES METELLUS

Georgio Caſſandro S.

Duisburgum.

SCripſi ſatis longas, & moleſtas rerum novarum litteras, ad te. Sed *Bircomannus* non repperit, per quem mitteret. Poſtea accepi exemplum unius aereorum Tabularum, quae in ſenatu Eugubino Umbriae diligenter adſervantur. Numero ſunt quinque, ac ſcriptae litteris antiquis Romanis, quales ſunt primi verſus in eo exemplo, quod mitto. Moleſtum enim fuiſſet, integram majuſculis deſcribere. Eas tabulas vidi, atque curavi totas iiſdem formis deſcribi. Sed Romae ſunt, ubi *Pyghius* duarum a me exemplum habuit, & *Morillonius*. Hoc autem exemplum *Pyghius* ad me miſit, ut id deſcribi curares, ac remitteres, atque ſtatim efficeres; *Campanus* ille, aliquo enthu-

Cum his *Metelli* Epiſtolis conferendae ſunt aliae, circa haec tempora ſcriptae & editae, a *Dan. Heinſio* in prima Centuria virorum illuſtrium, quas in Indice reperire poterit lector, & reſponſiones in *Caſſandri* operibus, inter epiſtolas.

Digitized by Google

eſthuſiaſmi ſui genio percitus, eas nobis interpretaretur. Itaque; repertae ſunt in agro Eugubino. Quarum fortaſſis *Steuchus* mentionem fecit; vel alii ejus provinciae hiſtorici. Nemo vero umquam repertus eſt, qui eas intelligeret. Etruſca lingua ſcriptas non adparet; quarum characteres ſint Latini, non Etruſci. niſi tamen, Etruſca lingua, Latinis litteris ſcriptas, putaremus. Sic autem; & Punica, vel Gotthica, Geticave lingua ſcriptas, liceret adſerere. In ea re *Campanus* ſe excerceat, ac, ſiquid profecerit; alteram tabulam a *Pyghio* petam. Ut igitur cumprimum hujus interpretationem faciat, diligenter curabis. Quod ſi perfecerit; certe laudem merebitur. immo praemium ab eo Eugubino ſenatu; qui eas habeat pro theſauro. Cum Eugubio Peruſiam veniſſem, mihi oſtenſi ſunt aliquot libelli parvi, in papyro ſcripti, characteribus Geticis; qui in altaris cujuſdam armario, tamquam Ethruſci ſervabantur. Quidam nobilis vir *Gottus*, eo a me ductus, agnovit, eſſe ſuae gentis Geticos characteres; & fragmenta quarundam municipalium legum Gotiae continere. Quod cum audiret *Jacobus Taurellus* Fanenſis, Graecae linguae in ea urbe profeſſor; mirum, quam ipſe obſtupuerit. Sed de his ſatis. *Sambucus*, ad me Vienna ſcripſit; pridie Nonas Maji; de tuis rebus; in hunc modum. *Saluta diligentiſſime*, *Dominos meos & eruditos viros*[2] *D.* Caſſandrum *&* Gualterum. *Libelloſque Imperatorem*, *& Regem*, *ſuis Conſiliariis legendos dediſſe. & valde ſtudium*, *& varietatem laudaſſe doctrinae*, καὶ τὸν Φιλαλήθεαν. *Ego*, *nondum cum Imp. loqui potui: tum quia decumbit*; *tum quia tres ſeptimanas abfui. Saluta D.* Gifanum: *& me*, *intra* x. *dies*, *Theophylactum miſſurum ſignificato*; *quemadmodim*, *ad* Bircomannos *quoque ſcripſi.* Haec ille. Coram te viſiſſem. ſed me morbus, vel potius ejus ſuſpicio, retinet. Vale. VIII. Eidus Junias. M D LXIV. Colonia.

2. Vid. *Caſſandri* Epiſt. LXXIII. pag. 1173.

EPISTOLA LX.

JOHANNES METELLUS

Georgio Caſſandro S.

Duisburgum.

FRanciſcus *Richardotus* Sequanus Atrebatenſium Epiſcopus, cum certior a me factus eſſet, tibi placere conſtitutiones ejus eccleſiaſticas de ſacramentis adminiſtrandis; in quibus eorum uſus oſtendatur: te tamen eas, qua lingua primum ſcriptae ſunt, hoc eſt Gallica; cupere: ad me miſit, hoc earum exemplum; ut id ego tibi traderem, teque ſuo nomine diligenter ſalutarem. Quare, accipe hunc libellum, ac lege. ſique tibi probabitur, effice, alii legant. Is tibi optime cupit; propter notam ubique probitatem, virtutem, ſcientiamque tuam. neque non ſcit, ab aliis; te, in reformationis negotio, Caeſarum juſſu, verſari. quod feliciter evenire, eque re Reipublicae, a Deo Opt. ſummis precibus, pro ea, qua praeditus eſt pietate, petit. egoque, ceterique

omnes, optamus. Haec de tuis rebus. De civitatis ſtatu lugubria ſcripſi. neque jam laetiora de communibus amicis indicabo. *Echtius* enim, jam quintum diem, peſte graviſſime decumbit. Eum inviſi, ſub initium morbi, ac ſum coram lectulo fixum decumbentem allocutus. Hodie, qui meus eſt natalis dies, adhuc in lecto jacens, accepi felicius nuntium. nempe, meliuſcule eum habere. neque ſpem, uti prius, de recuperanda valetudine, quod Deus faxit, projectam. Qui fugerunt, & huc redeunt; fere ea lue corripiuntur. quod aliquot exemplis teſtari poſſumus. Jam primum tamen, paulo ſaevitia remittitur; multique evadunt; cum antea vix e mille decem vitam conſervarent. Credimus; divino beneficio freti; tandem, clarius ſidus apparaturum huic miſerae civitati. Sat. enim malorum exhauſimus. Philippica claſſis, oppidum Velezum Hiſpanis propinquum, in Africa, cepit, eique contiguam arcem, indomitam bello, & cetera, quae tu noſti. proximo veredario, expectatur nuntium, quod omnium invidorum Hiſpanicae gentis luminibus obſtruat, de victoriae progreſſu. ac fortaſſis, jam tertio Algerium tentabitur. De Gallicis rebus plura ad me perſcribuntur; quam aut vacet ſcribere, aut haec exigua, & ad imam ceram perducta charta, capiat. Tu igitur vale, ac ſalve. XVIII. Octobris M. D. LXIV. Colonia.

Reſpondet *Caſſander* Epiſt. 83.

EPISTOLA LXI.

JOHANNES METELLUS

Georgio Caſſandro S.

Xantes.

ACcepi litteras Ampliſſimi viri Cancellarii Clivenſis; quas ejus adfini tradidi. ſuaſit, expectarem Reverendum praepoſitum, cui ſupplicem libellum ad Illuſtriſſimum Ducem dederam. quo litteras ab ejus celſitudine, obtinerem. Nam ita quidam, immo prope omnes, conſulunt. Quare hoc unum urgeo. In quam rem, & *Furſtenbergius*, per hunc nuntium, epiſtolam quoque, ad Ampliſſimum illum virum Dominum Cancellarium, ſcripſit. Ego ſane, ei magna de cauſſa ſum obligatiſſimus. nempe; quod de me, tam humaniter adfini ſuo ſcripſerit. eumque etiam rogat; ne mihi deſit in re, quam peto. Id quod, me tibi debere, non ignoro. Tu igitur, poſtquam coepiſti, per occaſionem, obteſtaberis hominem aequitatis amantiſſimum; ne & hoc ſummum ejus erga te benevolentiae ſignum tibi deneget: ut ejus videlicet Illuſtriſſimi Ducis litteras, ejus auctoritate, nanciſcar. Ero non ingratus, quoad potero. tibi vero in primis; ſiquid ſit, quod ipſe, tua cauſſa, valeam. atque pateris, me uti hac meae in te obſervantiae teſtificatione. *Echtius*, etiam dudum, negotium promovit apud *Mejerum*. Quod autem ad *Weſembecium* attinet; habes, in quo poſſis, in eo juvando, pietatis munus exercere. ac ſane in negotio, quantum ipſe judico, longe juſtiſſimo. Sed, cur-

currentem non incitabo. Poſtremis meis litteris, tum his, ſi vacat, per hunc tabellarium reſpondebis. Cumprimum enim revertitur. Incidi in carmen, quod ad te mitto. Cujus auctor fertur *Joannes* quidam *Corputus* Bredanus, adhuc, ut audio, adoleſcens. & qui, Duisburgi, apud *Gerardum Mercatorem* habitat. nec ſe diffitetur auctorem, ſeque tibi id renuntiaſſe. Haec cum accepiſſem; ac tamen dubitarem, num vera ſint; reſque ad te pertineat; caelare te nolui. ea quidem lege, ut ſopiantur, taliaque ſcripta, quemadmodum ſoles, egregie contemnas. *Franciſcus* ille Jeſuita, poſtremo ordinis ſui ſacramento, Pater evaſit. jamque Patris inſignibus, & titulo decoratus, Colonia neſcio quo, Paternas opes egenis expoſiturus, proficiſcitur. Frendent equidem, ac fremant licet ejus ſymmiſtae; calix edicto Clivenſis permittitur, ut ſcis. In Rep. de reb. Gallicis, nihil praeterea accepi. Quidam, Antverpia monet; turbas componi. Sed Reginam matrem, cum *Elizabetha Philippi* Regis, in finibus Hiſpaniae conventuram. *Philippum*, quod tales principum congreſſus ſuſpiciones moveant; ſe Proceribus Germanis excuſaſſe. ſaepius rogatum, recuſaſſe. victum tamen precibus, ceſſiſſe. ſiquid inde ſiniſtri naſcetur, ad ſe minime pertinere. ſcorpium ſub lapide latere, ſagaces ſuſpicantur. Proxima aeſtate in Belgium properat. *Egmundanus* ad eum adpulit. *Renardus* Proreginae Belgii ſcripſit; ſe a *Philippo* comiter fuiſſe exceptum: Italicoſque proceres, cum Turca, Galloque clam conſultaſſe, contra *Philippi* potentiam. *Granvellanum* crebras ad *Philippum* litteras dare; velit ejus meminiſſe. Ordinis Livonici Magiſter, a Moſcovita captus, fuit liberatus. ac toti provinciae, uti antea, reſtitutus. quibus condicionibus, nondum audivi. Polonus, qui defenſionem ejus ſuſceperat, Rigam provinciae metropolim tuetur. & Suecus, alteram eo loci urbem. Itaque adhuc bellum geritur. Sed; ne longior ſim, valebis. XV. Cal. April. M D LXV. Colonia. *Echtius*, ſalutem.

Reſpondet *Caſſander* Epiſt. XCIII. & CXIV.

EPISTOLA LXII.

JOHANNES METELLUS

Cornelio Valtero S.

Gandavum.

QUod tamdiu ad te ſcribere diſtuli; non id accidit, ulla mei in te amoris ceſſatione: ſed primum, quia ubi litteras tuas accepi, uti calamo non licuit; propter humeri luxationem. poſtquam vero ab ea convalui; ea vobis imminere fata coeperunt; ut vix tuto, cui litteras darem, fuerit. & nihil erat tamen, quod ſcriberem; praeterquam neceſſitudinis noſtrae recordatione te commonefieri, me recte valere; idemque me tibi optare. Poſtea accepi; te octo Hiſpanos hoſpites habere domi, quorum ſumma humanitate, plane nobis fuiſſes immutatus. & jam te coepiſſe eorum moribus totum dare. qui,

cum quales ſint, ſciam, & ſemper abhorruerim, naturae quadam meae libertate, a ſuperbia; contempſerim magnificos titulos honorum: nolui te, praeceptis philoſophiae inceſſere; per quae, ob oculos tibi ponerem, vanas eſſe eas ſimilium hominum cogitationes. uti a te ego, dum te Chriſtianae doctrinae totum tradebas, didiceram. malui enim tibi amicus eſſe, quam importunitate mea tibi, ulla in parte, etſi honeſte, moleſtus videri. Sed quia, & deinde mutatum video; & neglectis illis ſubtilibus honorum, ſermoniſque etiam ambitionibus, tete totum Juriſconſultis noſtris dedere; equidem, alacrior ad tibi ſcribendum fui redditus, niſi quod mihi plane diſplicuit; te, adſiduos dies, & conjuges noctes, fori contentioſis maeandris, & involutis rabularum technis, irretire; quo minus ad liberos huc tuos redeas. & Caſſandrinos partus; quos tu injuria nimia jacere ſinis; & neſcio quomodo, contra teſtatoris voluntatem, prope exponis, pietate foveas, alas, emittas. Nam obſecro; cur totam aetatem tuam in optimis ſtudiis triviſti; praeclaros totius orbis Chriſtiani doctos viros amicitiae vinculis tibi devinxiſti; eorum ſcripta, libros, hauſiſti; omnia denique omnium omnia collegiſti; quae negabantur, aliter ſi tu minime potueris quaerere, rapuiſti: cur igitur ea tu detines captiva; cum tu captus ab Iberis, eos tu tantopere deteſteris? Nimirum; ut tu, homo liber, ſervias, uni latrunculo veſtrorum judiciorum? Et quorſum? ut tu, rabulam infamem aliquem, viciſſe perſimili arte, tute vir eruditus, vir Chriſtiana pietate praeditus, glorieris? At tu famam non venaris. Atque ſi tibi venari cupias; melioribus retibus, & venabulis magis acutis, paranda eſt. Neque tu meminiſſe non potes igitur; quae tibi talenta Deus concredidit; loquar enim tuae diſciplinae more; ea tibi non data, ut in terram illa defodias; ſed ut illis ſis utilis; & ei qui tibi ea concredidit, hoc eſt Deo Optimo Maximo, reddas. neque ſolum reddas; ſed etiam, multo cum fenore. Quam ob rem omnes, quibus es notus, per me hoc a te poſcunt; ut deſinas, ipſorum de te inſignem hactenus expectationem fallere. relinque aliis, tantos ad perniciem excogitatos labores judiciorum; iis inquam, qui nondum eo pervenere, pietatis profectu; ut putent, alia non eſſe potiora, quibus vitam tranſigant; & ſe non inglorie vixiſſe teſtentur. Tu itaque, ſi Dei donis abuti nolis; credo; explicabis te illinc. non quidem explicabis; ſed alii deferes. Nam; nec tu tibi, aut liberis; ſed ſponte aerumnas illas (cur enim licita negotia vocem, quae nec tu, qui illa ſuſcepiſti, loqui ſi libere velis, probes) ſubiſti. tibique, vel eo quo voles momento, inde te extricare licet. Utinam ergo; qui unam litem verſo, tu centenas; mihi tu exemplo tuo auctor eſſes; ut, vel patrimonium potius, qualecumque eſt, perderem; quam bonas horas male collocarem. Cogor ego; tu ſponte. Ego uni haereo; tu centenis. Tibi licet cedere; mihi non licet. Equidem; cum calamum in manus ſumpſi, ut haec ad te ſcriberem; ſenſi, me ſpiritu quodam divinitus compelli; ut haec ego tibi. ne tu etiam excuſare tute te poſſis. & cogita; te divinitus admoneri. quoniam Deus, per homines moneat, hortetur, excitet; quae fieri juſte & velit, & mandet. Vale. prid. Non. Februarias. MD LXVIII. Colonia Agrippina. Gra-

Gratum feceris; quod alias tibi ſcripſi; ſi cumprimum indicabis; quot ſingillatim, & quae, cujuſque valoris annui, beneficia, ab hinc annis decem, hactenus contulerit Praepoſitus ille, de quo monueram. & an indultorum vi, an vero tamquam praepoſitus. quia plurimum mea intereſt. Habes poſtremis litteris meis indiculum. quem relege, amabo te, ac reſcribe. meque, qui te hortor, etiam extrica ab hac hydra. Vale, mei memor.

EPISTOLA LXIII.

CORNELIUS WALTERUS

Reverendiſſimo Illuſtriſſimo Domino Friderico Archiepiſcopo Colonienſi, Primati Electori, Domino ſuo Clementiſſimo.

CUm Caeſar Maximilianus per literas *Georgio Caſſandro* piae memoriae mandaſſet, ut quaedam conſcriberet, quae facerent ad conciliationem controverſiarum hujus temporis in religione, eaque per Reverendiſſimam & Illuſtriſſimam Celſitudinem Tuam eſſent Caeſareae Majeſtati tranſmiſſa, reſcripſit praedictus Caeſar *Caſſandro* literas propria manu ſubſcriptas, quarum exemplum ad authenticum collatum his adjunximus, ex quibus conſtat Caeſaream Majeſtatem *Caſſandro* donaſſe Ducentos aureos, numerandos per ejus commiſſarium Spirae agentem, quibus acceptis *Caſſander* poſt aliquot tempus nactus occaſionem miſit chyrographum ſuum *Georgio Lanng* commiſſario. Idque per D. *Bartholomaeum Heimback* Conſulem Urbis Colonienſis tunc Spiram proficiſcentem, quo certius praedictos Ducentos aureos recipere poſſet. Verum *Georgius Lanng* reſpondit ſibi de hoc mandatum a Caeſare non fuiſſe tranſmiſſum, quare nihil numerare poſſe. Itaque dum ſic ſolutio differtur, interea *Georgius Caſſander* Coloniae ex hac vita migrat, cum is prius mihi *Cornelio Waltero*, vitae ac ſtudiorum ipſius Socio, jam per viginti & amplius annos teſtamento commendaſſet, aliaque fidei meae exequenda commiſiſſet. In primis vero ut *Joannem Caſſandrum* patrem ſuum, ſenem ac tenuis fortunae, quamdiu viveret, alerem, ac de omnibus neceſſariis providerem, & ſimul mihi omnia bona reliquit, quae moriens habuit. Quamobrem poſt ejus mortem ego *Cornelius*, haeres fideicommiſſarius, cupiens ſatisfacere piae voluntati chariſſimi amici, diligenter per annum & amplius egi, ut praedictos Ducentos aureos a Caeſareâ Majeſtate *Caſſandro* donatos in uſum parentis ipſius *Caſſandri*, aliorumque Legatorum recuperare poſſem, ſperans fore, ut interea temporis aliquod certum mandatum a Caeſareâ Majeſtate *Langius* acciperet, verum is adhuc conſtanter affirmat; ad ſe nullum de hoc mandatum a Caeſarea Majeſtate veniſſe, ſine quo nil numeraturus videtur. Quare jam neceſſarium eſſe deprehendimus, ut Caeſarea Majeſtas iterum admoneatur, praedictae donationis *Caſſandro* factae, miſſo exemplo authentico ſuarum literarum, ſi forte hujus memoria per graviora negocia exciderit, quibus & alias ſupplices literas addidimus, una mittendas ad Caeſaream Ma-

jeſtatem: ſiquidem ita Reverendiſſimae ac Illuſtriſſimae Celſitudini tuae videatur, quo tandem liceat impetrare a Caeſarea Majeſtate chyrographum ſufficiens ad pecuniam petendam, aut ſaltem Mandatum ad predictum ejus commiſſarium, cujus Mandati nos a Caeſareâ Majeſtate certiores facti, ipſum *Langium* de ſolutione efficaciter compellare valeamus. Sed hujus rei conficiendae nullam commodiorem neque certiorem rationem invenire poſſumus, quam ſi prius a Tua Reverendiſſima & Illuſtriſſima Celſitudine obnixe petamus, ut non gravetur literas quoque ſuas de his omnibus ad Caeſaream Majeſtatem alioſque in ea aula viros dare, quibus imprimis futurum confidimus, ut promiſſa pecunia nobis Spirae a *Langio* repreſentetur. Ut autem Tuae Reverendiſſimae & Illuſtriſſimae Celſitudini ſuper hoc negocio ſupplices eſſe audeamus, facit imprimis, quod te horum omnium conſcium eſſe ſcimus, quippe qui frequentius Caeſareae Majeſtatis literas de toto negocio acceperis, cum te Interlocutore, ut ipſius literae teſtantur, ſua Majeſtas libenter ad haec uſa ſit. Praeterea quod adhuc recordamur, qua benevolentia ac pietate vivum ac etiamnum defunctum Caſſandrum proſecutus ſis, denique ſperemus fore, uti te moveat ſenectus parentis ipſius Caſſandri ac calamitas, ſi is jam unico filio vitae ſuae ſolatio & praeſidio orbatus, hoc inſuper neceſſario ſubſidio fruſtrandus ſit; Cum tamen eo beneficio Caeſarea Majeſtas remunerari voluerit immenſos labores; quos Caſſander dies ac noctes exhauſit, dum urgenti mandato Caeſareae Majeſtatis abſolutionem operis certum tempus praecipientis ſatisfacere cupit, valetudini quantumvis afflictae non parcens, neque vitae ſuae jam fatiſcentis rationem habens. Sed cum haec omnia, & Caeſarae Majeſtati & Reverendiſſimae ac Illuſtriſſimae Celſitudini Tuae ſatis nota ſint, nolo illis commemorandis eſſe prolixior. certo confidens fore, ut T. Reverendiſſima & Illuſtriſſima Celſitudo huic pio officio non ſit defutura. Oro autem Deum Opt: Max: ut T. Reverendiſſimam & Illuſtriſſimam Celſitudinem eccleſiae ac Reipub: diu ſervet incolumem. Datum Coloniae.

EPISTOLA LXIV.

ANTONIUS DE TASSIS,

Magiſter Veredariorum,

Joanni Metello.

Coloniam.

CAlix, a Pontifice non fuit conceſſus, praecipue reſpectu Archiepiſcopi, ſed Imperatoris in Germania. idque ſub certis condicionibus. Poſtea audivimus, ab aliquibus receptum fuiſſe. Scribitque Imperator, eam conceſſionem, fructum adtuliſſe; quia condicionibus illis, eae nationes, ad obedientiam ſanctae ſedis prolicerentur, traherenturque. Quam & ob cauſſam Caeſar a Pontifice petit; ut ordinatis presbyteris uxores ducere liceat: ut laici matrimonio copulati, bonae tamen famae, doctrinaque praediti; presbyteratus

tus ordinibus poſſint initiari: ut presbyteri, qui duxerunt uxores, ſint abſoluti; cumque iis, quas duxerunt, uxoribus, manere iis permiſſum ſit. Itaque Pontifex eruditis hoc negotium diſcuti mandavit. Non reperitur; hoc ſaeculo, Apoſtolicae ſedi convenire; ut haec indulgeantur. Maxime; nullibi invenitur; ut qui presbyteratus ordinem ſuſceperunt, ipſi uxores, ex Pontificis licentia, ducant, propter, uti fertur, vota. Pontifex cum Helvetiis foedus inire tentat. ſed, cum ſolis Catholicis pagis. quod; pactum iri, Pontifex ipſe, in Conſiſtorio, dixit. verumtamen; tuendae ſolum Apoſtolicae ſedi; & contra eos, qui eam niterentur offendere. non autem, aliis offendendis. Romae III. Mart. CIↃIↃ LXV.

EPISTOLA LXV.

PEREGRINUS WILACH,

Paſtor Duiſſeldorffienſis,

Georgio Caſſandro.

DOctiſſime amiciſſimeque mi D. Caſſander. Cum ante paucos dies ad tuam dignitatem venerim, miraberis fortaſſe, quid cauſae ſit, quod ex Blanckenbergh (ſicut T. D. promiſeram.) ad te non redierim. ſed ubi cauſam audieris, deſines haud dubie mirari. Verum primum dicam, quando venerim in Blanckenbergh. Deinde quid ibi actum ſit. Tertio itineris mei rationem reddam. Veni 12. die Auguſti in Blanckenbergh hora quarta ante meridiem, & ingreſſus publicum hoſpitium, nempe Domum praetoris. (tuus interim adventus expectabatur aviditſime, cujus abſentia mihi quoque non parum moleſta fuit.) ſed vocavit me in Arcem praefectus Arcis, vir valde humanus, qui & me humaniſſime excepit & tractavit. Hîc multis verbis ſurſum deorſumque habitis de variis rebus, coepimus tandem colloqui de Anabaptiſtis, quae meae profectionis cauſa (ut noſti) fuit, quorum ajebat, nonullos eſſe minus pertinaces ſuae mentis, & de quibuſdam ſe nonnihil ſpei reſipiſcentiae concepiſſe, & Dominum *Petrum Loo*, multum boni aſſiduo labore, per continuas tres Septimanas apud illos preſtitiſſe. Me vero hîc percunctante, quidnam de illo viro ſentiret, ſubriſit, ac tacuit. Nam ipſe Amptmannus vir pius & bonus Catholicus. Deinde quaeſivi ex ipſo (eſt enim non indoctus) qua ratione & quo ordine Dominus *Petrus de Loo* in inſtituendis & ab errore liberandis miſeris illis hominibus uſus fuiſſet, Reſpondebat ſe non ſemper actionibus illis adfuiſſe, & tunc temporis Principis negociis vel occupatiſſimum fuiſſe, propter preſentiam Principis & Conſiliariorum: Proinde ſe non poſſe rationis illius & ordinis, ullam mihi dare informationem. ſed in-

1 An ille *Peregrinus* Epiſt. 11. *Caſſandri* memoratus? Crederem, quia & ibi de Anabaptiſtis agitur. hoc etiam anno *Caſſander* edidit acta Colloquii in aedibus Vicecomitis Coloniae cum *Matthia* Anabaptiſta. vid. Epiſt. CI. & CIV. & Anno 1557. cum *Joanne Kremer* aliud habuerat, quae edita poſt Epiſtolas. Eodem tempore de parvulorum Baptiſmo opuſculum *Caſſander* elaboravit. vid. Epiſt. XCVIII. & ſeqq. quod etiam inter opera legitur pag. 701.

interim tamen omnia diligenter ab ipso publico scriba esse excepta, qui quoque, quum ego eo venirem, aberat. Hujusmodi colloquiis consumptus est primus dies. Sequente vero die, qui erat 13. Augusti, interrogavit me Satrapas, num etiam mihi esset animus agendi cum Anabaptistis ante adventum D. *Petri*. Respondebam: Id commode fieri non posse, ut aliquid nimis urgeatur a me, quod ab illo fuerit concessum, & ex contrario, ut ego aliquid concedam, quod ab illo non fuerit admissum. & me certo scire, non per omnia inter nos convenire, & ejusmodi dissentione, miseros illos homines misere & dolose deceptos, magis in errore suo confirmari, quam ab eo liberari & emendari. Ilico manibus pedibus in meam sententiam itum est. Interea dum haec inter nos aguntur, & D. *Petri* Adventus expectatur, redduntur Praefecto Arcis literae a Domino *Petro* missae, quibus significabat se non posse adesse ante VI. diem ejusdem mensis. Quid multis? hic consilium, quod paulo ante ratum erat, irritum fieri necesse fuit, & aliud capessendum. Putat Satrapa non inutile fore, si cum eorum aliquo verbis fraterne & amice communicarem, experirerque, si aliquid boni efficere possem; praebebam me sane difficilem, ob causam superius dictam, victus tandem rationibus Satrapae consensi. Educitur itaque unus ex illis e carcere, quem Praefectus Arcis in hanc formam alloquitur. *Martine* (id enim Nomen erat Anabaptistae) non parum miratur Princeps Illustrissimus pertinaciam tuam, qui post unam atque alteram admonitionem non destiteris a tuo proposito, cum a piis & doctis viris erroris tui prorsus convictus fuisses. Deinde, dum carcere fuisti inclusus, data fuit tibi non semel cum viris, Divinae Scripturae non ignaris, colloquendi facultas, unde colligere potuisses, si voluisses, quantam ipsius Celsitudo tuae salutis gerat curam. Tertio petiisti, ut adhuc semel tibi concederetur doctorum virorum colloquiis uti, te velle operam dare, ut melioribus rationibus auditis & saniori Doctrina, non pertinaciter in proposito tuo permanere velles. Ecce adest igitur hic *Peregrinus*, Illustrissimi Principis Concionator apud Dusseldorpenses, cui ut dubia tua, si quae tuae adhuc inhaereant menti, exponas, & te illi vicissim docilem praebeas. ex animo tibi consulo. Respondebat. Quod Principis mandato non parui, illius facti vehementer me jam paenitet, & non parum doleo hoc factum esse a me. Verum non puto me in hoc admodum graviter peccasse: cum fidei negocium non pertineat ad prophanum Principem: Sed non possum tibi & aliis viris satis dignas agere gratias, qui hoc apud Illustrissimam Principis Celsitudinem effecerunt, ut ad petitionem meam, ante aliquot dies alios, nunc hunc ad me miserit unum, & quantum ad me attinet, ut jussisti, strenue faciam: precaborque Deum, ut si sim in aliquo errore, liberer per hunc virum ab hujusmodi errore. Ad haec ego paucis in hanc formam praefatus. Frater, hanc de me velim concipias opinionem, quod te in eo, in quo recte sentis, confirmare, in iis vero, in quibus male a tuis institutus es, rectius, quantum in me fuerit, instituere cupiam, idque prorsus syncero & fraterno animo. Respondebat, se nihil aliud petere, quam ut absque dolo hinc inde agamus, & ne quid sibi inde periculi immineat;

quod

Quod nullo modo futurum affirmavi. Quaesivi itaque ex illo, qua de causa ab Ecclesia defeciſſet. Ajebat se copioſe respondiſſe Domino *Petro de Loo* ad illam quaestionem: nec se putare denuo opus esse illa huc repetere, cum illa sint literis comprehensa, & Illustriſſimi Principis Consiliariis tradita. Coepit interim graviter taxare turpiſſimos hominum mores, peſſimos in Ecclesia abusus, spurciſſima Sacerdotum crimina, & ita nostram Ecclesiam turpiſſimis vitiis turpificatam esse, ut non esset dicenda Christianorum, sed Ethnicorum Ecclesia. Respondebam id verius & manifestius esse, quam ut negari possit, & pios viros idipsum male habere, non interim illos Ecclesiam deserere: abusus fuisse in Ecclesia semper tempore Moisis, Davidis & Prophetarum &c. tempore Christi, Pauli, Auguſtini, &c. non propterea illos Ecclesiam deseruisse. Sed pro viribus illam ab hujusmodi vitiis purgasse, & huc semper omnes pios viros direxisse omnes suos conatus, &c. Nil aliud illo die tractavimus. Sed omnia perscribere non arbitror necessarium esse. pergam igitur ad diem, qui decimum tertium sequitur. In hoc die haec paucis acta sunt. Interrogavi illum, quidnam ex Domino *Petro* didiciſſet de Paedobaptiſmo, cujus ipse jam exisseret contemptor? Respondebat admodum modeste, se haec didiciſſe ab illo. Fidelium infantes, absque omni macula, & salvari posse absque Baptiſmo, nam illos esse Sanctos, & Sanctificatos propter parentum fidem. Quaerebam ex illo, anne Dominus *Petrus* aliquas adjeciſſet illius dogmatis conditiones, vel interpretationes? Respondebat mihi categorice Non. Locutus cum Satrapa Latine, num haec ita se haberent, annuebat & ille simpliciter. Ita surrexi ac Satrapae dixi, in ipso fundamento non convenimus, ergo suspendendum reliquum colloquium in adventum Domini *Petri*, quod & illi consultum videbatur. Quid illo praesente sit actum, de hoc vel tibi scribam, vel coram tecum agam. Haec potius effudi, quam scripsi, propter quotidianas occupationes & moleſtias, imo nuncii inſperati, festinationem. Vale in Christo.

EPISTOLA LXVI.

PEREGRINUS WILACH

Georgio Caſſandro.

DUbito hae literae priores subsecutae fuiſſent, Vir ornatiſſime, ut id quod in exordio promiseram, ordine executus fuiſſem: nisi intellexiſſem te tanta infirmitate oppressum, ut neque te legere, neque alios legentes audire liberet. Metuebam itaque tam afflictae valetudinis virum incomptis literis obruere. Sed spero te jam nonnihil ob aëris mutationem, a tam gravi difficilique morbo respiraſſe; Quare paucis quae adhuc restant perstringam, & tantum summa rerum fastigia tangam, ne mea loquacitas tibi nauseam moveat. Venit D. *Petrus de Loo* in Blanckenbergum 18. die Auguſti (ut tibi prioribus meis literis significavi,) circa horam octavam ante meridiem. Protinus quaesivi ex illo, an conceſſiſſet Anabaptiſtis, infantes nullam ex parentum propagatione nativitatis suae attrahere labem, neque indigere ablutione sacri

fontis. Nihil mihi certi ab illo reſponſum eſt. Interim unus e carceribus ex Anabaptiſtis educitur, quîcum ego ante egeram, atque in medio ſtatuimus illum, quem interrogavi. An ne faſſus fuiſſet D. *Petrum* dixiſſe, infantes non opus habere ſacro Baptiſmate, eo quod ex fidelibus Parentibus eſſent prognati? Affirmabat, hoc ita ſe habere adjecta hac ratiocinatione. Ex ſancta radice aſcendunt rami, ſancti fideles Parentes ſunt ſancti, & ſanctificati, ergo ex illis naſcuntur ſancti & ſanctificati. Ajebat D. *Petrus* ſe haec ad Paganorum & Chriſtianorum parvulorum diſtinctionem dixiſſe: ſed de hac re ita obſcure, nunc in hanc, nunc in illam partem ſeſe dimittens cum illis agebat, ut mihi ab Anabaptiſtis non multum diſſentire videretur. Manet itaque verum, quod ego apud te dixi, convertendi debent alios convertere. Sed haec ſint lapidi dicta. ſecundo conabatur perſuadere illis, infantes habere propriam fidem, idque his modis. Infantes placent Deo ex, *Vae illi, qui unum ex puſillis, qui in me credunt, offenderit* &c. per puſillos, non tantum ſimplices adultos, ſed etiam infantes intelligi probavit, ex 18. cap. Lucae: ubi habetur βρέφη, ſed num hoc cum propoſito conſentiat tibi dijudicandum relinquo. Ex his tandem & ſimilibus concludebat, infantes eſſe baptizandos. Ad locum Actor. 19. nullo modo volebat illos fuiſſe retinctos ab apoſtolis, qui a Joanne fuerant baptizati. ſed locum illum interpretabatur, de pleniore inſtructione Chriſtianae Doctrinae: quum quaererem ego, quo auctore id faceret, reſpondebat mihi, Doctorem *Mommerium* quoque in ea ſententia eſſe. Verum cum ego illi indicarem mentem tuam, ſtatim arrepto calamo in ſuum librum aſſignavit, atque illam approbavit, & de illa interpretatione ſe quoque non ſemel cum Doctore *Aegidio* egiſſe ajebat. Hic oportet me multa tranſire ſilentio, ne tibi ſim moleſtus. Quae de humana in Chriſto Natura cum illis diſputabat, valde mihi placebant, conveniebantque multum cum propoſito, ſicut multa ex prioribus a propoſito vehementer erant aliena. De coena vero Domini nihil hîc ſcribam, cum ipſe ea de re juſtae magnitudinis ediderit librum, quem tu quoque legiſti. Non tamen interim negabo, quaedam dubia ex illo colloquio menti meae inhaeſiſſe, de quo coram (Deo favente) tecum agam. Me abeunte 20. die ejuſdem menſis manſit D. *Petrus*, dicturus a meridie de coena ad ſeditioſas & ſcabioſas quaſdam oves: ibi, ex aliis didici, multa ſuo more in Papam & Papiſtas effudit, imitatus ſuum patrem *Lutherum* (hoc enim nomine apud illos honoratur) qui hoc unum ſibi ſemper unice propoſitum habuit, ut Clerum plebi quam maxime exoſum redderet, & hoc illius conamen ſatis felicem exitum habuit: ſed cum maximo Chriſtianae religionis detrimento: factum eſt autem inde, ut vulgus libentius audiat fieri mentionem Diaboli, quam ſacerdotis, unde & ſibi novarum dignitatum finxerunt nomenclaturas. Ad hanc rem exaggerandam D. *Petrus*, coram miſeris illis hominibus miſere in errorem miſſis, utebatur ſubinde hac phraſi. *Tu biſt ja nicht getaufft auff deſs Gottloſen Papſt Namen, oder einigen Paffens Namen*, & hoc admodum amarulenter faciebat, quo res tandem ſit evaſura, piis & doctis viris conſiderandum relinquo. Nunc ad ultimam propoſiti mei partem

tem venio. Manſi ego illa nocte apud Siburgenſes, qui religioſi Domicelli me perquam benigne tractaverunt, & ut te ipſorum nomine quam honorificentiſſime ſalutare juſſerunt, & hoc a me hactenus neglectum, quaeſo ignoſcas. Sequenti vero die veni Coloniam, atque ibi inveni navem expanſis velis ad Duiſſeldorpium properantem, quam ingreſſus domum feſtinavi, te & omnibus bonis amicis inſalutatis: Deus Opt. Max: te nobis diu incolumen conſervet. fac ut ſemel videam tua ſcripta. Si contingat te deſcendere, quaeſo ne humiles meas lares contemnas. A°. 10. Novemb. CIↃ IↃ LXV.

EPISTOLA LXVII.

PEREGRINUS WILACH

Georgio Caſſandro.

DEcima tertia hujus menſis die mihi traditae ſunt literae tuae, vir mihi jugi obſervatione colende, quibus ſignificas, Tuam Dominationem mihi miſiſſe per *Ludovicum Rockelfingeri* filium literas una cum libello adverſus Anabaptiſtas emiſſo, quae quidem ad me nondum pervenerunt, ſed brevi pervenient. Deinde D. *Caſſander* me fraterna quadam objurgatiuncula perſtringit, quod tardior ſim ad ſcribendum, quam ipſe unquam exiſtimaſſet, & hinc ego colligo meas literas non ſemper T. D. fuiſſe redditas. Quod ſcribis, ut, ſi quid habeam adverſus Anabaptiſtas tibi mittam; certe ego nonnulla ab ipſo M. *Petro* excepiſſem calamo, niſi ipſe dixiſſet, ſe ſua quae collegerat adverſus Anabaptiſticos furores, in lucem editurum, ſic factum eſt, ut ea de re tibi non multum ſcripſerim. Verum hîc praeterire non poſſum, quin paucis indicem, quae ipſe in ſuis collectaneis, contra Anabaptiſtas parvulorum Baptiſmum eſſe neceſſarium negantes, obſervaverit. Primo ipſorum omnia argumenta, quibus parvulorum Baptiſmum infirmare, vel potius tollere conantur, ordine ponit, deinde eorundem confutationem. Hîc ex illis quaerebat, ſi quid haberent in contrariam partem, in medium adferrent, ſe velle id quod dixiſſet adhuc multis aliis rationibus confirmare, quod & fecit, de quibus pauca in poſtremis meis literis ad T. D. miſſis. Interim illud inficiari non poſſum, multa in medio ab illo abducta, continuo quodam orationis contextu, quibus parvulorum Baptiſmum commendabat. Et e contrario contemptores hujus Sacramenti aeternae condemnationis reos agebat, qui Deum facerent mendacem, Chriſtum pedibus conculcarent, teſſeram novi foederis deſtruerent. Hanc formam obſervabat in reliquis articulis hîc ſubjectis, nempe de humanitate in Chriſto, de coena Domini, de reſurrectione, de Magiſtratu, quem dicebant Diabolicum: hic erit ordo & totius libelli ſcopus, cujus vidi bene magnum ſententiarum ex neotericis acervum. faxit, ut omnia in Chriſti gloriam, & multorum ſalutem cedant. Libellum Germanicum T. D. nondum eſſe reſtitutum, ſatis equidem mirari non poſſum, cum cujus ille, ſancte admodum promitteret, ſe ſtatim T. D. traditurum, ſi nondum tradidit, quaeſo mittas puerum tuum ad illum, habitat ille juxta templum D. Martini minoris. Vale feliciter, in Chriſto Jeſu Salvatore noſtro. 27. Nov. CIↃ IↃ LXV.

EPISTOLA LXVIII.

EUSTATHIUS A KNOBELSTORF

Georgio Caſſandro ſuo S. D.

EXcipe Francigena miſſam regione ſalutem,
O decus, ó Clarii gloria ſumma chori.
Ut Lacheſis fauſto tibi ſtamina candida fuſo
Protrahat, eſt voti portio prima mei.
Altera Caſſandrum rapiant ne oblivia noſtri,
Flandriacas Paphio dum fovet igne nurus.
Me licet immenſis occludat Gallia ſeptis,
Inque peregrina commorer exul humo:
Immemorem nunquam cernit me Sequana veſtri,
Sequana Caſtalia vix ſuperandus aqua.
Euſtathium ſimili quo complectaris amore,
Hac te, ſi merear, conditione rogo.
In Chriſti quantum pietas tua ſudet ovili,
Ad nos verorum nuntia fama tulit:
Perge bonis avibus comitantibus, auſpice Chriſto,
Perge nigrum ſacro ſternere fuſte gregem.
Arripe ſcripturae fundas, tormenta, ſagittas,
In Goliathaeum projice ſaxa caput.
Regia jam veteris trepidat ruitura Babelis,
Extremumque ſibi ſentit adeſſe diem.
Alter ut Atrides victricibus utere telis
Parvo, ne dubita, tempore victor eris.
Audiat hanc celebris ſaltem Germania laudem;
Te patriae Brutum dixerit eſſe tuae,
Ipſe ego cum repetam clarum pietate Philippum,
Caſſandri feriet ſydera pura fides.
Qui patrio profugas demulcet in orbe Camoenas,
Barbariemque ſuo depulit imperio.
Interea Muſis dulciſſima cura, Georgi
Vive memor noſtri, perpetuumque vale.

Cum haec ad te miſſurus eram, plane nihil habebam tua praeſtantia dignum, quod vel tu audire poſſes, vel ego affirmare auderem: Ecce novus, at plane mirus inter Gallos oritur rumor de ruſtici cujuſdam viſione; quae etiamſi mihi a veritate alieniſſima videatur, tamen quoniam hîc a purpuratis regiis, & principibus aulae miro ſupercilio firmaretur, ejus te participem fieri volui, tum ut rumores, qui hîc ſparguntur, ſcias, tum ut vanitatem hominum mireris.

Digitized by Google

ris. Fidem ejus rei nequaquam apud me esse velim, quoniam animadverto Gallorum ingenia foecundissima talium figmentorum esse, nec unquam nugandi finem facere. Sed ad somnium venio. Rustico cuidam ajunt, cum intentus suo operi esset, sese obtulisse adolescentem felicissima specie, ac ultra humanam quicquam prae se ferentem! niveis amictum, fulgorem formae repraesentantibus vestibus: quae cum rusticus admirabundus intueretur, ipse missum se, ut certa quaedam regi Gallorum nuntiaret, opus esse eo internuntio, ut statim relicto, quem colebat, agello in regiam (quae vicina erat) se reciperet, & commissam subiret legationem: additis verbis, quae regem scire voluit. Rusticus perculsus metu, se gnaviter effecturum respondit, iterumque videt evanescere puerum. Concussus igitur miraculo rei agricola de petenda aula cogitavit, quas tamen cogitationes facile illi extorsit conditionis suae reputatio, cum suam tenuitatem in consilium adhiberet, se & juvenem & rusticum, quibus sane in regiis aulis vix ulla habeatur fides; commissam igitur legationem omisit. Post aliquot dies, certo in loco versanti occurrit juvenis ille, graviter de neglecta provincia expostulans, interminatusque est illi dira, nisi quod se facturum recepisset efficeret. Hic rusticus videns cum periculo conjunctam esse dilationem, aulam petit, apparitores convenit, ad regem aditum poscit, habere se aliquid quod regem scire plurimum interfit. Exceptus est legatus ille plane aulico apparatu & more, primum ab omnibus risu, mox etiam a satellitibus regiis famulisque purpuratorum instar morionis foras protrusus, in terram prostratus, ac concussus, iterum colaphis bene mulctatus ex castro ejectus est. Interim Grammatophylaceo praefectum obambulantem conspicit; ad quem ilico volat, ac regem necessario sibi conveniendum constanti vultu testatur; qui cum hominis rustici pertinaciam in asseverando satis mirari non posset, secum in conclave hominem ductum percontatur, quidnam novarum rerum ferat. Rusticus apparitionem narrat. Verba, quae a Juvene accepit, obticet, eo quod solum ea Regem scire oportere dixerit adolescens, jam bis sibi visus: quae cum praefectus grammatophylaceo audisset, credens hominem delirum, monitum non tam facile quibusvis accessum ad regem patere, dimisit. Paucis interjectis diebus redit Mercurius ille, vehementius etiam increpans negligentiam coloni, quod tam facile cesserit aulicorum injuriis, poenam illi denuntiat, nisi breviter legatione sua defungatur, proinde, clementiam suam quam severitatem experiri malit, hortatur. Colonus jam nullum locum neque socordiae neque ignaviae relictum videns, aulam repetit, mortem etiam se non recusare vociferans, modo regem conveniat: cinctus jam erat corona satellitum, qui forsan etiam inclementius excepturi erant hominem: cum commodum intervenit purpuratus ille, quem antea convenerat; cui provolutus ad pedes testabatur, se eadem & vidisse denuo & audivisse; etiam cum mortis denuntiatione. Accessit quamprimum aulicus ille Regem, legatum, quem nuper adfuisse dixerat, rediisse, eademque constanter proclamare. Rex asservato diligenter homine, percontari in pago diligenter, unde oriundus erat, jussit conditionem hominis, quam cum satis

honeſtam audiviſſet, intromiſſus eſt ad Regem ruſticus, ibique accepta in aurem profundit. Rex perculſus tantarum rerum nuntio, ruſticum cuſtodiri juſſit, ac interminatus graviter ne cuiquam communicaret ea, quae ad ſe adtuliſſet, ob quod nullum conſcium allatorum ajunt eſſe, resque imprimis arduas. Habes, optime Caſſander, fabulam totam, ex qua ne tragoedia aliqua oriatur plane vereor. Scis enim ipſe quae interdum ex talibus apparitionibus orta ſint, cum ad ea divinitus agi videantur. Tu de ea vero ſentias, quod velis, me narrare authorem ſomnii iſtius eſſe noli. Vale, & haec, quaeſo, boni conſule: relegere non potui propter feſtinationem. Ex Lutetia, 15. Aprilis.

EPISTOLA LXIX.

JOANNES MURELLIUS

Georgio Caſſandro.

Duisburgum.

JAmdiu teneor magno deſiderio communicandi tecum conſilia mea (pie & erudite vir) quemadmodum rerum mearum ſtatus & noſtrae amicitiae ratio poſtulat; communicavi ante annos quinque rudimenta meae religionis: dixi inſtitutum meum eſſe facere primum, quod videbatur eſſe primum officium meum, nimirum exuere opinionem illam apoſtoli papiſtici, quae de me habebatur, qua ſciebam multos perire me authore, & contrariam ſententiam perſuadere. Hoc Dei beneficio abſolutum eſt forte non ea, quam optabam, foelicitate, uberiori tamen, quam ſperaveram, certe laboribus longe majoribus, quam fuiſſet ferendo mea infirmitas; niſi manus Domini potens adfuiſſet in bello, quod adverſum me tribus annis crudeliſſime geſſerunt meus olim *Picardus*, *Liſetus*, *Mallardus* & omnes Sorbonicae beſtiae, atque ipſa mors: donec armato in me rege, & apparatu longe majori, quam adverſus homuncionem oportebat, precibus & fletibus piorum potius, quam mea ſententia coactus ſum in Angliam excedere octavo abhinc menſe; ubi cum de te quid haberetur quaererem (quoniam in Gallia jamdiu ante nihil acceperam; niſi te Coloniae eſſe atque bene habere) intellexi, quanto ſtudio religionem & gloriam Dei promoveres: quo nuncio (quanquam facile fuit perſuaderi) a multis confirmato nihil potuit gratius mihi ſignificari. turbata religione in Anglia cum cogitarem Genevam, ſtatuebam Colonia iter facere, atque ibi te convenire: interim rogatus ſum a fratribus, qui ſunt Londini, ut Veſaliam venirem, & Eccleſiae exterorum praeeſſem minimum, donec alium commode poſſent ſubſtituere: obtemperavi & ſecutus ſum eum, qui hinc ad hoc miſſus fuerat. Hic primum conveni concionatores, & expoſui me eum eſſe, quem ut praeeſſet Eccleſiae exterorum Senatus juſſerat accerſiri: nemo magnificentius laudavit noſtrum inſtitutum: Doctores & Eccleſias, quas nos imitamur, nemo plura nec majori ſignificatione promiſit in gratiam noſtri atque tui (cujus ſe dicit ſtudioſiſſimum, & ad hoc literas abs te habere, ſi quidam, quem *Flamminius* inſtitue-

tuerat, huc veniret, quas jactabat ſe oſtenſurum Magiſtratui,) quam quidam *Hermannus* Hollandus, idque nudius tertius, cum apud nos caenaret: tamen heri pro concione dixiſſes furore correptum, tam ſeditioſa oratione uſus eſt in nos. Senatum nondum ſumus allocuti propter comitia, quae hodie cepta ſunt haberi ad deligendum Magiſtratum: cum primum hîc aliquid erit in noſtro negocio conſtitutum, vel contra ſtatutum, ad te convolabo, ut diu deſiderato tuo colloquio tandem potiar, interim cura ut valeas, precor Deum, ut te Eccleſiae ſuae diu ſervet incolumem. Veſaliae die 19. Februarii. *D. Cornelium* fratrem meum, chariſſimum laborum tuorum ſocium & adjutorem pii operis, opto meo nomine impenſe ſalutari.

EPISTOLA LXX.

PAULUS MANUTIUS ALDI, F.

Joanni Cratoni S. D.

Viennam.

NIhil minus placet quam ut, nulla propoſita re, nulla certa ſententia, ad te ſcribam. Occurrit enim mihi tua dignitas, occurrit autoritas. cogito, quam tibi perſonam tua virtus imponat, quae te premant onera, quae negotia diſtrahant. nimirum cum tuae ſcientiae, tuoque conſilio ſalus & incolumitas commiſſa ſit ejus Imperatoris, qui multa regna, multas provincias imperio, omnes virtutes animo complectitur, graviſſimam Chriſtianae Reipubl: partem ſuſtines. Cur igitur ita ſim ineptus, atque adeo tam adverſus communibus commodis, ut inani te litterarum genere interpellem; & quem ſalutares illae curae detinent fixae, & locatae pro publica Majeſtate tuenda, ad privatae rei cogitationem ac ſtudium vocem? Verum tamen quia nec res ipſa, ut ego interpretor, privatim ad me unum pertinet; ſed aliqua ex parte cum publica utilitate conjungitur, & ex tuis litteris velle te mea cauſa multum, ex omnium ſermone poſſe plurimum intelligo, male prorſus mereri videar de ſtudiis meis, ac de me ipſo, niſi opportunitatem iſtam nactus amoris, officiique tui, agam tecum de ſtatu meo, quantum res ipſa poſtulat, & quantum mihi per humanitatem tuam licet, per quam licere video plurimum. Etſi enim jaceo, nec recenti, nec levi, ſed inveterato jam, difficilique morbo: tamen ſi tu tantus vir ad me erigendum, ac recreandum accingeris; ſi iſtam ſcientiam, iſtam artem adhibes, quae ſaepe bonis viris in calamitate opem ac ſalutem attulit: cur dubitem, quin voluntatem atque induſtriam meam felicitas illa, utrique noſtrum pariter exoptata, conſequatur? quod ſi ſecus acciderit; ſuum tamen humanitas tua fructum non amittet. Ego enim quod volueris, conatuſque ſis, in tua laude ponam: quod non perfeceris, ad meam fortaſſe culpam, vel, ut aequius de me ipſo ſentiam, ad meam certe fortunam transferam. nam & praeclarus artifex perfectam animo ſpeciem intuens, cum ipſe nihil in arte poſſit, opus tamen imperfectum ſubjectae materiae-

riae vitio relinquit. Nec tamen is ego ſum, cujus animum immoderata quaedam opum honorumve cupiditas angat. Habeo magnam gratiam naturae meae, quae me ad hanc inſaniam nunquam impulit; majorem etiam iis viris, quorum praeceptis eruditus, ad hanc diem ita vixi, itaque poſthac, ut ſpero vivam, ut neque ſumma cupiam, nec ſumma adeptis invideam. Sed quia virtus licet a ſe ipſa pendeat, externa tamen quaedam non recuſat: propterea mediocritatem earum rerum, quae fortunae bona quidam vocant, nunquam contempſi, elaboravi etiam, ut conſequerer: & plane me conſecutum credidi, cum decem ab hinc annis Romam veni. Quis enim aliter crederet, cum a Pontifice maximo vocarer; cum hic vigere dicerentur, ac ſemper antea viguiſſent artes illae, quibus ab ineunte aetate meum ſtudium dederam: cum ipſum denique nomen urbis Romae nihil tenue, nihil anguſtum; ſed ampla, & magna polliceri omnia videretur? Hoc loco non faciam, ut aut de meis ipſe meritis detraham, quod certe non debeo: non enim commiſi, ut meam in re mandata diligentiam, operam, fidem requirere quiſquam jure poſſit; aut alios carpam, quod ab inſtitutis meis longiſſime diſtat. tantum dicam, & id ipſum invitus: neſcio quo fato mihi fontes aruiſſe, qui profluere ſolebant: benignitatem, quae antea patebat, ita clauſam in me eſſe, non modo ut nihil ejuſmodi, in quo vel copia, vel ſplendor ineſſet, ſed ne mediocritas quidem illa, quae repellit incommoda, quae honeſtatem ex parte ſaltem aliqua tuetur, mihi adhuc obtigerit. Ac vide tamen aequitatem animi mei. Rei domeſticae jacturam, quaecunque enim facile fero libenter diſſimulo; do operam, ut obliviſcar, quod antiquam colere frugalitatem, quod illam parvo contentam, omnium laudandarum artium parentem altricemque diſciplinam retinere cogar, non iraſcor. & hanc ipſam fere crederem liberis meis non contemnendam haereditatem. At multa deſunt. Ego deeſſe mihi quidquam nego, abeſſe multa confiteor. Quae tamen ipſa, ni fallor, ejuſmodi ſunt, ut ſi large ſuppetant, nihilo fiam melior; ſi abſint penitus, aut ſi minima ſint, ſicuti ſunt, nihilo deterior. Ergo, quod ad hanc jacturam attinet, tranquillo ſatis animo ſum, illa me dies nocteſque vexat, illa mihi penitus inſidet, haeretque cura, quod ſi quem ſtudia mea fructum ferre, ſiquid poſteris induſtria mea prodeſſe poterit, id periiſſe totum, ac perire quotidie magis intelligo. Haec ſunt mea detrimenta, optime Crato, atque utinam mea tantum eſſent: ferrem facilius, & quoquomodo quaſi foverem, ac mollirem dolores meos: Nunc quum publico tamdiu commodo defuerim; quum jacere ſtudia mea per annos decem, quum ingenium languere ſim paſſus, quum denique fundamentis adoleſcentiae praeclare jactis, aetas gravior expectationi non reſponderit; id cum recordor, paene totus ipſe mihi diſpliceo; & quanquam culpa vacem, me tamen culpa non libero; ſed quaſi communis cauſae deſertorem accuſo. Una relinquitur in amore tuo conſolatio: & ſi nihil praeſtares aliud, hoc ipſo tamen conſolaris, quod aegritudini meae ſociam ſe adjungat aegritudo tua, & dum tu aeque doles, atque ego, id efficis, ut ego non aeque doleam, atque ſoleo. Sed illa pars litterarum tuarum, in qua de *Maximiliani* Imperatoris admodum

pro-

propenſa ad liberales diſciplinas voluntate ſignificas; & addis, opem ab eo ſi petam, fore ne fruſtra petam, ea vero pars animo meo tanquam labanti, quiddam quo conſiſteret, inſtillavit. Aliis alia rara ſunt. Non eodem ſenſu; non eodem omnes ingenio natura finxit. ego quarum rerum illecebris capiuntur multi, ita pleraſque non amo, ut averſer penitus ac fugiam; litteris paſcor: his voluptatem nullam praefero, ac ne confero quidem: harum conſuetudine nihil ſuavius experior, nihil dulcius. & quemadmodum ſi ſolem ex mundo Deus auferat, ſtatim in hoc orbis terrae communi domicilio ſummus horror, ſumma ſequatur incommoditas, ſic adempto mihi litterarum uſu, plena tenebris omnia, plena moleſtiis. Otium injucundum, negotium perdifficile videtur. O mi Crato, o mi, inquam, ſuaviſſime Crato; (jam enim audeo tua fretus facilitate, familiariter, ac plane blande tecum agere) Tunc is es, qui mihi me ipſum longo intervallo reſtituas? qui has aliquando tenebras tuo lumine expellas? cujus munere excolantur, & rurſus florere incipiant ſtudia mea? Confer huc, obſecro, opes tuas, quas intelligo eſſe maximas, ingenii, prudentiae, auctoritatis. Digna prorſus tuis officiis, digna tuo patrocinio cauſſa eſt: nam ſi pro litteris agitur, cur humilis & obſcura videatur? Si apud Imperatorem ſapientiſſimum verae ſolidaeque gloriae cupidum, cur difficilis aut dubia? Merces autem recte factorum nulla praeſtantior, aut uberior, quam ut uſuram vitae quam breviſſimam aeterna nominis memoria compenſet, poſteriſque tradita litterarum beneficio pulcherrimae virtutis effigies, amorem conciliet, laudandi voluntatem commoveat, imitandi ſtudium excitet: praeclarum ducitur quam plurimis imperare mortalibus, gentes, nationeſque ſubigere, dare leges, jura praeſcribere: haec magna videntur, & expetenda in primis. ſed haec ipſa ſaepe motus temporum labefactat, ſaepe vis hominum convellit, ſaepe ad alienam fortuna poteſtatem transfert. urbes & oppida intereunt: veſtigia vix apparent. nomina ſimul interire, & cum aſpectu memoriam quoque tolli ſcriptorum virtus & induſtria non eſt paſſa: decet igitur, cum tu *Maximilianum* vehementer ames, cum illius gloriae maxime ſervias, id curare te in primis, quod maximum eſt amoris argumentum, & ad ejus gloriam maxime pertinet: bonis enim viris, quorum excludi numero me non arbitror, & ita doctrinarum in ſtudio verſantibus, non ut ſibi tantum vivant, privata delectatione contenti, ſed ut ingenii monumenta relinquere, & poſteritati patere ſuam induſtriam velint, quae mihi ſemper ſtudiorum ratio probata vehementer eſt; his tu ſi otium das, & qua vales apud Imperatorem gratia, conficis: vide quot bona conſequantur: ipſum Imperatorem ornabis immortali gloria: probitati & virtuti amiſſam prope dignitatem reſtitues: frueris tu quoque magna laude, quanquam te quidem hoc ſpectare non oportet; ad eam enim laudem, quam adeptus jam es, propemodum accedere nihil poteſt: ſed tamen frueris eorum amore & obſervantia, quos tibi tua merita, tua benignitas adjunxerit. Equidem ſi hoc per te aſſequar, ut ex turbulento negotii genere emerſus ad tranquillitatem perveniam; & quod reliquum vitae contigerit, in optato litterarum portu, interpellatore nullo, vacuus omni cu-

ra degam; nulla res erit tanta, quam non & me tibi debere confitear, & libenter tua cauſa ſuſcipiam. Iſtam quidem virtutem, quae me a moleſtiſſimis occupationibus ad ſuaviſſimam quietem, & aptiſſima naturae meae ſtudia traduxerit, feram in oculis aſſidue, colam animo ſemper; fortaſſe etiam futuris gentibus ignotam eſſe non ſinam, vale. Romae idibus Juniis CIↃ IↃ LXX.

EPISTOLA LXXI.

OBERTUS GIPHANIUS

Joſepho Scaligero Philoſophiae Profeſſori publico S. P.

Genevam.

ETſi litteris illis ad me tuis (nam has ultimas a te accepi quatuor fere abhinc menſibus) quibus cum de caſu illo & invaletudine tua ad me ſcribebas, tum de *Gellio* an *Agellio* candide & prolixe reſpondebas, & plane ſatis faciebas: etſi igitur ex iis conſtantem tuam & perpetuam in me voluntatem & ſtudium perſpicue cognovi: cogor tamen jam denuo nonnihil de te conqueri, qui tanto intervallo nihil reſcripſeris, maxime ad illas ad te litteras meas, quibus hoc, ut ita dicam, litterarium officium deberi videretur: nam memini iis me ad te ſcribere de novo vitae meae genere, & de nuptiis, ad quas cum te occurrere non poſſe viderem, Muſas certe tuas expectabam. Sed tu interea cur nihil plane reſcripſeris, qui ne Muſas quidem tuas miſeris, mirari deſinam; poſtquam tuas litteras accepero, quas equidem ac illas ſimul expectabo. Superioribus diebus, quibus ad ſocerum migravi, dum libros & chartas ſcrutor, incido in litteras *Caroli Langii*, illius, qui olim officia Ciceronis emendavit: iis litteris; (quas abhinc ſeſquianno ad me dedit) ſcribit *Jacobum Suſium* (eſt hic vir nobilis, & manuſcriptorum librorum valde ſtudioſus eſt, & mihi quoque notus) habere antiquiſſimum exemplar Manilii Aſtrologi, idque cum edito formis comparare. Sed ſe ita noſſe *Suſium*, ut vix putet niſi longo fortaſſe poſt intervallo eam rem perfectum iri. In eo autem Poëta, quia te illis litteris ſcripſeras verſari, & operam dare, ut emendatior brevi edatur: rem gratam me tibi facturum putavi, ſi illud ad te perſcriberem: nam ſi ita voles, opera *Langii*, de quo tamen jam ex eo tempore nihil accepi, curare fortaſſe tibi potero, ut ſi non ipſum exemplar, ſaltem varietates ſcripturae habere poſſis. Qua de re quid me facere velis, facies me certiorem. Non in hac re tantum, ſed in omnibus aliis rebus, me tui cupidiſſimum, & qui tibi operam dare velit, paratiſſimum reperies. Gratiam tibi habeo de Varrone, in quo eximiam operam praeſtitiſſe te exiſtimo. Utinam noſtra ſuppellex eſſet paullo plenior, unde & tibi & reliquis amicis accommodare liceat. Dabimus fortaſſe brevi in Inſtitutiones juris quaedam, & Gellium noſtrum, in quo cum alia quaedam me exercent, tum illud lib. III. cap. II. *Capella Hemeri*, & maxime hoc *Quod ariete*. Scio *Hieronymum Magium* hîc voluiſſe quiddam mutare, ſed aqua adhuc haeret, quod dici ſolet. praeterea miror quod eſt

lib.

lib. 11. cap. 22. Etiam cum de *Hiſpanis Alpinis* ſcriberet, nam Hiſpani non ſunt Alpini ſeu inalpini, ſed Galli potius, & Strabo lib. IV. de hoc vento agens ad Gallos refert, prope a Maſſilia incolentes. De his ſi quid habes, rogo te ut communices, & ſi qua fortaſſe alia in eo ſcriptore habebis a te obſervata. Vale, mi Scaliger, vir doctiſſime. Argentorati 7. Id. Febr. *D. Bonefidio* V. D. & humaniſſimo ſalutem a me dices quam officioſiſſime.

Scripta haec epiſtola videri poteſt circa annum 1578. nam & ſub idem tempus ſcripta eſt epiſtola ad *Adrianum Mylium*, edita a D. *Heinſio* Centur. 1. Select. Ep. LVIII. ubi rumores de amoribus ſuis ſparſos Argentorato ſcribit *Giſanius*, & de nuptiis *Alenconii* & *Elizabethae*, de quibus hoc tempore rumor erat, agit. In literarum fronte *Scaliger* Philoſophiae Profeſſor publicus vocatur, quem titulum geſſiſſe, nondum reperi.

EPISTOLA LXXII.

OBERTUS GIFANIUS

Joſepho Scaligero S.

Genevam.

MUltum tibi debeo, mi Scaliger, qui cum de me meaque valetudine tam fueris ſollicitus, tum ea fere omnia, quae fatis libere te rogaram, liberaliſſime promittas. De quo tuo in me ſtudio & voluntate praeclara etſi nunquam dubitavi, per mihi tamen gratum & jucundum fuit hoc amplius, ut dici ſolet, ex tuis id litteris cognoſcere, & his, velut tabulis obſignatis, aliis quoque probare: ſed de valetudine; ea jam ſatis commoda utor. Tibi vero & reip. veſtrae potius gratulor, quae te Philoſophiae doctorem delegerit. in quo munere quam praeclare aliis ſatisfacias, ſcio: quicquid tu in litteris ad me tuis excuſes. quare jam plene illa tantum, quae petii, reliqua de lege Dei a te expecto: Gelliana, poſtquam ſuppellectilem eris nactus. nam Catalecta ſimul erunt formis deſcripta, avidiſſime expectata mittes. De *Lambino* tibi aſſentior omnia eadem. Ollus jam leto datus eſt, in quem tamen quae paravi, propter monſtroſam plane Monſtrolienſis hujus in me maledicentiam, proferre aliquando volo, & brevi fortaſſe. Audio te verſari in explicandis Finibus bonorum Ciceronis, de quo ipſo loco theſes aliquot hîc confeci, de quibus in ſchola diſſeratur. nam tametſi juris docendi munus mihi jam eſt mandatum, & in jure docendo jam ſatis ſumus occupati: tamen politicis horam unam aut alteram etiam nunc tribuimus. mittam ad te exemplum theſium, ſi fortaſſe utiles tibi eſſe poſſint. In ipſo Cicerone quae obſervavi, haec fere ſunt: lib. 1. de finibus fere in fine. *Sed ad rem redeamus, de omnibus dici neceſſe eſt.* in vet. cod. quodam eſt *de hominibus.* quare fortaſſe ita rectius, *de hominibus dici neceſſe non eſt.* lib. 11. initio. *Ut quibuſdam in formulis ea res agatur.* Turnebus & Lambinus, *qua de re agatur.* ego ne nimium mutem, ita: *Ea res agitur.* nam & haec formula veteribus erat uſitata his notis *E. R. A.* teſte Diacono de notis. *Quibus vinum diffuſum, e pleno ſit hirſiphon, ut ait Lucilius, cui nihildum ſit jus & farculos abſtulerit.* in v. cod. *hirſiſon.* Tu conjicies fortaſſe de-

fuſum e pleno ſit oenophoro, ut ait Lucilius, cui nihildum nix & ſacculus abſtulerit. meminiſti de nivis & ſacci uſu in vino. *Nam cum Academicis incerta luctatio eſt.* in V. C. ut *Pithoeus* mihi indicavit, eſt, *uncta luctatio*, ſatis conveniente metaphora: poſt, ubi de Pompejo: *Eſſe enim quamvis vellet juſtus, iniquus poterat impune.* vetus ille codex ita: *eſſe enim quam vellet iniquus poterat impune.* ſic Plato χαλεπὸν γὰρ καὶ πολλοῦ ἐπαίνου ἄξιον ἐν μεγάλῃ ἐξουσίᾳ & ἀδικεῖν γενόμενον δικαίως διαβιῶναι. & pulcherrime lib. VI. de legib. ubi de ſervis. *Nonne melius eſt de his aliquid, quam tantis voluminibus de Themiſtocle loqui?* idem ille codex, *de Themiſta loqui?* optime nam Themiſtam mulierem, Epicuream philoſopham, valde celebrabant Epicurei. de hac Themiſta, Laertius, Clemens Alexand. Lactantius alii. de eadem & hîc Cicero, & ille in Piſonem ut Epicureum, accipiendus mihi videtur, etſi alii mutant, *licet ſis Themiſta ſapientior. In quibus ineſt memoria rerum innumerabilium quaedam infinita. ineſt &* hic videtur legendum. lib. IV. *Jam ille ſorites, quo nihil putatis eſſe vitioſius*, haec verba, *quo nihil p. e. v.* videntur, ut ſpuria, inducenda. lib. V. *Quae acerrime corripuiſſet.* forte legendum *concupiviſſet*; & mox *quem Tiberina diſſenſio*, forte, *deſcenſio*, & mox, *quae ipſi egerint principia*, puto legendum *jecerint. Quae cum Zeno didiciſſet a noſtris, ut in actionibus praeſcribi ſolet, de eadem re dixit alio modo.* De hoc inſtituto Jurisconſultorum veterum Cicero lib. XIII. epiſt 27. Servio Sulpicio J. C. *Et ut vos* (inquit) *in veſtris formulis, ſic ego in epiſtolis; de eadem re alio modo.*

Vale. ſalutem D. *Henrico Stephano*, ad quem proxime ſcribam. Argentorato, poſtridie id. Decemb.

EPISTOLA LXXIII.

SIMEO BOSIUS

Joſepho Scaligero Jul. Caeſaris F. S.

VEllem propius a te abeſſem. frequens extaret teſtimonium amoris erga te mei: ſi quidem coaleſcit, ut cenſes, amicitia crebra litterarum miſſione. Nunc quoniam longiore itineris intervallo diſſiti ſumus, rariuſque ad vos noſtrates commeant, quam ut, quoties volo, litteras dare poſſim; idcirco tamen nolim exiſtimes, quicquam de priſtino meo in te amore deceſſiſſe: Qui a pueris ortus, ita cum aetate maximo merito tuo crevit, ut ad ejus cumulum ſperandum non ſit amplius quicquam addi poſſe. Manilium tuum ne diutius nobis invideto. efficies hac opera diligentiaque tua, ut Aſtrologi Latine loqui tuo beneficio nunc primum diſcant. *Lipſii*, viri diligentis & eruditi Plautinam editionem tam cupide expecto, quam tu: poene dixi, [1] *quam te.* Audivi enim ex rumore quodam, an ex aliorum litteris, te ad Marcham uſque noſtram, hoc eſt Lemonicum propediem excurſurum. unde ſpem conce-

pe-

1 Fuiſſe videtur *Boſius* ejus ſententiae, ut vitioſam hanc conſtructionem crederet. atqui vindicavimus eam ad Quinctil: Declamat: CCLXIII. & CCCXXI. Cicer. IX. ad Art. 2. *me plus vidiſſe, quam ſe.*

peram fore, ut eadem ad nos inviseres. Quo ut venias, si commodo tuo fieri potest, te etiam atque etiam rogo. Me & benignum, & minime odiosum hospitem habebis. Notae meae in epistolas ad Atticum defictae jam sunt. tantum librarii, qui eas descripsit, menda tolluntur. Itaque brevi Lutetiam, ut edantur, eas mittere constitui. Nequicquam tamen, quod scribis, speras te re tam tenui beatum fore. Sat ipse hujus generis divitiis affluis, nisi forte ἀψῶσι πρίωαι. Vale. Ratiasti Lemovicum VIII. Kal. Decemb.

EPISTOLA LXXIV.

SIMEO BOSIUS

Josepho Scaligero Jul. Caesaris F. S.

VIx haec mea manu ad te; ita digitos ἀρθρῖτις contraxerat. *Castaneo* oratori regio quam oportuit operam narravi. Amico mandaram, ut mihi Manilium tuum curaret, quem excusum putabam. Sed *Patisso* suam rem, non tuam gerit. expectandum igitur. De proceribus scholae Parisiensis quid anxium animum habes? nosti illud, *homine imperito nihil est injustius.* Perge ergo. Nam probis & eruditis viris ἐκ σκαλανὸς μυρίοι. Ego editioni epistolarum ad Atticum hîc incumbo. diligentem habeo typographum, ipseque διορθωτὴς sum operarum. Sed juva Ciceronem, obsecro, quibusdam in locis, quibus mederi non potui. Facile vero poteris. ἐκ γὰρ τοῦ τῶν πύλαι Ἀσκληπιαδῶν. Epistola prima libri decimi, ubi vulgo legitur, *M. Antonii istud, quod scribis, non mihi videtur tam re esse triste, quam verbo*: pro *M. Antonii* veteres libri habent partim *Macum*, partim *Macom.* Latet, ni fallor, sub harum litterarum cortice vox quaedam Graeca, quae alteri illi, quam Cicero subjicit, τῇ ἄλῃ respondet. Ego μοῖον olim putabam, nunc ἰσχὺν. Libro ultimo Epist. 15. pro στρατήλαξ *Lambinus* repugnantibus libris antiquis reposuit, aut potius supposuit στρατηλάτης. *Stratilax* vocatur servus quidam apud Plautum Truculento. Sed quae sit ejus nominis ratio mihi satis compertum non est: *Camerarius* ait, esse ὑποκόρισμα τοῦ στρατῶτα. non probo: quid si στρατήλαξ? ἀπὸ τοῦ ἀλλάσσειν τὸ στρατόν. Nam hoc nomine Cicero indicat Antonium. Is vero tunc omnes sui exercitus duces mutarat, ut refert Appianus. Haec, quaeso, mihi explica. magna profecto me cura liberabis. Tuto litteras dabis, si eas Pictavium mittes, ad *Alboneetum* tabellarium, qui creberrime ad nos commeat. ad eam rem commode uteris opera *Bosselli.* saepius a me accepisses, ni valetudo obstitisset. Bene vale, & nos, ut soles, ama. Ratiasti Lemovicum V. Kal. Novemb.

Digitized by Google

EPISTOLA LXXV.

SIMEO BOSIUS

Joſepho Scaligero S.

DEcreveram ad te proficiſci; jamque mihi equos inſterni juſſeram, ut te inviſerem, cum ſubito mihi undique allati ſunt nuntii, ita obſideri vias a graſſatoribus, ut ſine periculo vix quiſquam, niſi magno ſtipatus latronum comitatu, ita milites ἀρχαικῶς vocare ſoleo, itineri ſe committeret. Itaque cum partim incredibili tui videndi deſiderio raperer, partim itinerum periculo revocarer, tandem ſic de tua erga me & alios familiares tuos, jam ſatis ab ineunte uſque aetate perſpecta, voluntate judicavi, malle te amicorum conſuetudine perpetuo carere, quam ſi tua cauſa adverſi quicquam eis accideret. Quocirca inſtitutam illam profectionem meam in aliud tempus commodius forſitan, certe tutius diſtuli. Interim has ad te litteras exaravi, quibus coeptam quidem a teneris annis, ſed longo tempore deſitam, amicitiam renovarem, tibique ob praeclara ingenii tui, quae quotidie in lucem edis, monumenta tanquam litteratorum hujus aetatis principi gratularer, abs teque non veluti a λεξίᾳ, ſed ut ab Aperta peterem variorum locorum ex epiſtolis ad Atticum, quae diu me torſerunt, explicationem, Inprimiſque horum verborum, quae extant lib. XIII. epiſt. 39. *Libros mihi, de quibus antea ſcripſi, velim mittas & maxime* Φαίδρου περὶ θεῶν *&* πολιδος. Sic eſt in editione Victoriana: Antiquiſſimus vero meus codex ita edit poſtrema verba. *&* *maxime* Φαίδρου περίοντος & ἰλλαδος. recte meo quidem judicio. Videtur enim ſignificare Cicero librum Dicaearchi, quo genus illud ſcribendi, quo uſus erat in Phaedro Plato, ut redundans & odioſum reprehendebatur. Quod indicat Laërtius, quum ſcribit Dicaearchum dialogum illum, ut Φορτικὸν notaſſe. Itaque apud Ciceronem τὰ περίοντα idem erunt atque τὰ Φορτικὰ, niſi tu aliter ſentis. Nam quamvis eo ſignificatu; ni fallor, alicubi ſcriptum legerim τὸ περίοντον, nunc tamen locus non occurrit. Itaque aliquo exemplo, ex veteri quodam auctore deprompto, velim meam hanc opinionem juves. gratiſſimum certe mihi feceris, totamque illam emendationem meritiſſimo tibi acceptam feram. De poſtrema voce ἰλλάδος, nihil eſt quod dubitemus. Scripſerat enim Dicaearchus librum περὶ ἰλλαίδος, ut refert Suidas. Hunc nodum, mi Scaliger, Tuo Boſio ſolve. plura ſcribam, cum plus erit otii. Bene vale Pictavii III. Kal. Sext.

Tuas litteras *Boſſellus* mihi reddendas curabit.

EPI-

EPISTOLA LXXVI.

SIMEO BOSIUS

Joſepho Scaligero Jul. Caeſaris F. S.

NIhil mihi gratius, & acceptius tuis litteris, quibus legendis, fatigatus antea negotiorum moleſtiis, animus mihi viſus eſt quodammodo conquieſcere: De loco Ciceroniano, lib. XIII. ad Att. 39. ut tecum non ſentiam in cauſa eſt, quod eodem illo libro Cicero ab Attico alios libros petierat Dicaearchi, ſupreſſo, ut hîc, auctoris nomine, ut τριπολιτικὸν, & ἀναβάσεως. Inſtituerat enim illius exemplo ſcribere, aut ut ipſe Cicero garrit, ὑλλῶν πολιτικὸν σύλλογον Olympiae, aut ubi viſum eſſet ipſi & Attico, ad eamque rem ei opus erat libris Dicaearchi, quibus valde delectabatur. Itaque ἰλλιάδα tacite περιήγησιν ſive περίπλουν illius indicat; quem praeterea adverſus dialogum Platonis Φαῖδρον, cum genus id ſcripti ut Φορτικὸν vituperaret, aliquid edidiſſe refert Laërtius. ut vox quoque πεζικῶν eo neceſſario referenda videatur; Sed quia id tibi minus probatur, amplius deliberabimus. Tanti enim judicium tuum facio, quanti alius neminis. Illum autem Dicaearchi ἰλλιάδα περίπλουν, quem te habere ſcribis, ne litterarum ſtudioſis invideto, a quibus magnam ſane gratiam inibis, ſi eum quam primum in lucem emiſeris. Notas tuas in Catullum, Tibullum, Propertium legi, quae minime meam de iis expectationem fefellerunt. acute, docte, accurate omnia. Quamquam paſſerem aliter ac tu legebam, quam meam lectionem video veteri tuo exemplari valde confirmari. Sic enim ibi exaratum eſſe tradis,

Et ſolatiolum ſui doloris,
Credo ut, cùm gravis acquieſcet ardor,
Tecum ludere, ſicut ipſa, poſſem.

ſcribendum putabam

Ei ſolatiolum ſui doloris
Cedo, ut, cum gravis acquieſcet ardor,
Tecum ludere, ſicut ipſa, poſſim.

Hanc tu lectionem ſi probas, utere tanquam tua: ſin minus, Boſio redde, hoc eſt ei, qui, ut nec ingenio, ita neque conjectura multum valet. quo magis ferenda tibi eſt ejus in hoc ſcriptorum genere audacia. Sed ἄλις ἀπονδῆς. Ad poſtremam epiſtolae tuae partem venio. Itane φιλέρημος es, ut regiam fugias? Atqui doctis & probis viris, hoc eſt, tui ſimilibus ſtipatos potius reges oportuit, quam μιξοβαρβάρων aut ψηλυδρίων ſatellitio. Sed tamen, ut jubes, de te apud Regem, quamquam inviti, ſilebunt amici; εὐθυμίαισque iſtius tuae potius hoc tempore rationem habebunt, quam publicae utilitatis. Ego vero quae te velle, quaeque ad te pertinere arbitrabor, omni ſtudio, diligen-

1 In Ciceronis Epiſt. ad Attic. XIII. Ep. 31. & 32. eſt καταβάσεως. & ita legi debere, ex Athenaeo conſtabit, notas doctorum virorum legentibus.

gentiaque curabo. agnoſcis ἐπεγερὴ κατακλῖδα. Re tamen ipſa praeſtabo, ut me γνήσιον & αὐτοφυῆ amicum agnoſcas. Bene Vale. Pictavii v. Id. Aug. reſignarant tuas litteras πυλοφύλακες. Itaque vide quid ſcribas.

EPISTOLA LXXVII.

SIMON FALCONIUS AURATUS

Medicus,

Joſepho Scaligero S.

ITa me Deus amet (vir clariſſime) ſi unquam in hoc regno litterario (cujus tu ſummus Imperator) tantam gloriam mihi arrogare ſperavi, ut non modo nomen meum ſeſe auribus tuis inculcaret, aut ea ſcriberem, quae tu & legeres & probares: Sed & aureas illas litteras a te extorquerem, quibus me reique medicae ſtudioſos omnes tibi devinctiſſimos habes. Ita magnam ignotis vocibus, multis que *Joannis* hujus *Galeni* locis lucem attuliſti. Quorum omnium luculentam in litteris tuis explicationem dum ſaepius lego, atque oculis comedo, mihi neſcio quo fato ſubblandiuntur ac delitias faciunt ea verba, quibus tu hunc laborem noſtrum ut laudatiſſimum commendas, & meas eſſe aliquid cenſes nugas, ut mihi ipſe jam nunc ſerio atque ex fide tua eruditus videar. Atque eo tandem progreſſa eſt mea juvenilis φιλαυτία, ut tibi ἀντιγραφὴν non dubitem, nempe ὁ πάρεργος τῷ ἀρχοντι, ut Ariſtophanem emolliam. Quod enim tu de eo animali, quod τιχοδίμενα vocat, nempe ὑπερκάμπην eſſe Dioſcoridis, id ſane dum attentius lego, libri noſtri ſcripturae videtur repugnare. Verum eo me rapit nominis tui authoritas, tantique apud me ſunt momenti rationes illae, quibus innixus, ea ſcripſiſti, ut in ſententiam tuam pedibus deſcendere paratus forem, niſi ſubinde cogitaſſem te ex conjectura tantum egiſſe. Itaque mihi ipſe ſuccenſebam, qui integrum authoris locum tibi non bona fide deſcripſeram. Nam praeterquam quod ὑπὲρ ὑπερκάμπης inter calculoſorum renum auxilia apud veteres medicinos authores ne gry quidem reperias, Galeni hujuſce verba id liquido tibi perſuadere poſſint. Cum ergo Nicolaus Alexandrinus τηχυδαίμονα καὶ καρκίνους ποταμίους in illa re praecepiſſet, & ex eiſdem medicamentum pararet author noſter, etſi alia forma, quid eſſet τιχόδιμον illuſtrare voluit. Hujus haec ſunt. Ἔστιν τὸ λεγόμενον τοιχοδίμονα. πολίτην γὰρ ἔνι μικρότριχον, ἀκρίξασθον: καὶ ὑπὲρ τὰ πλευρὰ, καὶ εἰς τὰς φάρυγγας, καὶ εἰς τρύπας ἔνι γὰρ ἴσον καρὶ μικρόν. βάλε δὲ αὐτὸ εἰς τρικάλιν μαδάριζετο πρῶτον καὶ ἐξενπερίζετο, καὶ βάλε καβούρους ἀπὸ τῶ ποτάμου, καὶ κράσιν, καὶ ἀσβέστου. Quae animalculi deſcriptio & quam longe abſit ab ὑπερκάμπης natura perſpicuum eſt, & non multum ab ea, quam paſſeris troglodytis adferunt Paulus Aegineta & Aetius, recedere fortaſſis ipſe concedas. Quorum ille, ἔστι δὲ σκευθρὸν ἁπάντων τῶν ἑρπετῶν τὸ σμικρότατον, πλὴν τῶ λεγομένου βασιλίσκου: μικρὸν γὰρ ἐκείνου μόνου μεῖζον ἔστιν, καὶ προσεικὼς αὐτῷ. χρῶνται μετὰ τὴν

πυρρῦ καὶ χλωροῦ, λεπτομερεστέρων, ἐν τοῖχοις μάλιστα καὶ φαγμοῖς διατρίβοντα. Addit Aetius permulta alia, quae illis tuis de tyranno avicula maxime conſonant. Cujus verba proferrem, ſi exemplar graecum ad manum eſſet. Quantum tamen ex latino *Jani Cornarii* intelligere licuit, a regulo differt troglodites, quod & paulo major, nec in fronte habeat pennas auricolores, & garrulus magis exauditur. Quin & caudam ſubrectam habere punctis albis interſtinctam, & plurimum hyeme apparere ſcribit: ut eam eſſe, quam tu aſperis frigoribus venari ſolitus eras, non dubitem. Hanc ſaepiſſime per hyemem in parietibus hortorum & ſepibus degentem, huc illuc ſeſe brevi ac frequenti volatu inferentem conſpeximus. Colore eſt admodum ruſo obſcuro: Quod ait Paulus, μεταξὺ πυρροῦ καὶ χλωροῦ, ut Ariſtoteles alicubi πυρροῦ καὶ πυῤῥοῦ μέσον. Quem colorem per το ἀκροξανθον vereor ne intelligat author noſter. Hîc noſtri eam a garrulitate, quam in ipſa annotarunt Aetius & Arabes, ex luſciniarum genere eſſe dictitant, parvamque luſciniam, ſeu agreſtem vocant. Neque vero abs re iſta minutius proſequi me putes velim, cum de hac avicula maximus vulgarium medicorum animis obverſetur error, qui ex Arabum fontibus omnem ſuam doctrinam haurire ſoliti, cum apud Razem & Avicennam legiſſent aviculam hanc aſſidue caudam movere, eam eſſe exiſtimarunt, quae *Motacilla* nonnullis dicitur, in quibuſdam Galliae locis *Crolequeue*, unde caudam tremulam barbari, Graeci σεισοπυγίδα καὶ κίγκλον vocant, a qua poſteriore voce κιγκλίζειν deducit Galenus comment. 1. In lib. de articulis. Quidam cum Jynge eamdem faciunt: haec aquas conſectatur cinerei quidem coloris, ſed non varii: Atque hinc erroris cauſa: in parietibus enim & piſcinis reperiri dixit Avicenna, fortaſſe & ipſe deceptus. Nam cum ex Aetio ejus aviculae deſcriptionem ſuis inſereret, pro eo, quod caudam ſubrectam habere dixit Aetius, caudam movere ſcripſit Avicenna. Quorum illud ut veriſſimum, ita hoc falſiſſimum eſt: Troglodytes enim & rufus eſt, & caudam ſubrectam tenet: σεισοπυγὶς vero caudam movet, & tota cinerea eſt, etſi ἴυγξα ποικίλην τῇ τριχώσει eſſe dicant Pindari interpretes. Quod fortaſſe de troglodite intelligendum. Neque vero is ſum, qui Graeculorum neotericorum more Arabas medicinae doctores nigro dente velim impetere, a quibus artem noſtram plurimum illuſtratam eſſe ſcio, ſed potius barbaros ipſorum interpretes, qui ea, quae non intellexerunt, depravarunt. Utinam autem tu Avicennam labore tuo & vigiliis dignum judicares, ac nobis latine loquentem exhiberes, cui familiaris eſt Arabicus ſermo, ut & alii permulti. Hunc ſane authorem neque Galeno minus elegantem, & optimis rationibus inſtructum viſuros nos maximo viro, tibique ſoli comparabili parenti tuo, lubens aſſentior. Sed ad rem. Non eſt ergo avicula illa, quae juxta aquas degens caudam aſſidue motat, eadem cum troglodite, quem in omnibus refert ποικόδειμον noſtri authoris. Nam quod non ſit ἱπποκάμπης praeter illa μαδάεμζετο, ſatis indicat, quod ſcribit περιπατεῖ εἰς τὰ κλαδία, καὶ εἰς τὰς φαγκτὰς, καὶ εἰς τρύπας. Quae quidem id denotant, quod ajunt Paulus & Aetius, ἐν τοίχοις μάλιστα καὶ φαγμοῖς διατρίβοντα. τρύπαι enim ſunt ἐν τοίχοις. Quin eadem eſſe videtur avis cum trochilo Ariſto-

telis. Cujus haec ſunt ex lib. 9. hiſt. anim. ὁ δὲ τροχίλος καὶ λόχμας καὶ τρώγλας οἰκεῖ. Atque ἀπὸ τῶν τρώγλων dicitur τρωγλοδύτης. Heſichius autem τρώγλας exponit τρύπας. ſane trogloditem appoſite noſtri (*roſſignol creuſet*) vocant, quod murorum foramina ſubeat. Ita fortaſſe πιχόδιμον ἀπὸ τῶν πίχων. Alio hanc etiam nomine φιλιππίδα vocaſſe videtur Nicolaus Alexandrinus, unde & *pipiſdam* Razi dictam comperio, fortaſſis a paſſerum voce, quos πιπίζειν Graeci dicunt. Neque mireris, quod hanc avem uri non jubeat Galenus hic, ut Nicolaus, cum apud Paulum, Aetium, & Arabas eam uſtam, elixam, aſſam, ſalitam exhiberi videre poſſis. Illud reſtat, quod tibi negotium faceſſebat, ἵνι χὰρ ἰσον καρδὶ μικρὸν. Sive enim καρδὶ ſit καρίδι, ſive καρίδιον, qua voce aut aviculae parvitas deſignetur, aut crabro, ſive etiam regulus intelligatur, ſive ſit χαροίδειον, quae lutea eſt, omnino trogloditen eſſe mihi perſuadeo. Haec ſane prolixiori ſtylo tibi ſcribere libuit, (Vir undecumque lectiſſime) quod & in medicina faciunda non adeo exigui ſint momenti, & ſi calculum addas tuum, non levis error vulgarium medicorum oſtendatur, qui cinerem caudae tremulae (ſic enim vocant) calculoſis exhibent. Sin tu aliter ſentias; non dubito quin verum ſit. Te vero pro ea, qua polles, comitate a melioribus ſtudiis paululum revocantem ne moleſte feras, immo ſemper diligas, qui te admiror, ſuſpicio, colo. Vale Aurati 15. Cal. Junias.

EPISTOLA LXXVIII.

ROBERTUS TITIUS

[1] *N.*

VIdeo me nunc tibi parum prodeſſe poſſe ad explendum deſiderium Clariſſimorum virorum *Occonis* & *Velſeri*. nam & ego hujuſcemodi antiquitatis monumenta nunquam admodum diligenter conquiſivi, & video ab aliis exquiſitiſſima diligentia in unum corpus fuiſſe collecta; ut nihil propemodum ſupereſſe credam, quod viros illos fefellerit. De pauculis illis inſcriptionibus, quarum copiam tibi feci, haec breviter dicere habeo: Ea cujus initium SP. *MELIUS COPRIANUS*, dicitur extare Auximi. Vetus epigramma, cujus initium *Q. MURCIO SALAPIENI*, & ſpectabatur olim in agro Tiphernati, in loco, in quo villa Plinii nepotis fuiſſe creditur, haud ita longe a mea patria, erat in angulo domunculae ruſticae, quae deinde vetuſtate corruit, & a domino in fornacem calcariam marmor conjectum fuit. inſcriptionis copiam mihi fecit *Chriſtophorus Rufus*, civis meus, vir apprime eruditus, cujus libri excuſi circumferuntur, ut te noſſe cenſeo. Epigramma, cujus initium *PORCILLAE VESTINAE*, ſpectabatur in agro Aretino, via, quae Cluſium ducit, procul ab urbe ad vi. lapidem. id ad patrem meum, harum literarum probe gnarum, miſit olim *Hieronymus Magius*, vir inſigniter eruditus, cujus plurimi libri formis aeneis impreſſi extant: Epi-

[1] Haec epiſtola non ad *Gruterum* videtur ſcripta, (vide *Gruteri* Inſcript. pag. MIII.) ſed cum *Grutero* communicata.

Digitized by Google

Epigramma, cujus initium D. M. A. *RUSTICUS*, & adhuc ſpectari dicitur in delubro, quod eſt ad ripam Metauri, non longe ab oppido, cui nomen Sant Angelo in vado; in ditione Urbinatium ducis. id a me olim deſcriptum miſit *Accurſius Columbinus* civis ejus oppidi, meus affinis. Alia Epigrammata deſcripta habeo in codice Epigrammatum antiquae Urbis, qui fuit [2] *Benedicti Varicenſis*, hominis pereruditi; cujus libri plures extant Etruſco idiomate ſcripti, diverſis in locis impreſſi. Ad ea Epigrammata non erant adſcripta locorum: in quibus reperirentur, nomina, nec de eis certius quicquam habeo. Haec praeſtantiſſimis viris *Occoni* & *Velſero* ſignificare poteris, atque utrique meo nomine ſalutem dicere; id ut facias te etiam atque etiam rogo obteſtorque. mittam ad te pulcherrimam inſcriptionem, quae in Camertibus eruta fuit anno CIↃ IↃ XLIV. eam deſcriptam habeo in quodam codice, qui nunc mihi non ſuccurrit, incidam in eum, cum minus ſperavero.

2 An hic *Benedictus Varchi*, cujus Hiſtoria Florentina exſtat? de quo egimus in praefat. ad Theſaur. Italic. tom. VIII. pag. 8.

EPISTOLA LXXIX.

FREDERICUS MORELLUS, FREDERICI F.

Joſepho Scaligero.

INcidit in manus noſtras, Joſephe eruditiſſimorum humaniſſime, ſphaera illa graeca vetus, quam in Manilianis tuis citas libenter, & emendas obiter. eam typis noſtris regiis majoribus deſcribere fert animus: quod eodem tempore *Buchanani* Scoti ſphaeram Latinam, alio tamen ornatu poëtico expreſſam, excudere cogitem. Itaque oro te atque obſecro, pro perveteri illa magni *Julii Caeſaris* patris tui πλῶν ἀντιξίᾳ ἄλλων, & ſingulari in Vaſcoſanum avum meum maternum benevolentia, qua eadem te etiamnunc in me tui cupidiſſimum, non mei, ſed *Cujacii*, *Puteani*, *Pithoei*, *Pincei*, *Petitii* cauſa, eſſe confido; ut tuas in Empedocleam illam ſphaeram, (ſi Empedocli Agrigentino cum Demetrio Triclinio cenſes tribuendam) emendationes, vel ejus exemplar a te caſtigatum, & ſi quam ludens ejus verſionem paraſti, mittas ad me quamprimum. Itemque notas & animadverſiones tuas in Lycophronis Caſſandram Graecam & Latinam, quam veluti coactus a profeſſoribus noſtris regiis feſtinanter & indiligenter edidi. Illam, cuicuimodi eſt, ad te mitto. Piſidae κοσμουργίαν temere etiam & inepte a me converſam, & nonnulla alia, quae tibi non injucunda fore ſperabam. Gregentianam quandam diſputationem περὶ τοῦ τί πίστως, a Palladio Graece ſcriptam utraque lingua cudo. *Chriſtiani Florentis* ſcriptis propediem incumbam. Tuus, vel noſter potius, *Pincaeus* Senator, Aſtreae & Philologiae cultor aſſiduus, te ſalvere jubet, coram ex tua ſponſione ſalutare mallet. *Jonathae* noſtri fidei faſciculum hunc commendavi, quo citius optatis fruerer. *Auratus* ὑπερ νεόγαμος, & *Ronſardus* ὑπερ νεοθαλὴς hîc vivunt & valent: Vale, & feliciter vive μακαρίλων ὀχ' ἄριστε. datum Lutetiae, Nonis Februarii. M. LXXXV.

EPISTOLA LXXX.

FRED. SYLBURGIUS

Josepho Scaligero S. P. D.

PLures anni sunt, ex quo ut patrem tuum, ita te quoque, Clarissime Scaliger, ob praeclara in remp. merita, amo & veneror. Cujus meae erga te observantiae etsi aliqua privatim ac publice indicia exhibui, fuerunt tamen illa fortasse obscuriora, quam ut tibi innotuerint. Itaque missis ambagibus, recta via mihi aditum ad te patefaciendum existimavi, cujus cum se commodior non offerret ratio, eam arripui, quam res ipsa monstrare videbatur. Secutus ergo doctorum virorum exemplum, eum Aristotelis tomum, quem te maxime dignum putabam, tibi dedicavi. idque eo libentius feci, quia confido te, quae a me festinante animadversa non sunt, pro singulari eruditione ac judicio tuo correcturum esse, ac per nos cum universo literatorum coetu communicaturum. Sed & haec spes accessit, fore ut perspecto instituto & studio nostro, nos in ceteris etiam tomis absolvendis pro virili adjuves, nec tua tantum nobis impertias, sed aliena etiam ab iis, qui tibi favent, impetres. Cum ergo tres nobis adhuc tomi supersint, Politica cum Oeconomicis, Historia animalium, & ultimus tomus, quo diversi argumenti opuscula continentur, rogo ad eorum expolitionem conferas quidquid vel ipse habes, vel ab aliis nanciscí potes. quod beneficium si a te tuique amantibus obtinere potuerimus, efficiemus, ne vos contulisse poeniteat. Problematis *Aristotelis* addidimus etiam Alexandri & Cassii problemata. Hac aestate, si Deus conatus nostros fortunarit, Dionysium Halicarnasseum expediemus: deinde vel Polybium, vel Biblia Graeca. Ad quorum editionem si quid contribuere volueris, magnam a nobis pariter & literatis omnibus gratiam inibis. Sed modum petitionis me excedere sentio, quare finem ei faciam, audaciaeque ac impudentiae culpam deprecabor, ad quam quia me ardens juvandae reip. studium impellit, spero te mihi facilius daturum veniam: praesertim cum tu in eodem exercitationis genere, sed feliciore cum successu & laude majore, verseris. Deus Opt. Max. in tam laudabili curriculo te magis ac magis incitet & prosperet. Vale, & si quid vicissim tibi gratificari possumus, impone ac jube. Salutant te *Wecheli* heredes, *Claudius Marnius*, & *Joannes Aubrius*.

Francofurdi in Wecheli aedibus 12. Apr. 1585.

EPISTOLA LXXXI.

FRED. SYLBURGIUS

Josepho Scaligero S.

SAepius ad te scripsissem, Scaliger praestantissime, nisi ex *Opsopoeo* nostro intellexissem, te in remotioribus secessibus nunc degere, ad quos amicorum

Digitized by Google

rum litteris vix tutus ſit aditus. Nunc poſtquam e juvene quodam tui obſervantiſſimo cognovi, aliquam eſſe litterarum mittendarum occaſionem, utendum ea putavi, atque in his negotiorum turbis qualemcumque exarandam epiſtolam. Ut ergo de ſtudiis noſtris pauca tecum colloquar, poſt Dionyſium & Ariſtotelem aggreſſus ſum Romanae hiſtoriae ſyntagma. Ejus primo tomo dedi ſcriptores Latinos minores, qui altius exorſi, Auguſtae hiſtoriae aut viam ſtravcrunt, aut partem ejus aliquam ad ſua uſque tempora brevi compendio deduxerunt: videlicet Faſtos Capitolinos a Sigonio ſuppletos & commentario explanatos; cum ejuſdem Sigonii libro De nominibus Romanorum; tum Meſſallam Corvinum, L. Florum, Vellejum Paterculum; Sextum Aurelium Victorem De Romanae gentis origine; De viris illuſtribus; De Imperatoribus; cum ejuſdem Victoris Epitome: Sextum Rufum, ſeu Feſtum Rufum; Eutropium, Caſſiodori & Jornandis ea quae ad Rom. hiſtoriam pertinent. Altero tomo dedimus Caeſareae hiſtoriae ſcriptores Latinos minores, Suetonium Tranquillum, Aelium Spartianum, Julium Capitolinum, Vulcatium Gallicanum, Aelium Lampridium, Trebellium Pollionem, Flavium Vopiſcum, Ammianum Marcellinum; & ex recentioribus Pomponium Laetum ac Baptiſtam Egnatium. Ad horum expolitionem ut amici egregias contribuerunt ſymbolas, ita non dubito, quin tu quoque ſis collaturus aliquid. quod ut facias rogo, & quodammodo reip. nomine poſtulo. Maxime autem ad tertii tomi perfectionem tua ope nobis opus eſt. is Graecis ſcriptoribus cum Latina verſione dicatus eſt; nempe Faſtis Graecis, Eutropii Graeco interpreti Paeanio, Xiphilino, Herodiano, Zoſimo. Quibus Olympiodori ἐκλογὰς e Photio viſum eſt ſubjungere. ſed mallemus tamen Olympiodorum integrum, ſi abs te illum aut ab amicis poſſemus impetrare. Rogo igitur ne nobis hac in parte deſis, ſed de tuis amicorumque ſcriniis communices quidquid huc pertinere videbitur. Quartus tomus Procopio & Agathiae fortaſſis aſſignabitur: quorum nobis ab amicis facta eſt expectatio. Sequetur hos ἀπ' ἄλλης ἀρχῆς Dio, & Polybius: ad quorum editionem ut ante aliquot annos quaedam nobis obtuliſti, ita te nunc ejus promiſſi velim eſſe memorem; & quidem ſerio. Verſionem Polybii a *Pompilio Amaſaeo* interpolatam accipiemus ex Italia, cum aliis quibuſdam ejus lucubrationibus: promiſeruntque ſuppetias alias alii amici. Non diffido igitur, quin tu quoque tuas notationes nobis ſis communicaturus, & ab amicis impetraturus, quae hanc ad rem conferre videbuntur. Id certe ut facias enixe contendo; ac plane mihi perſuadeo, precibus meis apud te amicoſque tuos aliquem futurum locum. Cujus voti ſi me compotem feceris, admitar, ut te atque amicos collati in me beneficii non poeniteat. Porro quod attinet ad operis progreſſus, ſi Olympiodorus citius ad nos pervenire non poſſit, ſaltem primo vere ad nos mittendus fuerit. Dio & Polybius moram paullo longiorem ferre poterunt: quanquam ſunt, qui Polybium valde urgeant. Haec tibi, Scaliger Clariſſime, putavi ſignificanda. tu pro indefeſſo erga remp. ſtudio conatus noſtros, quantum potes, & tua & amicorum ope adjuva. Vale quam feliciſſime. Francof. in Wecheliorum aedibus 23. Sept. 1588.

EPISTOLA LXXXII.

JACOBUS CHRISTMANNUS JOANNIS-BERGENSIS

Josepho Scaligero S. P.

Bituriges, in ædibus Cujacii.

ANte annum, Vir Nobiliſſime, omniſque generis eruditione Clariſſime, Studioſus Pomeranus, amicus noſter, *Adrianus Borckius*, in Gallias abivit, excolendi ingenii cauſâ: cui rudimenta mea Arabica dederam, ut tibi oſtenderet, & quid de illis ſentires, ad me reſcriberet. Sed cum nullas ab eo hactenus literas acceperim: malui in præſentia te ipſum compellare, & de Arabicis nonnulla proponere: quæ te in bonam partem accepturum, & ſententiam tuam liberè mihi declaraturum, haud diffido. S. Lucæ Euangeliſtæ hiſtoriam Actorum Apoſtolicorum Arabicè conſcriptam, conformavi in characteres Hebraeorum: iiſdemque addidi puncta, prout Arabum & Hebraeorum fert analogia. Verbum de verbo Latinè expreſſi, Arabiſmos diligenter annotavi: *ἀνάλυσιν* inculcavi: omnes propemodum radices Arabicas, quae in Actis Apoſtolicis inveniuntur, ad Hebraeas & Chaldaeas reduxi: quò videre liceat, quae Linguae Arabicae ſit proprietas, ejuſque cum Hebraea & Chaldaea affinitas. Spero autem has meas lucubrationes brevi in lucem edendas. Codex Arabicus, ex quo iſta primum deſcripſi, exſtat in Bibliotheca Illuſtriſſ. Princ. Palatini Electoris, ad Rhenum, in urbe Heidelbergenſium, (ubi etiamnum Profeſſorem linguae Hebraeae ago:) eſtque exaratus, ut ad calcem ejus habetur, anno Martyrum Sanctorum 990. his verbis Arabicis: وكان الفراغ من
هذا الكتاب في الثاني والعشرين من بابه سنه تسعين وتسع مايه
للشهدا الابرار׃
וכאן אלפראע מן הדא אלכתאב פי אלתאני ואלעשרין מן באבה שנה תשעין ותשע מאית ללשהדא אלאברארי׃
Hoc eſt.

Et fuit finis de hoc ſcripto in ſecundo & viceſimo ex Baba, anno nonageſimo & novies centeſimo Martyrum ſanctorum. Hanc aeram quòd intellexerim, tuis eruditiſſimis commentariis de emendatione temporum debeo: & integrum locum pag. 245. operis tui, ex relatione Reverendiſſimi Patriarchae Antiocheni, lucubrationibus meis pro commendanda antiquitate Codicis Arabici inſerui: tui etiam faciens honorificam mentionem. Cùm verò conſtantes habeam rationes, quibus Characteres Arabum in Hebraeos ſunt tranſfundendi: in nonnullis ego à te diſſentio: ita autem D. Ignatium reſpondiſſe Arabicè colligo,
وايضا لكم قد سالتم عن تاريخ الشهدا المستعمل من القبط ما هو وما هو
سببه تسميته فاعلم اناه مبدي من السنة التاسعه عشر ملك دیوقلیطیانوس
الفاجر الذي فيها زلد الاصطهاد عاي النصاري وامر بهدم كنايسهم وبقتل
كل

كل من ما يذبح لاصنامه فاستشهد بهذا الامر علي يده من
مومنين والية القبط مايه واربعه واربعين الف وسبعمايه نفر ومن هذا اليوم
يبدي تاريخ القبط ويسمونه تاريخ الشهدا اي هولاي الذين اسفك
دمهم ديوقلطيانوس

Quae in literas & puncta Hebraeorum ita commutavi.

וְאַתָּא אַנְתֻּם קַד שְׁאַלְתֻּם עַן תָּארִיתְ אַלְשַׁהַדָא אַלְמַשְׁתַּעְמַל מִן אַלְקִבְט מָא הִ וְמָא הִ שֻׁכֵּב תַּשְׁמִיתֵהּ בְּהָדָא
אַלְאִשְׁם וְאַעְלַם אַנַּ סַבַּבִ מִן אַלְשָׁנָה אַלְתִ אַשַּׁהּ עַשַׂר לְמָלְךְ דִיוֹקְלִיטְיאָנוּשׁ אַלְכָאפִר אִלְהִי פִּיהָא וְאַד אַל
אַצְטַאר עַלַי אַלְנַצַארִי וְאַמַר כְּהַרֵם כְּנַאיִשְׂהֶם וְנִקְתַל כֹּל מִן מָא יִדְבַּח לְאַצְנַאמֵהּ וְאִשְׁתַּהַר בְּהָדָא אַלְאַמַר
עַלַי יְדֵהּ מִן סְמָנִין וְאַלִיה אַלְקִבְט מְאָא וְאַרְבָּעָה וְאַרְבָּעִין אֶלֶף וְשַׁבְעִין מְאָה וְגֶפֶר וּמִן הָדָא אַלְיוֹם יַגְדִי תָּארִיתְ
אַלְקִבְט וְיִשְׁמוּנַהּ תָּארִיתְ אַלְשַׁהַדָא אִי הִלָּאִ אַלְדִין אֻשְׁפַּךְ דַּמְהֶם דִיוֹקְלִיטְיאָנוּשׁ /

Latine hoc modo ad verbum tranſtuli.

Etiam vos pridem quaeſiviſtis de aera Martyrum uſitata apud Kobtitas, quid eſſet aut quae cauſa appellationis ipſius in hoc nomine: ſed ſcito quod ipſa (ſit) incoata ab anno nonodecimo regis Diocletiani impii, in quo auxit perſecutionem adverſus Chriſtianos edixitque deſtruere eccleſias ipſorum & interficere omnem, qui non ſacrificaret idolis ejus. Sic martyres facti ſunt hoc edicto per manum ejus ex fidelibus dioeceſis Kobtitarum centum quatuorque & quadraginta millia, & ſeptingenta diſperſa ſunt. Quare ab hoc die incipit aera Kobtitarum, quam vocant aeram Martyrum, id eſt, eorum quorum ſanguinem effudit Diocletianus. Ex quibus omnibus perſpicis me literas Arabum ش & س vel س non aliter diſtinguere, quàm Hebraei faciunt in diſcernenda ש à שׂ. Primò enim ex ductibus literarum ش & س conſtat, eas ab Hebraeo *Sin* & *Schin* dimanaſſe: & per haec eadem Hebraeorum elementa reddendas. Sed utrum ſit *S* lene, & utrum *S* durum video ambigi: *Guilielmus* enim *Poſtellus*, & qui eum ſunt ſecuti, non ſine errore ſcripſerunt, Characterem Arabem ش denotare *S* durum, hoc eſt, reſpondere *Schin* Hebraeo: & س repraeſentare *S* lene, hoc eſt *Sin* Hebraeorum. Verùm hoc frivolum eſſe, oſtendit collatio utriuſque linguae: nam quamplurima, quae *Schin* Hebraeum habent, Arabes per س ſcribunt, ut in aera Actorum meorum سنة تسعين وتسع: Et in explicatione Ignatiana المستعمل سالغم &c. Annon abſurdum fuerit, ſi illa per *Samec* ס vertamus, hoc modo סנה תסדין תסע? Deinde multa ſunt, quae apud Hebraeos *Sin* obtinent, & apud Arabes ش, ut in ſuperioribus allegatis locis عشرين, شهدا, عشر quae ſi refundas ad CharacteresHebraeorum hoc modo עשׂרין /שׁהדא/ prorſus quadrata rotundis mutabis. Etſi non diffitear, haec in omnibus non obſervari, ſed in aliquibus confundi: ut Hebraicè ſcribitur שֶׁמֶשׁ apud Arabes vero شمس, hoc eſt שׂמס &c. At objicias forſitan, apud Arabes literam ش duriter legi, & س leniter: equidem probè id ſcio: fit autem hoc eo modo, quo

quo apud Judaeos pleroſque Character Hebraeorum ש legitur *S*, & non *Sch*: neque tamen propterea ſequitur, quòd ש debeat mutari in *Samec* inter deſcribendum. Exempli gratia, שְׁלֹמֹה legunt plerique *Selomo* vel Salomo: cum tamen non ſit ſcribendum סְלֹמֹה vel סלמה. Ad lectionem autem Characteris Arabici ش quod attinet reſpondeo, illam propriè Arabibus non duram eſſe, ſed ſibilantem: ſicut ث *S* ſibilans (cujus punctum ſupernum, tranſſumtum eſt, propter pronunciationis affinitatem, ad *Sin* Arabicum hoc modo ش) vel *Tau* Raphatum Hebraeorum, Graecorum θ, deſignat. Si inſtes, quòd triangulare punctum ֗ vel ֖ infra vel ſupra literam poſitum, videatur habere vim durioris pronunciationis: ut ſi menſem بابא (quem Graeci dixerunt παωφι) ſcribas . . . . vel . . . . *Papa* legens pro *Baba*. Reſpondeo, ſupernum punctum triangulare, ſemper ejuſdem eſſe naturae, hoc eſt, ſibilum denotare, reſpondentem proximè ث ſeu Tau raphato: infra autem literam poſitum, & inverſo modo ֖ deſignare privationem ſibili, & fortiorem requirere literae prolationem. Inveni autem tale infernum punctum in litera *Beth*, ut . . . . *Baulus*, & in litera *Schin* ut سمع שָׁמַע &c. Utut ergo *Beth* fortiter efferatur, tamen manet *Beth*, ut figura ejus oſtendit: ſic licet Arabicum س nonnunquam leniter & per ſibilum, nonnunquam fortiter enuncietur: tamen figura ejus oſtendit, ſumtum illud eſſe ex Hebraeo ש, & in illud refundendum: nequaquam verò commutandum in *Samec* ס: Arabes enim vulgares non habent figuram literae *Samec* Hebraei: pro *Samec* tamen in numererorum notatione (quae prorſus Hebraicis literis ſecundum ordinem reſpondet) productius *Tſade* adhibent: ſicut in quodam Aſtrolabio Arabico apud me videre licet. Itaque ei, qui volet characteres Arabum, in originales Hebraeorum refundere, ſpectandum eſt, quid figurae inter ſe utrinque communes ferant, quaeque utriuſque linguae ſit proprietas & cognatio. Si enim ex vernacula Arabum pronunciatione pendendum eſſet, utique ض per *Daleth* raphatum, غ per *Gimel*, &c. etiam eſſet reddendum, quo nihil foret abſurdius, & à fontibus Hebraeis alienius. Sententia mea eſt, ut س, vel س, vel س Arabum per ש reddatur: vel ſaltem ſi typi Hebraei non habeant punctum dextrum vel ſiniſtrum, ut exemplo Chaldaeorum ש Arabum vertatur loco *Sin* in *Samec*: hoc modo סעד, in עַבְד &c. Ubi enim apud Arabes viginti ſunt dictiones, quae per ش ſcribuntur, fere ſedecim earum reſpondent *Sin* vel *Samec* Hebraeo: & ubi apud Arabes ſexcentae voces ſunt, quae per س, س, س ſcribuntur, ferè quingentae ex iis reſpondent Hebraico *Schin*. Haec me movent,

vent, cur in verſione praedictarum literarum a te diſſentiam: tu, Optime & Nobiliſſime vir, ignoſces Academicae παῤῥησίᾳ, & porro ut judicium tuum ad me perſcribas vehementer oro. Quod ſi feceris maximis me beneficiis obſtrictum habebis, & me amicum certum experieris. Plautum tuum eruditi juvenes, & viri Clariſſimi ſollicite expectant, & ut tandem promiſſa perſolvas maxime rogant. D. *Franciſcum Junium* Biturigem, hoc tempore collegam meum reverenter colendum, monui, ut occaſione data de Arabicis quoque tecum conferret. Nobiliſſimum ſtudioſum, D. *Adrianum Borckium*, quem ſupra nominavi: ſi tibi innotuit, meo nomine officioſiſſime ſaluta: eique, ubicunque degat, haſce adjunctas redde. Ad eum enim ſcripſi (modo Biturigibus adhuc haereat) ut me tibi commendaret, & reſponſum ad meas abs te peteret. Deus Opt. Max. te diu Reipub. literariae ſalvum & incolumem ſervet. Datae Dominica Judica, ipſa nimirum die 28. Martii Anno 1585. ſtilo vet. Heidelbergae.

De hoc *Chriſtmanno* vide quae diximus ad *Lipſii* Epiſt. CLVII. CCCXXVIII. CCCCLXXXI. Quia vero ignorabam, quid de argumento hujus epiſtolae judicandum eſſet, eam cum viro optimo, & doctiſſimo collega, *Johanne Heymanno*, Linguarum Orient. Profeſſore, communicavi, qui ad eam haec, quae ſequuntur, adnotavit.

Arabicum textum in literas Hebraeas transfundere, de quo agitur in hac Epiſtola, vanus eſt labor, & ſolis Judaeis inter Muſlimos commorantes, ne ſcripta ſua legant, utilis. Nam Hebraei habent 22. Arabes vero 28, vel juxta ipſorummet calculum, 29 literas, & ſi peculiares, quas praeterea habent Turcae ac Perſae, jungant in vocibus exoticis literas, quod tamen rariſſime fit, quatuor vel quinque amplius. Praeterea Hebraei habent 10. vocales, & ſi jungas vata cum ſchevaim, 15; Arabes vero tantum tres & nunnationem; tranſeo differentiam non exiguam in aliis punctis diacriticis; ſic ut non tantum turbanda ſit lectio & pronuntiatio, ſed etiam multo difficilior evaſura, praeſertim etiam quia Arabes regulariter quaſdam literas elegantiſſime connectunt, alias non, unde ſaepiſſime limites vocum in Arabica ſcriptura melius dignoſcuntur, quam in Hebraea, ubi ſingulae literae ſeparatim pinguntur, & quae terminant vocem cum voce ſequente initialibus ſaepe per errorem jungi poſſunt.

Si tamen aliquis ita inſtituere vellet, is leges illius transfuſionis non ex ſuo cerebro conderet, ſed ex Judaeorum inter Muhammedanos habitantium uſu, (v. g. ex quodam pentateucho, vel ex Maim. Moreh Nevochim &c. quorum textus Arabice, ſcriptura Hebr. exſtat in hac Bibliotheca) accipere deberet.

Author epiſtolae etiam multos errores admiſit. 1. in tranſcriptione textus Arabici ex *J. Scaligero*, apud quem fere omnia ſana ſunt: tres voces omiſit; duas cum omiſſione aut tranſpoſitione literarum foedavit, aliquot puncta diacritica, quae adeſſe debebant, neglexit, unicam vocem correctius ſcripſit, ſed alias incorrectas reliquit &c. 2. In verſione ejuſdem textus voluit verſionem *Scaligeri* emendare, ſed infeliciter, praeſertim ubi vocem نثر quam non intellexit, vertit per *diſperſa ſunt*, ac ſi fieret diſtinctio inter occiſos & diſperſos per perſecutionem Diocletiani, cum tantum in 1. Arabico interfectorum fiat mentio, & vox نثر non ſignificet diſpergere, ſed tot *homines* vel *perſonas*, idque praeſertim ex uſu linguae Turcicae, quam etiam videtur intellexiſſe *Scaliger*, ſed non author Epiſtolae. 3. praeterea multa animadverti poſſent in ſeq. diſputatione ejus de quibuſdam vocibus & literis, quae aliter ſe habent in Hebraea, aliter in Arabica lingua; & de orthographia; in quibus ſe prodit inſcitia authoris & animus admodum pronus ad ſubjugandam nobiliſſimam linguam Arabicam legibus linguae Hebraeae; ſed ea haec pagella non fert.

EPISTOLA LXXXIII.

Q. SEPT. FLORENS CHRISTIANUS

J. Douzae a Noortwico S. D.

Leidam.

HEri tantum (hoc est sex integros menses, postquam scriptae sunt) tuas accepi literas, mi Douza, mittente *Jo. Jossentio* qui nunc Caesaroduni Turonum *Scaligerum* nostrum opperritur, ad vos merito iturientem, & quum has accipies, portum, ut spero, vestrum applicantem. Gratulor viro istam e Gallia nostra abitionem, & voveo felix iter, vobis vero planissime invideo bona tanta, quanta in hac copia eorum fruituri estis, quae propria nobis essent, si saperemus. sed bene, quod sub libera conditione Principem virum, & vere ἐλευθέριον conduxistis. Nam & ex animi sententia illic morabitur, & regressum habebit liberum. Quanquam, si me audit, amabit vestros focos, quando in hac terra Gallia nullum operae suae dignum nactus est pretium. Vestrum erit causas morandi innectere, ut qui nunc vocatus, taedio ruentis patriae, & multa prece motus, Bataviam petit, vestra demum comitate & toleranti prudentia delinitus & victus, videatur ultro ambiturus. Neque vero miror fuisse apud vos genus hominum, qui *Scaligeri* erga vos propensum animum & simplicem voluntatem imminutum irent: etiam in his regionibus ii percrebuerant sermones, qui totum istud negotium pessum dare poterant. Nam de vobis Batavis ea circumferebant, quae certe scio ficta fuisse commenta invidae & malignantis ἐφιάλτου. Quasi vero, ut *Lipsium* ureretis, *Scaligerum* tantum accersendum putaveritis. Imo neque hunc unquam in mente vestra sensum fuisse arbitror, & certum habeo neminem esse ex ista gente litterata, quem libentius videat, & de facie norit quam *Scaligerum Lipsius*, aut *Lipsium Scaliger*. Quicquid aggrediemur aut quoquo grassabimur, illiberale est & impium, gradum sibi facere ex aliena ruina, aut laetitiam ex dolore; neque cadit in humanitatis professores tam fera cogitatio. Vellem equidem aut *Lipsio* non praebitam, aut ab ipso non arreptam, discedendi a vobis occasionem, & haberetis δύω κοσμήτορε Μεσῶν. Non me latet posse non leves causas adferri, propter quas istud discidium factum sit, sed sic censeo, talium virorum amicitias non disrumpendas, sed (si necesse sit) dissuendas. Vidi his diebus [1] Epistolam ipsius ad *Monavium*. Hui tantas turbas propterea? cui bono? quid velle istos dicam, nisi in lente unguentum? Non dissimulabo tibi, quaedam in illo esse, quae multis etiam bonis viris suspicionem urgeant non constanter servatae, sed laesae Religionis Christianae, vel cum ait, *Deum sibi posthac colendum per vestigia majorum*. Id quamvis per se rectum est & laudandum (agnoscimus enim majores Apostolos) tamen non perinde ab omnibus aut intelligetur, aut accipietur. Neque ego probaverim scribentis animum, si hac cautione quaesivit famam deferendae Ecclesiae, ut nec legentis, si id immerito su-

1 Cent. II. Miscell. 98. & vide in hac Sylloge ad Epist. *Monavii* ad *Lipsium* cccxcv.

Digitized by Google

ſuſpicetur. Multi quidem in Gallia multum hac in parte peccavimus, ſed metu mortis inſtantis, quam vis & Tyrannis praeferebant, neque ſponte, ſed, ut ſemel dicam, vitio humanitatis. Haec ego, mi Douſa, libere ad te & apud te ſcribo, non qui ſim πολυπεράγμων, ſed ut omnes Batavi intelligatis mihi, laudis veſtrae amantiſſimo, dolere hoc vobis deeſſe ornamentum, ac vere moneam (ſi quid monitoris eges tu) ſaepe bona a Deo data nobis excidere culpa noſtra, praeſertim ſi tale ingenium nobis ſit, quod in juventae calore praecipiti vocat Horatius, *Amata relinquere pernix*. Caeterum magnam iniviſti a me gratiam in literis tuis, quibus tam elegantes & amoris plenos [2] elegos attexuiſti, omnia dicta ſive ſoluta ſive vincta, recta ſemper ſunt: omnino reſpondere elegantiae tuae non poſſum: erit tamen cum aliquando carmine te alloquar. Quam jacturam filiolae tuae feciſti aegre, ut debui, tuli. Quanquam mei mihi ſufficiant dolores, ὥςτε κ᾽ μὴ τὰ τῶν πέλας ςένειν, ut ait Sophocleus Neoptolemus. Tamen, ne tu hoc neſcias, ſuperat Dei gratia *Claudius* filius, qui cum defuncto fratre, velut equo funali, gratiſſima mihi erat συνωρὶς. Hunc ego Neoptolemum & militiae nimium amantem, vix ac ne vix quidem perſuaſi, ut arma deponeret & Andegavum proficiſceretur, ubi nunc meret ſub Juris doctoribus otia ſcholaſtica, non ſane quod armorum expertem ipſum velim, aut totum deponere Martis amorem (nam ea incidimus tempora, quibus vi geritur res) ſed ut diſcat, reliquas omnes artes, vel belli vel pacis, ancillas eſſe ſapientiae. Itaque eum opto eſſe ῥητῆρα λόγων πρακτῆρά τε ἔργων. utinam Deus mihi ſoſpitet ſuperſtitem & ſpiritu ſuo dirigat, ſi tamen ille ipſum cum timore diligat. Qui ut domum tuam, uxorem & liberos tecum proſperaſſit eodem animo precor. ἄλεπτ κ᾽ μέγα χαῖρε, θεὸς νυ τοὶ ὄλβια δοίη. Vale, Vindocini, Proprid. Kal. Majas CIↃIↃXCIII. Ego ſemper te ut Olorum Herodotus, μακαρίζω τ᾽ Δίπκνίας propter filium *Douſam*, cui faveo ex animo.

2 Credo intelligi Epiſtolam XV. inter Carmina *Douzae* pag. 437. editam.

EPISTOLA LXXXIV.

Q. SEPTI FLORENS CHRISTIANUS

Jano Douſae Nordowico.

Leidam.

SI ſperaſſem eam fore *Scaligeri* noſtri procraſtinationem, ut hoc tantum Quintili ſe in procinctum daret, inhibuiſſem, mi Douſa, feſtinationem earum literarum, quas ad hunc *Joſſentium* ante tres menſes Caeſarodunum miſſas, redditurus eſt tibi *Tuningius*. Praeterea alia dediſſem in clientelam tuam litteraria munera (quae in Muſaeo noſtro latent ſatis multa, utinam bona) typis a *Raphelengio* Plantinianis, ſi ita tibi viſum eſſet, eliminanda. Nunc quum poſt diuturnam moram hac iter fecit *Scaliger* cum comitatu ſuo ita properanter, vix ut excuſandae illi ſcriptioni, aut hanc exarandae tempus ſuperſit a ſuavi colloquio, quo frui mihi datur cum veteri & magno amico; peto a te ut tu-

multuariam illam operam boni consulas, & augere me sinas numerum eorum, qui te merito & amant & observant. Interim *Dousam* filium ex animo salvere jubeo. Perlegi attentius & cum cura, quae ad tres Poëtas erudita, & in illa aetate admiranda scripsit. Ea mihi saepius legenti magis ac magis adlubescunt, ut jure nexi obstrictum me jam teneat pro inscriptis meo nomini notis ad Propertium. Ita ille te patrem ingenio suo, & tu tali prole nos amicos beasti, imo omnes, quorum interest vacare Musis. Vale, Vir Generose & inclyte, columen ruentium litterarum, & ruina barbariae imminentis. Vindocini, Prid. Idus Quintiles 1593.

EPISTOLA LXXXV.

Q. SEPT. FLORENS CHRISTIANUS

Jano Donsae Filio.

Leidam.

ALiqua te existimo, Praestantissime Juvenum, intuentem in scriptis meis laudabilia, non solum ad amicitiae foedus mecum feriendum venire nunc, sed & quasi ad id cogendus sim, litterario munere verberatum me provocasse. Atqui, quamvis longe inferior opinione & praedicatione tua sit laus nostra, satisque ium exigui, quod in me est, ingenii conscius, tamen currenti, quod ajunt, calcar addidisti. Qui jampridem parentem tuum nobilem, eruditum & optimum virum, quum in isto fere aetatis, qua tu nunc es, uterque essemus, coluerim & amaverim, huc me impellente proba, & Christiana virtute, atque adeo studiorum similitudine, nullum alium mihi proxenetam adhibendum censui ad istam paternae amicitiae ἐμφύτευσιν: tantum Graeco versiculo admonitus πολλάκι καὶ φιλέω λύσ' ἀπροσηγορίη, nolui committere ut, hac iter faciente *Tuningio*, officium meum desideraret pater *Douza*, ad quem festino impetu ante annum scribens, recolendum putavi pristinum amorem. Tu vero dignus isto patre filius, & olim Dei virtute in majus nomen iturus, memineutis animi lenem illam significationem cumulasti ingenti, & vel omnem principalem sortem superante accessione, dum novellum, sed mirificum ingenii tui foetum, quem Propertii hortis adseviisti, mihi consecrasti. De quo judicium meum vix feram ad aures tuas: apud alios id liberius fiet, & extra invidiam quaesitae gratiae. Hoc unum dicam, non solum admirari me, sed amare etiam quam nonnulli oderunt, *Teneris in annis praecocem sapientiam.* Interim cogitationi incumbam, qua te in simili munere redhostiam, & ex scriptis meis ornatum te velim. Habeo in schedis meis satis multa (bona sint tantum) quibus doctos amicos licet συσφωνῆσαι. Quorum bonam partem per hos civicos motus muginatus sum, postquam aulicae & vanissimae nostris moribus vitae pertaesus ad me redii. Ea si elegantibus suis typis diligens & eruditus *Raphelengius* edere volet, non admodum pertendam, quandoquidem his temporibus bonis artibus Pacis (inter quas Typographia non postrema) frui non possum, & vetus Proverbium tollimus, *Ipsi sitiunt Fontes.* Vale, mi Dousa, & quod videor semper repositurus, me ama. Vindocini proprid. Kal. Majas 1593.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA LXXXVI.

CUNRADUS RITTERSHUSIUS

Joſepho Scaligero S. D.

Eidem.

SI vel exemplo careret hoc factum meum, quo nunc ad te, Vir Clariſſime, tibi ignotus atque inviſus ſcribo, vel ſi mihi dubia eſſet humanitas & facilitas illa tua, qua uti ſoles erga omnes, qui adamarunt ea ſtudia vel univerſa, vel eorum aliqua, in quibus tu ita excellis, ut familiam ducere hac tempeſtate ab omnibus eruditis tuo jure exiſtimeris: facerem pluribus, ut tibi me excuſarem. Nunc cum & bonorum exemplum habeam, quo exemplo licere mihi puto idem facere, quod illi factitarunt, & tuae humanitatis, cum ſumma eruditione & virtute conjunctae, fama ubique decantatiſſima jam olim me quoque bona ſpe implerit, fore, ut ſi vel coram vel per literas tecum de rebus ad ſtudia literarum pertinentibus aliquando forte agerem, libenter me ad colloquium admiſſurus patienterque auditurus eſſes: non utar jam prolixiore oratione, qua me tibi inſinuem, teque mihi conciliem. Tantum peto abs te, ut quid velim, paucis, niſi quid te detinet, audias. Jam diu fit, cum de Oppiani Cynegeticis & Halieuticis (Ixeutica enim nullo ſumptu, nullo labore, ne quidem ex ipſa ſtudiorum parente Italia, eruere potui, ac fruſtra id ſemel iterumque tentavi) denuo edendis, & ad publicam ſtudioſorum utilitatem illuſtrandis cogitavi. Cum enim in hunc poëtam (noſti quantum & qualem) primo inter Saxones meos admodum etiam adoleſcens incidiſſem; ita illum ardenter amare coepi, ut quicquid mihi a ſtudiis Juris civilis, quibus me patris voluntas & imperium deſtinarat, otii concedebatur, id poſt Homerum & Virgilium in nullo Poëta alio, quam Oppiano conterere mallem. Acceſſerunt poſtea tot tantaque judicia, quae de eo fecit pater tuus, *ὁ μαχαίτης καὶ δαιμόνιος ἀνήρ*. Ea me in ſententia confirmarunt plurimum, & hunc auctorem etiam cariſſimo cariorem mihi fecerunt. Videbam enim, nullum ex Graecis poëtis majoribus ac pluribus laudibus cumulari, quam hunc noſtrum: quem paſſim in ſuis ſcriptis nunc Muſarum alumnum prudentiſſimum vocat, ejuſque verſus tum pios, tum pulcerrimos, tum divinos, tum luculentiſſimos, tum aureos, tum Maronianos, ſi cujuſquam Graecorum: nunc candidiſſimum atque magniloquentiſſimum, nec vulgari eruditione: nunc adeo ſublimem inter Graecos, adeo numeroſum, ut eorum unus ad Virgilianam diligentiam aſpiraſſe videatur: quicum Graecorum neminem auſis comparare: cujus unius ſpiritu Virgilianam divinitatem repraeſentatam ſemper judicarit: nunc magnum poëtam, (quod ſaepe a ſe dictum ſit) nunc maximum atque elegantiſſimum appellat: nunc abſolutiſſimum Graecorum, qui nitidiſſimo carmine rem oculis ſubjiciat ſine ſtrepitu: quo nemo omnium frequentius uſus ſit comparationibus, in quibus & venuſtas, & robur & candor & efficacia ſit: nunc denique ipſum poëtis annumerat Ethicis, Naturalibus, Theologis. Ἀλλ᾽

τί σοὶ τάδε πάντα λέγω φρονέοντι καὶ αὐτῷ; Tentavi itaque, num poſſem huic tanto poëtae meis quibuſdam Scholiis aliquid lucis afferre, unde ſimul honeſtam adoleſcentiae meae commendationem ducerem. Succeſſit belle ſub manus negotium, ut ait Plautus. Confeci enim mediocre corpus Commentariorum, tam in Cynegetica, quam in Halieutica: necdum audiveram aut videram quidquam eorum, quae in Cynegeticon libros ſcripta ſunt a *Joanne Brodaeo* & *Bodino*, duobus literarum in Gallia veſtra luminibus. Sed me meorum ne tum quidem poenituit, cum ea contuliſſem cum illorum Cl. Virorum lucubrationibus, quas tandem meis confectis nactus ſum. Halieutica autem nemo, quod ſciam, attigit, praeter *Laurentium Lippium*, qui ἐμμέτρως Latina ea fecit, commentariis autem illuſtravit nullis. Noſtra igitur ſaepe approbantibus, & me excitantibus σπεύδοντα καὶ αὐτόν, doctiſſimis quibuſdam Germaniae noſtrae viris, praelo tandem adornavi Anno 1587. ac ſequente ad *Henricum Stephanum* miſi, petentem & editionem ultro pollicentem. Verum qua ille ratione uſque ad nundinas ſuperioris auctumni (hoc eſt ſex annos ipſos) me diſtulerit, meaque omnia ſuppreſſerit, & quomodo ego ea tandem ſingulari ope ac beneficio immortali *Iſaaci Caſauboni* recuperarim tanquam ex orci faucibus, hîc tibi non commemorabo, ſed ſcire cupientem remittam ad ea, quae ſuper his *Franciſco Raphelengio* veſtro ſcripſi: cui & epiſtolam *Caſauboni* ad me & Epigrammata duo amicorum meorum miſi, D. *Poſthii* inquam & *Berſmani*. Is tecum haec communicabit. Cum autem nondum abjecerim hujus editionis voluntatem, de alio Typographo, μᾶλλον ἀξιόχρεω τινὰ καὶ ἀξιοπίστῳ, cogitanti venit mihi in mentem cum D. *Raphelengio* agere. Itaque ad eum ſcripſi voluntatem hominis explorabundus: de qua quam primum me certiorem fecerit, mea ipſi mittam. Quod ſi, uti ſpero, conditionem acceperit: peto a te, ut huic inſtituto noſtro faveas, non ſolum ἐυφημα φωνῶν, ſed etiam adjuvans aliquando *Raphelengium*, virum quamvis per ſe diligentiſſimum & doctiſſimum, quo ornatior atque accuratior tandem Oppianus noſter exeat. Sed & illud te rogo, ac, ſi neceſſe eſt, etiam oro, ut Epigrammate aliquo hanc editionem noſtram exornatum eas: quod ego ſummi beneficii loco habebo. Idem per te a *Bonaventura Vulcanio* quoque peto & contendo: cui, ſi pateris, hanc epiſtolam tecum cupio eſſe communem. Non enim ſuccurrebat mihi in praeſentia peculiaris ad ipſum ſcriptionis argumentum, neque otium ſatis erat: cum quidem in notitiam viri, quem de quibuſdam optimae notae ſcriptis aeſtimo & colo animo meo, jamdiu geſtiam pervenire. Valete, & ſi vobis facinus nimis audax feciſſe videbar ad vos ſcribens ignotus, quaeſo date mihi veniam, & a fiducia veſtrae humanitatis hanc audaciam profectam exiſtimate. Iterum valete,

Ἔξοχα δὴ κεφαλαὶ, πεφιλημέναι ἐννέα Μοῦσαις.

Altorpii in Academia Norimbergenſium, a. d. 28. Martii A. 1595.

Placuit tibi mittere Clariſſ. Collegae & amici mei conjunctiſſimi D. *Scipionis Gentilis* Epigramma in Jeſuitas, a Chriſtianiſſimo Rege e Gallia proſcriptos, quod

is

is nuper faciebat, cum Arreſtum Parlamenti Pariſienſis & Philippica [1] *Ant. Arnaldi* J. C. ad nos allata eſſent.

1 Intelligit libellum, cui titulus, *Plaidoïe d'Antoine Arnauld, Avocat en Parlement, pour l'Univerſité de Paris contre les Jeſuites.* 1594. de quo vide *Le Long* Biblioth. Hiſtor. num. 16858. Pater fuit celeberrimi *Ant. Arnaldi*, doctoris Sorbonii & Janſeniſtarum Coryphaei. vide de eo *Baylii* Lexic. T. 1. p. 334.

EPISTOLA LXXXVII.

CUNRADUS RITTERSHUSIUS

Joſepho Scaligero S. D.

Luidam.

Vide vero hujus hominis audaciam, Illuſtris Scaliger, qui tibi ſuis literis iterum obſtrepere non veretur. An non ſemel verecundiae fines transgredi ſatis fuerat, dum ad tantum virum ultro ignotus, inviſus, ſcripſi? Ac ſane ipſum me ſilentium tuum deterrere poterat ab omni ulteriore ſcriptione, niſi ex *Fr. Raphelengii* optimi & doctiſſimi viri literis unis & alteris intellexiſſem, meas te & comiter accepiſſe, & favere cum ceteris ſtudiis meis, tum inſtituto de renovanda Oppiani editione. Pro hac igitur erga me benevolentia, proque conſilio & ope, quibus Typographo illi meo adfuiſti, gratias tibi nullas agere, mihi religio fuit. Hinc igitur iſtae naſcuntur literae: quibus ſimul etiam amico meo, atque ut ipſe modeſte & benigne profiteri amat, diſcipulo opera a me datur. *Caſpar Schoppius* eſt, adoleſcens ingenioſus & acutus: qui hac aeſtate novum opuſculum Criticum edidit titulo Veriſimilium. Eum librum tibi, Illuſtris Scaliger, ipſius nomine mitto, quod quidem ipſe facturus fuerat, ni peregre abeſſet. Rogo autem tuam praeſtantiam, ut efflorescenti hominis indoli tu quoque favere velis, quem ego cognovi admiratorem virtutis & eruditionis tuae incomparabilis multo maximum, quique jam nunc in hoc aetatis lubrico ad omnem virtutis laudem, decuſque literarium ex ſummis opibus connititur. Cujus rei argumenta minime obſcura in hoc ipſo libello, ni fallor, animadvertere licebit. Quod ſi hîc mei quoque nominis laudes aequo majores videris, illud velim cogites:

Πολλάκις ἐσθ' ὅτ' ἔρωτι τὸ μικρὸν μέγιστον πέφανται,

ut liceat mihi Throcritum παρῳδῆσαι. Ipſe autem me vehementer amat. Meae erga te obſervantiae ſummae pignus capias licet a *Fr. Raphelengio* noſtro, cum erit abſolutus Oppianus noſter. Cujus editio ut ſit ipſi quam lucroſiſſima & fructuoſiſſima, opto. Erit autem, ſi liber ſit vendibilis. Et erit vendibilis, ſi a te tuique ſimilibus doctis ac bonis viris juventuti ſtudioſae commendetur. Quod ut facias ſaepe, idque non ſolum, ut dixi, utilitati typographi, cui ex animo factum volo, verum etiam honori meo tribuas, etiam atque etiam a te peto. Erit enim mihi tanto majori laudi iſta editio, quanto in plurium manus liber pervenerit. Meae quidem Commentariunculae (quibus multa μετεωρολογία ineſſe ipſe agnoſco, ut quae ante complures annos a me ſcriptae ſint) quamvis tan-

Digitized by Google

tanti non ſint, ut veſtram, majorum gentium Criticorum (dico *Scaligeros*, *Douſas*, *Lipſios*, *Giphanios*, *Caſaubonos*, *Vulcanios*, *Merulas*, alios de genere iſto) approbationem promereri, aut acerrimi judicii limam ſuſtinere poſſint: tamen conatus iſte adjuvandi ſtudia adoleſcentiae, cui a me potiſſimum haec opera dabatur, aliqua in laude ponendus videtur. Quod ut facias, meisque ſtudiis favere pergas, iterum te majorem in modum rogo. Vale, vir Illuſtris, & Salve. Altorphii in Acad. Norimbergens. Prid. Kal. Septemb. An. MDXCVI.

EPISTOLA LXXXVIII.

CUNRADUS RITTERSHUSIUS

Joſepho Scaligero S. D.

Leidam.

QUaerebas ex me poſtremis litteris tuis, *Joſephe Scaliger*, vir Illuſtriſſime, quid in ſtudiis optimarum artium novi parem. Scire enim te ajebas, me ſemper novi aliquid parturire; nunquam feriari ſolere. O humanitatem benignitatemque incredibilem! Tene in tanta excelſitate tua etiam ad meam humilitatem reſpicere? neque id obiter aut perfunctorie, ſed ita ut de ſtudiis quoque meis tam & quaeras benevole, & judices benigne. Ergo cum tantae benevolentiae non reſpondere nimis agreſte & barbarum foret, ſic de me velim habeas. Ea quidem ingenii felicitas, quam tu, alios ex te aeſtimans, mihi tribuere videris, a natura mihi non contigit, novi quippiam ut parere poſſim, in tanto praeſertim eruditae doctrinae proventu, tantaque ingeniorum copia, quae pene omnia jam occuparunt: *νῦν δ' ὅτι πάντα δίδαϛαι*, ut conqueritur Chaerilus. Mihi itaque ſemper in mentem eſt Pindaricum illud: *πολλὰ μὲν πολλὰ λέλεκται: νεαρὰ δ' ἐξευρόντα δόμεναι βαϛάνῳ ἐς ἔλεγχον, ἅπας κίνδυνος*. Tua tuique ſimilium, quibus mens altior & divinior a propitio numine conceſſa eſt, haec eſt provincia, novi aliquid & antea ignorabile in lucem proferre, quo nomine omnes vobis debere fateamur, veſtro magiſterio facti doctiores. Quid autem nobis relictum eſt, qui non quidem averſa a Muſis pectora geſtamus, ſed non ex ſupremis tamen illarum myſtis ſumus? Nimirum hoc, primum ut velut humi reptantes vos tanquam aquilas in nubibus ſuſpiciamus, & quantum nobis conceditur, acie oculorum vos ſequamur: Deinde, ut quae vel ab antiquis ſapientibus ad nos tranſmiſſa, vel a vobis adinventa, aut ex parietinis oblivionis & ignorantiae tenebris eruta ſunt, atque in poſterum adinvenientur aut eruentur, diligentia noſtra cuſtodiamus & conſervemus. Nam & in re familiari ſcimus eſſe non tantum, qui quaerat & comparet foris, quae ad familiam ſuſtentandam pertinent, patrem familias, verum etiam, quae parta foris ab illo accipiat & domi ſervet tueaturque, matrem familias. Atque ut illi laus praeſtantiae merito conceditur, ita huic diligentiae relinquitur, qua multas contineri virtutes teſtis eſt Tullius. Hoc ego animo & conſilio jam ab aliquot annis ſtudioſae juventuti, quae ſe in meam familiari-

ritatem contulit, auctor esse consuevi, ut optimorum auctorum lectionem ament, eorumque eruditione animos implere studeant: neque in Latinis solum sese deditos esse velint, quod plerique vulgo satis habent, (si tamen & hos cognoscant) verum etiam Graecos fontes adeant, a quibus ne ipsi quidem Latini dissimulant sua se pleraque hausisse, & si inficias ire vellent, facile convinci possent: planeque studiosis meis conor persuadere, frustra esse, qui sibi se doctrinam solidam sperent comparare posse absque Graecitate, neque Latinae linguae absque Graeca perfectam esse cognitionem. Non solum enim res & sententias pleraſque omnes Latini a Graecis sunt mutuati; sed etiam bona pars verborum Latinorum inde ex Graecia promanavit in Latium: Quod tibi quidem minime est obscurum, qui quidquid uspiam est linguarum & traducem earum cognationemque nosti, tanquam ungues digitosque tuos, alioſque ad Varronem & Festum plurima id genus docuisti: sed propter eos, quibus id fortasse per suam imperitiam aut contradicendi libidinem incredibile dictu videri solet, cogito aliquanto proprio atque ad id destinato tractatu planum facere. Ita alias quidem in Euripide, philosopho illo scenico, alias in Aristophane, Comicorum festiviſſimo, diligentia nostra fuit versata. Superiore vero autumno & hieme amicis quibusdam, eruditae doctrinae sitientiſſimis, rogantibus accommodavi operam meam in omnis eruditionis parente Homero, familiari expositione post sumptum cibum interpretando, quantum quidem per alias occupationes, quae me subinde distrahebant, mihi concedebatur. Ea res occasionem mihi praebuit colligendi quaedam, quibus omnes libri pleni sunt, de hoc summo vate encomia, elogia & testimonia variorum: unde nimirum & studiosi illi mei, & alii fortaſſis, si qui praeterea haec legerent, tanto plenius cognoscerent, quid sibi de Homerica lectione sentiendum expectandumque foret. Adjunxi autem & Periochas Ausonianas in Iliadem & Odysseam, ex quibus nonnulla errata, qua lectionum, qua distinctionum sustuli, quae in tua illa omnium alioquin optima editione, aliisque quotquot vidi, resederant hactenus: non quod illa tu aliive viri doctiſſimi animadvertere non potueritis, (hanc enim ego laudem acuminis mihi non arrogo, ut aliquid videre potuerim, quod vestram animadversionem, ubi eam adhibere voluisſetis, subterfugerit) sed quod vobis ad alia difficiliora properantibus forte relicta sint. Ita factum quod est in proverbio, ut claudus viator certiora omnia retulerit. Quod si qui putabunt, rem me feciſſe alienam professionis meae, quae me in jure civili versari jubet: ii sciant, habere me veterum Jurisconsultorum exempla: ut Sabini, Cassii, Proculi, Julii Pauli, Aelii Marciani, Ulpiani, Papiniani, Sexti Caecilii, Gaji, Claudii Saturnini, Herennii Modestini, & aliorum (at quantorum virorum!) quos cum in illa luce reipublicae, quam consiliis suis ut veri politici gubernabant, non puduerit, lectitandis hujus summi & praecipui poëtarum scriptis assiduam operam impendere, adeoque testimoniis ejus uti, vel ad exornandos libros suos, vel ad juris controversias nonnunquam decidendas: quid nos facere aequum est homines Scholasticos? qui licet nobis sat occupati videmur, tamen otio abundare dicemur, ad prisca illa lumina compara-

ti, quibus tota vita in graviſſimis negotiis conſumpta fuit, & tamen Homeri lectioni vacare potuerunt. Sutelarios autem nunnullos (quos illud nunquam ſatis tibi, Scaliger, laudatum Gloſſarium δικοῤῥάφους vocat) quid moremur? quorum ſententia, exiſtimantium, perfecti & abſoluti Jurisconſulti nomen tueri non poſſe, qui non omnem elegantiorem doctrinam & cultum humanitatis a ſe procul ſpreverit ſegregaveritque, & de induſtria quaſi inquinate & ſentiat & loquatur, jam pridem ab aliis, quibus ſanum eſt ſinciput, exploſa eſt. Mihi quidem ſaepe mirari ſubit illos, qui cum alias ſemper crepent Juſtinianum, tamen non meminerint pulcerrimi illius Elogii, quo ab eo Imperatore Homerus afficitur, dum patrem omnis virtutis appellat. Etſi autem apud multos etiam eorum, qui ſe volunt eſſe ex melioribus, haec talia fere contemni & indies minoris minoriſque fieri videmus: mihi tamen ſtat ſententia, ſtabitque quoad vixero, ab hoc ſtudiorum genere non plane diſcedere, ſed levamentum ac ſolatium petere aliarum curarum, & grata hac varietate diſtinguere ſeveriora ſtudia, eorumque velut ſenium depellere. Valde enim mihi ſemper fuit probatum illud Εὐριπίδειον: ἀ παύσομαι τὰς χαρίτας Μούσας συγκαταμιγνὺς ἡδίσταν συζυγίαν: nec minus illud Theocriticum:

— — — τὶ δ᾽ χαρίτων ἀπάνευθεν
Ἀνθρώποις ἀγαπατὸν. αἱ χαρίτων ἄμ᾽ εἶην.

ὅσσα δὴ μὲν πιφίληκε Ζεὺς, ἀτύζονται βοαὶν Πιερίδων βόαν αἰοντᾶ, ut ait Pindarus. Collectanea iſta mea, qualia qualia ſunt, non quidem acerrimo illi judicio tuo ſubjicere, (quod vereor ut ſuſtinere poſſint, cum mihi non licuerit ea, ut volueram, perpolire, feſtinanti ad alia) ſed benevolentiae & favori commendare viſum eſt, qua ſuſciperes eorum, ſicubi opus eſſet, patrocinium. Quis enim erit ille tam arrogans aut faſtidioſus, qui ſpernere auſit, quod tibi inſcriptum, & a te non illibenter ſuſceptum cognorit? & cui non ſeſe approbet *Quae ſibi Scaligeri praefixit pagina nomen*? Vale.

EPISTOLA LXXXIX.

CUNRADUS RITTERSHUSIUS

Joſepho Scaligero S. P. D.

Leidam.

JOſephe Scaliger, Vir Illuſtris. Rittershuſius tuus cum vellet ad te accuratius ſcribere inſtantibus nundinis Francofurtenſibus, tempore & aliis negotiis excluſus non potuit cogitata exequi. Quare juſtis litteris in aliud tempus rejectis hoc tantum πίτακιον ad te nunc dirigere voluit, inſertum libello Arabico, & (ut ſuſpicatur) Mahumetano: quem tibi dono mittit, rogans ut boni conſulas, & animum in eo recognoſcas tui obſervantiſſimum, tui cupidiſſimum, tibi devotum. Homerica Collectanea, quae tibi inſcribere parat, nondum perpolivit omnia. Culpam conjicit in morbum, qui ipſi prope letalis fuerat anno, & pigriorem effecit. Partem quoque culpae ſuſtinerit (ſi haec

haec culpa tamen dicenda est) alia ordinaria & graviora πάνδεμα Juris interpretandi, & consultoribus respondendi, cavendique. Resumet tamen per hanc aestatem, utque ad autumnales nundinas parata sint, operam dabit. Haec nunc volebat nescius ne esses, Tibique se commendat. V. Altorphii 3. Martii 1600. Mira sunt & inaudita quae in me patrat *Scioppius*, ille meus quondam consalaneus, ex quo Romam migravit, & Cardinalibus & Inquisitoribus supparasitatur. Sed de his ejus facinoribus & venenatis morsibus alias: longa enim est fabula. Nec clementius tractat *Giphanium* nostrum, veterem hospitem suum: a quo Symmachum habuit, sicut a me Plautum, quorum beneficio primum inclaruit. Ei extrema machinatur in aula Caesaris (ubi nunc vivit *Giphanius*) criminando virum magnum apud Legatum Pontificium alioque. Heu qualem anguem fovimus! Quam turpiter ab homine ambitiosissimo delusi sumus?

EPISTOLA XC.

CUNRADUS RITTERSHUSIUS

Josepho Scaligero, Franc. Junio, Paulo Merulae, Bonav. Vulcanio, Jano Douzae S. D.

Leidam.

NE dirimant chartae, quos sociavit amor. Libet enim (& fas sit) compendii caussa jam conjunctim ad vos scribenti, versiculo uti, nato sub manum de sententia B. Hieronymi. Id factum vos, si bene novi vestrum candorem & amorem cum inter vos mutuum, tum erga me quoque, licet longe non solum loco remotum sed & imparem ut qui maxime, si bene ergo vos novi, benigne factum interpretabimini. Non licuit mihi vel antehac, quoties gestiit animus, toties ad singulos aliquid dare, vel etiam nunc affari singulis epistolis unumquemque vestrum. Alias alia, nunc occupationes obstiterunt, quae me in diversa distraxere. Cur ergo non abstineo calamum a scriptione? Quia cupio vestrum mihi favorem proprium conservare. Etsi enim vos, qua estis constantia, non mutatis forte quicquam de eo, quem semel in me sumpsistis, animo, mihi tamen metuendum, ne vestra excidam benevolentia, quae sit a me plurimi, si nimis longum colam silentium. Quo metu ut me ipsum liberem, loco litterarum singulis inscriptarum hoc tempore vobis boni ominis caussa mitto ecce

Δελφῖνας Φιλοσοφώτους:

qui quoties ad parietes museorum vestrorum vobis alludent, sistere vobis ob oculos poterunt hominem vestri cupidissimum & observantissimum nominis vestri. Quod utinam fiat! atque ad conspectum istius munusculi nostri usurpetis illud, de re alia a poëta in Dipnosophistis pronuntiatum:

Ἀνάμνησις ἦ πάλαι χαριεστάτη αὕτη.

Te, Illustris Scaliger, & te Nobiliss. Douza, hîc diribitorem esse velim,

cum conveneritis. Puto enim vobis quoque probari ea, quae ibidem praecedunt:

Οὐ χρὴ συμποσίοισι φίλων ἀπὸ χειρὸς ἑταίρων Δηρὸν.

Sint igitur tum vobis haec quoque quasi bellaria quaedam, si non ipso sui pretio aut sapore sat commendabilia gratave, saltem longinquitate itinerum, per quae ad vos deferentur. Sic & pulegium apud Indos pipere pretiosius habetur, quod in nostris hortis saepe calcamus pedibus. Desinam in eodem, a cujus sententia ordiebar, Hieronymo. nam & illud de pulegio ejus esse nostis. Vale & salve, tu Scaliger, tu Juni, tu Merula, tu Vulcani, tu Douza, πατὴρ illustris, mihi plurimum veneranda,

Tuumque amare perge Rittershusium,
Tibi qui in suo aram collocavit pectore:
Tuo & favere perge Ritterhusio,
Cui plurimorum tute millium instar es.

Altorfii xx. Martii MDCI.

EPISTOLA XCI.

CUNRADUS RITTERSHUSIUS

Josepho Scaligero.

Leidam.

COllegam meum, & compatrem conjunctissimum carissimum desideratissimumque, jucunde tecum, nec sine mei amica mentione fuisse, ex ipsius literis, quas Haga-Comitis ad me dedit, libenter magnaque cum voluptate cognovi. Illud autem non sine magno dolore, quod in iisdem adscripserat de sui parentis obitu, cujus salutandi tam longinquum & periculosum iter susceperat. Utinam aliis in rebus tam essemus similes *Scipio Gentilis* & ego, quam hac sumus miseria sociati! Nam & ipse, dum amici & collegae vicem doleo, nuntium consimilem ex patria accipio nudius tertius, Patrem meum optimum & carissimum nono Augusti in complexibus filiarum & generorum expirasse, vitamque hanc mortalem, (quam Dei beneficio ad quinque & sexaginta annos produxerat inter varias alternantis sortis vices, & reciprocantia nunc gaudia, nunc taedia) cum altera illa vere vitali commutasse. Quid dicam de maerore & squalore, in quem datus sum? qui oculos pene perdidi lacrumando. Experior in me quoque quam vere dictum sit olim: ῥᾷον παραινεῖν, ἢ παθόντα καρτερεῖν. Obfirmabo tamen animum quantum potero (potero autem quantum dederit qui tantum bonum mihi abstulit) & resistam dolori, certe ingenti. Cum primis id me consolatur, quod intelligo ex literis eorum, qui morienti adstitere, pie placideque in Christi fiducia obdormiisse. Testamento suo, quod sanus valensque fecit XVI. Julii, subjecit ab semet compositum epitaphion, quod nihil nisi pietatem spirat. Initium sic habet:

Militiam in terris egi dum fata finebant:
Militiae laetus munia linquo meae.
Laetitiae sed, Christe, meae fons unicus es tu.

Par-

Digitized by Google

Parco adſcribere cetera. Sunt enim plures verſus, quos praeſtat ſeparatim abs te legi. Etſi igitur ipſi ſic mortuo nihil mali, imo nihil non boni contigiſſe poteſt, ac gratulari potius debeamus ei, qui poſteaquam nepotes nepteſque complures numeraſſet, vitae iſtius miſeriis (quid enim eſt quo magis affluat?) ereptus, venturiſque malis praereptus eſt: tamen noſtra cauſa non poſſumus non dolere & angi. *Sunt lacrymae rerum, & mentem mortalia tangunt.*

Verum ego jam longus ſum, tibique moleſtus, quod nolim. Dabis veniam querulo dolori, qui ſic paulatim egeri videtur, dum communicatur cum aliis, quos affici *συμπαθείᾳ* quadam erga nos credimus: ut ego Te in me eſſe non credo, ſed certo ſcio. Talem enim tuae olim-literae mihi repraeſentant. Quare iſtas querelas pluribus apud te non excuſabo, fretus incredibili tua humanitate, qua etiam amiculorum res abs te non alienas putare ſoles. Meus conſalaneus & amicus *Mich. Virdungus* Francus, opt. & eruditiſſ. juvenis, recens Tragoediam ſcripſit, *THRASEAM*, quam Tibi cogitat inſcribere: ut nuper conſilium hoc ſuum mihi aperuit. commendarem ipſum tibi more Romano, niſi probum & doctum os & pectus hominis, quod ex ipſo dramate aeſtimabis, ſatis ſe ipſum commendaturum eſſet. Itaque *μήνυτρον* ſaltem abs te promereri volui, ſi forte has literas prius accipias, quam ipſius *Virdungi*, qui in patriam Kittingam hinc abiit, inde ad te ſcripturus. Vale, Illuſtriſſime Domine, & me in tuis cultoribus & amiculis numerare perge. Altorfii XXVII. Auguſti CIↃ. IↃ. CII. Mortis paternae, vel potius meae de ipſa ſcientiae praeſagium, quaeſo, vide & perpende. Nocte illa, quae praeceſſit diem, quo Norimbergam allatae ſunt funeſtae literae affinium meorum, continentes infauſtum illum, quem dixi, nuntium, *θεῖός μοι ἐνύπνιον ἦλθεν ἔνεγϰε*, quo videbar mihi vehementem plagam a patre accipere, pugno ejus in ipſum occiput meum percuſſus. Itaque ſtatim in ipſa illa quiete inquieta prorupi in haec verba: Quid hoc novi eſt, mi Pater? Cur ita me caedis? Talia certe *ῥαπίσματα* a te pati non aſſuevi. Equidem hoc factum tuum tam inſolens in Calendario meo ad perpetuam memoriam annotabo. *ϰατὰ ἐγὼ ἐξεγρόμην (ϰατὰ τὴν παροιμίαν) ἔτι ἀλαλιγόμενος τῷ πατρὶ, ϰαὶ δὴ πάλλομένης τῆς ϰαρδίας ὡς εἰϰὸς ἀλαπαζομένης.* Vix interpoſito uno die accipio ex reipſa *ἐξήγησιν ἤγουν ἑρμηνείαν ὀνειροϰριτιϰὴν*, qualem minime ſperabam. Quis neget, in his *θεῖόν τι* ineſſe *τὸ τὰ πράγματα ἡμῶν ἐλαύνον ϰὴ πνεῦσαι ὕπνον*; Haec etiam cum Clariſſ. viris D. *Franciſco Junio*, *B. Vulcanio*, *Merula*, & *P. Bertio*, familiari hîc olim meo, *μετ' ἀπτασμῶ* velim abs te communicari. Vale iterum atque iterum.

EPISTOLA XCII.

CUNRADUS RITTERSHUSIUS

Joſepho Scaligero S. P. D.

Leidam.

NArro tibi, Illuſtriſſime *Scaliger*, Theſaurum hac hieme reperi *χρυσῦ τι ϰὴ ἀργύρου ϰὴ λίθων τιμίων ἀνπίζον*. Is qui ſit, paucis accipe. Iſidori Pe-

luſiotae epiſtolas noſti, ad 1213. Pariſiis tribus libris editas Anno 1585. cum lat. Interpret. *Jac Billii*. Eas ego his proximis tribus menſibus ope MSC. cod. quem Bibliotheca Principis Bavariae ſuppeditavit, parario *M. Velſero*, non ſolum plurimis locis qua correxi, qua ſupplevi, verum etiam ipſis ccxxx. epiſtolis inſignibus auxi, ex quibus facile quartus liber confici & recuſis prioribus adjungi poſſit. Nunc in verſione totus ſum, quatenus aliae occupationes permittunt. Poſtea, vel etiam interea, de idoneo Typographo inquiram, ne diutius Eccleſia & reſpublica literaria careat iis fructibus, qui ex ejus operis lectione percipi poterunt uberrimi. Inſcribitur id in dicto libro χαιρογεάφω, Ἑρμηνεία εἰς τὴν θείαν γεαφὴν. quam alibi harum ἀνεκδότων epiſtolarum καινὰ τῆς ἀληθείας appellat. Ejus ἑρμηνείας tum regulas ſparſim tradit: tum exempla adfert illuſtria. Poteſt ne vero argumentum ullum eſſe nobilius aut utilius, in tot ſectas praeſertim ſciſſa Eccleſia Chriſti, quae unitatis & concordiae vinculo adſtringi debebat? Plurima quoque ad bonos & Chriſtiana profeſſione dignos mores facientia habet: nec pauca φιλόλογα: quae ſuo tempore in lucem proferam. Interea te rogatum volo, ut huic labori meo faveas aliquo Epigrammate, quo mirifice exornabitur opus. Velim etiam me facias certiorem, an uſpiam alibi, praeterquam Pariſiis, editas cognoveris Iſidori Epiſtolas: & an alibi etiam manu exarati codicis copia eſſe poſſit. Non parcerem equidem vel ſumptui vel labori, ſi plures alicubi indagare poſſim. Confeci quoque hac hieme paraphraſim hexametron Danielis hiſtorici & Prophetae eximii: quam alias videbis. A te expectamus Chronicon Euſebianum, aliaque majorum vigiliarum opera. *Heinſii* veſtri virtuti & eruditioni majori, quam pro aetate & ſeculo, impenſe faveo. Deus illum ſuperſtitem & μακεαίωνα eſſe velit, omnique felicitate accumulet. Ego menſe Decembri natu maximum ex quatuor filium Deo reddidi, qui patrem, cui ὁμώνυμος erat, non multo poſt annum ſequutus, me in his miſeriis vitae reliquit. Ut igitur hujus mei maeroris graviſſimi pauliſper obliviſcerer, tanto liberius in Iſidoro & Daniele me occupavi his proximis menſibus. Bene vale. Noribergae in diverſorio, cum huc excurriſſem comite Collega Clariſſ. *Scip. Gentili*, ad cohoneſtandum funus ampliſſimi & meritiſſimi Senatoris & Scholarchae Norici Dn. *Antonii Geuderi*: XXI. Martii, MDCIV.

Reſpondet *Scaliger* Epiſt. ccxxi.

EPISTOLA XCIII.

CUNRADUS RITTERSHUSIUS

Joſepho Scaligero S. D.

Leidam.

QUicquam ne vero ſit, quod non tua cauſa libenter faciam, Vir Illuſtriſſime, ſi vel minimo indicio intelligam, quid tibi a me gratum poſſit eveni-

nire? Itaque quam primum accepi tuas, quibus[1] Albategnium abs te requiri significas, ad fontes adii, & in urbem, ubi impressum esse dicis, me contuli, inquisitum de aliquo exemplari. Impressum quidem ibi nullum inveni; sed in bibliotheca Reipub. Latinum MSC. ostendit mihi Ornatissimus vir, praefectus ejus, & simul Syndicus Senatus, *Bernhardus Praetorius*, amicus meus integerrimus. Ex eo quaedam exscripsi, & his literis inclusi, ut inde videas, sit ne idem opus cum illo, quod tu expetis. Domum reversus apud alterum *Joan. Praetorium*, mathematum apud nos Professorem, optimum senem, vidi tandem impressum: cujus qualitatem & quantitatem (ut sic loquar) cognosces ex mea designatione inclusa. Nunc a te expecto, quid me hîc praeterea facere velis: an ut petam a *Praetorio* nostro, ut tibi suum codicem impressum concedat (quod equidem eum haud gravate facturum crediderim, praesertim si intelligat, editionem Albategnii a te forte renovandam, & alterius exemplaris copiam se habere, vel etiam suum recuperare post impressionem posse) an MSC. ex bibliotheca Norimbergensis R. P. expectes. Ego certe quicquid te cupere intellexero, & quicquid potero, faxo lubens. De *Schoppio*, qui jam se *Scioppium* vocat, quod scribis, non miror: nam ut meretrix semel quaestuariam illam artem professa non amplius turpiter, sed instituto suo convenienter facit, ita & hoc genus hominum, quod semel instituit maledicere bonis, atque etiam benefactoribus, hunc quaestum sibi putat uberrimum. Itaque nihil aliud a talibus expectemus. In amphitheatrum illud sceleris & infamiae hîc etiam nonnulla facta sunt Epigrammata, quae alias ad D. *Heynsium* mittam. Meas antehac non omnes tibi redditas esse, inde colligo, quod ad ζητησείδια mea de quibusdam Isidori Pelusiotae locis nihildum respondisti. neque enim tacuisses, opinor, si accepisses. Quare alias repetam, si id tibi non molestum fore cognovero. Editionem illam spero totam hoc instante demum mercatu nos visuros. Indidem & ego tuas expectabo, quibus de Albategnio rescribas. Vale, Illustrissime Scaliger, & meis studiis favere perge. Altorfii XXVII. Februari MDCVI.

P. S. Quaeso, quid tibi de rebus Brunswicensibus videtur, & de illa disceptatione civili controversiae ex judicio in campum & castra translata? O nos Christianos λόγῳ μὲν, ἔργῳ δ' ἀδαμοῦς. Siccine nos servare ipsa salus poterit?

Jam haec scripseram, cum ad me pittacium mittit Dominus *Praetorius*, quod ut accepi, ita his includere volui.

In bibliotheca R. P. Norimbergensis extat Albategni Arabis liber MSC. Latin. in 4. forma oblonga, num: 53. Habet praefixam praefationem *Platonis Tiburtini*, quae sic incipit: (ab eadem etiam incipit impressum exemplar

1 Videtur *Scaliger* accepisse impressum exemplar *Praetorii*, nam auctoritate hujus scriptoris, quem vocat *Muhammeden Albatani Araclensem*, saepe in libris de emendatione temporum utitur; ut inde docere potest. Vocabatur vero *Mohammet Ben Giaber*, *Ben Senan* oriundus ex urbe *Batan*, unde *Albategnius* a Latinis vocatus fuit. cognomine etiam dictus *Harrani*, ab urbe *Harran* Sabiensium, quorum etiam sacra, non Mahomethica professus est. Scripsit circa annum Christi 912. vid. *Herbelot* Biblioth. Orient. p. 293. & 616. Alter Arabs Muhamedes Alfraganus hunc Muhamedem saepe ad verbum descripsit, etsi eum non nominat, ut notavit *Jacob. Christmannus* ad Alfraganum pag. 5. & passim.

plar Domini *Joan. Praetorii*, de quo infra) *Inter universa liberalium artium studia, quae Graecos, quaeque etiam prius inveniſſe conſtat Aegyptios, quae ſtellarum ſcientiam profitetur diſciplina, & eſt, & habetur jure princeps. Quod inconcuſſis demonſtrationum rationibus aſſerere non gravaremur, niſi & a propoſito longe recederet, & aput Philoſophiae perfeſſores indubitata fide conſtaret.* &c. Et mox pag. ſeq. *Hunc*, inquam *Albategni meo labore Deo propitiante transferendum, & Latinis auribus offerendum cenſui. In quo opere ſi qua forte difficultas lectorem offenderit, ne hanc extimet interpretis vitio accidiſſe, ſed materiae gravitate. Eſt enim liber etiam in Arabico graviſſimus, tum quia ſcientia ſubtiliſſima eſt, & rationes perplexae: tum quia in pleriſque locis Geometricae demonſtrationes ex induſtria ſubtrahuntur, tanquam negotio non rudibus, ſed peritis inſtituto. Deum ergo ſcientiae auctorem adjutorem invoco.*

Praefarioni haec ſubjiciuntur:

In nomine Domini incipit liber Machometi, filii Iebir, filii Crueni, qui vocatur Albategni in mūs (forte, *motibus*) *ſtellarum & in locis motuum earum, experimenti ratione conceptorum, in quo libri capitula continuantur.*

Primum eſt in libri prooemio &c. Et ſic ordine cetera &c.

Capituli primi hoc eſt initium: *Machometus Tinen filius Acharzavi, qui & Albategni dicitur, inquit: In cunctorum operum initiis omniumque rerum exordiis principatus & excellentia Dei laudi nomine, cujus exaltetur ac ipſius gloriae deputetur, & ex ſuis ſibi grates dignae beneficiis exhibeantur: ejus etiam cum prophetis nuntii, ut in ipſo & cum ipſo quieti ſedem habeant, benedicantur. Rerum ergo creator omnium potens Deus velle proprio ſingula ſapienter & benigne diſponens, cujus ſcientia nunc* (forte, *munerum*) *Univerſitatis complectitur, quod nec eam caeleſtia ſeu terreſtria latent occulta, laudibus honoretur.*

Cap. penult. ita incipit: *Quoddam ergo aeneum, vel lapideum, aut ligneum quadratum* &c. Deſinit ita: *De compoſitione Altidade, per quam fiunt obſervationes.* Cap. ult. ita incipit: *Tres quidem planas regulas.* &c. Finitur ad hunc modum: *Simili quoque modo, ſi neceſſe fuerit, ut per eas altitudo lunae vel aliarum ſtellarum accipiatur, cum longitudinis arcus a cenit capitis de 40 minutis, reliquum erit altitudinis arcus.* Videntur autem hoc ipſo exemplari uſus aliquando fuiſſe Typothetae in typis deſcribendo hoc opere. Id colligo ex numeris paginarum, quos in marginibus chartae ſtylo *κιχαεχγμίνους* deprehendi. Erat autem ultimus 89. Sed impreſſum exemplar nullum adhuc videre licuit mihi. Superiora Norimbergae in publ. Bibliotheca deſcripſi. Domum reverſus petii a noſtro Mathematico *Joanne Praetorio*, ut ſi quod Albategnii exemplar haberet impreſſum, communicaret mecum. oſtendit ſuum codicem, qui in 4. forma ab *a.* incipiens, deſinit in *y.* & 90. paginis conſtat: Quia vero initio deeſt una charta, in qua fuiſſe impreſſam dedicationem ſuſpicor, non poſſum inde certo cognoſcere locum, ubi ſit editum illud exemplar: niſi quod typi videntur fuiſſe [2] *Joannis Petrei*, quondam typographi Norici. Accedit, quod etiam

2 Ita in Epitome Geſneriana docemur, & prodiiſſe A. 1537. nomen vero auctoris *Mahometis Aracenſis.*

Digitized by Google

etiam in impreſſo numeri paginarum reſpondent illis, quos ad oram MSC. adnotatos ſupra dixi. Titulus in ſummo chartarum eſt.

Albategnius de Scientia Stellarum. Initio MSC. haec annotata reperi, quae & in Praetoriano exemplari totidem verbis adſcripta vidi poſtea: *Albategnius obſervationes ſuas conſideravit in civitate Aracta: cujus latitudo eſt 36. graduum & orientalior, quam Alexandria in 10. gradibus, quae ſunt ⅔. unius horae: anno quidem Chriſti 883. currente.* Seqq. ad ſuum cod. annotarat *Joan. Praetorius: Longitudo Aractae 75½. graduum. Albategnius Ptolemaeo poſterior annis 743. ut ipſe teſtatur fol. 80. 6. Copernicus vocat Albategnium Mahometum Aractenſem.*

EPISTOLA XCIV.

CUNRADUS RITTERSHUSIUS

Joſepho Scaligero S. P. D.

Lugdam.

SUmmo honore & beneficio me affeciſti, Illuſtriſſime D. *Scaliger*, cum tuis Jambis Iſidorum noſtrum ornatiorem in manus hominum prodire voluiſti. Ingratus autem & vivam & moriar, ſi non de referenda quodammodo gratia ſedulo cogitem. Quî vero poſſim aliter te renumerari, quam hujus ipſius auctoris volumine novae editionis εἰς ἀνιδωρον ad te miſſo? Accipies igitur hoc a me, & boni conſules, non quidem quod idoneum ſit perſolvendae gratiae, aut me ab illa obligatione, qua tibi obſtrictus teneor, liberandi, ſed tanquam pignus & monumentum grati ac memoris animi, qui ſic erga te affectus eſt, ut quo plus jam debet, eo plura debere cupiat. Debebimus autem plus pluſque vel hoc nomine, ſi Iſidoro noſtro aliquem in tua bibliotheca locum dederis, & aliquando eum inſpexeris, meque de illis vel monueris vel etiam reprehenderis, quae in hac editione deſiderabis. Hinc enim colligam, & gratum te habuiſſe hoc noſtrum officium, nec omnia, quae ad Iſidorum contulimus, improbaſſe, verum ea duntaxat, quae notaveris, quaeque ego ad nutum tuum corrigere paratus ero. De Albategnio, quae inquirere potui, jam pridem ad te perſcripſi, & literas per *Gruterum*, ſicut juſſeras, curavi. Quid porro me facere in hac re velis, expecto. Scribo jam & D. *Heynſio*, cui mitto item unum exemplar Iſidori, quod meo rogatu reponat in Academiae veſtrae bibliothecam publicam. Si ipſe forte abſit, per *Bon. Vulcanium* V. Cl. id fieri velim. Cupio enim ibi quoque exſtare publicum aliquod monumentum meae erga florentiſſimam Academiam obſervantiae.

Salvete Illuſtres animae, nobisque favere
Pergite. Sic vobis proſpera quaeque precor.

Vale. Altorfii prid. Kal. Aprilis. MDCVI.

EPISTOLA XCV.

CUNRADUS RITTERSHUSIUS

Josepho Scaligero S. D.

Leidam.

QUidquamne vero sit, quod cum tibi, Illustrissime V. gratum fore intelligam, tua causa non velim? Libens igitur meritoque feci, quod tuis simul & *D. Heynsii* & *P. Scriverii* literis a me petitum est pridem, ut quae de catharmate illo, sive scelere, sive sterquilinio hominis, (a quo tam foede sumus delusi,) comperta habere potuimus, consignata complecterer Commentariolo quodam. Eum per Clarissimum *Gruterum* uti spero, recte accipies, cum epistola Collegae nostri *D. Gentilis*: Sero quidem, sed tempori tamen. Quae causa tantae morae, significavi *D. Heynsio*, purgandi nostri ergo. Nec repetam hîc, ne actum agam, cum ex relatu ipsius te putem cognoscere posse impedimenta legitima. Vestrum nunc erit, haec, quae ex fide dignis habemus, & partim ipsi observavimus, ita ad vestros usus, atque ad detegendum hominis, qua vilitatem, qua improbitatem, ut & ipse pudefiat publice, nec nobis ullum inde periculum creetur. Cogitandum enim, quorum consedemus arvis. Neque nobis in Germania media conceditur ea in scriptorum editione libertas, in ditione praesertim Norica, qua vos in Belgio fruimini. Cavebitis ergo modis omnibus, ne nobis fraudi sit officium nostrum, & ut non tantum non profiteamini unde haec, quae perscribimus ad vos, nacti fueritis, verum etiam strenue dissimuletis: quod fiet, si & styli nostri simplicitatem, quam dissimulare non facile possum, immutetis, auctoresve nos nullibi laudetis. Sed quid ego haec tam multis tamque sollicite? cum meminerim promissorum vestrorum de indemnitate illis praestanda, quibus merito fidem habemus. Utinam illum videamus diem, cum prodibunt illa scripta, quibus hominem tractabitis ex merito. quamquam quî hoc potest? Si enim ex merito suo tractaretur, jam corvos pasceret, qui nunc est iin vicinia nostra in Comitiis. Ibi enim esse heri ad me Ratisbonâ perscripsit vetus amicus. τοῖα νῦν τὰ ἐπίχειρα ϗ ἄθλα τ᾽ ἐπιρείας ϗ Φιλολειδορίας ἐτχάτης τε ϗ ἀναιστχυντοτάτης. Φεῦ τ᾽ βίᾳ πονηρίας, ϗ Φεῦ πάλιν! Vale, Vir Illustrissime, & nos favore tuo dignare perge, vel tuae constantiae, si non nostri meriti causa. Altorfii die XI. Januarii. Anno MDCVIII.

EPISTOLA XCVI.

FRID. TAUBMANUS

Josepho Scaligero S. D.

Leidam.

COnstitueram, Illustrissime Scaliger, per hanc viam, quam in litteris eo perferundis unicam scribis, mercatum Francofurtensem, copiosissimas, qua-

quales vix alias unquam, ad Te mittere: & una ſpecimen Commentarii Plautini, Truculentum tuam; quidni enim tuam appellem, quam majore ex parte a mendis vindicaſti? ſed cum jam calamus in manu eſſet, & mens tota in Scaligero; negotium ab Academia ſubitum, grave, & cui expediendo juratus abſentiam meam Rectori nullo poteram excuſare modo, ſed nec protollere. Quid facerem? occaſionem tam praeſentem amittere poene religio fuit. arripio itaque chartam, & haec vides, Illuſtriſſime Scaliger, in ipſo aeſtu negotii (quod quidem e Belgio nonnulli tumultuantes, alioqui mihi valde amici, & quibuſcum crebros de te ſermones habere ſoleo, concitaſſe arguuntur) in ipſis ſubſelliis judicii tibi, imo mihi & Plauto ſuffuror. Scito, Illuſtriſſime Scaliger, me tuas recte accepiſſe, luculentum ſtudiorum meorum praemium. & quae in iſtis, ita a me haberi, ut ſolent & debent omnia, quae a *Scaligeris*. Etiam de Fragmentis Plauti recte mones, ſed quis ea mihi ſuppeditabit, omnique ex parte perpurgata? nam ut iſta retineam, quae doctiſſimus *Camerarius* & poſt hunc *Lambinus* ad calcem ſui Commentarii adjecerunt, neſcio ſane an *Scaligeris*, *Douziſque* & *Lipſiis* operam meam tali farragine probare poſſim. quando & ipſe deprehendi, non pauca ſparſim latitare in auctoribus, quae ad illam congeriem & lucem nondum ſunt protracta. Per decimam Muſam Plautum te obteſtor, mi Scaliger, ea vel abs te, vel a *Douzis* vel a *Lipſio* mihi impetres. nam praeter eos nemo eſt, opinor, qui illa cum judicio ſelegerit; ſed & notis illuſtraverit. Jam quid faciendum iſto procemio? Non credo in Europa eſſe, qui me id doceat, extra te unum. idque mihi perſuadeo non tam ex ingenii tui divinitate, quam ex libro illo de Emendatione temporum tuo, quem hiſce diebus ab amiciſſimo, & poene mihi domeſtico, *Tychone Brahe* utendum habui: in quo te ſpecimen edidiſſe vidimus. Obiter de *Tychone*: is menſes jam quaſi quinque nobiſcum Wirtebergae cum tota familia degit, exſpectans ſententiam Caeſaris. ſed quid eum exſpectare dico, qui nudius tertius litteris Imperatoris Pragam evocatus eſt: & haec cauſa, cur hac vice litteris te (quem maximi ſemper in ſermonibus noſtris facere ſolet) non compellet, quod alioquin facere mecum per hanc viam plane fuit animatus. eſt enim in rebus ſuis ordinandis & compilandis occupatiſſimus. Jam quis eſt ille *Ivo Villiomarus*? multa ſunt ab eo (ſi quid ego judico) divina, & vel Scaligero digna. quaeſo te, ſi quid praeter illa in *Titium* vulgavit, rationem me doce, quî ejus fiam particeps. Et quis ille praeclarae expectationis adoleſcens *Meurſius*, quem primum noſſe coepi ab Arnobio; eundemque tibi, o hominem felicibus familiarem? Etiam ad nobiliſſimos *Douzas* illos cogitabam litteras, quos mitterem ad *Lipſium*: verum hae turbae nimium intempeſtive intervenientes turbarunt mihi omne conſilium. Valeas Illuſtriſſime Scaliger, & *Douzas*, *Lipſium*, *Meurſium* meis verbis (ſi vobis ego tanti) ſalvere jubeas. ſi Melodaeſia mea, quae anno Lipſiae publicata eſt, coelum in Belgio aciemque oculorum veſtrorum ferre poſſet, optare auſim, eam haberetis. ſed nec Bibliopolae veſtrates hoc plumbo naves ſuas onerant. Valete iterum, divine Scaliger, &

reſponſurae plectra movete Lyrae. Wittebergae in loco conſiſtorii. Tuae Illuſtriſſimae dignitatis Devotiſſimus.

Reſponſio videtur ad Scaligeri Epiſtolam cccxxxvi. quae x. Kal. Sept. cIↃ IↃxcV. ſcripta.

EPISTOLA XCVII.

FRID. TAUBMANUS

Joſepho Scaligero S. D.

Leidam.

QUod ſi altera illa mercatorum Francofurtenſium via non ſucceſſit, divine Scaliger, Orbis terrarum doctor, fortaſſe hac ſuccedet, ad Te ut literae meae perferantur, quas ex his oris emitto jam tertias. Earum nullas tibi redditas vel hinc conjecturam capio, quod nihil hactenus reſponderis. Nec eſt, quod quis dicat, qui ambos novit; Scaliger tibi? Mihi, inquam: aut ſummi Viri ſumma humanitas, quae mihi privatim toties praedicatur, quamque publice ad alios depraedico, nulla ea de re praeſertim ad litteras pertinente, in quibus ille nobis Oraculum. Atque ut multa verba compendifaciam, divine Scaliger; ſumma deperditarum (in talium cenſu eos habeo) fuit; Me Plautum veſtrum juventuti noſtrae explicare, idque Wittebergae, ubi meri (ut Philoſophilli iſti loquuntur) *Reales.* quod ante me nemo fecit, (cauſſam, tu divine, divinato) ne magnus quidem ille decimae hujus Muſae ſoſpitabor *Camerarius*, civis meus. Me item Herculem, hoc eſt, Scaligerum aliquem invocare. Me pro his litteris, quique eaſdem docti, valde ad frigidum hunc Septemtrionem laborare; ſaepe ingemiſcere; ſaepe illud mecum tacite ruminari; *Nimis vellem habere perticam*: Me denique, ex quo coepi omnium Commentarios Plautinos cogitare: atque ex omnibus, qui aliquid in Plautum contulerunt, colligere (quod Nobiliſſimus omnium ille *Douza*, quem etiam ſaepe compello, ante annos x. promiſit, quodque hactenus fruſtra, magno rei literariae malo, hîc exſpectamus) retentis, quam fieri poteſt, cujuſque autoris verbis: atque ad hoc opus Tuam & *Douzae* operam & conſilium implorare, quae utraque etiamnum ab utroque flagito; & quae *J. Gruterus* noſter ultro mihi obtulit. Vale & Salve, divine Scaliger, cum tuo *Douza*, atque utinam *Douzis*! Wittebergae Sax. Id. Majis a. d. 1598. Mi divine Scaliger, mi Douza, quos toties e cathedra publice compello, me quaeſo vos, vel privatim tribus verbis dignamini. Quod ubi apud vos obtinuero, fructum omnium ſtudiorum me conſecutum putabo uberrimum. Verſor jam in Trinumo.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XCVIII.

FRID. TAUBMANUS

Josepho Scaligero S. D.

Leidam.

EXhauſtus ſum, magne Scaliger, literas ſcribendo, atque intra breve tempus. Tamen cum dator harum, *Caſp. Bartholinus* Danus, Academiae noſtrae alumnus, adoleſcens pro aetatis modo, & ut noſtratium ſunt ingenia, apprime verſatus in Philoſophia, iter ad vos meditaretur, meque rogaret, vel tribus verbis aditum ſibi ad te pararem; ut Scaligerum ſemel oculis poſſet intueri, quem me interprete toties animo vidiſſet: qui, quaeſo, affectum tam honeſtum adoleſcentiae non amarem? non juvarem? Facio certe, magne Scaliger. Nec tibi moleſtum erit venerabile illud os tuum noſtris oſtendere, *dum ſuperes & veſcaris aura*. O me infelicem, cui idem non licet, quod me indice diſcipulis noſtris! Abeant tamen (non invideo) ſalveant, & fruantur Scaligero praeſente praeſentes. ego abſentes venerabor; Te inquam, & Patrem tuum, qui quidem mihi die abhinc octavo publice in Academia dicenti aliquot pagellas unus favebat cum faventia & applauſu meliorum ex omni auditorio. Vale, divine Scaliger, cujus litteras quotidie exſpecto a Bibliopolis Francofurto. Wirtebergae XV. Aprilis, anno Chriſtiano CIↃIↃCVI.

Reſpondet Scaliger Ep. CCCCXXXV. ubi male *Partholinus* pro *Bartholino* legitur.

EPISTOLA XCIX.

FRID. TAUBMANUS

Josepho Scaligero S. D.

Leidam.

ETſi haec via Francofurtenſis expeditiſſima eſt litteris eo mittendis, merito tamen dubitavi, utrum tibi, Illuſtriſſime Scaliger, moleſtus etiam eſſe debeam, quem ſcio ex omni Orbe litterato certatim adiri, & in ſeriis iſtis, quae poſteritati laboras, ſaepius turbari. Auſus ſum tamen denuo ad Te ſcribere: cum, quod nudius tertius demum tuas a Dano illo accepi; (tamdiu in patria ſubſtitit. Illas enim ad *Calviſium* comiti, recta huc proficiſcenti, commiſit: quas & recte *Lipſiam* curavi.) quod ſignificare debui, & gratias ſimul agere pro honore mihi habito, (nam qui aliter interpretor?) tum, quia ita juſſit fortiſſimus Vir & Urbi Elect. Dreſdae Praefectus, *Barthol. Brand* Hannoveran. Saxo: Cum quo multa de Te, Illuſtriſſime Scaliger, locuti: optima omnia (ut tua ſunt) & auditu mihi jucundiſſima. Tuo etiam numini inter menſas libavimus vitro illo, quo ſe abs te donatum ajebat, contra aurum ſibi caro, atque inſignibus etiam tuis, inſignito, Juſſit is te, ut & uxorcula, pleniſſimo affe-

ctu ſalutare, ut primum ſe daret occaſio: quae quidem nunc dari videbatur. Sed cum, ut fieri ſolet, aliud ex alio naſceretur, quaeſitum etiam inter nos fuit, unde Inſignia gentis Scaligerae, domui Sax. inſerta. Nam ubicunque (ut & Wittebergae in templo Arcis Academico) baſilica aliqua Inſignium Saxonicorum pictura cum caelatura viſitur, inibi & Scaligerorum, ordine XIVtum apparet. Ubi ſcilicet duo canes per ſcalas adſcenſum moliuntur. Moliti ſumus aliquid, ſed emoliri non valuimus. quaeſo nos juva. Et vel ob hanc unam cauſſam reſponderi abs te velim primâ occaſione. Nam & alumni noſtri, nominis tui amantes ſaepicule idem quaerere mihi viſi: atque in vicino Marchionatu Berlini Scaligerorum Inſignia ante ccc. annos ſculpta exſtant in baſilica. Doce docendum: ut ipſe porro meos poſſim. Plautina editio, quam denuo ad ver proximum, Deo volente, ſuſcipiemus, doce quaeſo quomodo fieri a me aut typographo poſſit melior: ut & noſtris ingeniis probari & noſtrae juventuti (ſcis quali) utile eſſe poſſit. Atque ad hujus quidem captum ego potiſſimum mea illa accommodare debui; non ad veſtratium, quibus mea nihil opus opera. Wittebergae doceo, non Lugduni: quod vos etiam atque etiam attendetis. Sed Fragmenta, quaeſo Te, Incomparabilis Heros, tandem fac ſint meliora & clariora; vel tua cauſſa, cui Plautus a me inſcriptus. immo indiculum hoc da. res eſt tridui aut quatridui: Vel certe optionem tibi ſume alium, qui tuo arbitratu rem iſtam curet. Habes ibi *Heynſios*, habes *Meurſios*, habes *Grotios*, Quis horum omnium tam duram frontem habeat, qui jubenti Scaligero non libenter pareat? Diſſertatiunculam novam mitto, in qua ex profeſſo id agere videri poteram, qui amorem Scaligeri nominis juventuti imprimerem. Quo facto faciliores in omnibus bonis artibus noſtros habebimus. Vale, magne Scaliger, & mihi fave, qui te veneror. Wirtebergae XXIX. Aug. anni CIↃ IↃ CVI.

EPISTOLA C.

[1]JOANNIS PISTORII

Memoriale pro negotio apud D. Franciſcum Raphalengium Typographum expediendo.

NUper in excuſſione Bibliothecae antiquiſſimae inter libros ſemicorruptos inveni membranaceum librum chartarum nonaginta octo, in forma quarta vel minoris folii, in quo erant perpetuae notae, aſcriptis verbis, quae per notas ſignificantur. Miratus libri antiquitatem & notarum imagines, cum titulum quaererem, inveni a fronte majuſculis literis aſcriptum. *Auxiliante Domino incipiunt Notae Senecae feliciter Amen.* Et paulo inferius: *liber Notarum Senecae Magiſtri.* Veniebat ſtatim in mentem, eſſe nonnullos authores, qui ejuſ-

1 Hoc codice *Piſtorii* uſum ſe ſcribit *Gruterus* in initio notarum ad notas Tyronis & Senecae. de *Joanne Piſtorio Nidano*, antea medico & Luterano, poſtea Papiſta, & ut hic ſe vocat, SS. Theologia doctore protonotario Apoſtolico & praepoſito Sarburgenſi, vide *Verten.* de ſatyris, quae titulum *Anti* gerunt. T. I. p. 22. 26.

Digitized by Google

ejuſmodi librum attribuerent Senecae. Itaque mecum beneficio Domini Bibliothecae ſumptum & domum perlatum coepi cum illis notis, quas in libro [2] D. *Vulcanii* de notis Lombardicis paulo ante me legiſſe recordabar, diligenter conferre: ſtatimque deprehendi eſſe illum eumdem integrum librum, cujus fragmentum ex codice Argenteo deſumptum ad D. *Vulcanium* pervenit: Sed initium libri non a verbis, *ſuper inſuper*, inchoatum erat, ſed praeceſſerunt triginta octo notae aliae. Nec erant iſti barbariſmi (*capitulas* vel *capitulo*) interſcripti, ut recitat D. *Vulcanius* ex Anonymo: tamen nec capita ordine erant poſita, nec proba erat ſemper latinitas, ſic ut folio ſexto legerentur Verba ſequentia, *Explic. Cap. Primus Incip. cap.* II. & ſimilia.

Quod D. *Vulcanii* liber ſub finem reperiri aſcripſerat (*Puteoli Puteolanus*, *Neapolis Neapolitanus*) id in meo libro ante finem quidem erat: ſic tamen, ut triginta duae chartae adhuc inſequerentur aliarum notarum plenae. In calce voluminis erat. *In Chriſti nomine, auxiliante Domino, explicitae notae Senecae feliciter Amen*: Et paulo poſt *Explicit Commentaria* VI. *feliciter, Deo gratias, Amen.* Verum ſequebantur adhuc duae paginae, in quibus ſimiles notae erant nominum propriorum, veteris & novi Teſtamenti: & ſimiliter dierum per ſeptimanam intercurrentium: ut ultima nota eſſet  dies Sabbathi.

Talem igitur librum nactus, Exiſtimavi nihil me ab officio alienum facere ſi D. *Raphelengio*, qui librum D. *Vulcanii* ſuperioribus nundinis publicaverat, ſignificarem, aſcripta ſimul ſalute & oblatis officiis: quo is ad D. *Vulcanium* cum eadem ſalute mea & officiorum oblatione referret, qui librum, cujus ille Tyronem Ciceronis libertum authorem facit, magno deſiderio in praefatione expetere videtur.

Sive vero ille, ſive D. *Raphelengius* excudendum putat, intercedam libenter ad Dominum libri, qui mihi ad paucos dies utendum eum dedit: nec ſpero futurum difficilem: Id igitur celerrime in charta publica notari & per D. *Quentelium* tradi D. *Raphelengio* volui. Actum Friburgi Briſgiae Idibus Septembris A°. 98.

2 Inſcribitur *commentariolus viri cujuſdam docti Anonymi in literas Gothicas*, & ſolet adjungi ſcriptoribus Gothicarum & Langobardicarum rerum A. 1618. licet quaedam exemplaria viderim, quae hoc commentariolo carent: p. 16. alter *commentariolus in Alphabetum Gothicum & notas Lombardicas* legitur, de quo hîc agitur.

EPISTOLA CI.

P. MOLINEUS

Joſepho Scaligero J. F. S.

Leidam.

SI me amas, vir ampliſſime, etiam accuſas: & offenderis noſtro ſilentio. Sed offenſio illa, ut eſt argumentum amoris, ita facile admittit excuſationem. Non habui, nec unde, nec quid, nec per quem ſcriberem: nam ex quo deſe-

ſerui functionem illam, in qua otioſus agebam & liber, haud ſcio equidem ubi fuerim, aut potius ubi non fuerim, tot me diſtraxerunt negotia, tot diſcurſationes exercuerunt. denique idem mihi videor pati, quod is, qui dormiens in navi multa coeli & maris tranquillitate ſubito oborta tempeſtate excitatur: Nec hoc quidem mihi accidit praeter expectationem, immo nec prater votum, nunquam enim defugiam ullum laborem, qui ullatenus ad Dei gloriam redundabit. Hoc unum doleo difficile mihi eſſe in vitae actu diſſipato & vago tenere curſum ſtudiorum, quae ego vel abundans otio aegre promovebam. Spero tamen vitam tranquilliorem, atque id nunc operam do, ut rebus meis conſtabilitis, & ducta uxore ſedem figam Lutetiae, & liberem animum bona parte curarum, quae me hactenus circunſteterant: Vix pedem poſueram Lutetiae, cum me reluctantem, & conſcium imbecillitatis, & feſſum diſcurſationum, omnium ſollicitationes, & preces eo perpulerunt, ut Regis ſororem proſequerer in Lotharingiam: feci, atque ibi Sophiſticis Jeſuitarum quaeſtionibus tentatus ſic diſceſſi; ut illis nihil inde accederet honoris incrementum, Dominae vero animus jam labaſcens in religione plurimum obfirmaretur: Sed de eo (ſpero,) ut primum otium dabitur, ſcriptum extabit: Revertens inde, in via inveni uxorem, moribus ingenuis, ſtirpe honeſta & nobili, forma etiam ſupereſt, nec deſunt fortunae: Haec tibi pro more noſtro, hoc eſt libere & familiariter: Mihi enim videor etiamnunc te coram affari, & frui dulci tua conſuetudine: quae mihi debuerat tantum afferre utilitatis. quantum peperit honoris, ſed obfuit partim innatus ſtupor, partim interpellendi metus: Ut ut ſit, plurimum me tibi debere ſemper profitebor, immo & gloriabor: Jactare ſe eo nomine, quod fueris Scaligeri diſcipulus & contubernalis, honeſta eſt ſuperbia. Nam quae tibi imprudenti excidunt, plura ſunt & meliora, quam nos ex aliorum ſcriptis extundimus, multa cura & commentatione. Caeterum ſi me preſenti uſus es nec ſatis commodo, nec ſatis grato, fac experimentum an habiturus ſis abſentem promptiorem ad exequenda imperata, & utere tuo jure: *Tompſonum* heri vidi ex Italia reverſum noviſſime. Et is quidem ſub Italo habitu, Anglum crepat, & cerviſiam bibit, & Criticus eſt: & circunfert aqualiculum ſolito amplius: amo hominem, & rideo. Nihil hic propemodum rerum novarum: Locus cogendae Eccleſiae nobis aſſignatus eſt ad quintum ab urbe Lapidem, Corbeliam verſus, interea dum nobis de commodiore proſpicitur: hoſpes Eccleſiae eſt *Joſias Mercerus* affinis meus, tibi probe notus: qui fundum ibi poſſidet: In eo dudum ſumus, ut locum propiorem & commodiorem conſequamur; ſed parvo ſucceſſu: Quid acciderit D. *Servino* Regio advocato, proculdubio inaudiveris, ſed plenius explicabo, & planius: Agebat cauſidicus, cui nomen *Roberto*, cauſam Ducis Mercurii, atque inter ſermonem, ut fit, nominaturus Ducem, eum Principem appellavit: Ibi tum *Servinus* incitatus ſubito animi impetu, increpuit acriter cauſidicum, dicens neminem in Parlamento appellari Principem, niſi qui ſit Regii ſanguinis: Aderat ἀνηάνειρα illa Ducis uxor, quae ad iſta, ut par eſt, vehementer commota, dixit, Indignum eſſe, marito ſuo ab iſto homine eum honorem

rem negari, quem rex ipſe ei ſaepe detuliſſet: Nihil commotior ad haec *Servinus* conſedit: Mulier impotens, domum reverſa maritum probris & convitiis ſic excitavit, ut de *Servino* occidendo cogitaret: Venit igitur ſtipatus multo ſatellitio ad *Servini* aedes: & pulſatis foribus dixit ſibi eſſe quod *Servinum* vellet; nec cunctatus, ingreſſus eſt domum, & invenit *Servinum* ultro occurrentem; ac poſt foeda convitia, enſem, ſed non totum, diſtrinxit: haeſit enim aliquantulum, manum habens ad capulum, pendulus inter iram & metum. *Servinus* quidem libere, ut eſt ingenium hominis, reſpondit, non ſuum caput peti, ſed Regis & Parlamenti dignitatem, quam non eſſet Dux impune violaturus: convitia vero refellere inſuper habuit, & raptim receſſit. Mercurius revertens, rumpebatur dolore & poenitentia, quod a caede hominis abſtinuiſſet. Res ut innotuit Parlamento, juſſus eſt Dux domo non excedere, donec ad praeſtitutam diem cauſam dixiſſet: Interceſſit Rex, & indignationem quidem prae ſe tulit & promiſit ſe ultorem, ſed Parlamentum vetuit de cauſa cognoſcere: rem eſſe cognitionis regiae, quandoquidem Dux Mercurius eſſet inter Pares Franciae: Exiſtimo ego Ducem laturum id impune. *Servini* quidem nullo probro, in quo εὐψυχροσυμία ab omnibus laudatur, ſed ſummo Parlamenti, cujus dignitas agitur: Salve, vir ampliſſime; & me ama: Lutetiae Nonis Quintilibus 1599. *Caſabonus* expectatur; ſed non ante autumnum.

EPISTOLA CII.

LEONARDUS GUTENSTEIN

Joſepho Scaligero.

Leidam.

VAlde ego, ſi quiſquam alius, viros eruditione nobiles, & fama ſublimes amare & colere ſoleo; inter quos, Vir nobilitate illuſtris, Joſephe Scaliger, primus es merito, quem tacito quodam animi ſenſu, diu eſt, quod admirer, & obſervem. Quoties ego ad vos aſpiravi? ſed, ut video, ſperavi tantum hactenus. Et forſan ſpe & opininione mea id ſerius fiet, ut ocellum illum Germaniae perluſtrare queam; Votum meum reſpiciens aliquando Deus adjuvet. Morae vero impatiens ardentiſſimus adfectus, velut ignis longo tempore incluſus, vi magna & pectore erupit, qui liber cum hac tabella, ſine verborum ambitu, dicam & cultu, ad te, Vir Illuſtris, jam abire feſtinat; Cui ſi bene ceſſerit haec audacia, multis me nominibus obſtrictum profiteor nobili Viro *Joanni a Wouveren*, qui mirum quantum *Scaligeri* divinam eruditionem cum humanitate conjunctam hîc praedicet, ut multos in tui admirationem & amorem rapiat. Multum tibi deberi omnes Viri eruditi fatentur: ſed plurimum, crede mihi, *Scaligero* debebit poſteritas, ſi opus illud Inſcriptionum tot novisantiquis auctum tandem in publicum prodire coeperit. Nimium lente procedere ex *Welſero* nuper intellexi. Urge, potis enim es, Vir Illuſtris, apud *Commelinos*, ne labor & diligentia quorundam in conferendis cum

MSS. Smetiano, & Metelliano, ac exſcribendis tot Inſcriptionibus pereat. Plura hac de re *Wouweren.* Interim opto obvenire occaſiunculam ſaltem, quae ſcintillas aliquot cultus mei apud te teſtari queat. Hoc eris, qua es humanitate, ſcio jam contentus. Salutem & obſequia mea, ſi placet, Nobiliſſimo Viro *Jano Douſae* meo nomine deferre ne graveris rogo. Vale, Vir Illuſtris. Properanter Romae a. d. 7. Februarii Anno ſal. rep. 1601.

Romae anno elapſo in vinea quadam ad portam Septimiam Cippi, aerulae tabulae marmoreae, integrae turmae militum repertae, ſed maximam partem comminutae, inter quas hae tres Inſcriptiones Germanae, multae vero Romanae elegantes. Plures apud me, ſed Romanae his elegantiores, quas ubi praelum fervere intellexero, ad *Gruterum* mittam. Adſcripſi has ideo, ut genti bellicoſae honorem & virtutem inſtando apud *Commelinos* adſerere, & conſervare libro illo Inſcriptionum edito alacrius pergas.

Adſcriptae erant tres inſcriptiones, quas a *Wouwerio* accepiſſe ſe *Gruterus* teſtatur DXXVIII. 5. DXXXII. 9. & DCCCCLXXV. 2. ad ultimum vero lapidem ex *Gutenſteinio* notatur, Annos XLV. vixiſſe Felicem legi.

EPISTOLA CIII.

STEPH. CLAVIGER

Joſepho Scaligero S. D.

Leidam.

LUſtrum jam tertium agitur, domine Illuſtris, cum notitia tui paullo plus quam extima nobis, haudquaquam ob meritum, illuxit; ut te alloqui & coram intueri fas eſſet. facerent ſuperi, ut per aetatis lubricum inſcitamque adhuc caliginem, tam eximium decus clare perſpicere non minus, quam admirari, potuiſſem. ſed enim tua ſingularis eruditio divinitati propior, neque ab aevo conſtanti, neque a ſenili experientia, niſi oblique cerni valeat. Ne vero diutius te perplexum teneam; ego ille ſum, quem olim tibi nobile admovit hoſpitium Cujacianae domus. ubi tu, Sol orbis litterati, fere annis redeuntibus quaſi feſta luce cum appareres, radii alicujus indulgentia me non defraudaſti. ſi quam enim tunc a Doctore principe inii gratiam, ei lingua & animis favere dignatus es. Ita ut modo *Janum Clavigerum*, poſt modo muſaeolum ambulans, Attico idiomate vocitares. at praeclara illa, opinor, ex parte ceciderunt, non etiam tui memoria. Imo neque viri illius magni, quem tu parentis loco ſuſpiciebas, quae tua eſt moderatio. utque ſit meis dictis aliqua fides: ecce tibi *Cujacii* vitam libello mediocri, parique ſtilo delineatam tantum non emiſimus; eamque inclytae genti utriuſque Germaniae certa ratione debitam: modo prius tua cenſura invaluerit. addituri Panegyricos & elegias cum aliquot Epigrammatis libello, ſi ita res ferat, ſingulari: quae ſane tuis ſolius auſpiciis prodire geſtiunt. nam quidam e noſtris proceribus ea quantivis eſſe precii, ſi fas, non abnuunt, mihique dicunt eo nomine blanditias. ſed non

ego

ego illis temere credulus; quamvis agnoſcam iſtius phalerati generis non adeo multa hodie publicari. Quid plura, ne ſimplici vice inſaniret tuus paupertinus *Claviger*, ei cupido nata eſt editionis Claudiani, poëtae, vel teſte tuo incomparabili patre, maximi. quem nos olim cum Manuſcr. *J. Cujacii* V. C. contulimus, denuoque cum aliis probae notae codicibus iteravimus; cum annotationibus, tum explicatione recenſita. De iis omnibus tuum, vir maxime, conſilium expectabo, ſi prius ſignificare non graveris, an ea non illubenter viſurus ſis. Nobilis ac eruditus juvenis *Adrianus Manmakerus*, hoſpes meus, tuo Illuſtri nomine aedes meas perſonat, ego illi accinere, ille recinere non deſiſtit: deque hac ad te ſcribendi occaſione monuit; ut tamen ſubita, nec meditata, licuerit contexere. Dabis vero vel temeritati vel infantiae loquaci veniam; noſque in tuam clientelam ſuſcipies. Biturigis prid. Kal. Martias Anno 1601.

Stephanus Claverius vocatur in editione Claudiani, quam emiſit Pariſiis A. CIↃ IↃ CII. Illum; editorem Cujacianarum annotationum, ingenio & diligentia ipſius auctarum, & tanto patrono non indignum, vocat *Barthius* ad Stat. VI. Theb. 404. ſed diverſum de ejus in Perſium notis judicium profert ad eumdem Stat. v. Silv. 1. 96. Ejus commentarium in Perſium ſe ignorare dicit *Crenius* de Furibus librariis pag. 61. ſed prodiit Pariſiis CIↃ IↃ CVII. cum *Bernardi Autumni* ſimul notis; vitam vero *Cujacii*, cujus hîc meminit, nondum ab eo editam fuiſſe reperire potui, cum illa a *Papirio Maſſonio* ſit conſcripta, quae & ante ejus opera legitur, & deinde a *Frid. Jac. Leichbero* cum aliis JCtorum vitis edita *Lipſiae* MDCLXXXVI. mortuum hunc *Claverium* eſſe A. 1622. didici ex *Longi* Bibl. Hiſt. Franciae p. 6462. ubi ejus librum *Floridorum* recenſet.

EPISTOLA CIV.

FRID. LINDENBRUCH

[1] *Joſepho Scaligero* S.

Leidam.

PErſuadere mihi non poſſum, Vir Nobiliſſime, culpam tuam eſſe litterarum tuarum deſiderium tam diu quod feram. ſaltim enim vel ad id reſpondiſſes, Gloſſarium te [2] *Joan. Monachi* accepiſſe, quod expetebas. Quidquid ſit, tamen ſiniſtri nil ſuſpicabor. ceterum quo amore litteras proſequar, jam pluſculis indiciis, doctis me probaſſe reor: quocirca cum te Euſebii chronicon edere amicorum relatu intellexerim, inſuper habere non potui, quin tibi ſignificarem, eſſe penes me Idacii chronicon MS. nec unquam hactenus editum, ſimilis fere farinae cum Proſpero, quamvis diverſas res narret. tum quoque Idacius Proſpero antiquior; quippe quem Sigebertus A°. Chriſti 490. vixiſſe refert. Iſtum ſi Euſebio adjicere velis, lubenter tranſmittam. uti & Marcell. Comitem, quem collatum cum MS. in quibuſdam locis auctiorem habeo. a te enim multo maxime cupio ut edantur, quam ab ullo alio, ne vel a me ipſo quidem. nam & Georgium quendam Epiſcopum habeo, qui chronologiam ab

1 Reſpondet ad hanc *Scaliger* Epiſt. CCXIII.

2 *Maximum* vocat *Scaliger*, quod MSS. in Bibliotheca Medicaea exſtare ait Cl. *Fabricius* Bibl. Graec. lib. v. cap. 40. pag. 52.

Jul. Caeſare ad Anaſtaſium uſque conſcripſit, & curate ſatis Coſſ. nomina cum ſuis titulis notavit. eum prioribus conjungere decreveram ac in publicum dare, ſed mutavi conſilium, tibi haec omnia, uti dixi, miſſurus ſi velis, qui unus atque unicus omnium eſt, quotquot ſunt mortalium, a quo ea recte edi poſſint. Leges Germaniae paratas habeo, & jam illas vidiſſes, ſi per typographum licuiſſet, qui neſcio quid cauſatur ac moram trahit, at ſi nimis tricari inceperit, Francofurtum eas mittere decrevi. Jupiter! ὡς ἀχαλίνων πρᾶγμ' ἐστὶν ὠδαθρονὸν ἀνθρωπος! adeo verum verbum eſt, pro captu librariorum habent ſua fata libelli. Interim ut intercapedinis damnum reſarciam, Terentii fabulas forſan exhibiturus ſum cum Donati commentario (antiquiſſima mihi obtulit exemplaria *Fr. Pithoeus*, & item alterum ex bibliotheca Regia habeo bonae notae) & Eugraphio multo ampliore, quam olim *Faërnus* quaedam illius ediderat. Quod te celare nolui. ſi quid amplius in tuam gratiam poſſim, hominis plane tibi addicti, quaeſo ne parcas. Vale, Lutetiae VII. Kal. Septemb. A°. Chriſti CIↃ. IↃCI.

EPISTOLA CV.

FRID. LINDENBRUCH

[1] *Joſepho Scaligero* S.

Leidam.

NE verbis me munificentiorem, quam factis reabſe experiare, en tibi chronologos, quos promiſi. aude credere, vir amiciſſime, non tu illos avidius deſideras, quam a me libenter mittuntur: nec enim commodum ullum commodis antepono publicis: imo iſthoc ſidere natum me arbitror, vel damno meo Muſis ut inſerviam. Quod ſi ſeculum hoc benefactis gratiam referre vellet, abunde famae meae conſultum eſſet. nunc cum multum laboris atque impenſae inſumſerim his ſtudiis, quid aliud, quam caballus in clivo operam me luſiſſe dicar? hoc ſcilicet praemii auferens, calumniantis linguae flagello ut verberer. *Wouwerium* iſtum ἀλαζονοχαυνοφλύαρον, ut credo, fruſtra exſpectas. nam a Papa captus tenetur, puta catenis aureis. Plane quippe in [2] Romanum nomen ſacramentum juravit uri, vinciri, verberari, atque inde ſtipendium habet. Vides quorſum hominem adegerit ſupercilium altius & τυφεμαία Ego hanc hyemem in Gallia commorabor, & partem aeſtatis quoque, deinde in Hiſpaniam cogito, ut & illius gentis mores & linguam addiſcam. De Donato Terentii quod miraris, noli quaeſo, ſic capiendi erant hi librarii. alioquin annus fuiſſet, antequam manum operi adhibuiſſet. nunc ſecunda fabula pene peracta. Leges Germaniae, ſi deſiderarem, jam equidem hic ederentur, ſed non multum urgeo. & reſervabuntur fortaſſis an donec Auguſtam Vin-

1 Reſponſio eſt ad *Scaligeri* CCXIII.

2 De hoc nihil reperi in ejus vitae ſcriptoribus, *Witte* Memor. Philos. dec. I. 9. & *Clarament* part. II. 17. ſed tamen *Vulcanius* idem ſcribit *Cantero* in Sylloge *Matthaei* Ep. XI. ipſe vero Epiſtola ad *Baudium* ſcripta negavit, ſe ejuraſſe ſacra Lutherana. vide *Baylii* Lex. T. IV. pag. 2880.

Digitized by Google

Vindelicorum veniam, qui ſic commodius Imp. Caeſari exhiberi poſſint. Interim vero, quod tu de Euſebio ſcribis, ex mora meliores evadent. Nam a *Daniele* Marculfi formulas integras habeo, & alibi alias nactus, quas omnes (adhibito tamen judicio) in calce exhibebo. quae cura non exigui laboris & faſtidii. ſed quid? ita ita me ὡμεῖς ἐν νόμοις δεῖ πεπολεδάμναν. A te vero peto ad excerpta Donati mature ut reſpondeas. Dn. *Buzenvallium* exlegatum Regium jam ſalutaveram, cui has tradidi, ut voluiſti. nec ego quenquam invenire potui, qui rectius curaret. Deſcripſi Idacium ex vetuſto MS. *Fr. Pithoei*, ut & Victorem. Georgius vero ineptire mihi ſaepiuſcule viſus eſt, ideoque hic bonas horas male collocare nolui. ecce tamen & illius quaedam. Marcellinum non mitto, ſed variantes tantum lectiones, & ſi quid amplius erat. verebar enim ne latorem nimis onerarem. tamen & iſtum ſi deſideras, habebis. Secutus ſum editionem Pariſin. Wecheli. Inaudivi *Onuphrii Panvinii* meliorem eſſe. Ea ante quinquennium Heidelbergae prodiit, cum illius faſtis. tu videbis. Proſperi Chronicon quod *Pithoeus* edidit, collatum tibi olim dedi. ſed ſi recte memini, *Pontani* incuria periit. reſarciri ergo hoc damnum poteſt, ſi a *Raphelengio* inquiras, cuinam libri iſti MSS. inaurati divenditi ſint, quos tum temporis habebat. nam inter illos erat & Euſebius & Proſper, uno volumine. Ego ſi quid amplius poſſum, me vide, ſedulo & curate agetur. nec quidquam eſt, quod tua cauſa non velim, qui te ſincere atque animitus ubivis locorum colui & colo. hoc ſolum redhoſtimentum petens, me ſemper, quod facis, unice ames. Vale. Lutetiae Pariſior. Nonis Januarii A°. Chriſti CIↃ IↃ CII.

Fr. Pithoeus Palladii libr. de architectura editurus eſt; & *Bulengerius* ex illius bibliotheca Panegyricos veteres. Nil opus Idacium & reliquos tranſcribas. nam exemplar mihi ſervavi. Significes rogo Euſebius tuus quando prodibit. Et me doceas quid ſit in Diodor. Eclog. 22. p. 323. ubi de Pruſia agitur. πίλεον ἔχων λευκὸν, ἐπὶ Φορῶν τηβέννας καὶ [3] κάπιλον.

3 Adſcripſerat margini *Scaliger*, Μάντιλον.

EPISTOLA CVI.

FRID. LINDENBRUCH

Joſepho Scaligero S.

Leidam.

RUpi tandem ſilentium, quod continuare decreveram aliquamdiu, qui labore te levarem ad meas reſpondendi: ſed rupi, inquam, cauſa amicorum, qui id a me poſtularunt. Clariſſimi illi ſunt, & in regis aula fide ac meritis honorati. Scilicet Epiſtola huc perlata fuit, an hîc potius edita, ad te anno miſſa: ejus autor cum multis in Papam ac Romanam curiam debacchetur, ſcire expetunt boni illi viri, & veritatis avidi, γνήσιον ne hoc ſcriptum ſit, an ὑποβολιμαῖον. non certe a te, ſed tui nominis praetextu, ut major illi autoritas fideſque concilietur. Rem igitur mihi illisque gratiſſimam feceris,

ſi ſcrupulum hunc nobis exemeris, ad quem multi nunc ſubſiſtunt. Atque ut melius intelligere poſſis quid ſit, ecce tibi exemplar. Hoc primum: dein, Statius meus denuo edetur, ſed ſine commento: ideoque ſi me amas, juva me tuo judicio, & quid de nomine illo *Surculo* ſentias edoce. Ego ſane in quibuſdam MSS. libb. Hieronymi, non *Surculum* ſcriptum repperi, ſed *Urſulum*. quod tamen ut ad noſtrum hunc Papinium referatur nunc vix, imo nullus credo. Et verius puto, ut *Statius Papinius* ſolummodo dicatur: praeſertim cum a nemine antiquorum illo altero nuncupetur, hoc vero non ſemel. Hieronymum tuum avide expectamus; at quando tandem, in tua manu ſitum eſt. Vale Lutetiae Pariſiorum. VI. Eid. Octobris A°. Chriſti M.D.CIII.

Litterae tuae ad me *Caſaubono* noſtro tradantur velim, is recte curabit.

Reſpondet ad hanc *Scal.* CCXIX.

EPISTOLA CVII.

FRID. LINDENBROGIUS

Joſepho Scaligero S.

Leidam.

OCcupatiorem ſolito fuiſſe te, cum ad poſtremas meas reſponderes, ex ipſo charactere litterarum tuarum animadverti: nam & feſtinanti manu erat exaratus, nec quidquam ad ea, quae petebam. Itaque denuo tibi aurem vello, ut quod commodo tuo fiet, curate de ſingulis moneas: praeſertim vero de *Curiaribus*. Panegyricum illius noſtri cum latrante nomine jam legi; ideoque nil opus eſt, ut tuum exemplar mittas. Statius meus adhuc ſtat. Ego ſane apud multos verum reperio, quod antiqui de tua hac natione dixerunt, ridendo eam fidem frangere. Hinc factum, nondum poëtae illius ſecundam editionem prodiiſſe. Leges Germaniae Populorum paratas habeo, teſtisque mihi ejus rei eſſe poterit, qui tibi has tradit, Vir Nobiliſſimus *A. de Bibran*, quem quaeſo eo favore, quo me omneſque bene natos ſoles, excipias. Meretur hoc virtus illius & eruditio non vulgaris: Quem ipſa ſeſe melius conferendo exeret; nec me curione indigebit. Vale. Lutetiae Pariſiorum XI. Kal. Septemb. A°. CIↃIↃCIV. Novel. 146. c. 1. ἀρχιφρεκτῶν. Edict. 4. Τριποδίλμάτων. Edict. 13. καλανδικῶν. *Curiales.*

EPISTOLA CVIII.

P. LABBAEUS

[1] *Joſepho Scaligero Jul. Caeſaris F.* S. P. D.

CUm priore littera, Vir Illuſtriſſime, ad Cantabrigiam & Oxonium nos profectos intellexeris, quid in utraque viderimus, hac tibi ſignificandum ſa-

1 Reſpondet *Scaliger* Epiſt. CCCXVIII.

ſatis mihi officii mei ratio perſuaſit, quod etſi tua lectione revera indignum, ab officio tamen meo non alienum ſciens, calamum cohibere nec potui, nec debui. Cantabrigiam igitur appuli, dominum *Thomſonem*, virum tui amantiſſimum, convenimus, quem nobiſcum deambulantem febris ex improviſo invaſit, eaque per quindecim dies, non absque damno noſtro, detentus fuit, paulo ſiquidem tardius bibliothecas illorum inſpeximus, quas certe, praeter opinionem non ita inſtructas vidimus, pleroſque ſiquidem libros manuſcriptos falſo inſcripſit author Catalogi. exempli cauſa licebit hunc adducere, Viaticum Conſtantini, quem (magno labore repertum) ſic inſcribi vidimus, *Breviarium Conſtantini aliter dictus viaticus, quia ſecum ſemper hunc librum ferret.* in quo plane omnia monachalia erant. In collegio Trinitatis, Philonem Judaeum Graece manuſcriptum vidimus, cujus collationem ſuſcepit *Richardus Montacutius* ſtudioſus in collegio regali, a quo, ſecundum promiſſa ipſius, ſpero nos accepturos: Praeterea Domini *Thomſonis* caeteris inſtructiorem per otium videre nobis licuit, qui praeterquam quod ad plurimos libros, varias lectiones ex MSS. Italiae habeat, Procli praeterea juſtum volumen adhuc ineditum aſſervat, cum pluribus aliis MSS. ſed non tanti momenti. Viſis ita Cantabrigienſium collegiis atque comitiis, ad Oxonienſes absque mora properamus, quorum ut ingenue dicam, magnificentiora collegia nec non inſtructiores vidimus bibliothecas, quippe tam Latinorum quam Graecorum Manuſcriptorum copia, eaque permagna refertas: quos ita ſtricte, imo turpiter, pulvere undequaque obſitos, aſſervant, & occultant, ut perire, quam in uſum publicum redigi ſatius habeant: quod enim Cantabrigienſes plane ac plene nobis conceſſerant, manuſcriptorum videlicet exportationem, illi plane negaverunt; quod cum rude atque aliquo modo inhumanum nobis videretur, a collatione Julii Pollucis MSS. chartacei deſtitimus, quem per diem unum in bibliotheca [2] collegii Sancti Joannis contuleramus: *Doxapatris* libros duos ineditos in Hermogenem de inventione, in collegio Magdalenenſi vidimus, quos quidam ipſius collegii ſocius deſcribi ſe curaturum, poſteaque ad nos, ut typis mandari curemus, miſſurum, affirmavit, quod an facturus ſit, intra paucos menſes, uti ſpero, videbimus. Poſt haec Londinum reverſi, ubi per ſeptimanam, videndae Reginae aliarumque rerum gratia, haeſimus, ſalutato prius Clariſſimo legato, Domino *Boiſſizio*, optime de nobis merito, in Galliam reditum meditati ſumus, deoque favente Lutetiam ſuperiori menſe appulimus; ubi dominum *Thuanum*, *Caſaubonum*, *Rigaltium*, caeterosque tui amantiſſimos convenimus, illisque litteras tuas tradidimus, praeterquam Domino *Gillotio*, qui jam per aliquot menſes abfuit: Catonem tuum, quem omnes, qui viderunt, admirati ſunt, *Ambroſio Drovard* his diebus dedimus, qui ut excudatur per *Fridericum Morellum*, in quarto, brevi curaturus eſt. Libros Hebraicos, quos adhuc reperire potuimus, duos ad te mittimus, nobis, ut verum fatcor, non ita no-

2 In Catalogo MSS. collegii S. Joannis Baptiſtae non invenio Pollucem MS. ſed in corporis Chriſti pag. 50 n. 1542.

3 Vid. Catalog. MSS. Britanniae Tom. 1. part. 11. pag. 71.

notos, tamen in pergameno excuſum, partem eſſe Talmud exiſtimamus, alterum, quem ex *Genebrardi* biblioteca fuiſſe intelleximus, plane non novimus, tu ipſe videbis, atque ſi in eis quidpiam boni, eodem animo quo ad te mittuntur excipies. Ad linguas quod attineat, praeterea nihil vidimus, niſi tractatum Malaicae linguae a Generoſo Anglo in India confectum, quam linguam Indicis populis tanto in praetio eſſe affirmat, quanto Gallica ſit Teutonibus, quo in tractatu, primum litteras Malaicas ad vivum depinxit, poſtea nomen Regis, & officiariorum eorumque numerum, cum dictionariolo, ad mercaturam ſpectante, eaque Anglico ſermone e regione appoſuit: quem cum a quodam Conſiliario reginae Angliae, viro omnium curioſiſſimo, deſcribendum mutuo acceperimus, nos tibi tranſcribemus ac prima occaſione tranſmittemus. Interim Deum Opt. Max. a quo, & in quo omnino noſtra ſalus: ut te ſalvum diu ac incolumem conſervet, ac foveat, orabo. Vale, ac nos tibi devinctiſſimos, in numerum tuorum habe: Lutetiae Pariſiorum, die menſis Septembris 12. Anno 1601.

EPISTOLA CIX.

P. LABBAEUS

JC. F. Joſepho Scaligero S. D.

Leidam.

UTinam ingenii tui merita nota mihi minus eſſent (Vir Illuſtriſſime) aut facultas quidpiam ipſis dignum offerendi ſuppeteret, tunc ex laetitia animi tui exultaret noſter, nec ingratitudinis labe veluti perpetua notatus ipſe ſibi videretur. In urbe praeſtantiſſima totius Europae degentibus, mundi totius veluti epitome, quis crederet nihil ſingulare occurrere, quod viri perquam ſingularis doctrinae mentem, laboribus nec non vigiliis feſſam, recreare, ac quodammodo reficere poſſit? Quin ſingularia multa ſcriniis ſemidoctorum quorundam incluſa jaceant, nemo ſanae mentis negabit unquam, officinis vero Bibliopolarum contineri negare poſſumus, qui multoties ipſarum volumina pervolverimus. Dominus *de Laet*, qui ante menſem huc pervenit, multos libros comparavit, quos intra paucos menſes, uti ſpero, videre poteris, eos ſiquidem recta in Angliam miſit, quibuſcum accipies, quos a Dom. *Puteanis* te optare didicimus. Nuperrime colloquendo cum Domino *Marcſcaldo* noſtrate, hac in curia conſiliario regio, certi facti ſumus Dom. *Petavium* miſiſſe antiquum ſuum exemplar manuſcriptum chronici Euſebii ad Epiſcopum *de Baſas*, Burdigali, Quam rem ſcire, intereſſe tua viſum mihi eſt, ut inde levitatem hujus, illius vero ineptam pertinaciam intelligeres. Veſtram editionem quanto cum deſiderio expectent omnes vix credi poteſt. Quod ad me, agreſtis ac inſolita mihi barbaries illa forenſis caninaeque facundiae, ſumma ac vehementiori cum aviditate ut eam efflagitem, facit. Neque revera tamdiu animus chronologiae cognitionis rudis exiſteret, ſi aliquis ordo legendi authores

ad

Digitized by Google

ad intelligentiam magnificae iſtius ſcientiae conducentes notus mihi fuiſſet, quem ut a notis tuis ad Euſebium exſpecto, ſic tandiu a propoſito ſtudio quieſcere, atque deſiderium iſtud lenire in animum meum induxi. Memini enim, & recte ni fallit animus, multoties mentionem a te nobis factam Introductionis cujuſdam ad chronologiae cognitionem, quam ad initium notarum tuarum eſſes collocaturus. Non injucundum forte erit, Vir humaniſſime, ſi deſiderium Domini *Bes*, mercatoris papiropolae tibi aperuero, cujus parentes, ni fallor, notiſſimi tibi fuere: is etenim non niſi 35. annum attigiſſe videtur, qui Arabicae linguae amantiſſimus, ante aliquot annos caracteres Arabicos perlepidos fabricari curavit, quorum ſpecimen ad te mitto; ac inter loquendum cum intelligeret a nobis te grammaticam Arabicam habere paratam, cum inſigni illo dictionario, coepit expoſtulare, ut ſuo nomine rogaremus te, grammaticam prima occaſione ad nos mittere, ſeque adeo eleganter excuſurum eam, ut cogaris, velis nolis, illius laudare acuratiſſimam operam ac diligentiam, Quod ſtudium decori maximo tibi, publico utiliſſimum futurum, pro aequanimitate tua, ſpero non recuſabis. vale.

Lutetiae Pariſiorum 3. Kal. Majas, anno domini 1604.

In Epiſtola *Scaligeri* ad *Carolum Labbaeum* cccxxx. quaedam ſunt, quae ad hanc referri poſſunt.

EPISTOLA CX.

DAVID HOESCHELIUS

[a] *Joſepho Scaligero* S.

Leidam.

LIteras & tuas, heros illuſtris, & *Caſauboni* eodem accepi tempore: quibus utriuſque veſtrum de Notis in Phrynichum meis judicium cognovi: ſed laudem accipio καθ' ὑπερβολὴν, qua me ad majora invitetis. Idem *Caſaubonus* obſervationes ad Procopium promittit: hunc enim, proximo vere, praelo (σὺν θεῷ δ' εἰπεῖν) ſubjicere cogitamus. Cum igitur tibi etiam ſit Codex MS. & varietas librorum calamo exaratorum haud parum ad cujuſcunque Scriptoris editionem conferat; cum etiam *Vulcanius* veſter interpretationem differat: ne interim Graecae linguae periti theſauro illo careant, perquam gratum accideret, ſi tui etiam codicis copiam nobis faceres, & mercatu proximo huc per certos Francofurdum iſtinc profecturos mitteres. Chronici illius G. *Monachi* uſum tibi quoque, nullo negocio, impetravimus. Sed abſque tuis notis non expectabo. Quod ſi clariſſimus *Vulcanius* quantum Graece imprimeretur, Latine, ad ſe miſſum, per negocia ſtatim poſſet vertere (facto ſtatim jam antea initio) ejus interpretationem ſubjiceremus, ea forma, qua Pauſanias editus eſt. Eidem doctiſſimo viro pro Theſauro utriuſque linguae, Philoxeni &c. gratias & ago & habeo: ἀντίδωρον mittam proxime, Phrynichum & homilias Chryſoſtomi κατ' Ἰουδαίων. Idem a me ſibi Cl. *Meurſius* pro-

[a] Videtur eſſe reſponſio ad *Scaligeri* Epiſt. cccxc.

mittat. In illo theſauro, p. 34. *Canalis* Graece redditur ῥύσφυιξ: legit *Vulcanius* ῥῦυς, ὄφυξ: mihi (quod ad Horapollinem annotavi) propius a vero videbatur, ῥοῦς, ῥῶαξ. utrum magis placeat, ni moleſtum, fac ſciam. *Caſaubonus* auctores, qui poſt Suetonium ſcripſerunt, brevi nos habituros ſcribit. *A. Schottus* Senecam Rhetorem cum notis praelo commiſit. [2] Amicus quidam meus deſcribit Indicem Graecum veteris Teſtamenti, a ſe magno labore conſtructum. Ei vere biblico Theſauro typographum quaero, atque id negocii *Bongarſio* dedi. Bene vale vir eximie.

Idib. Chriſti A. S. N. 1601. Auguſtae Vind.

2 Credo eſſe *Conradum Kircherum* Auguſtanum, cujus concordantiae prodierunt Francofurti 1607. nam in praefatione inter amicos, qui inſtiterunt, ut opus perficeret, principe loco memorat *Hoeſchelium*, qui & diligentiſſimus fuit ἐργοδιώκτης; nuper vero opera *Trommii* A. 1718. alia forma reficta.

EPISTOLA CXI.

D. HOESCHELIUS

Joſepho Scaligero S. D.

Leidam.

Mitto ſpecimen Procopii, heros Illuſtris, quanquam ea non eſt prima pagina futura, ut neque hac forma imprimetur, ſed quartâ, ea propemodum, quam vulgo Medianam vocant. Primum Perſicis, alterum Vandalicis, tertium atque ultimum Gothicis aſſignabimus. His feliciter ζὺν θεῷ finitis, edere cogitamus e legationum codice quem habemus, Priſci τῶ ῥήτορος, Malchi Philadelphi, Dexippi Athenienſis, Menandri (haud ſcio an ejus, cui tam iniquus eſt Phrynichus) & Petri Patritii ac magiſtri. Nam ad horum editiones valde noſter *Velſerus* propendet, modo ad manus eſſent codices meliores. Nam quos habemus *A. Schotti* & e Bibliotheca Bavara, eodem tempore, manu eadem, ex eodem codice χθὲς κ᾽ πρώην a recenti Graeculo transſcripti ſunt ſatis mendoſe, neque integre, ut ex jam editis ab *Urſino* conſtat qui cum his noſtris alicubi collati ſunt. His appendicum vice adjungerem excerpta e Chronicis Diodori (ἐκ τ̃ χρονικ̃ν Διοδόρ) Eclogas e libro 21. 22. 23. 24. 25. 26. Horum principium eſt πᾶσαι μὲν κακίαι φιλτίου ἐσι τοῖς νῦν ἔχουσι, μάλισα δ᾽ τιμ̃ πλεονεξίαι. αὐτὴ γὰρ διὰ τὴν ἐκ τ̃ συμφέροντ@ ἐλπίδα προκαλυμένη, πολλὴν προὶς ἀδικίαν μειζόνων κακ̃ν αἰτία γίνεται τοῖς αὐτοῖς, διὰ δ᾽ μεβόλις ἔσα τ̃ν ἀδικημάτων πολλὰς κ᾽ μεγάλας ἀπεργαζεία συμφορὰς, ἃ μόνον τοῖς ἰδιώταις, ἀλλὰ κ᾽ τοῖς μειζόσις τ̃ βασιλέων.

Nundinis proximis Homiliam in Judaeos miſi, plura Chryſoſtomi vix miſſurus, cum Nobilem Anglum *Henricum Savilium* omnia τ̃ Joannis χρυσορρήμον@ opera in certos tomos digeſta prelo adornet, e Variis Europae Bibliothecis ſuppetias magno aere quaeſiturus. Bene vale, Vir Ampliſſime. Non. Junii Anno Chriſti 1602. Aug. Vind.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CXII.

D. HOESCHELIUS

Josepho Scaligero.

Leidam.

MItto, heros Illustris, Procopii chartas, quotquot jam sunt editae, & secundae quidem Tetrados geminas, quum primae Tetradis chartas *Vulcanius* abs te jam accepit. Huic non unas misi litteras, quibus certior fieri volui, quid sperandum sit de ipsius interpretatione, cum jam pridem illam suscepit, neque vero prius poterit, quam integrius exemplar obtingeret, beneficio nostrae editionis, id eum munus praestiturum confidam, tua praesertim authoritate inductum, quae ut plurimum apud illum valet, ita ἐφοδιάκτιλω velim agere pergas, fructu cum Reip. literariae maximo. Eusebium tuum nondum vidimus, sed jam in portu esse intelleximus. ut primum reddetur, faciam ut scias; pro quo munere gratias ago & habeo quam maximas. Crabronum examina merito spernes, nec *Velsero* nostro probantur id genus scripta, quibus praeclare de literis meritorum famam laedi posse existimat quidem, sed apud cordatos frustra. Et omnino id genus hominum ἐνθεατείζει ἑαυτὸν καὶ ἀποδειγματίσει. Interea nostro nos officio fungimur. Bene vale, Vir Magne. salutem plurimam adscribo Cl. V. *B. Vulcanio*. Aug. Vin. VI. Idus Septembris 1606.

Procopii finita essent jam historica, nisi Photio prior locus datus fuisset. Dabimus ergo operam, ut accessione libri περὶ κτισμάτων redintegrati a *Casaubono* (sic enim literis ad nostrum Polytarchum promittit) & notis tam tuis, quam ejusdem *Casauboni* edatur splendidior. Ego nihil unquam scripsi in illum librum. Mi *Vulcani*, uno verbo monere nos potes, an Procopium vertere constitueris. Sin autem, nos curabimus vertendum, aut vertemus ipsi. Nolo enim homines falli secutos fidem nostram, quibus spem feci te hoc facturum.

Responsio est ad Epistol. *Scaligeri* CCCXCVI.

EPISTOLA CXIII.

GEVERHARDUS ELMENHORST

Josepho Scaligero Jul. Caes. Fil. S. D.

Leidam.

AD 3. Non. Nov. multo imbre Hamburgum veni. In Westphalia quae passus sum, haud facile effabor. Pestis ita in omnibus pagis & hospitiis grassabatur, ut sub nudo coelo pernoctandum esset. diverterunt semel (me quidem reclamante) ad quendam rusticum, ubi nihil propius fuit, quam ut perirem. Inhorrui enim tam periculoso frigore, ut jam pestem timerem. Ve-

rum Deus adfuit, qui me ſervavit; cui nunc gratiam habeo & aeternam. haec de itinere. Clariſſimo *Wowerio* adfui, & ea, quae mandaſti, curavi diligenter, qui omnia quoque quam citiſſime tranſmiſſurum, nobis pollicitus eſt. Deus bone. quam magnifice ſe gerit? holoſerico indutus eſt pallio, & quando in publicum prodit, undique a ſervulis ſtipatur. omnia tam ſplendida & magnifica, ut fatigeris admirando. Cenſorinum & Minutium nunquam edidit. Ex libro cognitionis veterum novi orbis, pagellas aliquot vidi, (proprium & unicum exemplar reliquerat apud nobilem *Welſerum*) ex quibus caetera quoque doctiſſima eſſe, conjecturam facio. Totum jam illum habet Tertullianus, quem ex cod. MS. Bibl. Vaticanae multis in locis faeliciter emendavit; omnia facturus publici juris, cum plus otii nactus erit. Haec apud te, Illuſtriſſime Scaliger, liberius ſum elocutus, quod ne fraudi mihi ſit. te etiam atque etiam oro. Vale, magne Scaliger, & Elmenhorſtium tuum amare perge. Hamb. prid. Id. Nov. An. CIↃ. IↃ. CII. Biblia Iſlandica hîc non reperiuntur, mei jam ante ſcribſerunt Kopenhagam, ut primum acceperimus faxo habebis.

Reſpondet ad haec *Scaliger*. Ep. CCLVI.

EPISTOLA CXIV.

GEVERHARDUS ELMENHORST

Joſepho Scaligero S. D.

Leidam.

VIr illuſtriſſime. Jam duos annos eſt, quod nullas abs te accepi, cum ego interea non intermiſerim ex omnibus locis litteras ad te ſcribere. Neſcio quo ſcelere me adverſum te impiavi, quem ita aperte is contemptum. Praeſentem te veneratus ſum, ut omnium hominum eruditiſſimum: abſentem tacitus colui, tanquam Jovem ſuum olim cultores coluere antiqui: facio idem adhuc, faciamque aetatem, licet tu parvi facis cultum meum & amorem. Quid enim ex alto iſto ſilentio aliud poſſum augurari, quam mei oblivionem & contemtum. Nam ſi amares, non taceres. amor eſt importunus, non ſinit tacere. Etſi tu quidem tot negotiis implicitus, ut omnibus reſcribendi vicem reddere non poſſis: Elmenhorſtio tamen redderes; qui te ita obſervat, & colit: & quem tu olim (ut vidi non obſcure ex ſermone & litteris ad me datis,) amaſti & habuiſti inter tuos, incertum an nunc habes: ut meus ergo te animus eſt certe debes. Eheu cum hoc recogito, ut cor dolet mihi. Nonnullos (qui mihi male volebant) ſubdole frigidam mihi apud te ſuffudiſſe ſcio: an tu faciles aureis ipſis praebueris; neſcio: ut homo es, non credo. Pluris certe te feci, & adhuc facio quam iſti omnes. Verum haec hactenus. Ante annum ex Marburgo ad te ſcripſi de Scholaſtico quodam *Daniele Angelocratore*, qui edidit *demonſtralem temporum deſcriptionem* (ut vocat ſuum librum quem *Mauritio* Landgravio inſcripſit.) Ille nebulo aperte in te bacchatur. an

eum

eum librum videris adhuc neſcio; ſi ejus copiam tibi fieri velis, mihi ſcribito. Legi nupere notas *Deſiderii Heraldi* ad Arnobium: & miratus ſum talem virum non doctiora protuliſſe. Euſebium tuum nondum vidimus. cur invides diutius tale bonum mortalibus? Multi ſunt, qui ſuſpirant eum & exſpectant. Have, vir Illuſtriſſime, & ſi reſcribere tanti putas, quibus tuas committas, ſerio jube ut recte curentur. Hamburgi. III. Id. Aug. CIↃ. IↃ. CV.

Reſpondet Scal. Epiſt. CCLXV.

EPISTOLA CXV.

THEOBALDUS MEUSCHIUS

Eccleſiae miniſter, quae eſt in Zultzbach.

Joſepho Scaligero.

Leidam.

SAlus ſit tibi per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, μεσίτην καὶ ἰκέτην, Magnificentiſſime Domine Schaliger. Ante biennium fere dedi ad Magnificentiam tuam literas de divino tuo χρονολογίας opere, & miſi brevem quandam ſummam harmoniae Evangelicae. Eae literae num Magnificentiae tuae a bibliopola veſtro redditae ſint, equidem ignoro. Famulus ſane ajebat eſſe traditas, ſed nihil reſponſi acceptum. Cum igitur hîc bonarum literarum ſtudioſus terras iſtas inviſere cogitaret, volui tibi iterum pro divino tuo opere gratias agere, & ſimul gratitudinis ergo offerre hunc peregrinae linguae ſane quam vetuſtum codicem, cui fortaſſe ſoli poteſt eſſe uſui. Non tamen dubito T. M. ejus argumenti, ſi quod forte dignum ſcitu habeat, me quoque facturum eſſe participem. De harmonia mea judicium tuum ſummo deſiderio expecto, praeſertim de Sabbatho διυπροπεσόντα. Si non placet ſecundum a primo, intelligam a ſecunda paſchatis primum, ſc: feſtum ſolemne magnum. Nam & feſta Sabbatha magna vocabantur, ut ſenſus ſit: in pentecoſte. Omnino enim puto ibi pentecoſten notari, non paſcha. Nam ſane paſchatis tempore non licuit ariſtas manibus terere, quod fecerunt hîc diſcipuli, ſed pentecoſtes. Cuperem etiam ſcire rationes. M. T. quibus capita Matthaei a 4. uſque ad 14. non ad ſecundum, ſed ad alium annum miniſterii Chriſti referat. Certe ut ſcribit, M. T. in opere ſuo fol. 520. ea quae ante 14. Matthaei, 6. Marci, & 9. Lucae narrantur, eorum, inquam, melior pars inter 5. & 6. Johannis interjicienda ſunt: ſed Johannis 6. notari tertium, non quartum paſcha: Tertium autem notari Joh. 4. vs. 45. & ibidem tertiae, non ſecundae illius praecedentis ἀποδημίας εἰς Γαλιλαίαν fieri mentionem exiſtimo. ſi M. T. me in his erudire dignabitur, gratias agam immortales: ſi quoque hunc ſtudioſum juvabit, mercedem a Deo accipiet. Quin & mihi filius eſt a Deo datus, qui ad ſtudia natus videtur: ſi famulitio vel alio tuo auxilio dignus haberetur, paratus eſſem vobis illum mittere. Sed interim expecto veſtras literas, Va-

le, Magnificentiſſime Domine Schaliger, & me admiratorem tui complectere, quem ego contra *Bruchtonium* quendam Anglum, & *Chriſtmannum* Heidelbergenſem pro viribus defendam. Iterum valeat Magnificentia tua, & garrulitati meae ignoſcat. poſtridie Calend. Ap. feria. 6. ad Vulgari 1602.

EPISTOLA CXVI.

THEOBALDUS MEUSCHIUS

Joſepho Scaligero.

Leidam.

SAlus & pax ſit vobis a Deo unico fonte pacis & Salutis per D. noſtrum Jeſum Chriſtum, Magnificentiſſime Domine Scaliger. Qui ſemel verecundiae fines tranſierit, eum oportet gnaviter eſſe impudentem. Id in me ipſo verum eſſe experior. Cur enim ego miſer homuncio, qui bonas literas vix primis labiis attigi auſus ſum Joſephum Scaligerum, C. Julii Caeſaris filium meis interpellare ineptiis? Sed admirabile ingenium, quod in ſcriptis veſtris elucet, me quaſi ſtupidum reddidit & inſenſatum, ut inſtar infrenis equi ad Magnificentiam Veſtram accurram. Tum & incredibilis humanitas, quae me in literis ſuis ſanctiſſimi amici nomine dignata eſt, facit me audentiorem. Mitto igitur non ſolum literas, ſed filium quoque unice dilectum, *Ulricum Meuſchium*, quem Deo vovi & ſacro miniſterio: qui eſt ingenio ſatis felici, ſed timidiore. Si igitur M. V. ipſum in ſtudiis ſuis juverit, non ſolum illum ac me patrem ſibi penitus obſtrinxerit, ſed Deo etiam rem non ingratam fecerit. Sumus autem tenui fortuna, ita ut neceſſe habeat famulitium aliquod obire; vel menſae inſervire, vel liberos informare, vel denique amanuenſem praeſtare. Sin minus, non abhorreo eum ordinum Hollandiae ſtipendiarium fieri. Cur apud nos nolim, ex ipſo intelligetur, quod pennae tradere non eſt tutum. Confido igitur ipſi a Deo & Magnificentia Veſtra alicubi proſpectum iri apud vos, ſi forte infimum gradum doctrinae Scaligerianae attingere poſſit. Porro, Magnifice Domine Scaliger, quae περὶ τῦ σαββάτυ δευτεροπρώτυ, non ſolum in Emendatione temporum pulcerrime oſtenduntur, verum etiam ad me perſcripta ſunt, ea ſunt talia, ut a me refutari non poſſint: Attamen liceat mihi oro, conjecturam de his aliam (ſi conjectura, & non potius demonſtratio appellanda eſt) ex veſtro penu promere. libro 2. cap. de Periodo Judaeorum Alexandrea ex Iad Moiſis Maimonis allegatur: Morem fuiſſe arboribus in Palaeſtina tempore Paſchali florere. Hinc colligo tum fruges uſquequaque maturas non fuiſſe, quoniam videmus arbores ante frugum maturitatem florere. Quod igitur de oblatione manipuli in 16. Niſan praecipitur, intelligi poteſt de ea maturitate, qua culmus ad juſtam magnitudinem excrevit, non tamen ita maturuit, ut demtii poſſit aut debeat. Unde toſti offerebantur manipuli ἐν τῇ δευτέρᾳ τῦ πάσχα, ad ſpem frugum matureſcentium alendam & fovendam. Diſcipuli autem ἐν σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ vellicant ſpicas, ac manibus tri-

tritas comedunt: quod ſane 16. Niſan fieri haud potuit. Praeterea eodem lib. de periodo Judaeorum Alexandrea magnificentia veſtra ingenioſiſſime diſſerens, poſt allegatum Joſephum ſcribit: Duo igitur feſtivi dies, Sabbathum & Paſcha &c. Quid ſi igitur feſtum pentecoſtes anno in feriam primam incidens, & Sabbathum immediate ſequens, appelletur a Luca Sabbathum δευτερόπρωτον? Ac ſane illo anno, qui fuit aetatis Chriſti 32. incidit pentecoſte in feriam primam. Nam & Paſcha praecedens inciderat in Sabbathum. Accedit quod meſſis triticea adſcribitur pentecoſte a Moſe Exodi cap. 34. Sed ſatis mearum ineptiarum, Domine Magnificentiſſime. Deus Opt. Max. Magnificentiam veſtram, mihi meoque filio atque toti rei literariae diu, ſervet incolumem. Amen. Zultzbach prope Francofurtum 23. April. 1603.

EPISTOLA CXVII.

GEORGIUS MICHAEL LINGELSHEMIUS

Joſepho Scaligero.

Leidam.

ILluſtriſſime Domine. Jacebam in morbo, cum litteras tuas reddidit mihi *Gruterus* noſter, quae me ita replerunt gaudio, ut malum abiret. Quid dicam, ad tantam tuam in me benevolentiam, quam me indignum, quem ſol adſpiciat, niſi te ſupra mortales omnes colam ac venerer? Ac quamvis laudes abs te mihi tributas, minime agnoſcam, ac ſciam quam longe adhuc abſim, tamen gratum & optabile, quod tam praeclaram de me opinionem concepiſti, quam tantum abeſt, ut eximere coner, ut potius tibi perſuaſum eſſe cupiam, ſerio me jam dudum eo tendere, quo tua benignitas me perveniſſe tam amice innuit. Sed de libello illo Anthallenſi, me beas judicio illo tuo tam praeclaro; certe auctor, quod probe ſcio, hunc unicum ſibi ſcopum propoſitum habuit, oſtendere, in religionis re, ſummi illius viri auctoritatem valere non debere, quod quia tuo judicio adſecutus, merito ille triumphat. Idem tecum judicant lumina illa Galliae *Thuanus*, *Pleſſaeus*, *Caſaubonus*, quorum elogia itidem habeo. Verum non ſatis notus tibi ego, ſi me talem foetum edere poſſe putaſti, ac quamvis auctoris maxime interſit, nomen ſuum caelari, cum vivendum ipſi ſit inter Jeſuitas, & homines a vera fide alieniſſimos, tamen apud te diſſimulandum non putavi, auctorem ſcripti eſſe *Petrum Denaiſium*, Argentorati, quae & mihi patria, honeſtis parentibus & ampla in re natum. Is ab ineunte aetate mecum in bonarum artium diſciplina conjunctiſſime vixit, noſque ambo, uno fere tempore, ab Illuſtriſſimo Duce *Joanne Caſimiro*, laudatiſſimae memoriae, in Conſiliarios Electorios adſciti, ſed ipſi deinde quietior

1 Reſponſio ad *Scaligeri* Epiſt. cccxv. in qua *Scaliger* ſuſpicatus erat, *Lingelsheimium* fuiſſe auctorem diſſertationis contra *Lipſium* de Idolo Hallenſi: ſed *Lingelsheimius* hic aperte auctorem indicat, vide & ejus epiſtolas ad *Bongarſium* LV. LVI. & ſeqq. nam & *Bongarſius* credebatur auctor. vide Epiſtolas Gallicas ad *Scalig.* II. 14. & *Placci* Theatr. Anonym. n. 760. *Declarium* Jeſuitam, qui & *Scaligero* adſcribebat, laudantem hanc diſſertationem videre licet in Epiſtola ad *Lipſium* DCCCXII. *Goldaſtum* vero editionem curaſſe ejus libelli ex iiſdem epiſtolis *Lingelsh.mii* apparet pag. 196.

Digitized by Google

tior vitâ obtigit, factus enim assessor in supremo Imperii Tribunali, quod Cameram Spirensem vocant, & litteris & sibi vivere jam per XIV. annos potuit, ego fluctibus aulicis immersus perpetuo curis publicis agitor. Habes virum, qui pietatem, virtutem & litteras unice colit, atque is jam dudum in tui admiratoribus, ut qui ex aeternis ingenii tui monumentis uberes fructus se percepisse fatetur, quique modestissimus cum sit, tamen erigitur, & operae pretium se fecisse existimat, cum tibi probari tam exilem libellum videt. *Lipsii* Sichemensem nondum vidimus, sed negotium datum huc adferendi. Mirum sane tantum virum existimationi suae tam parum consulere. Legi cum maxima voluptate Elenchum tuum in *Serarium*, impudentissimum monachum; bono reip. Christianae factum, quod veteratores illos dignis modis accipis, ac pestes illas generis humani detegis. Posteritas in tuis summis laudibus etiam hunc animum tuum vere magnum admirabitur & probabit, quod sceleratae factioni, quae exitium pietati & bonis artibus molitur, tam cordate bellum quodammodo indixeris. Audio impudentes monachos istos, magnum librum, id est, magnum malum effudisse [2] *Amphitheatrum honoris*, in quo boni omnes pro Calvinistis traducuntur, & impudentia etiam tuum nomen allatrare ausa. sed quid mirum, si improbissimi mortalium, bonis infesti? accipientur dignis modis, ac sentient summae ipsorum impudentiae & improbitati opponi exactam doctrinam & pietatem. Grave mihi remoras injici utilissimo operi tuo Eusebiano, & confido te expugnaturum moratores istos, ac gloria merita etiam superstitem fruiturum. Sed nimis patientia tua abutor, ignosce quaeso loquacitati, & me inter clientes nominis tui studiosissimos habe, ac vale, Illustrissime Domine. Heidelberga. IV. Kal. Jul. MDCV.

2 De eo saepe occasio fuit agendi in Epistolis *Lipsianis* vid. ad CCXLVIII. CCCLXV. & CCCXXIX. & alibi.

EPISTOLA CXVIII.

GEORGIUS MICHAEL LINGELSHEMIUS

[1] *Josepho Scaligero.*

Leidam.

ILlustrissime Domine. Ablegatur ad Ordines generales ab Illustrissimo Principe Electore Palatino, *Hippolytus a Collibus*, Praeses Curiae, ut adsit consultationi de Pace. Is eo libentius munus hoc sibi delatum suscepit, quod tui compellandi, ipsi futura est occasio. Quum enim te ob immortalitate digna scripta tua coluerit & suspexerit semper: tum etiam de incredibili tua humanitate & comitate praedicantem saepenumero me audivit, ideoque litteras etiam a me flagitavit, quibus accessio ad te fieret. De eo aliud non dicam, quam quod sit mecum alter idem. Reperies autem ipsum dignum favore tuo, & gratias forte habebis quoque, quod conciliatorem hîc egerim. Summa cum ani-

1 Respondet Scalig. Epist. 316.

animi voluptate vidimus magni illius [1] *Casauboni* ad te epistolam Florilegio tuo praefixam. Abunde satisfactum dignitati tuae adversus Sycophantam illum, a Romanis purpuratis ad maledicendum conductum, judicamus. Tu vero precibus illius tanti viri locum da, & qui amicis nihil negare didiceris, persuadere tibi patere, & nos tui nominis cultores bea scriptionibus illis, quas publicari abs te bono publico tam vehementer expetit. Nobis bona spes est, quod tibi dictum sit, obtinendi viri illius, & huc pertrahendi, quo integra libertate frui possit, & ea in re laboro ego pro virili. Vidimus & [3] Carmelitanum pecus in auctorem Idoli Hallensis incurrens, suspicatur monstrum illud, *Bongarsium*, nostrum summum, auctorem ejus scripti, in quo ille se magno honore mactatum judicat. Sed risi ego, quum *Lipsium*, politissimum scriptorem, nactum vidi vindicem, omnis mundiciae expertem, & nil nisi stabulum monachale olentem. Sed longior sum. tu *Hippolyto* nostro fruere, ex quo de omnibus rebus nostris quae voles cognosces. Vale, columen litterarum. Heidelberga. Kal. Nov. MDCVII.

1 Legitur illa etiam inter Epistolas *Casauboni* DLX.

3 Intelligit *Anastasii Cechelis* Carmelitae Palaestritam Honoris D. Hallensis pro *Justo Lipsio* Anno 1707. editum, de quo & vide *Lingelsheimii* Epistolam ad Bongars. LXXVI. pag. 227. Scriptum vero ineptissimum esse cuivis inspicienti statim patebit.

EPISTOLA CXIX.

GEORGIUS MICHAEL LINGELSHEMIUS

[1] *Josepho Scaligero.*

Leidam.

ILlustrissime Domine. Longe gratissimae mihi fuerunt litterae tuae, quod non tantum molestas tibi meas minime fuisse intelligerem, sed & Praesidem nostrum *Hippolytum*, quo mihi conjunctior non est alter, tibi probari. Votis certe saepe vobiscum sum, & tam diuturnam carissimi capitis absentiam aequo non amplius fero animo; praesertim quum & tuum accedat prudentissimum judicium, vel inanem fore hanc omnem actionem; vel damno reip. cessuram. nam nemo nostrum judicare potest, Hispanum eo angustiae redactum, ut tam infames condiciones pacis inire cogatur, sed potius persuasum habemus, constituisse ipsum semel fallere hac specie, itaque nihil non tandem permittere, dum scopum ipse suum adsequi possit: sed futura θεῶ ἐπιτρέπω. Tot hostes ingruere in literas & literatos tecum indignissime fero; tantoque magis afficior, quod etiam nos monstra fovemus, & toleramus eos, qui gloriam ex infectatione bonorum affectant apud imperitos, sed illos, quia acccepti pro meritis, plorare sinamus, & suum sibi cor edere. Satiram [2] Menippeam beneficio *Hippolyti* nostri nactus sum, & maxima cum voluptate legi; periit scelus istud hominum, & exitio literarum natum, sed nimis a bona

1 Responsio ad *Scal.* 316.

2 *Danielis Heinsii* contra Scioppium.

Digitized by Google

manu. Magni feci ſemper auctorem feſtiviſſimi, & multo ſale conſperſi ſcripti, & coram cum ipſo arctiſſimam inii familiaritatem, quum ornamentis ſaeculi in veſtra Batavia frui datum. Nebulo ille ad extremam lineam impudentiae perveniſſe videtur, adeo ut ex ipſa infamiae magnitudine gaudium capiat, nam in iſta luce comitiorum Imperii Ratisbonae, publicavit praeconium indulgentiarum ab Antichriſto ſibi pro meritis eximiis conceſſarum, & typis adeo vulgavit, cujus ſpecimen Praeſidi noſtro antea miſi, apud quem videre licebit, ſycophantam iſtum Deo & hominibus illudere, & pudorem omnem exuiſſe. verum deteſtabilem illum in maximam malam crucem mittamus. Publica laborant, & jam diſſoluta Comitia Imperii, nulla re geſta, tantum public innotuit, quanta in Imperio diſtractio ſit animorum; gratia tamen Deo, quod major quam umquam conſenſus fuerit eorum, qui Babylone exceſſerunt. Conſtanter nunciatur, *Matthias* Archidux exercitum xx. millium in fratrem Caeſarem ducere, & Moraviam petere. Mihi merae hîc tenebrae: ſit Caeſar ineptus ad gubernationem, ſicut Archiduces inter ſe ante annos paucos ſtatuerunt; & Aulici conſiliarii digni ſint caſtigatione: num propterea fratrem decet, qui & ſubditus & adminiſter, ut is hero & fratri ſuo vim faciat? non adſequor, quidquid id eſt, & ſcio Archiduces omnes Romanae Beſtiae addictiſſimos, & Hiſpanorum conſiliis, addo & Loiolitarum duci: & conſtat nobis, quum *Matthias* Hungaris libertatem religionis conceſſit, ſimul Eccleſiaſticis pollicitum ſcripto, ſe in omnes occaſiones intentum futurum, ut una Catholica religio ſtabiliatur. Dies docebit, & imminere videtur, ut tu ſapienter proſpicis, inſignis in Europa mutatio. *Jungermanni*, domeſtici olim mei, mihique cariſſimi, literas mitto, & nihil tam in votis habeo, quam inſigni aliquo officio, quanti benevolentiam tuam aeſtimem, demonſtrare. Servet te Dominus incolumem bono reip. & literarum. Vale, Illuſtriſſime Domine. Salutem audebone adſcribere *Heinſio* Vindici? o virum! Heidelberga 22. April. 1608.

EPISTOLA CXX.

JOHANNES BUXTORFIUS

Joſepho Scaligero S. P. D.

Lutetiam.

REdditum eſt mihi menſe Martio D. *Jacobi ad Portum* Bernatis, amici mei Epiſtolium, מתם חכמות ורב האיכות. Inter alia ſcribit, T. M. perhonorifice de me in privato colloquio locutum eſſe, ac laudabiles in lingua Hebraea profectus mihi aſcripſiſſe. Quid? an etiam cum acutiſſimo *Druſio*, aliiſque incomparabilibus in lingua Hebraea artificibus ego comparandus? tacitus ſubriſi, cogitans mecum חברותא כלפי שכיא כי אוכא. Anſer inter olores obſtrepens, ac omnino כרוחא חלבנא בחדי בוסתן ego apud tales. Novi quam mihi curta ſit domi ſuppellex. Ingenita mihi a natura verecundia non concedit mihi in magnis ambulare,

לעולם

dictum eſt R. Eliezaris in Sanhedrin cap. 11. pag. 92. Inter Judaeos Cracoviae, Pragae & per Germaniam paſſim aliqua mei notitia ex literis Hebraeis, quas ſaepiuſcule ad illos tranſmitto. Studio ſemper habui viros doctos in lingua Hebraea amice venerari, ut per quaeſtiones aliquid ab eis diſcerem. Nunquam enim tales mihi praeceptores praeſentes unquam contigerunt, ſed quantuloſcunque profectus habeo, privato labore & Dei benedictione acquiſivi. Inde *Druſium* amare & admirari coepi, ac praeter ipſum unum & alterum in Germania, cum quibus frequenter per literas colloqui ſoleo. Plerique, ut notum, ſunt ſuperficiarii, qui fundum plumae inſtar non petunt. Maximopere optandum, ut ſtudium Hebraeum ardentius in ſcholis Theologicis Germaniae excoleretur. Cum frigent docentes, quomodo inflammabunt diſcentes? Introductionem in verſionem Rabbinorum egone daturus eſſem? ut amicus ſcribit. Fecit id jam ante *Genebrardus* Pariſienſis profeſſor, qui tamen obſervationibus & notis opus haberet. Magnum id prae meis viribus opus eſſet, niſi forte aperire velim, qua ratione ego ingreſſum in illorum ſcripta invenerim, qui nullum ad hoc iter vivum ducem unquam habui. Mihi certe non admodum infeliciter ea via ſucceſſit, quam etiam poſtea privatis quibuſdam diſcipulis monſtrare conatus ſum. Scribit praeterea amicus *Ad Portum* M. Tuam petere a me Itinerarium R. Benjamin, & Lexicon Rabbinicum *Davidis de Pomis*, Judaei Itali. Itinerarium dono mitto, quod a Judaeo quodam ſatis aegre impetravi. Lexicon non niſi ſumma incommoditate miſſurus eſſem, cum tantum unicum exemplar habeam, cujus marginem novis vocabulis quotidie compleo, quae aliquando in ordinem redigam, & in juſtum Lexicon, mole contractius, ſed numero vocum auctius quam vulgo ſunt, congeram, ſi Deus vitam & vires ingenii conceſſerit, Sed & hîc mihi in mentem venit, quod legitur in Sanhedrin cap. 11. pag. 103. באתרא חברי ניתא חלא זיניה קולאי ריעא קולתיה תלא. Magnorum hoc artificum eſt, non miſellorum profeſſorculorum. Interea etiam in mentem venit illud Eliphaſi Themanitis ad Jobum אדם לעמל יולד, ubi pulchre Kabalici לעמל explicant עַל מָנַת לְלַמֵּד. Labore Deus mortalibus omnia vendidit, absque labore nemo quid conſequitur, juxta illud אי לאו דלינא חספא לא משכחת מרגניתא תוריה. Miſit ad me D. *Druſius* praeteritis nundinis, an ante annum? reſponſum M. T. ad Jeſuitam *Serarium*, quod magna cum oblectatione legi. Promiſit & *Druſius* ſuum reſponſum, ſed id nondum vidi. Digne *Serario* iſti larva detracta eſt. Incidi his diebus in librum *Eliae Levitae*, cui nomen Maſoreth Hammaſoreth, (quem ante annos decem privati exercitii cauſa Latinum feci) ac diſceptationem de origine & autoribus punctorum & accentuum Hebraicorum perlegi. *Elias* per מחקני תגקוד primos autores, ut puto, intelligit, ac ſi in monte Sinai data eſſent, ſcribit, futurum fuiſſe, ut id in priſcorum ſcriptis alicubi reperiretur annotatum. At in priſcorum libris nullam punctorum mentionem reperiri ait. Huic Sententiae adverſantur, qui ex libro Zohar, (quo vix alius antiquior) haec citant, quae in Cantico Canticorum leguntur: לית לכל אתון רשו לגמלא להאי סטרא ולהאי כסרא:

צר בנקרי אחון פלחו כנוסא בלא נפשא כר אתן נקרי הא גופא אתקים בקיומיה רמין נקודתא רמשת כנשמתא רחי ב Et in libro יצירה, qui itidem ſatis antiquus: בגופא ראנש. Sed de hac materia alias amplius mihi cogitandum. Monuit me *Druſius* de integro libello Epiſtolarum Hebraicarum familiarium edendo. Forte in Belgio eſſent, quibus hic liber placeret aut uſui eſſet. In noſtris Academiis pauciſſimi ſunt, qui couſque in ſtudio Hebraeo progrediuntur, ut vel ſcriptitare vel balbutire aliquid Hebraeum audeant, unde non magnopere mihi iſte labor cordi fuit. Si tamen hoc qualicunque labore induſtria Studioſorum incitari & promoveri poſſet, libenter hoc praeſtarem. Poſſem adjicere alium libellum, in quo totus ſtylus fere biblicus eſt: poſſem etiam adjicere varias formulas exordiendi, concludendi, gratias agendi, ſalutandi, inſcriptionum & ſimilium rerum, quas ex manuſcriptis Judaeorum Epiſtolis mihi aliquando collegi ad meos privatos uſus. Sed Deus conſilium & vires dabit. Temerarius non immerito M. T. videor, qui imperito & prolixo ſermone eam delineam. Hoc quidquid peccati eſt, amico aſcribendum, qui ad ſcribendas haſce acriter me inſtigavit, ותתה אחה אחוני תסמוך עלי חוט של חסד ותבטח עלבל פשע אחבה. Vale, Vir illuſtris & magnifice, ac has meas literas aequi boni conſule. Scripſi Baſileae 3. Aprilis Anno 1606.

Reſpondet Scal. Epiſt. CCXLIII.

EPISTOLA CXXI.

JOHANNES BUXTORFIUS

Joſepho Scaligero S. P.

Leidam.

UT homines tempore multiplicati frumenti ac abundantis muſti, aut cum partiuntur ſpolia, exſultant; ita ego, Vir Illuſtriſſime, acceptis tuis literis laetitia affectus ſum. כי כי אנכי אחוני המרחם והנעלה ומי ביתי כי הביאחני עד הלוחם והקדני נבקרים / חלוא אחה אחוני אביר הרועים מובן החשנות מעמר החבונות מפיש החכמים עמור רבינת ונגוכי חולעת ולא איש / בער ולא ארע / נלינ לשון ולא בינת אדם לי. וחקמן עוד זאת בעיני רוממוחך ותצאת גם את עבין ערך בברית האהבה. אשריני וטוב לי כי בהמה שמן חלקי וכסי רויה. Satis magnum gaudii argumentum mihi fuiſſet, vel verbulo favorem aut animum benevolum indicaſſe: at non tantum hoc Epiſtola humanitate pleniſſima teſtatum reddere, ſed & in amicitiae foedus cooptare, beneficium eſt, quo nullum majus mihi accidere potuit. Eſt itaque quod de ſummo hoc bono mihi gratuler, imo in Deo gaudeam, qui me plane inſcio, contra omnem ſpem, tuum animum mihi conciliavit. Pium gaudium eſt, laudatis placere viris. Pii vero etiam animi eſt, non in hoc tantum acquieſcere, ſed ulterius vehi, ac diſpicere, quorſum Deus ignotos animos inter ſe conciliet ac devinciat. Quod dum cogito, fateor me accendi ad ea, ad quae antea frigebam. Commoverat jam antea nonnihil animum meum *Druſius*, ad pertexendas Epiſtolas Hebraicas, ſed nondum plane permoverat. Nunc cum tuum, Vir illuſtriſſime, judicium accedat, nihil eſt quod negotium hoc amplius ſubterfugiam aut dif-

Digitized by Google

differendum cenſeam, niſi in Deum ipſum aut vocationem meam peccare velim. Si vos, viri vere magni, ſtudia haecce mea approbaveritis, non eſt quod innata verecundia me abſterreat. Annitar itaque, ne mea opera amplius deſideretur. Ante aliquot jam annos converteram in linguam latinam librum *Eliae Levitae* de Accentibus Hebraicis, cui מה משא nomen, & librum Maſoreth Hammaſoreth, in quo multa praeclara ad rem Grammaticam pertinentia, tum etiam Maſorethicarum notarum ratio traditur: hos cum quibuſdam explicationum notis edere an conſultum, aut etiam e re Scholae Hebraicae? Multo tutius aguntur, quae virorum prudentium applauſu fiunt: ideoque & de hiſce libris judicium tuum audire deſidero. Sed jam de quaeſtione quadam agam, quam mihi propoſuit vir in Hebraicis & Matheſi bene eruditus, nunc in Academia Marpurgenſi Profeſſor: Nempe conſtat primum anni menſem lunarem eſſe Niſan, in quo Deus voluit Paſcha Judaeos ordinarie celebrare. Jam quaeritur, quiſnam inter 12. vel 13. menſes anni lunaris ſit pro Niſan habendus? Judaei uno ore reſpondent, eum eſſe primum anni menſem, quem cyclus eorum parvus מחזור קטן demonſtrat. Chriſtiani doctores veteres & recentiores aliter reſpondent, nimirum eum eſſe primum menſem anni lunaris videlicet ניסן, cujus plenilunium quam proxime ſubſequitur aequinoctium vernum, quod omnes in primo arietis gradu conſtituunt. Hanc eſſe cauſam & ſententiam Doctorum Chriſtianorum, puto manifeſtum eſſe: de ea multi dubitant, cum nullo e ſacris ſcripturis teſtimonio probari poſſit. Neque etiam ex Thalmud patet, quod Tekuphae olim, ad indagandum primum menſem anni Eccleſiaſtici Niſan, adhibitae fuerint. In hujus quaeſtionis explicatione vir ille ſic ſtatuit: Quemadmodum (ſcribit) Eccleſia a Judaeis accepit ordinem dierum hebdomadae, ſic ab iiſdem quoque ordinem menſium anni accipiendum fuiſſe: Et ſicuti Eccleſia habuit eundem cum Judaeis cyclum lunarem, ſic quoque eandem cum Judaeis illius cycli applicationem ſequi hactenus debuiſſe, atque in poſterum etiam debere. Hoc enim ſi fieret, nunquam Chriſtiani ſuum Paſcha aliter quam juxta decretum Nicaenum celebrarent. Tu, vir Illuſtr. limatiſſimo tuo judicio de hac cauſa controverſa facile judicabis. Praeteritis nundinis alius Hebraeae linguae Profeſſor petiit a me, per quae media ac ſubſidia, linguae Arabica, Aethiopica, Americana addiſci poſſint. Reſpondi me ad linguas orientales diſcendas nulla alia vidiſſe praecepta, quam *Poſtelli* librum de 12. linguis. Scribit etiam in libris *Scaligeri* fieri mentionem Gloſſarum Latino Arabicarum, ſed ubi iſta reperiantur aut extent, ſe neſcire. De his etiam mihi nihil conſtat. Tu ſi hîc aliquid in medium conſulueris, facies viro eruditiſſimo, & variis linguis addiſcendis addicto, rem ſumme gratam. Sed Epiſtolae modum jam exceſſi: ideoque telam praecidam. האורגת מכריזה הכף ומקלקלת חשורת; ideoque longior, quam fas erat, fui. Vale itaque, Vir Illuſtriſſime, & quem ſemel amare coepiſti, amoris tui aura fovere pergito. Scripſi Baſileae 4. Septemb. An. 1606.

Reſponſio ad *Scaligeri* 243. & *Scaliger* reſpondet ſequenti.

EPISTOLA CXXII.

JOHANNES BUXTORFIUS

Josepho Scaligero.

Leidam.

SUmma tua, vir Illustrissime, est humanitas, qua me secundo compellare dignatus es. Singulari Dei gratia fieri judico, quod Tua maxime & aliorum clarissimorum virorum benevolentia mihi conciliatur. Ea sentio me ex verecundiae somno excitari, & haud parum confirmari. De Lexico *Davidis de Pomis* tuum cognovi judicium. Certe neque meum aliud est. In Rabbinicis & Chaldaicis ordinem habet, qualis est inter crispos pilos. Multa, plurima, infinita desiderantur; probe novi. Testatur id meum exemplar, in quo omnes margines aliis vocibus complevi. Commendaveram autem illud studiosis, eo nomine maxime, quod putarem extare & haberi posse. Ecquae enim hic subsidia? *Munsteri* Lexicon venale esse desiit. *Aruch R. Nathan*, quis studiosorum intelligit? Id quod operi Hispanico adjectum, quotusquisque habet aut habere potest? Et quid praeterea hîc subsidii? Quis hanc penuriam supplebit, defectum resarciet? Rogandus Deus, ut aliquem excitet, qui hîc studiosis subsidium ferat, laborem suscipiat ac superet. Si mihi ut animus, ita otium esset, cogitarem de hoc opere. Temporis multum, dicam plus, in aliena quam propria professionis meae studia impendere cogor. Hac hyeme *Sebastiani Serlii* Libros v. de Architectura ex Belgico idiomate in linguam Germanicam converti. Quorsum id? scilicet ut pascuum habeant irriguum שחילי זירז סביב לשלחני. Hae plantulae, quae Dei benedictione quinque sunt, ac sexta cum bono Deo hoc vere orietur, ex mea professione nullum succum habere possunt. Nosti, אין קמח אין תורה. At כתר יתח יראה. Et אשרו יעשיר השמח בחלקו Et כבא ב עתא מנולגלתא משיתא קיימי כולתא, ut est in Berachoth pag. 44. b. De Pomariae familiae origine a te didici, ac verisimile id judico, quanquam ad haec antiqua perquirenda mihi nulla sit commoditas. Neque intelligo, quomodo Proseuchae nomen arguat eum, quem inscriptio ista Romana notat, Judaeum fuisse. [1] De responso tuo ad quaestionem de Nisan Hebraeorum maximas ago gratias. Multum eo hilarabo illum, qui de ea primo mecum contulit. Caeterum succurrit nunc, quod videbam in praecedentibus meis literis notare. Produxeram in prima mea Epistola locum ex כפר הכתר de Punctis vocalibus. Autor istius libri vixit Jonathanis filii Uzielis tempore, & Hillelis ac Schammai, vel saltem in illorum vestigiis. Author Chronici Hebraei, cui Tzemach David nomen, ponit eum circa annos triginta ante Christum. Hoc Chronicon prodiit Pragae Anno ת"ץ id est 92. superioris seculi, ac ab initio mundi ad istum usque annum historiam Judaicam complectitur, continua annorum distinctione. In libro Jochasim de autore libri Bahir est

1 Responsio ad *Scaligeri* 244.
2 Hoc in Epistola *Scaligeri* non legitur.

eſt pag. 20. ſub titulo נחמיא. Videtur ergo inde probari, non adeo recens punctorum eſſe inventum. Librum Zohar ſcribis eſſe recentiorem, quam Thalmud. Ejus author ſtatuitur R. Schimeon Ben Tochai. Hic vixit paulo ante R. Jehudam Hannaſi, vulgo Rabbenu Hakkadeſch dictum, circa annum Chriſti 120 aut 130. Sed R. Schimeon numeratur ברור עלית מתנאים, R. Jehuda בתור תניא, circa annum Chriſti 150. De hoc Schimeone & ejus filio refertur hiſtoria fabulosa in Schabbath pag. 33. b. In Jochaſin pag. 42. notatur ab hoc Schimeone Zohar non eſſe abſolutum, ſed a diſcipulis ejus, neque evulgatum niſi poſt tempora רסבן, imo ipſum ר"אש ne vidiſſe quidem. An tam longo tempore liber iſte delituerit, neſcio. Ut ut a diſcipulis R. Schimeonis fuerit abſolutus, fuit tamen ante Thalmud ſcriptus. Nam ducentis & 20. aut circiter annis poſt Chriſtum fuerunt Miſchnajos abſolutae; Anno 230. aut circiter R. Jochanan compoſuit Thalmud Hieroſol. Circa annum millenarii quinti ר"ם, nempe 500. poſt Chriſtum obſignatum Thalmud Babylonicum, Non dubito itaque, quin ante haec tempora liber iſte conſcriptus ſit, etſi diu delituerit. Sed dum haec in Cronico Tzemach David diſquiro, incido in Hillel Hannaſi, nepotem ex filio R. Jehuda Hakkadoſch dictum, qui notatur ad annum Chriſti 340. ibi notatur iſtum Hillel Hannaſi compoſuiſſe סדר העבר על דרך הקופת רב אדא מפני שעה ומו הי מקדמין ע"ם הראוי ועבדו השנים כמי שמנן וצופן sicut ſcribit Rambani cap. 5. in Hilchors ק"ה id eſt, קירוש החדש. nempe in Tractatu ומנים. Vidi illic omnia tractari, quae ad lunae cognitionem neceſſaria ſunt. Sed quâ cauſa Judaei numerant a condito mundo 5367, nos quos & quot? Ego, ut numeri minores ſibi reſpondeant, & cum annis Chriſti conferre poſſim, ſoleo addere annos 40, ut ק"ש ut nunc numerant, additis 40, venit ultimus unus 70. Sed quo labor? cognovi te delectari Itinerario R. Benjamin: nunc tibi dono mitto aliud a R. Petachja notatum. Id ſi placet, gaudeo: ſin minus, oblecta te in Medraſch in Jonam. Hilarabunt te fabulae. Praeter has nolo te a rebus ſeriis avocare. Vale itaque, & optime vale per Servatorem Chriſtum; ſcripſi Baſ. 17. Martii. 1607.

EPISTOLA CXXIII.

PAULUS DUMAY

D. *Joſepho Scaligero.*

Leidam.

NEſcio, Clariſſime Vir, & adhuc dubius ſum, an dextro alite epiſtolium noſtrum ad te pervenerit; licet enim praepoſteri pudoris & ignaviae a te jure optimo argui poſſim; diſcendi tamen deſiderium judicii cujuslibet aſperitatem nimiam emolliet, tuique nominis ubique terrarum diffuſa nobilitas, aviti privatique honoris laudabili ambitu juvenis audacia licet conamina ſuſcipere non dedignabitur. Emendabam nuperrime Ulpiani J. C. verba ad l. 49. *item legato* de leg. 3. *Item mancipia alia, puellas, forte aeno gravis comatas mulie-*

res

res exornant: evulgati Codices ſuggerunt, *puellae fortaſſis, quas ſibi comatas mulieres exornant*, quae verba hoc modo reſtituit *Jacobus Cujacius*, x. Obſ. c. 16. *queis ſibi comas mulieres exornant*: Caſtigatio noſtra, ut vides, verba legis veterii antiqua ſerie contexta non immutat; ornatricibuſque (quae ibidem *puellae* vocantur) acus ſubnectit, quemadmodum ſuperiori parte dictae legis, *lecticariis ſellam & burdones* J. C addidit: nec mirum quod acus, ſive ut eſt in V. Gl. Iſidori, calamiſtratorium inter mancipia connumerentur, prius enim lecticariis lectica & ſella conjungitur; Eaſdem rationes tibi deducebamus 9. Kal. Septemb. ad pleniorem fidem lectionis novae: ſed ad veteris ſecurius firmamentum Petronii teſtimonio utebamur, apud quem legimus Trimalcionem capillatos pueros privatim domi nutriviſſe; ſic etiam Ulpianus recte puellas ſive ornatrices legato muliebri contineri reſpondit, quas ſibi comatas ad procacioris licentiae luſum mulieres exornant. Supereſt, ut data venia, quandoquidem Arbitrum teſtem locupletiſſimum lectionis antiquae probationi adhibuimus, ejuſdem Satyricon accuratius perſcrutemur, cujus grata varietas ſaepius animum lepore interdum illepido titillat, eademque diſpari ratione ordine verborum interrupto nauſeam parit, ita ut ad majora mentis levamina pertinaces orationis incultae hiatus (utpote Archiatri filius) ſanare coner. Occurrit etiam, (diſciplina civili quam inſequimur temporibus otio praeſtitutis,) remedium ad illa verba; *Itaque in arcula herbarum omnium ſuccos Democritus expreſſit*; vulgo legimus *bercula* cum aſteriſco, ſed nos protractiorem lineam *b.* litterae *i.* ſubnexione contrahimus, deleto aſteriſco, ita ut recte dicamus *in arcula*. Hujus lucubrationis cunabula tibi arridere confido, apte enim ad id, quod *J. Lipſius* Lect. Antiq. lib. I. c. 8. ex Luciano in *philopſeud.* annotat, quem in hac emendatione [*e pergula*] non omnes ſequuntur, nec mirum, difficile enim ut unicuique verborum correctio pro voto contingat. *Arculam* autem pyxidem interpretor: qua utuntur pharmacopaei, quorum induſtria herbarum varii ſuccI intus continentur, expreſſi quadratis litteris in fronte ipſius pyxidos. His quaeſtionibus epiſtolicis ignoſces, Illuſtriſſime Scaliger, mihique pariter, quod harum nodum tibi ſolvendum propoſuerim. Vale, Viviſcorum lumen. Lutetiae Pariſiorum 4. Id. Novemb. M IↃ CVI.

Scaliger Epiſt. CCCLXXIX. excuſat negligentiam, quod ad binas Epiſtolas non reſponderit ſtatim: ceterum locus ille Petronii cap. LXXXVIII. varie vexatus. & de eo etiam vide *Heinſii & Graevii* Epiſtolas CLXXII. & ſeqq.

EPISTOLA CXXIV.

JACOBUS BORAETIUS CHANLIEU

Joſepho Scaligero.

Leidam.

CItius omnino, quam voluiſſem, ad te ſcribo: quaerin' cur ita? ratio eccilla, eſt ad manum. Nolui priuſquam certiorem eadem facere te poſſem de

de Seneca illo olim tuo, quem bibliothecam *Dalecampii* capere arbitrabaris. ſed qui tamen non inventus eſt, quod liquido aſſeverare audeo, quoniam volumina nulla, neque membranae, nulli codices, libri, ſive cubant, ſive adſtant in forulis, vel etiam in pulpitis conſpiciuntur, aut in ſitu & pulvere ibi delitescunt, quos omnes non excuſſimus, non manibus ſumpſimus, ut inde cognoſcerem ecquid compareret. ſed fruſtra. quocirca non eſt, quod unquam ſperare poſſimus vel debeamus, illud exemplar recuperare poſſe his tractibus. ſubdubitat tutor a plagiariis quibuſdam Lugdunenſibus ſtatim poſt mortem defuncti illud ſubreptum fuiſſe, & antequam ad minorum patrem Bibliotheca illa perveniſſet. An factum hoc ſit, opera amicorum, quos plurimos Lugduni habere potes, curabis expiſcari. Intereadum male me habet, quod exſpectationi tuae reſpondere non potuerimus. ſi effectum defuit, ut certe eſt, ſaltem ingenium & voluntas & conatus nunquam, quod eodem animo teſtatum tibi relinquo, quo me ſemper tui ſtudioſiſſimum fore glorior. Vale, eximium orbis decus, meque amantem redama. Rotomagi IX. Kal. Mart. 1607. Audio Euſebium tuum, magnum, credo, opus in lucem nunc miſſum, quem librum mihi videre non contigit, quod huc ad nos nondum pervenerit.

Vide Epiſtolam *Schotti* ad *Lipſium* XCII.

EPISTOLA CXXV.

MONSIEUR.

JAy honte de vous eſcrire ſans vous envoyer noſtre receuil concernant le Concile. Il ne tient pas a moy: mais a un mauvais garcon d'Imprimeur, qui s'amuſe a faire des fadaizes de livrets pour des colleporteurs, au lieu de travailler a un petit ouvrage ſerieus, & duquel, s'il avoit jugement, il peut faire grand proffit, s'il ne me trompe, comm' il a faict il y a deus moys, j'eſpere que nous l'aurons dans huict ou dis jours. je ne tien pas un homme, non pas Françoys ſeulement, mais pour homme, qui apres avoir leu les pieces, qui ſont veritables, & dont nous avons les originaux, puiſſe appeler Concile l'aſſemblée de Trente, duquel on recommence de vouloir parler. l'accord des Venetiens eſt faict par la ſeule entremiſe & negociation du Roy, le quel l'a eſcript a Monſieur le P. Pres, *pour le faire ſcavoir a tout ſes bons ſerviteurs. Je nay peu recouvrer la lettre, dont je deſire vous en envoyer copie: parçe que j'ay eſté preſſé d'eſcrire. Monſieur* Dupuy, *qui eſt a Rome, m'a envoyé une Inſcription Grecque fort grande & belle, trouvée* in via Appia *& me charge de vous en faire part. Ceque j'euſſe faict a preſent, mais Monſieur* Caſaubon, *qui l'a veüe & reſtituée & interpretée, la faict imprimer pour la vous envoyer. Il m'avoit prié de ne vous en eſcrire poinct, jusques a ce que vous l'euſſies receu, & par la meſme voye Vous avec ſceu la grande resjouyſſance de la naiſſance d'un ſecond fils de France, qui n'a point encores de nom aſſeuré: Lon en a faict icy de grandes joyes. je nay ſceu deſcouvrir l'occaſion de la hayne des Jeſuites contre* Bodin, *meſmes en particulier de ce* P. Gontier, *lequel en ſon ſermon a faict ſa genealogie,* praefatus, *qu'il alloit faire le fol, & a dict que ſa Mere eſtoit deſcendüe des Paleologues, comme* Scaliger *l'a*

eſcript: le tout pour monſtrer, qu'il eſtoit grand & Françoys. Il ny a icy rien de nouveau, qui ſe puiſſe eſcrire. Monſieur le preſident Janyn *s'en va traicter en Holande de la part du Roy: vous en ſaures plus de nouvelles que nous. Je vous baiſe treshumblement les mains & prie Dieu, Monſieur, quil vous donne en ſante tres longue & tres bonne vie. de Paris ce* v. *May* 1607.

Voſtre bien humble & tres obligé ſerviteur.

J. GILLOT.

Jacobi Gilletii ſenatoris Pariſienſis multae epiſtolae ſunt inter Gallicas ad *Scaligerum* ſcriptas, & editas A. 1624. per *Jacob. Revium*, quae hodie rare reperiuntur. Inter illas una eſt lib. III. 49. quae oſtendit hanc circa Februarium 1607. eſſe ſcriptam: nam ibi etiam de Jeſuitis in *Bodinum* declamantibus ſcribit. Inſcriptio vero illa in via Appia reperta, & notis a *Caſaubono* & deinde a *Salmaſio* illuſtrata fuit. Utriuſque commentarios Muſaeo ſuo inſeruit Cl. *Crenius* A. 1699.

EPISTOLA CXXVI.

MONSIEUR.

JE ne puis a mon grand regret rien trouver, qui merite qúe vous y employes voſtre temps a le lire: meſme du ſubject, que je veoy, qui vous plaiſt maintenant. I'eſpere, que nous ramaſſerons de bons & rares traictez, concernant la liberté & les droict de la Françe, pour monſtrer, qu'elle s'eſt tousjours garentie de cette puiſſance Transalpine, qui n'a aucun fondement, qu'en la teſte des fous, n'y eú progres, que par la laſcheté, ne quid pejus dicam, *des miniſtres des monarques. Je vous envoye un traictè, qu'en avoit faict defunct* Hotman, *qui pendant la Ligue fut advocat du Roy, frere du Docteur Jurisconſulte. Il avoit eſtudie & ſcavoit de bonnes choſes: & peut eſtre trouverez vous en ce petit livret quelques paſſages non communs. Depuis qu'il ſe fut degorgè de la Ligúe, il le refit & corrigea en mieus. J'eſpere le recouvrer. Et ſi je l'ay il ſera compagnie a trois, que j'ay de ce meſme ſubject: dont l'un eſt fort ancien de feu Monſieur* Capel *advocat du Roy. Je me delibere d'en amaſſer trois ou quatre, pour leur faire veoir le public, & d'autres petits traictéz, qui feront un autre volume. Je ne travailleray en ma vie, qu'a ce la, afin que nous laiſſions quelques monuments, & reliques veritables de noſtre pauvre nation, la plus gourmandée & aſſervie aus Jeſuites, Feuillants & Cappuzzins, que jamais fut nation.* Jam libera nulli lingua manuſque ſua eſt, voces & ſcripta notantur. *j'eſcri a Monſieur* Bodius *pour le prier de me donnec quelques vers en la memoire de defunct Monſieur* Rapin, *qui a grandement meritè des léttres. Il m'a laiſſé la diſpoſition de ſes oeuvres par ſon teſtament avec Monſieur de* Saintemarthe. *J'eſpere vous faire veoir des pieces, qui vous plairont. Je n'ay pas merité de Monſieur* Bodius *cette faveur, je vous ſupplie m'y ayder. Je dreſſe un petit tombeau en ſon honneur, & ſi je ne craignoy eſtre trop arrogant ou preſumtueus, je deſireroy qu'il fuſt honorè de voſtre nom ſeulement, qui par tout, ou'il eſt mis, faict eſtimer & la choſe, & la perſonne. je vous baiſe tres humblement les mains.*

Nous

Nous n'avons rien de nouveau. Le Roy eſt icy pour 2. ou 3. jours, l'on ne parle que du mariage de Madamoiſelle de Mercœur avec Monſieur de Vendoſme: La fille ny a aucune volonté, la mere & la grande mere ne la veulent forçer, Le Roy eſt fondé en contract, id eſt, articles accordez lors de la reduction de la Bretagne: il veut que la fille ſoit ſequeſtrée entres les mains de la Royne. Res eſt ardua *& ſe traitte au Parlement.*

Monſieur.

Du XIV. *Juin.*

Voſtre treshumble & tres obligé ſerviteur.

J. GILLOT.

Haec epiſtola ſcripta eſt anno 1608. nam eo, circa idus Februarias, obiit *Nicolaus Rapinus*, ut ſcribit *Scaev. Summarth.* Elog. lib. v. p. 272. ubi & *Rapinum* ſibi & *Jacobo Gillotio* Poëmata edenda teſtamento mandaſſe prodit. Quis vero *Bodius* ille ſit vix ſcio. reperio *Robertum Bodium* Scotum, fuiſſe in Salmurienſi Academia, deinde in Patria Theologiae doctorem. *Antonii* vero *Hotmanni* tractatus Gallicus de libertatibus Eccleſiae Gallicanae editus inter alia opuſcula A. 1616. vid *Le Long.* Biblioth. Hiſtor. de la France. p. 2327.

EPISTOLA CXXVII.

IGNATIUS HANNIEL J. C.

Joſepho Scaligero S.

Leidam.

JAmdudum te amo, Vir Nobiliſſime, & cum ex Gallia in Angliam trajicerem, animus erat, inde ad te proviſere, ut meum adfectum tibi coram exponerem, ſi fortean ea ratione tuam quoque mihi benevolentiam lucrari poſſem. Sed Hiſpanorum, mare tunc infeſtantium, metu ab hoc conſilio depulſus, omnem tui adeundi ſpem abjeci, & ſatis habui, te intra arcanum pectoris penetrale tantum religioſe colere, & virtutes tuas tacite venerari. Tango hos oculos, mi Scaliger, quando tuos libros lego; lego autem fere quotidie: ut ego tibi ob praeclaros illos labores, aeternaque in rempub. noſtram merita τῇ σιγῇ ἐπ' ἐμοῖ omnia fauſta optare, & detractoribus tuis exitium precari non deſino. Nam meliorem illis mentem vovere, nugas agere eſt. Sed nec hîc cultus noſter conſtat: etiam in elogia tui erumpit, idque unum agit, ut quod ſibi jamdudum perſuaſum habet, aliis quoque perſuadeat. Etſi enim ſolidae virtutis & ſcientiae adminiculis eo magnitudinis perveniſti, ut invidiam eorum, qui in hominibus cenſeri merentur, jamdudum ſuperaveris; multos tamen in terris oberrare noſti, qui ſpecie quidem homines, nomine etiam auguſtiores, pura puta tamen Diaboli progenies ſunt, in quibus quia natura uſque recurrit, non mirum, ſi omnibus bonis infeſta te praecipue petat, quem in alto faſtigio collocatum ſuis luminibus unice obſtruere videt. Notae tibi nationis iſtius viperinae artes: non te recta invadit, aut rationes tuas impugnat; ſed calumnias meras ſtruens, famam oblique carpit, ut magnitudine ſenſim deminuta tandem in contemptum praecipitet: quo pacto ſe ſuaſque res

bene ſtabiliiſſe, & in tuto collocaſſe putat. Hoc itaque non tantum verbis apud ſuos, ſcriptis apud alios ſatagit: verum etiam emiſſarios alit, qui juventuti ſeſe in noſtris Academiis inſinuantes, id unum ſummis opibus moliuntur, ut eorum, quos incrementis ſuis obſtare vident, contemptum adoleſcentibus ingenerent; qualem hîc ante paucos dies novimus neſcio quem *Terrentium*, qui memoriae aliaſque ſecretiores artes, nec non linguas exoticas magno cum juventutis concurſu profeſſus, tandem pontificiam religionem clam ſparſiſſe, & tui praeſertim odium imperitorum animis aperte inſtillaſſe deprehenſus fuit, quem ego poſtea plurimis, etiam e nobilitate, preſentibus ita depexum dedi, ut paulo poſt ſe ex hac univerſitate ſubduxerit. Scilicet haec illa natio eſt, quae in ſua manu rem jactat, famam alicui dare vel auferre; cui dum bonus *Lipſius*, amicus quondam noſter, nimium fidit, eam, quam habuit, fere totam amiſit. Ejus autem clamores quod tu, Vir Magne, magno contemnis animo, recte facis. perennabit enim tua fama anguibus iſtis invitis, quorum minutis ſibilis nihil eſt, quod magnopere commoveare. Relinque illos diſcipulis tuis compeſcendos. Tu ſaltem magna aggredere, & ardua ſemper debellanda ſuſcipe: quanquam ut ingenue quod ſentio dicam, fere non videam, quid in hoc mundo tibi amplius magnum videri poſſit: ut iſtas *Baronii* & aliorum nonnullorum in tuis ſcriptis laudes, ſaepe non ſine indignatione legam. Qua de re, contra hoc genus non hominum, ſed daemonum, aliquot jam annos, quatenus mihi per fori occupationes licuit, e pulpito pugno, a ſapientiſſimo piae memoriae principe *Ulrico* Megapolitano ad Chronologica & Hiſtorias interpretandas in *Chytraei* locum accitus: ubi occaſio ſe perpetuo offert, malevolorum de te calumnias refellendi, & labores tuos ſtudioſis commendandi, quibus me commentarios meos ornare tantum abeſt ut diſſimulem, ut etiam mihi laudi ducam. cujus rei teſtem tibi do decadis noſtrae II. controverſiam VI. quam contra *Beroäldum* alioſque de LXX. captivitatis annis auditoribus nuper explicavi. Ceterum ut hoc obiter adjiciam, longe mihi alia, ut vides, docendi methodus, eaque non tam a voluntate, quam neceſſitate. Nam eos tantum in temporum ratione nodos, de quibus pugna eſt, a ſenatu Academico explicare, & adoleſcentum captui accommodare juſſus. Totum principio opus in duas partes tribui; quarum priorem Chronologiae Sacrae: poſteriorem prophanae dicavi. niſi quod in ea, qua de captivitate Babylonica quaeſtio eſt, caput de aera Nabonaſſaris, ejuſque cum Olympiadibus, annis Urbis, Templi, mundi conditi connexione inſerere neceſſario coactus fui. Cumque animadverterem, adoleſcentes, adeoque etiam provectiores Theologos, Jurisconſultos, Medicos & Philoſophos ſolo numerorum taedio ab iſto ſtudio abhorrere: diſparavi argumenta, ut quae vulgaria, ex ſacris literis aut bonis auctoribus petita, in primis iſtis duobus libris tractarem; quae vero abſtractiora, ex Mathematicis deprompta, in peculiarem librum tertium rejicerem. Quod meum conſilium ſucceſſu non caruit, rei jucunditate non tantum adoleſcentibus, verum etiam ſenioribus, auditoria frequentantibus. Onus vero immenſum, quod humeri mei vix ferrent, niſi tu novus Atlas ſuccurriſſes. Ipſe co-

cogita, quanti laboris ſit, in omnium rationes inquirere, quae ſaepe nullae; ſaepe, quia ridiculae aut parvi momenti, diſſimulantur, ita ut eas divinare neceſſe ſit. In controverſiis autem iſtis dirimendis tuum ſemper calculum ſequor, niſi quod in ea, quae de Abrahami nativitate, ejuſque vocatione quaeſtio eſt, a te diſſentiam, idque veritate victus, quam ab altera parte ſtare video; cui ego pertinaciter obluctari nolui, ne reliquis etiam fidem hoc facto derogarem. Quod tu, Vir magne, quae inſignis tua eſt humanitas, aegre non feres; ſed potius libertatem in amico laudabis, cum, Symmacho teſte, *quaſſa fide ſint, qui jugiter blandiuntur.* Neque ego tamen tam pertinax, ut ſententiam praefracte tuear. Una veritas eſt, quam utrinque ſpectamus, a qua ſi vel tantillum aberraſſe deprehenſus fuero, ecce me primum, qui errores meos caſtigaturus ſum. Sed haec parergως, non tamen omnino. Nunc ut ad id, quod inſtitui redeam; puto te ex ante dictis cognoſcere, quam conſtans hactenus tui cultor fuerim. Et licet ſtudii in te mei ardor quotidie incanduerit, me tamen tibi in notitiam tuam inſinuare per verecundiam nunquam fui auſus, ſemper veritus, ne tu illam ignoti hominis compellationem aliovorſum verteres, & ego te in tam illuſtri loco poſitum cupidius ambiiſſe viderer. Tandem vero, cum tuam eruditionem cogitarem, & quae ejus anima eſt, humanitatem, quibus te hodie ſupra omnes mortales extuliſti: hisque accederet *C. Rittershuſii* noſtri hortatus, qui fere unus jam nutantem impulit, & ut omnem frontem abjicerem fecit; calamum in manus incunctanter arripui, ut eum, quo te hactenus, licet ignotus colui, amorem tibi plenius teſtatum facerem, & auctum tui deſiderium hoc velut litterarum ſolatio alienarem: In certam ſpem & fiduciam ingreſſus, te, ſi quid hac in parte peccavi, prolixo adfectui noſtro, quo te proſequor, aſſcripturum; interea vero amicitiae tuae ſacraria reſeraturum, mihique locum inter cultores tuos conceſſurum eſſe. Vale, Vir Nobiliſſime. Roſtochio v. Id. April. Anno Chriſti. MDCVII.

P. S. Quia Vir Nobiliſſime, controverſia illa, cujus in literis mentionem feci, tam cito deſcribi non potuit, ne primo ſtatim adpulſu ad amicitiae tuae aram vacuus venirem, placuit locum quendam ex ea enotare, & te nuperae noſtrae in Cenſorinum conjecturae judicem ferre. In eo mihi videtur haerere lacuna, ab exſcriptoribus plane neglecta, loco ſcilicet c. 21. famoſiſſimo, ubi de tempore inter cataclismum priorem & initium olympiadis Iphiteae diſputat; Quod ipſe in univerſum ſtatuit eſſe MDC. circiter annorum. Recte. Nam a diluvio ad primam olympiadem totidem fere effluxerunt, uti tam ex noſtris, quam aliorum chronicis ſatis oſtendi poteſt. Hunc autem numerum Cenſorinus demonſtraturus, particulares deinceps adfert numeros, & primo annos circiter cccc. a cataclismo uſque ad Inachi regnum, in quo item paucis aberrat: Nam Euſebius LII. duntaxat hunc numerum excedit. Sed quod porro Cenſorinus ab Inachi regno ad primam olympiadem cccc. tantum numerat, uti nunc quidem in editis legitur, in eo non tantum hiſtoria, verum etiam ſibi ipſi contrarius eſt, quippe qui totum intervallum MDC. annis paulo ante definierit. Nunc autem in particulari iſtius intervalli demonſtratione

ıɔccc. duntaxat, id eſt, ſummae ejus dimidium profert. Non igitur ſine cauſſa medium intervallum ab Inacho ad captum Ilium hinc effugiſſe ſuſpicamur, praeſertim cum ipſe Cenſorinus dicat; poſtremum tempus Mythicon ab Eratoſthene definiri annis ccccvii. At totidem planiſſime Eratoſthenes apud Clement. 1. Stromat. non ab Inachi regno, ut hîc legitur; ſed a capta Troia ad primam Olymp. numerat: ut ita mythici iſtius temporis medium, (nam initia & poſtrema apud Cenſorinum ſic ſatis conſtant) ab Inacho ſcilicet uſque ad Ilii Excidium, quod ipſe Cenſorino teſte ıɔccc. circiter annorum eſt, librariorum culpa omiſſum certo certius ſit. Miraris tu, Vir magne, in libro de Emendatione, ubi de Ilii Excidio agis, Cur Cenſorinus poſtremum tempus ab Inacho, non autem a capto Ilio, ut reliqui ordiatur. Non dubium, ſi Cenſorini locum obiter ſaltem inſpexeris, te eam, quam dixi, exſcriptorum oſcitantiam facile deprehenſurum. Atque haec de illo Cenſorini loco, ſuper quibus tuam ſententiam audire pervelim, mihi inſtar oraculi futuram. Euſebium tuum nondum nobis videre contigit. Ea hîc bibliopolarum ſocordia, dicam, an avaritiæ, qui de ſelectis auctoribus parum ſolliciti, quaeſtui duntaxat intenti ſunt. Proxima occaſione eam, quam dixi, controverſiam tibi cenſendam mittam, una cum ea, quae de Abrahami nativitate & vocatione eſt, ut videas, quibus rationibus motus pro altera parte pronunciaverim, neque enim eae unius generis. Si per veritatem fieri poſſet, quam unam me hîc ſpectare Deum & conſcientiam meam teſtor, libenter me ſcriptis tuis hac quoque in parte conformarem. Plurimum ſalvebis a *Joh. Kirchmanno*, meo hîc adfine, nominis tui, ſi quiſquam in Germania, ſtudioſiſſimo, qui ſuam erga te obſervantiam per literas libenter exponeret, niſi eadem, quae me, verecundia hactenus abſtineret. Quod ſi tamen id tibi non ingratum fore intellexerit, proximo meo reſponſo ſuas adjunget. III. Id. April Anno MDCVII.

EPISTOLA CXXVIII.

IGNATIUS HANNIEL

Joſepho Scaligero.

Leidam.

ETſi, Vir Illuſtris, non ſatis commode habeo, lecto totum fere triduum adfixus, tamen egregiam hanc ad te ſcribendi occaſionem negligere nolui. Redit enim ad vos *P. Merulae* quondam uxor, Viro Opt. & doctiſſimo ineluctabilis fati neceſſitate orbata, quem ego eo pluris feci, quod & te, cujus effigiem mihi non ſine multo verborum honore communicabat, magni facere, tuamque juxta mecum famam contra Jeſuaſtrorum quorundam immanitatem egregie defendere videretur. III. Eid. Jul. cum quaeſtionem de LXX. Danielis hebdomadibus ordirer, ipſe quoque, licet valetudine jam eſſet adflictiore, lectioni tamen intereſſe voluit, meque inſcio ſupervenit. Diſſertatione, quam inſtitueram, finita, domum me comitatus eſt, ubi ad tempus caenae uſque hi-

hilariter una fuimus. Nocte ſecuta in morbum incidit lethalem, ſanguine copioſo ex liene in ventriculum effuſo, quem cum quarto poſt die magno cum labore & non ſine vitae periculo majore copia & quantitate rejeciſſet, etſi tum meliuſcule habere viſus eſt, XIII. tamen Kal. Aug. viribus plane collabentibus, intra ſeptimum a morbo diem deceſſit, integris uſque ad mortem ſenſibus, ita ut me aliiſque praeſentibus, tribus plus minus ante obitum horis, ſua manu aliquot ad *Barnfeldium* verſus vel lineas, literis ſic ſatis eleganter pictis, exararit. Aperto poſtea corpore, epar pallidiuſculum repertum, ſanguinis officina ad lienem fere tranſlata, qui propter factas jam evacuationes, valde erat deminutus, vena bifida, quae ad fundum uſque ventriculi pertinebat, exiſtente ampliſſima. Magnifico funere poſt triduum elato, parentavit *J. Kirchmannus*, oratione extemporaria, ſed in qua eorum, quae ad defuncti laudes pertinebant, nihil omiſit. Atque haec ad te, Vir Nobiliſſime, aliquanto fuſius, cum quod tibi carum fuiſſe exiſtimem, tum ut meo quoque in eum amori ſatisfaciam. Sacrum illum & horribilem in te [1] librum cum ſtupore pervolutavi. Nihil me memini vidiſſe dirius aut immanius. Nec quenquam ſanae mentis, etiam inter pontificios, futurum puto, qui iſtam calami virulentiam probet. Qua de re, doleo ſane, eo jam res olim amici redactas, ut optimorum oſor, peſſumorum defenſor, furiis quam homini ſimilior eſſe, & cum Diabolo plane paria facere cogatur. Sed quid? hoccine & maledictis obtinere poſſe ſperat, quod *Cardanus*, Deus bone quantus vir! re adhuc recenti & in propinquo Veronae conſtitutus nunquam tentare, vel etiam ſomniare auſus? qui licet acerrimus patris tui hoſtis, illuſtri tamen veſtrae origini egregium ſemper in ſcriptis ſuis perhibuit teſtimonium. Neque id valde mirum, cum ipſius veritatis, oculos omnium tum perſtringentis, vis hoc etiam ab invito & inimico pectore expreſſerit. De *Terrentio* tanti non eſt ut repetam. Natione Germanus erat, *Schreck* dictus, inter Jeſuitas eductus, fortaſſe & ipſe Jeſuita. pro exploratore habui, quales in Germanorum Academiis, proximis his annis, obſervavi plurimos. Italiam, Galliam, aliaſque provincias viderat. Minerval *Serarii* edidicerat, ex quo ea, quae privatim apud diſcipulos in te jaciebat, tela depromebat. De tuis in *Paraeum* lucubrationibus multum te amo. Sane nunc demum abſurditatem rei intelligo, taedetque pigetque & olei & operae in eam olim quaeſtionem collatae, quam utinam plane abolere poſſem. Neque enim dubito, ſi tu, non praemonitus, in eam forte fortuna incidiſſes, quin de Hanniele tuo illud Hannibalis pronunciaturus fuiſſes: Multos te quidem ejus quaeſtionis tractatores vidiſſe deliros; ſed qui magis deliraret, vidiſſe neminem. Debent certe ea, quae dixiſti, ſatisfacere modeſtis ingeniis. Sed tamen Auguſtini, Lutheri, & aliorum, veritatem perverſe & minus maſcule defendentium, diſputationibus ſeducto, tum etiam difficultatibus propter Semi exemplum, quod nemo te melius expedivit; nec non locum protomartyris implicito, venia juſte datur. Licet ne ſic quidem omnis mihi ſcrupulus exemptus. Nam quomodo vſ. 12. c. xx. tum etiam vſ. 13. c. xv. Geneſ. explican-

dus

[1] Credo intelligi *Scioppii* Scaligerum Hypobolimaeum, qui hoc anno prodiit.

dus ſit, valde haereo. Tu quaeſo juva; Neque enim dubito quin poſſis. *L. Suslygae* de morte Herodis conſiderationes, quas vocat, a *Keplero* nuper repetitas, & tractationi de nova ſtella in pede ſerpentarii adjunctas, an legiſti? vel tanti, ut legas, facis? Equidem prae valetudine, nimiiſque occupationibus, haſtenus examinare nondum potui. Sed & te unum, quotquot ſumus Chronomaphi verius quam Chronologi, (Latine loquor,) hîc reſpicimus, tua dicta, quaſi ex Apollinis Tripode profecta, ſuſcipimus, admiramur; idque eo lubentius, quod humaniſſimarum tuarum literarum indicio, nunc certo cognovi, candori & libertati ſuam quoque apud te gratiam, nec te ingenuas modeſtorum hominum voces aſpernari. Age igitur, Vir Nobiliſſime, & ubi a moleſtis illis culicum ſtridoribus pauliſper conquieveris, quid tibi ſuper omnibus videatur, breviter reſcribe. Literas *P. Merulae* viduae, ubi voles, & quando otium ſuppetet, tradere poteris, quae eas ad fratrem D. *Johannem Gryphium*, V. Cl. urbis hujus ſenatorem, recta curabit. Plura valetudo, eaque peſſuma, ſcribere prohibet. Et tamen ſic etiam ſatis nugarum eſt. Vale. IX. Kal. Septemb. CIↃ. IↃ. CVII.

Malvaſii Jcti mentionem inter alia in ſacerrimo illo libro fieri vidi, quem autorem fortaſſe habes. Sane ſi deſideras, exemplum tibi apud me in mundo eſt.

EPISTOLA CXXIX.

JOHANNES LYDIUS

Paullo Merulae S. D.

Leidam.

VIr Ampliſſime. Mitto ad te juvenilia Eraſmi, ſicut promiſeram: mitto etiam Apologiam Patris p. m. ſed tanto cum metu, ut mirum ſit. Hoc enim certo certius ſcio, fratrem meum expoſtulaturum, quod eo inſcio hoc agam, & ego non poſſum illi ſemper ſcribere. Et ſi forte ſcriberem AEthiopem lavarem. Miraberis fortaſſe me dedicaſſe patris opus Magiſtratui Roterodamenſi, & dices hoc tuae dedicationi poſſe obeſſe. Minime: fratris cauſa hoc ago, ut ne quid habeat quod objiciat: tu Vir Ampliſſime, primo tuam praefationem praemittes, & totum offeres, haec dedicatio nulli rei ſervit, niſi ut frater habeat id, quod olim mihi mandavit. Si tamen hoc minus tibi placuerit, aut hoc modo edere nolis, gratum erit, ſi ſtatim Apologiam remittas, nam video Epiſtolas Eraſmi Palaeonaeas tales eſſe, quas pauci forte umquam viderunt, & quas curabo recudi, quia video ibi eſſe multa memorabilia. Ego in illis non ſolum hanc Epiſtolam regis Angliae, ſed Pauli 3. Pontificis, Regis Poloniae, plurimorumque Cardinalium memorabilia multa invenio, quae omnia poſſent afficere etiam moroſiſſimos. Editae ſunt iſtae Epiſtolae Friburgi Briſgojae, apud Joannem Emmeum Anno 1532. Invenio in titulo manu patris ſcriptum. *Quicumque filiorum meorum, hunc librum abalienaverit, aut perdiderit, hunc ego ut infidelem paternorum bonorum cuſtodem exhaeredari volo.* Hoc man-

mandatum patris cogit me. Vitam Eraſmi abs te vir Ampliſſime editam cum patris exemplari contuli, & collatam remitto, ut videas patris exemplar longe melius fuiſſe: utinam illa de nomine Eraſmi adhuc poſſent inſeri. Epiſtola illa ſcripta ad *Servatium* patrem, ejuſdem eſt argumenti cum illa *Lutheri*, quam ſcripſit ad *Johannem Lutherum* patrem ſuum, cur ex monaſterio fugerit, quam ego non puto eſſe in operibus. Ea excuſa eſt Anno 1521. Habeo ſimilis argumenti Epiſtolam *Zuinglii* & aliorum, ſi ſcirem poſſe publico prodeſſe, ſimul conjungerem, & inſcriberem: *Epiſtolae renaſcentis Evangelii*: Tuo conſilio ſtabo, mi Merula; & Deum rogo ut te bono publico conſervet. Veteraquae 3. Auguſti 1606.

EPISTOLA CXXX.

CUNRADUS RITTERSHUSIUS

Caſpari Barthio, Amico in primis honorando S. P. D.

SUperioribus diebus, Barthi doctiſſime, optime, amiciſſime, Typographus *Joannes Schoenfeldius*, amicus meus, vir probus & induſtrius, unum atque alterum ad me miſit exemplar Commentarii tui eruditiſſimi in Cirin Virgilianam, quem aperiens vidi meum nomen in πεσσοφώνιον conjunctum cum Clariſſimo *Grutero* noſtro; Quid quaeris, mi anime? Miratus ſui, ut paucis abſolvam, hanc combinationem tam imparium. Quod enim ad *Gruterum* adtinet, ille ſane & hoc & id genus aliis honoribus digniſſimus eſt. Ego vero quid tandem, vel de te privatim, vel de litteris unquam publice meritus fui, ut de hoc tanto honore, qui non niſi principibus Litterarum debetur, habendo mihi cogitares? Sed agnoſco hîc quoque abundantiam Amoris erga me tui potius, quam ullum meritum meum: Addes autem hoc etiam ceterae tuae in me benevolentiae, ut patiaris tibi honore verborum gratam vicem rependi ac ſatisfieri, quando nunc aliud quam gratias agere nequeo, & hoc ipſum non luculenter ita facio, ut tua dignum erat eximia doctrina. ſed ſimplici oratione, ut mea mediocritas, & varia ἀσχολία permittit. Aurea vel argentea, vel gemmea ἀντίδωρα ſat ſcio, a me, non expectas, quem conditio naſcendi, & majorum virtus atque opulentia talibus non egere paſſa eſt. Sed profecto grati animi memoria, quam tibi ſpondeo perpetuam nemini concedam. Ea me exſtimulabit, ut tibi parem aliquid litterarium munuſculum, quamprimum ſcilicet dabitur occaſio &c. Tuus omni ſtudio: Altorph. 7. Sept. 1608.

EPISTOLA CXXXI.

JANUS GRUTERUS

Caſpari Barthio, & Friderico Taubmano & Adamo Sibero S. P.

MI Taubmane. Vix veni Francofurtum, & ecce abitum parant veſtri Bibliopolae. Unde fit ut nec tuis privatim, neque Domini *Barthii* pu-

blice ſcriptis reſpondere queam, ut volebam, ut debebam. Et in tuo quidem aere, mi Taubmane, jam diu ſum quod haereo, neque me expedio. Itaque tu, mi Barthi, quid tibi vis? an ut tibi addicar mancupio? ita ſane arbitror. Taliter enim me devinxiſti luculenta illa dedicatione, ut conturbare habeam neceſſe. Imo profiteri praeterea, ne inveniri quidem verba, quibus meritis tuis ſatisfaciam, ne dum ullam rem. Quare ſi jure tuo agere voles, video eo me redactum, ut in nervo apud te militem neceſſe eſt. Verum quandoquidem ultro iiſti ad obaeratum, ſpero te, omiſſo ſummo jure, aequitati acceſſurum, quod fiet ſi me patiaris iſtis locis vivere, ſed tuum tamen totum, totum, quique etiam, ubi juſſeris, me tibi ſiſtam cum inteſtinis omnibus, ac cum voce.

O referant divi, quoniam non poſſumus ipſi.

Interim, quod nunc poſſum, & adfectum meum, & officia omnia tuae incomparabili voluntati denuo hiſce literis, largiter, ut decet, defero, interpreti noſtro Taubmanno, cujus litteras ad D. *Caſaubonum* cras recte curabo. Tu quoque quidvis in me potes, impetra quaeſo quodvis imperando, ne videaris diffidere voluntati meae in te prolixiſſimae. Vale, mi Barthi, mi Taubmane, ut & tu quoque, mi *Sibere*, Triga illis locis ex tot olim amicis, nunc iis locis unica magis unica. Scribebam nec ſtans, nec ſedens, nec jacens, ſed omnia. XXIV. Sept. CIↃIↃCVIII. Sic tamen veſter.

EPISTOLA CXXXII.

ANDREAS SCOTTUS

Petro Scriverio S. D.

Leidam.

QUod honoris mei gratia, eruditiſſime Scriveri, inopinato miſeris dono Bilbitanum poëtam, a te aliiſque, Vir Doctiſſime, egregie illuſtratum, facis benigne, meque obſtrictum, dum voles, tenebis. Ego vero neſcio quod ἀνίδωρον reponam, niſi forte, quia & in poëtica excellis, & Simonidae Lyrica eidem poëtae comitem muneri miſiſti, ad Te allegem Pindarico ſtylo *Joan. Aurati* poëtae Regii quaedam, quae a *Canteris* fratribus, dum viverent, ſuntque *Gulielmi* manu pleraque deſcripta, accepi, & quaedam typis nondum eſſe evulgata obſervavi. Habes itaque poëta poëticum munuſculum, exiguum, at magni pignus amoris habe; quando nihil nunc quidem ſuppetit quod rependam. In Belgica Hiſtoria, quam & ipſe Latine patriae gratia coepiſti recte illuſtrare, ſcito me miſiſſe ἀνίδωρα non pauca *Job. Grutero*, ſed aegre poſſe ab Aubrianis editionem extorqueri. Habeo & alia ſelecta e bibliothecis, ſed ſuſtinebo, dum typographus reperiatur idoneus, ne fruſtra ſumptus toleraverim. Hoc enim ago optoque ut poſteri habeant, tametſi ruſtice, ut illa erant tempora, conſcripta, quae elegantiore alii ſtylo velut calamiſtris inurent, ornentque pro virili. Hoc meum conſilium facile vobis iiſdem veſtigiis haerentibus, ut

ut ſpero, probabo. Vale in D°. Salvebis a *Schotto* & *Heriberto*. Antverpiae 27. Maji. CIↃ.IↃC.XIX.

EPISTOLA CXXXIII.

JANUS GRUTERUS

Joanni Meurſio S. D.

Leidam.

AMice ſingularis, atque optime. Etſi affectus ille, qui Jambum tuum elicuit ad Plautum noſtrum, plura quidem nobis tribuit quam meremur; tamen paulo poſt apparebit, me auctori illi plus praeſtitiſſe, quam poſtremos Aſellos, quorum flagitia & ſcelera tot & tanta miraberis deteſtaberiſque: plurimum quoque tibi debeo, quod Dominum *Voſſium* incitaveris ad parem liberalitatem. Animis veſtris quid rependam? imo quid non rependam? Facitis me de regulo Aquilam. Ergo quod talis habebor debebo veſtrae prothymiae. Non puto eſſe *Jacobum Corputium*, cui aegrotanti adcurrerit. Si quid ei humanitus acciderit, indica id, obſecro, per affinem tuum Dominum *Billerbekium*: nam habet ſub ſe res rationeſque aliquas haeredum Smetianorum, quarum cura jam ſoli mihi incumbit, fato functo *Winando Zonſio*. Quaeſo uti & virorum illi optimo eruditiſſimoque multas a me dicas habeasque gratias. Utinam viciſſim de eo ſtudiiſque ejus, ut etiam tuis poſſem bene mereri! in Bohemia omnia ſuccedunt ex voto noſtro, ſi ante ver inde perduelles ejecerimus, magna me tenet ſpes, vix reliquias aliquas nos veri proximo habituros belli tam formidoloſi. Videtur fatum deſerere, quos hactenus elevarat ſuper omnia. Diſtento Hiſpano, ceteri nihil agent niſi minis. Qui ad vos venit eſt Ampliſſimus *Carolus Paul*, amicus meus non e multis, homo non modo noſtrarum literarum, ſed & abſque fuco. Is de me, de rebus noſtris omnia tibi dicet, ſi interrogaveris. Itaque finio; precatus tibi & tuis, ut & familiae Voſſianae, fauſta omnia ac felicia, non in hunc modo annum ſeqq. ſed multos multoſque ſequentes. Velim per occaſionem indices, num quid *Stephanus Douſa* vivat Hagae in dignitate. Miror hominem ita intermittere foedus amicitiae, qua cohaerebam parentibus ejus, imo & fratribus, imo & ipſi, ante annos XXIV. Si is adhuc vivit, ſalutes quaeſo a me quam officioſiſſime, ut & caeteros amicos, Dominum *Bertium*, Dn. *Erpenium*, Dn. *Scriverium*, dulciſſima capita. Iterum vale ac ſalve ab omnibus modis tuo *J. Grutero*. XII. Decemb. CIↃIↃCXIX. Aveam mecum communicari natales Triumvirorum, quos modo ſalutavi, unaque affinis *Voſſii*.

Digitized by Google

EPISTOLA CXXXIV.

HUGO GROTIUS

Jano Rutgersio.

Leidam.

LEgi quanquam occupatissimus, Observationes tuas, Doctissime Rutgersi, & rerum ἀξιομνημονεύτων varietate, &, ut haec abesset, tamen admirabili lepore ac festivitate dictionis ita conditas, ut vel ob hoc unum legi debeant, quod Latinas Veneres ostendunt saeculo alioqui inficeto. Inter caeteras emendationes illa in Lucanum longe certissima est. & mihi nuper in lectione ejus Poëtae idem in mentem venerat. Sed postquam egi cum memoria mea, invenio jam ante me tuam super eo loco sententiam intellexisse. Ita quod mihi primo tanquam meum imposuit, nunc hoc ipso magis placet, quod tuum est. In Hylam conjecturae cum eruditissimis certant. itaque ardeo videre & caetera. nulla lis tam gravis, nulli libelli tam serii; quos non excussura sit mihi de manibus Rutgersii pagina. *Baudius* scazontes suos, quibus δυσπραξίαν suam ulciscitur, editurus est: sed tentabit praefatione persuadere hominibus, experiri se voluisse, numquid satis commode posset tutari partes amantis; ne quis ibi serium quicquam suspicietur. *Mylius* satis mihi placet, & est minime ἰερεικός. si ita nunc sint homines, vilis futura sit advocatorum annona. sed queritur duris se imperiis premi. IV. Augusti.

EPISTOLA CXXXV.

HUGO GROTIUS

Johanni Rutgersio.

Leidam.

MAgnas tibi gratias debeo, mi Rutgersi, quod virum optimum D. *Gomarum* non passus es nescire nimiam editoris licentiam in meo carmine. simul quod de nova editione me admones. quare transmitto exemplar emendatum manu mea, quod sequi Typographus poterit. rogo commodes mihi oculos tuos, ne quid denuo peccetur. Visum mihi est etiam ad *Gomarum* scribere, ne putet me, quod *Arminii* memoriam benigne colui, ipsius honori detractum, aut controversiis praejudicatum velle: quarum magnam partem me non intelligere ingenue profiteor. neque enim faciunt ad edictum Praetoris. nobis modica Theologia sufficit. Librum tuum, quem amicorum tuorum indicem destinasti, retinui apud me hactenus, spe videndi tui, aut alicujus a te. nunc ne te diutius morarer, visum transmittere, cum epigrammate. Vale & nos ama. XXIV. Dec. 1609.

Carmen in mortem *Arminii* legitur lib. III. Farraginis pag. 210. & Epigramma in Album *Rutgersii* lib. I. Epigr. pag. 253.

EPI-

EPISTOLA CXXXVI.

HUGO GROTIUS

Jano Rutgerſio.

Leidam.

LEgi, imo perlegi (nam olim legeram) *Baudii* noſtri orationem ad componendas Academiae turbas. Judicium meum exigis. Habeo juſtiſſimam excuſationem. eſt enim tam eximium illud ingenium, ut ſub nullius cenſuram, aut certe non niſi doctiſſimorum cadat. Urges adhuc & vis dicam quod ſentiam? Et orationem totam & partes ſingulas admiror. Relucet ubique ſingularis viri memoria, quae omnia veterum dicta factaque non retinet modo fideliter, ſed in tempore repraeſentat. Implevit locos duos aut tres plane accommodatos negotio. attexuit alios minus neceſſarios, illectus, ut puto, priorum dulcedine. In ipſa dictione agnoſco egregium vehementiae & tranquillitatis temperamentum, plane rei conveniens. Duo, quae propria ſunt *Baudii*, rariora hîc, quam in aliis ejus operibus, invenias. Prius eſt locutionum licentia, cum ſcilicet verba phraſeſque poëticas, Comicas, Satyricas, Mileſias, Ciceronianae majeſtati interſerit. alterum, quod in re maxime ſeria jocis non abſtinet. Ego neutrum in alio ferrem. ſed ut in omni legum genere, ita in iſto perſonae quaedam ſingulare privilegium merentur. & quoſdam ita decent vitia, ut virtutis locum occupent. Quo magis monenda eſt juventus, ne ea imitetur, quae viris doctis ſuo quodam ac ſingulari jure permiſſa ſunt. Novi patronum in foro noſtro nobilem, qui ne in capitalibus quidem cauſis & ſummo clientium periculo a jocis abſtinet. quod contra rhetorum omnium praecepta eſſe quis neget? At illi hoc ita ſuccedit, ut laudent multi, omnes ferant. Alteri idem tentanti, nemo ignoſcat. Ita *Baudius* quaedam cum laude peccat, quae in exemplum trahi non debent. Habet & peculiarem quandam excuſationem haec oratio; quia ad ſtudioſos dirigitur, qui ferre non poſſunt perpetuae cenſoriae gravitatis tenorem, quo juſtius licuit evagari interdum a triſti argumento, & ad laetum divertere, & dulcia quaedam aſpergere, & auditorem minus faventem demulcere vario eruditionis apparatu. Habes, mi Rutgerſi, quod voluiſti: in quo obſecutus magis fortaſſe ſum deſiderio tuo, quam officio meo. tu tibi imputa, quod me extra territorium jus dicere compuleris. xxix. Dec. CIↃIↃCIX.

EPISTOLA CXXXVII.

HUGO GROTIUS

Jano Rutgerſio.

Leidam.

POtueras quidem abſtinere, Doctiſſime Rutgerſi, a nobis conſulendis in rebus antiquitatis, qui ejus parum etiam olim attigimus, & hoc etiam

quantulumcunque fuit, eorum ſtudiorum non tam voluntario quam neceſſario neglectu amiſimus. Sed quia tibi viſum eſt cum nobis exhibere honorem, qui non debebatur, officii eſt noſtri id pro beneficio agnoſcere, atque etiam conari amplius poſſe quam poſſumus. De Coſſo igitur, quod quaerebas, ſentio, ut dixi, majores omnes magiſtratus populi Romani, hoc eſt Dictatores, Conſules, Tribunos militum conſulari poteſtate, & Praetores, habuiſſe belli auſpicia. Caeterum legatos & alios militum tribunos praefectoſque, qui magiſtratus populi Romani non erant, cum ipſi creati eſſent ſine auſpiciis, non habuiſſe jus auſpicandi. Quare quicunque imperium habebat jure magiſtratus, idem ſuis auſpiciis gerebat bellum, quanquam fieri poterat, ut is ipſe non ſummum haberet imperium: neque enim ad habenda auſpicia, ut ego arbitror, ſummum imperium deſiderabatur, ſed imperium a populo datum jure majoris magiſtratus. Et qui auſpicia habebant *duces* proprie vocabantur. Caeteri autem, qui mandatum a duce & quodammodo fiduciarium habebant imperium, non item. Fuit igitur dux Coſſus, & auſpicia habuit, quia Conſul cum eſſet, ut vult Livius, aut ut alii, Tribunus militum, modo Conſulari poteſtate, imperium habuit non ab ipſo Dictatore, ſed a Populo Romano, & quidem auſpicato datum. Hanc autem ſententiam non ita tibi ſcribo, quaſi qui praefracte eam tueri velim, ſed ut ipſe, qui quotidie in Romana antiquitate verſaris, tecum expendas, an cum veritate conſentiat. III. Cal. Apr. CIↃ IↃ CX.

EPISTOLA CXXXVIII.

HUGO GROTIUS

Jano Rurgerſio.

Leidam.

NOn depoſui ex manibus tuas in Senecam notas, ex quo eas recepi, nec legere tantum, ſed relegere dulce fuit. Solum id, quod petis, eſſet forte arduum, judicare: ſed hoc quoque facile ut eſſet effecit rei evidentia, quae neminem dubitare patitur, quin ſint ea, quae ſcribis, vera pleraque, verisimilia multa, ingenioſa omnia. Etiam mihi gratulor, cui memini in mentem venire multa eadem cum tibi obſervatis: nonnulla etiam, quae a te inducta video, quia ante & te & me alius iſta occupaverat. Gaudeo me iſtorum ſtudiorum transfugam cum bonis ingeniis interdum *συμπίπτειν*. Caeterum quominus ſingulatim ad tuas Animadverſiones perſcribam, cauſa eſt, quod Seneca mihi non ad manus: amicus enim exemplar meum ſecum abſtulit, quod repoſcere & exſpectare poteram, niſi veritus eſſem, ne mea mora feſtinantibus Typographis tibi debitam laudis occaſionem praeriperet. Haec interim in mentem venicbant. Phoenis 126. *ſacra quo Dircе latet*, eſſe *ὡς ἀνεκπίν*. nam latere amnes videntur in ſilvis, qui in planis camporum apparent. *Turpe ſervitio* caſu dativo non puto convenire Senecae ſeculo: & quod adfers *Mucrone* &c. nihil verat ſexto caſu intelligi. Itaque aut vulgatum *turpi ſervitio* retineam, aut

ſi

ſi tuum illud verum eſt, ſumam *turpe παρημαπικῶς*, ut ſaepe. Hippol. 558. *Mitius nihil eſt feris.* vera eſt tua interpretatio, nec dubita eſſe imitationem Ovidianam Epiſt. x. vſ. 1. *Mitius inveni quam te genus omne ferarum.* Eſt ſchema a contrario. In Juvenali Sat. XIII. 81. etſi *pater Aegei* poteſt eſſe Αἰγῆος ut *Idomenea ducem*, tamen non dubito eſſe *pater Aegaei*, ut *arbiter Adriae.* Emendatio tua ſecunda in Octaviam vſ. 516. eſt *ὑπερχώματος*, ut multae aliae. ſed non video quomodo *ducum aciem* recte ibi intelligamus Senatum Pompejanarum partium, cum Pompejus illa acie ſuperatus dici non poſſit. [1] *ſuperatus ducum acie*, pro cum acie ducum, ſed durum eſt & potius contrarium ſignificat. Nam *ducum* aciem vocat Caeſarianam, in qua nullus qui non dignus, qui imperaret? An verum eſt quod tu judicas, *Magnus ducum* conjunctim pro Pompejo? Herc. Oetae. 172. *Templa ſuis collapſa Deis* Helleniſmum non putem. aliud enim eſt *ἀντὶ τῶν*, aliud *ſuis*; ſed *collapſa Deis* eſt *lapſa cum Deis.* Haec eo liberius, quia certius indicium afferre non potui, quo oſtenderem placere mihi caetera, niſi pauca excerpendo, de quibus dubitare poſſe videbar. Tu, qui moroſum hominem laceſſiſti, tibi imputa. v. Jan. CIↃ IↃ CXI.

1 Hic in autographo quaedam ita maculata erant, ut vix legi poſſent, ita ut forte uno vel altero verbo defecta hic ſit *Grotii* ſententia. egit vero de hoc loco *Rutgerſ.* lib. 1. Var. cap. 15.

EPISTOLA CXXXIX.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio S. P.

Leidam.

CUm Lugdunum proficiſceretur frater meus, quem clientelae tuae addixi, nolui illum ſine litteris dimittere, quanquam omnino tibi loqui malebam, quam ſcribere. Sunt enim quaedam, quae litteris committere non audeo. Et tamen ad te pertinent, *περὶ τῦ ἐρωτοδελιγμιπιγεγραμματιαμβογεάφυ.* Ita tamen addam: urget quotidie ut ſcribam Encomium: ſcis autem quam ſit mihi infoecunda vena. Itaque dum nihil potuit elicere, niſi unum Epigramma, quod non intelliges forte, niſi ſciveris poëtam noſtrum equitare non minore cum faſtu, quam ambulare ſolitum. Erat autem id tale.

Ingenti ſolitus ſilvam calcare Caballo,
Nunc pedibus noſter quam bene currit eques!
Carminis ecce pedes greſſus imitantur heriles,
Et ſua libratus pondera verſus habet.

Reliqua ubi confecero, te dabo judicem, an digna ſint, quae *Euphrenii* verſibus conjungantur: Nam & hic ſine dubio inter encomiaſtas erit. Leges itaque *πάντα γελοῖα, καὶ οἷς ἵππος ἵππων*, digna patella opercula, nec quales tu verſus facis, ſed quales ego vel Cluvienus. Nunc ad ſeria. Velim te Heſiodi editionem, niſi jam alteri deſtinata eſt, Ordinibus foederatarum regionum dicare. Nam Dominis *Scaligero*, & *Douzae ἐκ τῶν ἐπῳδικίδων*, aut ex poëmatis tuis ſa-

tis

tisfieri poterit, si ita videbitur. Haec amicitiae jure scripta boni consules, & me videbis, si potes, cum tuo illo, odisse profanum vulgus, & istam encaeniorum frequentiam, hoc est stultorum ferias. xv. Cal. Quintiles Anno MDCII.

EPISTOLA CXL.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinsio.

Leidam.

IRascor, si aut irasci me posse putes, aut omnino aegre ferre, quod ad constitutum non adfueris Quid enim mirum, si totus orbis suum te sibi vindicavit? & quia mecum, ut cum Jurisconsulto, agere voluisti, cave putes tam incivilem & adversum te μονομερῶς calculum feram. Quod autem versus promittis, bene est; nec possum desperare, cum etiam in litteris tibi Pentameter exciderit. At Jambos etiam meos laudas, ἐγὼ δέ πς ὑ παχυπειθής. Aliter nobis, quam Apelli & Protogeni accidit. Lineam enim, quam conspiciendam reliqui, tu, ubi libitum fuerit, tanta subtilitate vinces, ut necesse mihi videam & penicillum & tabulas abjicere. Rectissime fecisti, quod istum hominem, τὸν ὠδὸν ἐι μὴ τύφον, pacasti quatenus licuit. Quid enim necesse est inimicitiis gravari eorum etiam, qui amici prodesse non possunt. Idyllium tuum, & Elegiam toties hodie legi, ut, si quid unquam, haec certe in succum jam abierint, & sanguinem. Nihil est edisci dignius, non modo a nobis, qui quovis Magistro libenter utimur, sed illis quoque ardelionibus nostris, qui adeo sciunt omnia, ut nihil relinquant caeteris: De Poëmatum meorum editione mecum delibero. Si quid erit seligam meliora, & finiam lusus, quos hactenus excusat aetas. Certe nihil est, quod aut *Scaligero*, aut Legato, aut tibi negare possim, qui urgent, & instant, reliquos parum moror. Hoc certum non aliter me vulgaturum mea, nisi tu & tua promiseris. Nolo enim credant peregrini ulla ex parte me ad fastigium illud Poëtios accessisse, quo aditus datur Belgicis etiam ingeniis; id tu proba, si me amas. Vale, juvenum quotquot sunt, eruditissime, ὁ δύναμαι γλυκερώτερον ὠδὸν ἰδιάζ. 11. Aug. Hagae Comitatensi. CIↃIↃCII.

EPISTOLA CXLI.

HUGO GROTIUS

V. C. *Danieli Heinsio* S.

Leidam.

CLarissime juvenum. Martialem totum perlegere nondum licuit: Notas tantum *Gruteri* nostri percurri, & nonnulla passim Epigrammata; Tuo ju-

judicio permittere placuit, quicquid inter legendum venit in mentem, quale eſt illud, quod dixeram unum eſſe Libro quinto Epigramma, quod in duo dividitur, inſcriptum numeris XIX & XX. Nec minus LX & LXI. libri duodecimi, cui ſimile eſt, quod in Priapeis dixeram de LXVIII & LXIX. Libro I. Epigr. LIII. verſu, qui ante penultimum eſt, *offendit*, quod in manuſcripto reperitur, verum puto, quamquam *Gruterus* mavult *offundit*: *offendit* ita dictum, ut ſupra *violat*. Liceat mihi facere quod *Gruterus* ſaepe, nec ſatis commode meo judicio, ut interrogationis notam inſeram Epigrammati XIX. Libri II. cujus verſus ſecundus ita legetur melius.

Felicem caena Zoïle? deinde tua?

In Epigrammate ejuſdem libri XLIV manuſcriptus habet verſu ſecundo

Seu tres, vel puta quattuorve libras.

Conjeceram unius litterae mutatione *ſelibras*. Sed dubito. Epigr. LVII verſum penultimum reſtituere ex lege Pedia facile ſit vel puero

Oppigneravit Claudii modo ad menſam.

Nec minus in proclivi emendare verſum quintum Ep. quinti Lib. III. *quaeres*: nec monerem, niſi ſcirem haec tam levia praeteriri ſolere. Nam quis non miretur omnes hactenus editiones, & hanc nuperam omnium emendatiſſimam Libro III. Epigr. LVIII. praeferre corrupte, *Furemque Priapo.* cum illud *que* πλεονάσμος tam certum ſit, quam Anapaeſtum illum locum non admittere. Non negabis eodem libro Epigr. LXXVII. in fine κοπροφαγῆς verum eſſe potius, quam σιπροφαγῆς. in Epigr. LXXXII. *pro Maſſilianis* finis Scazontis *Maſſilitanis* poſtulat. Epigrammate XCI. in fine vide an non pro *cervo*, *ſervo* ſcripſerit Martialis, quia ſupra *fugitivum* dixerat, ut ſit παρονομασία, non ἀναφορά. Epigr. XCIII. ſcribendum eſſe

Et anatis habeas orropygium macrae.

Sciunt qui Graece non neſciunt. eodem Epigrammate lego.

Quid ſurire ſi velit ſaxum?

Surire eſt καπρᾶν. Emendavimus elegantem locum in Arnobio circa principium libri primi, *non eſuriunt, nec concipiunt?* legendum eſt *non ſuriunt?* Quod vero dixit *ſaxum ſurire*, ſimile eſt ei, quod alibi dixit de Niobe. Epigrammate LXI. Lib. IV. in fine verſus luxatus eſt, nec aliter ſanari poſſe video, quam ſi legas,

Aliquando narra quod velimus audire.

Epigrammate LXXIII. miror cur *ſtamina pulla*, in textum non receperit *Gruterus*. Epigramma LXXVIII. vix puto γνήσιον, praeſertim cum abſit a manuſcripto, nec ſapiat Martialem. Tu ariſtarchus judica, an ſit παρεμβεβλημένον. Certe ne illud quidem, quod penultimum eſt eodem Libro, Martialem redolet. Vide an Libri VI. Epigramma XII. ita poſſit expleri.

Numquid, Paule, numquid pejerat?

in Epigrammate LXXXVI. *Epotet*, pro *Et potet*. verum eſt: an pro *calidam* legendum ſit *gelidam* ex ſententia primi verſus addubito. Epigr. XLIV. libri IX. Diſticho quarto *Numen* pro *Nomen* reſtituendum eſſe arbitror. Libro X. Epigr. XXXVII. *capta marte* non improbarem, niſi in MS. eſſet *male*: legendum itaque

maele, cujus fere Plinius meminit, & Gratius. Vulgo *taxus* dicitur. Epigr. I. Libri XI. vide an probes ex vestigiis MS.

Nunquid Parthenium videre certas?

Miror, quid in mentem *Grutero* venerit, qui Epigr. VIII. *Penelope* dativum Graecum sua auctoritate ejecit, ut Latinum substitueret. Epigr. IX. pro *curvo quae cadit aura croco*, *Cilico* in mentem venerit, nec sine exemplo. Sed nondum mihi persuasi. Epigramma LI. mutilum est, idque patet ex sententia & judicio manuscripti. In Epigrammate LIX. in Telesphorum haeret *Gruterus*: ego non procul recedens a vestigiis manuscriptorum bonam effecerim sententiam, hoc modo

Cum me velle vides. tecumque Telesphore sentis,
Magna rogas. puta me velle negare. licet?
At nisi &c.

in libri XII. Epigr. LV. versum quintum expungo auctoritate Manuscriptorum, sextum transfero, ut praecedat illum, *Ne sint basia*. Lib. XII. Epigr. XCIX. *in comatis* duas esse voces, contra quam omnes editiones habent, certissimum est, Postrema illius libri Epigrammata non puto esse τῦ πήτου. In Xeniis Lemmate LXIX. *dominae* probabis prae *domino*. neque enim Imperatorem intelligit. Lemmate XCV. lege

Constat quot mihi morte canum.

In Apophoreton LII. *Gestarit modo*, probum & acutum est. in CV. cur Gruterus *deerit* ex Palatino non praetulerit vulgato *desit*, haud video. idem judicium de CXLIII. ubi *consumunt* certissimum est. In CLXXXII. ex Manuscripto, qui habet *forris* lego.

Ebrius haec fecit formis puto monstra Prometheus.

In Epigrammate CXCVI. vera est *Gruteri* lectio, quam confirmo simili sententia Epigr. LIX. Lib. IX, V. Lib. I. LV. lib. V. De hisce omnibus sententiam tuam poscam, ubi ad lectionem Horatianam venero. Indicabis mihi diem, si placet, & mittes Elegiam. Tu Epigrammata accipe, quae promiseram, & vale quam optime, ne quid de fatis queramur. IV. Kal. Sept. Anno CIↃIↃCII.

In autographo adjectum erat epigramma, quo *Heinsio* gratias agebat pro misso Auriaco & Jambis, quod legitur in Poematibus *Grotii* pag. 223. sed adjectum etiam Graecum epigramma, quod legitur in libro adoptivo Heinsii pag. 641.

EPISTOLA CXLII.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinsio.

Lugdun.

EQuidem absentiam tuam, Clarissime Heinsi, diutius non fero, tu tamen & *Neostadium*, & me frustratus es. Ego *Myrtilum*, quem per *Gisbicium* po-

popoſceras, nunc demum mitto, occupatus hactenus nuptiis [1] *Barneveldianis*, quibus factum eſt, ut nec dies nec noctes habuerim utiles. Mitto tibi Epithalamion, & de eo expecto judicium tuum praeſentis potius, ſi ita videbitur, quam per litteras. Utinam extorquere tibi amicitiae jure poſſim libertatem illam, fidemque judicii, quam certe mihi debes; ſed ut auribus meis nihil volo, ita nolo plane improbes carmen, quia fuſum eſt fere, ut nos dicimus, ex tempore. Ridebis me ſcilicet, qui cenſori leges feram. Tu tamen hoc patere, & vale. VII. Febr. An. CIↃIↃCIII.

1 *Mariae filiae* magni *Oldenbarneveldii*, quae nupta *Cornelio vander Myle*, & quas nuptias celebrat *Grotius* lib. III. ſilvar. p. 86. & lib. I. Epigram. p. 226.

EPISTOLA CXLIII.

HUGO GROTIUS

Daneli Heinſio S. D.

Leidam.

FAcis pro humanitate tua, quam nemo me ſaepius experitur, quod occaſionem mittendi ad me Appiani tam diligenter occupas, atque adeo amiciſſimo juveni mavis imperioſus eſſe, quam mihi inobſequens. Vides, mi Heinſi, quam familiariter tecum agam, qui & hoc officii genus nuper a te poſcere auſus fui, & nunc ita accipio, quaſi aut hoc mihi, aut omnino aliquid debeas: Quod tantum abeſt tamen, ut agnoſcam bona fide nulli me tam beneficiis obaeratum eſſe, quam tibi. Utar itaque eo libro non mihi Hercule, ut tu recte ais, ſed pluribus; non tamen tibi, quem tam eruditum lectorem jam dudum deprecor. Et tu tamen quas non laudes, quae non praeconia mihi, & quaſi obiter ingeris? In quibus equidem ſi quid agnoſcam, praeter amicitiam, & liberalitatem tuam, ne inter mediocriter inſipientes quidem ponendus ſim. Sed quemadmodum magnus ille mundi oculus, cum in caetera aſtra per ſe lucis egentia, tum in ipſam quoque ſiderum plebem jubar atque aureum illud lumen transfundit coeleſti largitione, quod tamen ſolius ſuum eſt, ita tu, cui injuriam fecerit, qui juventutis tantum litterariae principem dixerit, gloriam ſplendidiſſimam ingenii, atque eruditionis tuae nobiſcum communicas, qui in eodem quidem ſpatio tecum currimus, ſed ignobili ſtudio atque aeterna nocte damnamur, niſi quantum prohibent radii ſideris tui. Sed ut ad mea redeam, (nam huic quidem ſententiae, quam hactenus meditor, paria non invenio verba, & me ſpiritus, ut vides, deficit) gratiſſimum feceris, ſi Librum ejuſdem Appiani, quem Libyca ipſe inſcripſit, aliquando ad me ablegaveris. De [1] Pandora, quo diutius cogito, quo verius video, quod tu dicebas τλὸ τὸχλω ſignificari, non qua τῇ Φύσει, aut qua τῇ τῦ θεὸς προνοίᾳ ἀνπίθεται, ſed qua objicitur τῇ προνηθείᾳ, quae ſunt quodammodo ἐναντίωμένα, ita ut Ariſtoteles recte dixerit τλὸ τὸχλὸ ϗ τλὸ τὸχλω πρὸ τῶ

1 Vide ad Epiſt. *Gronovii* & *N. Heinſii* LXXVII.

ἀυτὸ ἴναι, quae eſt definitio adverſorum. Quemadmodum & in Menone Plato opponit τῳ τύχῳ τῇ ἀνθρωπίνῃ ἡγεμονίᾳ. & Libro IV. de Legibus τῇ τύχῃ. Ariſtoteles ſaepe τῇ βιαίῳ καὶ τῇ ἀνθρωπίνῃ βλαυσίᾳ. Haec ſane vulgaria. neſcio quid majus haerebat memoria cum nec authorem, nec ipſam omnino ſententiam reperire potui, ἐμὶ γὰρ βιλήσμων: ſed vocor a D. Legato: ad quem eo hanc feſtinationem boni conſules. Cal. Mart.

EPISTOLA CXLIV.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

SI litteris tuis parum ordinate reſpondeam, veniam dabis: nam profecto ex quo eas legi vix apud me ſum: adeo iis turbatus ſum, adeo indolui, ut nunc demum ipſe ſentiam, quam te amem & colam. Tune, ut ſerio vaſa colligas, & deſiderium relinquas tui, cui medius fidius non ego par ſim? Tunc, ut ejus bibliothecae, quam tu in ſpem publicae utilitatis comparaſti, quae te poſſeſſore facta eſt pretioſior, vel minimum divendas, ἐμοῦ ζῶντος, καὶ βλὶ χθονὶ δεχομένου. Nunc ego demum fortunarum mearum tenuitatem deploro, quas hactenus aequo animo tuli, quod non juſtiſſimis tuis querelis aliqua ex parte poſſim ſuccurrere. Serio, ſerio loquor, mi Heinſi, & ita me magnus ille Deus amet, quidvis potius ſum facturus, quam ut patiar mihi melius eſſe, quam tibi, ſiquid poſſum. Quod tamen potui, id feci: & quidem ne litteris opus fuiſſe credas, quibus ſocordiam meam excitares, jam locutus eram *Neoſtadio* vehementer, & ut vere dicam, accuſatorie; Liberaliſſime promiſerat operam ſuam, ita tamen, ut commune ſecum *Douzae* vitium τῆς ἀπειθείας fateretur. Preſſi hominem, dum polliceretur non parſurum ſe authoritati ſuae, ac negotium tuum quavis ratione perpelleret. Dixit ſcire velle, quantum deſideres. Dixi id verecundiam tuam, & genus, & fortunae priſtinae reputationem non pati: ipſorum eſſe ut ultro occurrant neceſſitatibus tuis. Peregeram hanc cauſſam, quum illud mihi tuum fulmen affertur, quo ita ictus ſum, ut continuo inflammato animo ego me ad eundem proriperem: nam *Douzam* quidem convenire id minus nihilo eſt. Ego confeſtim, nihil mirum eſſe, ſi Academiam fungis quibuſdam, & umbraticis doctoribus plenam haberemus, cum viderem palam, & quidem ex profeſſo in te eruditioni omnem contumeliam infligi: Nec minus acriter egi, quam tu ſcripſeras, non quod ita expedire arbitrarer, quamquam hoc quoque, ſed quod aliter non poſſem. Ille errorem accuſare D. *Seyſtii*: contra mandatum eam honorarii tui perſcriptionem factam. Dixi me ſcripturum tibi, quod nunc facio, ut *Seyſtium* ea de re moneas, qui ſi errorem corrigere ſuperſederit, inſtrumentum ad me mittas, effecturum ut hîc ab ipſis Curatoribus emendetur. Id nunc ſi tuto fieri poteſt, experiamur illorum fidem: ſin minus audes cuiquam chartam credere, mi-

Digitized by Google

mihi ſcribe, ad te veniam, & mecum feram: nihil mihi moleſtum erit, quod tui retinendi cauſſa fiet. Addidi *Baudio* deſtinatam horam docendi, eandem quam tibi, ut vos homines ineruditi inter vos committerent, ſimulque curarent, ne cuiquam frequentius eſſet auditorium, quam ſibi. At Hercule melius ſtudioſos de magiſtris ſuis, quam Curatores judicare, cum iſti quem ſequerentur ſcirent, hi quem honorarent, neſcirent. *Neoſtadius* reſpondit, non placere ſibi Profeſſores eam auctoritatem, quam hactenus, uſurpare in lectionum tempora: Sibi ea curae fore. Atqui, inquam, maturato opus eſt: Itaque vult tranſmitti ſibi deſcriptum indicem omnium lectionum, quod velim cures, ſi fieri poteſt: nam qui publicati ſunt, non puto eos ita habere, ut nunc uſus eſt. Conſilium dedi, ut dum aeſtas eſt, *Baudius* hora ſeptima matutina doceret. Id illi placuit. Semper ad id recidebam, non ſatis tibi proſpectum: ad haec modo aerarii inopiam, modo Conſulum inſcitiam excuſare: ad extremum polliceri, ut ante quoque fecerat, ejus ſe rationem habituros plane, ne ſinerent jactare alias gentes eſſe quemquam apud ſe magnum, quem Batavi expuliſſent. Sed, inquam, tricones eſtis: properandum eſt. Cum iterum Comitia procul, & alia neſcio quae afferret, meam illi ſententiam dixi, quam continuo probavit, ad praefationem *Baudii* eos recte facturos, ſi convenirent; tunc hoc quoque negotium peragi debere. Recepit facturum. Sed iterum voluit edere te, quanto remedio opus eſſet, ut malis tuis medicina fieret. Dixi, ne quaererent quid tu, ſed quid dignitas tua flagitaret: dandam illis operam, ne ſoli litteratorum Heinſium ignorarent: me nunquam deſiturum ipſis moleſtum eſſe, dum id impetraſſem. Probavit hanc vehementiam meam in cauſſa amici, & voluit haec ad te perſcriberem. Habes hiſtoriam brevem horarum aliquot, jam te monebo. de inſtrumento dixi, & indice lectionum, ea ut mittas, ſi commode fieri poterit: ſin minus, me adfuturum. Nolo quicquam cogites de diſceſſu, antequam tibi loquar, & tu mihi. De *Douza* ex induſtria differam: neque enim is eſt, quicum conſilia communicari oporteat. Poſtea viderimus, ubi inter nos convenerit, quid ultra agere oporteat. Niſi mihi perneceſſaria quaedam incumberent, & quae moram non patiuntur, jam apud te eſſem: & ſimulatque licuerit ero: niſi tu quippiam mandabis. Interea, ſi fieri poteſt, iraſcor tibi, quod etiam adeo iniquus mei aeſtimator ſis, ut nummos neſcio quos, pro tabellarii mercede miſeris: quaſi aut hoc aliquid ſit omnino, aut ſi aliquid eſſet, amicitiae noſtrae ratio calculis debeat ſubduci. Non faciam idem, ne me videar vindicare. Vale φίλον κάρα, ἐγὼ δὲ τῇ παρούσῃ τύχῃ μαχεσθόμενος. Reſcripſi eodem die, cujus meridie tuas acceperam. xxv. Maji. Hagae. CIↃ IↃ CIII. Ad *Hogerbetium* eadem hora curavi, qua acceperam.

Digitized by Google

EPISTOLA CXLV.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio S. P.

Leidam.

QUantam me cenſes injuriam aeſtimare, quod petitioni meae non ſatisfeceris in indicando tempore praefationis tuae. An tu nullos niſi Lugduni amicos habes, quos dignos putes, qui te audiant? Sunt certe & Hagae, qui gaudeant a te diſcere. Nam de Legatis quidem Palatinis, quibus idem ſignificare omiſiſti, video fere quae tibi detur excuſatio: verecundiam ſcilicet tuam, & alia ejuſmodi praetexes, & jam fecit tuo nomine *Baudius*. Iſta mihi dici non poſſunt, ſiquidem ſum, quod unice ambio, amicus tuus. At ego Hercule melius tui memini, & jam emendatum inſtrumentum ad te miſiſſem, niſi diſtuliſſem in eum diem, quo te praefantem auditurus eram, quem tu mihi eripuiſti, neſcio quo meo merito. Scribo itaque nunc paratum eſſe. Cur igitur, inquies, non mittis? quia non auſim homini ex vulgo committere & certum amicum, per quem curem, non invenio. Ipſe potius ad te veniam hebdomade proxima. Nam nunc quidem admodum impedior. Legati noſtri propediem diſcedunt. Vale, amicorum maxime, & poſthac noli obliviſci mei, ne cogar tibi iraſci. pridie Cal. Jun. CIↃIↃCIII.

P. S. Accipio jam litteras tuas, quibus ecce reſpondeo: Nomen alteri legatorum eſt *Georgius Michael Lingelsheimius*: alteri [1] *Joannes Germandus* Conſiliarius uterque Principis Sereniſſimi Palatini Electoris: ſed ille ſanctioris conſilii. Magnificentias, Amplitudines, Claritates, & ſi quae ejuſmodi ſunt hujus ſaeculi monſtra, tu ſupplebis ex more. Miſerunt mihi ſculptores reſidua exemplarium [2] currus velivoli: poſcunt cautionem: ſed non meminerunt etiamnum debere ſe mihi duo colorata, quae ubi praeſtiterunt, dabis illis inſtrumentum. Vale, maxime amicorum.

1 Illi carmina ſcripſit *Grotius* lib. 1. Farrag. pag. 174. & lib. 11. pag. 186.
2 In quo exercuit Poëticam venam *Grotius*. vide poëmat. pag. 157. 264. & ſeq.

EPISTOLA CXLVI.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

ADeone tu me, quem certe eruditione immenſum anteis, etiam officiorum benignitate praecurris? nam hodie quoque occupaſti me jam jamque ſcripturum; nec ego invitus tibi aut culpam hanc, fateor, aut gratiam debeo, quod prior interpellaſti inofficioſum illud ſilentium. Didici, didici jam dudum cedere, non quidem omnibus (nam non ita natus ſum) ſed Heinſio meo, quem

Digitized by Google

quem nunquam ita amo, ut non ſimul admirer. Idque mihi in literis tuis modo accidiſſe ſentio, quae me non minus ſuo lumine perculerunt, quam permulſere amoris leniſſimo vapore. Unum me in dolorem dedit; quod de convaſatione etiamnum cogitas. At certe dixeram ne quid molireris, ante conventum Curatorum, hoc eſt praeſentiam *Neoſtadii*, quem unum hactenus excuſo. Quaeſo, largire mihi hanc patientiam: tum ſi non tui habebitur ratio, potius tecum in exilium eo, quam ut te prodam. Poëmata mea reviſere mihi hactenus non vacavit: neſcio, mi Heinſi, quam totos mihi dies furetur ingratum illud forum. Crede mihi, & gratulare fortunae tuae. Longe aliud hoc eſt, quam Academia. Nam lites noſtrae, praeterquam quod homini etiam diligentiſſimo moleſtiam exhibent, & minime conveniunt ingenio tam pacato, qualia ſunt haec noſtra, tum offenſarum apud adverſarios plurimum habent, gratiae apud clientes parum, gloriae apud caeteros, paene dixeram, nihil. Vix ego emerſi, ut paulo plus eſſe viderer, quam caeterum vulgus togatulorum noſtrae aetatis: idque actionibus aliquot, quae ſatis feliciter ſucceſſerunt. Tamen neutiquam labori par fructus eſt, & niſi per has ſalebras eo eſſet enitendum, ut nos quoque eſſemus aliquando in Republica non aliena, plane ſudores iſti & vigiliae amico tuo perirent. Hoc enim tempore, quod ſcribendo cavendoque impenditur, quantum rerum bonarum diſci potuit, quas tu doces! Eſſem certe paulo magis philoſophus, in Graecis paulo minus peregrinus, in antiquis vero moribus, & in Poëtis &, quicquid eſt, Philologis, aliquanto verſatior. Haec cum cogito, quo me maerore affici putas, qui ſcis quam liberali ſim ingenio, quam mihi diſpliceant artes, quae, ut maxime non ſunt, tamen videntur ſordidae: ſolare me, ſi potes: tibi hunc maerorem meum commendo, quo certe in dies magis magiſque conficior. Ipſe non credas, quam haec mihi ſint ſeria. ſed ad Poëmata redeo: vix puto e re mea fore, ut te abſente, aut tuis ante vulgatis, experiantur lucem: poteram latere ſub tuo fulgore. quid nunc commendabit illos, ut leviſſime dicam, abortus meos? Haec tamen ita dico, ut de abitu tuo nihil adhuc velim credere: tua prius vulgatum iri etiam ſperem. Ita arbitror, multo mihi plus famae acceſſurum ex editione carminum tuorum, ſi mea Lectores tui tantum quaeſiverint. Magnus ille Poëta diadematus egregie fefellit [1] hiantem, ſcis quem velim. nihilo plus habet, quam meritus eſt. Nugas attulit: inanis redit. Pandorae tuae gratulor, quae ſola tanto viro potuit imponere. Itaque nunc illa vere mihi, quod dicitur. Sed te, mea lux, quando videbimus, Vale 21. Julii CIↃIↃCIII. Hagae noſtrae:

1 De *Baudio* agi conſtat; qui ſpe pecuniae in Angliam abiit, ſed inanis rediit, unde ſaepe in Epiſtolis ſe reges ſibi debendi reos habere jactat. quis vero ille ſit, qui eum pellexit in Britanniam & fefellit hiantem, doceri vellem. vid. & Epiſt. mox. CXLIII.

EPI-

EPISTOLA CXLVII.

HUGO GROTIUS

Daniel. Heinsio.

Leidam.

VEniam dabis silentio hactenus, & nunc incuriosae scriptioni. utrique in caussa febris, quae me corripuit vehemens admodum, & primo paroxysmo totum perdomuit: ex quo malo hunc fructum cepi, ut cum gravioribus studiis vacare prae nimio capitis dolore non possim, interim mea Poëmata tuo jussu concinnarem. [1] Silvarum libros quinque jam collegi. Nunc sum in Epigrammatis. Ubi primum per morbum licuit, haec non sine molestia exaravi, ad caetera tua tum respondebo, cum paullo ero validior animo & corpore Aut potius ipse veniam: nisi tibi melius vacaverit ad nos transcurrere: quod pervelim: Locutus sum heri de te D. *Neostadio*, & quamquam serio semper, nunc tamen solito vehementius, quod lenta remedia improbarem in ejusmodi malo. Testatus sum Deum, & conscientiam animi mei, quicquid hactenus de te monui, id me Academiae & Curatorum caussa fecisse, cum sine horum ignominia, illius jactura, nulla ratione dimitti posses. Tribuisse deinde aliquid amicitiae nostrae, sed hactenus, ut si cum commodo tuo fieri posset, mallem te minus procul a me abesse. Scire me nunquam tibi minus esse posse, quam nunc est: nusquam te indignius haberi posse, quam ubi praeclarissimam operam navasti. Esse Lugduni, qui ista contumelia, an rerum omnium bonarum insscitia, respicere te supersederent. Adversus eos, si in ipso & *Douza* nihil esset remedii, si quod autem esse posset, in ipso esse debere, me non eo usque persecuturum amicitiae meae compendia, ut deditum te velim publicae ingratitudini. Cum deinde exempla attulissem eorum, qui in Galliis uberrimos quaestus ex litteris fecerunt, Academias quoque, quae Professores tuarum litterarum summopere requirerent, multumque verba commutassemus, atque ego, uti est, dixissem omnino non minari te abitum, quod scio plerumque aegre ferri, sed in hoc esse, ut serio discessum moliaris, & praelum te, non Academiam morari, sancte mihi affirmavit, invitissimis omnibus (scis quos, dicam) perfecturum se, *Douza* tantum astipulante, ut hic pro dignitate tua habearis, ne quid ultra sit, quod tibi fugae consilia impellat, nec passurum, ut ulla justa ratio sit, cur nos deseras. Dixi, si id ita fiat, ut jure te retineri homines aequi judicent, intercessurum me pro amicitia nostra, ne magis nostri taedio, quam injuria affectus profectionis cogitationes iniisse videaris. Haec significata tibi volui, Clarissime Heinsi, &, quo ea de re acturi sint, praestitutum diem disputationis Arminianae; tunc enim necessario illis coëundum erit. Venissem ego ad Baudianam praefationem: sed forensia negotia me Brilam traduxerant. Veniam ad te prius forte, aut si id fieri non potest, cum Curatoribus. Quaeso ne molestum tibi sit adire mea caussa Illustrissimum *Scaligerum*: & gra-

1 Tres tamen editi tantum fuere.

gratias ei ingentes agere pro tranſmiſſo Procopii fragmento. Deinde dabis ei haec currus mei exemplaria, quae, ſi incommodum non eſt, amicis ſuis in Galliam mittere poterit. Vide etiam, ſi placet, an *Scriverio* nullum exemplar ſit. Accepi modo litteras ab iſto noſtro, quem ille Magnus τῆς εἰς Βρεττανίαν πλόϊμος ἐφόλκιδα dicebat, amiciores ſane quam oportuit. Nec dubium eſt, quin ingentis beneficii loco ſit mihi imputaturus, quod prior mihi, & ut non plane indigno amicitia ſua ſcripſerit. Tu vale, Juvenum maxime, & eo me honore affice, cujus ſum ambitioſiſſimus, ut ſciant omnes, me tibi placuiſſe. Hagae Comitatenſi. XXVIII. Julii CIↃ IↃCIII.

EPISTOLA CXLVIII.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

VIde quam me velis erubeſcere, qui impudentiam & importunitatem vocas, quod me *Murdiſonii* cauſſa juſſiſti *Mylium* accedere, quod certe vel ipſi, ſine tua commendatione poſtulanti, ſcis me non negaturum fuiſſe. Ego vero quod nomen meae culpae inveniam, qui te non ad *Mylium* aliquem, ſed ad homines ſpurciſſimos ablegavi? Tamen ſine ulla excuſatione id auſus fui, cum tu tamen te reprehendas, quod meis officiis utaris. Itaque aut mihi abſtinendum erit poſthac ab ejuſmodi familiaritate; aut tibi tacendum. Facies autem melius, ſi quo ſimplicius meam operam poſces (eſt autem exigua, & certe ad res paucas optabilis) eo me tibi amiciorem fore confides. Nunc quoque ſentio me non ſatis reverenter tecum agere, ſed dabis veniam amori. Haec tantum ſcribere placuit, ne me ſegnitiae accuſares, plura adderem, ſed neſcias quam occupatus ſim, in eo, quod brevi videbis. Vale interea, ſidus noſtrum.

EPISTOLA CXLIX.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio S.

Leidam.

MErito tibi iraſcor, quod tam pertinaciter nuper me fugeris: nec ignoſco, niſi culpa emendetur. Ut ſcias igitur & poenitentiae & veniae locum eſſe, cito te, ut coram cauſſam dicas, cui uterque vacare jam poſſumus, dum auditoria quieſcunt, & friget forum. Sin veniendi copiam ejuras, adero ipſe injuriae meae exſecutor. Vide tibi caveas ab illis hominibus. qui bilem habent, etiam quam venditent. En tibi *Junghermanni*, ut arbitror, litteras, quas accepi cum ejuſdem ad me, & *Lingelsbemianis*. Salutem tibi ab illis aſſcriptam nuntiare paene ſupervacuum eſt, cum mea poſſis contentus eſſe: niſi me-

melius fidis illorum voluntati, quos nunquam offenderis. Longi Poemenica nescio an audeam a te poscere, ne forte putes eo beneficio redemturum me offensiones meas. sed heus tu *Jungbermannum* illum suaviter decepisti: Soles nonnunquam mihi, homini misero, sine metu talionis, in libris tuis magnitudine praeconiorum illudere. Ille quod arbitratur, credo, te familiaritatis consortio non minus mihi eruditionis, quam laudis affricasse, titulum unum ex illis, quem mihi cum nugari libet, perquam odiosus laudator imponis, ita adscripsit, quasi perpetuum epitheton esset, aut gentilitium aliquod cognomen. Denique tu me facis omnia, cui multum debebo, si posthac sodalis & congerronis tui Στίλπωνα non contempseris. VI. Jan. Anni CIↃIↃCIV. Hagae Comitatensi.

EPISTOLA CL.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinsio.

Leidam.

SCribo ad te, sed *Meursii* rogatu, quod tamen ita te scire oportet, ut ille nesciat. Apparat igitur Lexicon Barbaro Graecum, quale *Rigaltius* vulgavit. nosti laborem, in quo ingenii nihil, industriae non multum requiritur. Legit auctores plerosque & excripsit. hoc illi placuit Lexicon vocare. Restant legendi Zonaras & Cedrenus: quos a te petere non cupit. Me submisit, qui illius gratia mentirer, & dicerem opus mihi illis auctoribus, ad quos videndos otium non est. Nescio an habeas. vix puto, quia raro inveniuntur; neque magnus usus est. Si ita est, scribes te non habere, sed ita quasi mihi petiverim, ut possim illi tuas litteras ostendere. Sin quid adjicere libebit, quod inter nos maneat, fac a litteris separes. Ego hoc magis illi negare nihil debui, quia videor offendisse hominem, quod rogatus Encomium scribere Meditationibus, Epigramma scripsi, nec tamen, ut ille, de sole, aut saeculo, sed liberale praeconium, & quo putabam ipsius quoque arrogantiae satisfieri posse. Nunc video inexplebilem, ex quo me coram meos versus legit fronte corrugata, tristis, an indignabundus, & ad singula prope verba subsistens, quasi cum dignitate sua expenderet. Est id Epigramma hujusmodi [1].

Si bene te novi, tu, ut ego, dices, [2] *nescio quid faciet.* Sed vale & ride, meum & litterarum decus v. Febr. CIↃIↃCIV.

1 Quia lib. 1. Epigram. p. 231. legitur, hic omittere visum.
2 Haec verba erant ultimi versus in epigrammate, quod vide.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CLI.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

QUod mihi diſcedens mandaveras promptiſſime exſecutus ſum, ut ſane debui tantis jamdudum beneficiis, & recens tam illuſtri munere obligatus. Affirmat *Hogerbetius* locutum ſe de tua re *Seyſtio*, eumque id in ſe recepiſſe, quaſi haud dubie confecturum. Caeterum metuo, ne ille domeſtica calamitate impeditus comitiis Curatoriis non interſit. Ita in ſolo *Duyckio* ſpes eſſet: niſi quod & *Neoſtadius*, tum ab *Hogerbetio*, tum a me (ſi quid hoc tamen eſt) ſerio admonitus videtur, in re tua inchoaturus eam authoritatem, quae ejus collegii principem docet. Aeque tecum eventum deſidero. Valere te opto, precor vobis omnibus fauſta omnia, & Academiae egregium rectorem. τὰ γὰ ἄλλα ἀδὴν κεχευτᾶ. 4. Febr. CIↃIↃCI.

EPISTOLA CLII.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

JUſſit me D. *Neoſtadius* ad te ſcribere, de re, quae ad te non minus, quam ad illum pertinet. Eſt enim communis Academiae veſtrae, cujus honorem ſcis dictatoris ſui flagitio profanatum. Cupit igitur D. *Tuningium*, & D. *Baudium* a te conveniri, ut tres, qui ſimul iſti convivio interfuiſtis, quod literarum nomini probroſiſſimum fuit, ſumma capita earum rerum annotetis, quae maxime ſcire D. *Neoſtadium* publici intereſt. Nam etſi ad ultima remedia veniendum non erit, moneri tamen debet vir ille, non alio magis nomine celebrior, ſi ſuam famam vilem habet, attamen parcendum fuiſſe honori Academiae, & muneris: deinde ne quid tale iterum poſthac committat, fiducia ſacroſanctae poteſtatis. Annotabitis autem ea maxime, quae in ancillam D. *Scaligeri* protervius dixit; nam quae illi cum D. *Vulcanio* interceſſerunt, quanquam minime decent utriuſque dignitatem, tamen inconſultum ira, & altercandi calor excuſat. Iſta autem in feminam dixit haud dubie non provocatus. Si quid tamen & de jurgiis iſtis memorabile ſuccurrat, veſtrum erit monere, ſi quidem D. *Neoſtadio* gratificari vultis. Nec eſt quod vos remoretur: neque enim teſtes in judicium vocamini. ſed ſuggeri tantum ſibi Curator cupit ea, quae conſcientiae illius in publico conventu objicere poſſit. Etiam alii interrogabuntur. Vos quicquid ſcribendum videbitur (& Hercule licebit manum diſſimulare) mittetis ad me aut ſi mavultis, paratum habebitis in adventum D. *Neoſtadii* (futurum dixit Jovis die) cui occulte tradatur. Vale, lite-

rarum columen: & Clariſſimos, quos dixi, collegas a me ſaluta. III. Maji. CIↃIↃCIV.

EPISTOLA CLIII.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

PEſſimum commiſi facinus, quod tanto tempore (& ſane ut eſſet breve, non potuit te abſente mihi non eſſe longiſſimum) literis amicum non compellavi. Idque maxime vereor, ne forenſes tricas mihi putes tanti eſſe. Fuit autem vel nunc certe mihi feſtinandum, cum te video iſto cum homine magno, ut ſeſe aeſtimat, literas commutare. An tu reris hunc ſacrum, atque caeleſtem amorem minus habere aemulationis, & invidentiae, quam illi vulgivagi ſolent? An me vereri non putas, ne illum, Regio ſpiritu ſceptra ſibi votis admetientem, praeferas homini miſero, & cui ſatis ſit in toga ſeneſcere? Sed tamen ſerio, mi Heinſi, neſcis quantum illi ad arrogantiam, quod minime crederes (pervenerat enim ad ſummam) accreverit ex neſcio qua domini pollicitatiuncula, qua nunc ita elatus eſt, ut nec ſe, nec quenquam noverit. Ex eo me non ſalutat. nam ego privatus ſcilicet parebo iſti a ferula ſua venienti. Habet hercule mirificam virtutem, quam *ἀναιδίαν* vocant: & ei nunc proſtant omnia: nec dubium eſt, quin *περιπλήσειν ἑαυτῷ* facturus ſit aliquid magni. Tu ergo recte, qui talem tibi fautorem in tempore concilias: Nam niſi ita conſulimus rationibus noſtris, timendum eſt ne & ego vulturiolus togatulus eſcam non inveniam, & teipſum ne tua quidem Pandora prohibeat a fame. Haec libuit jocari, ne tam vaſtum poſthac ſilentium eſſet. Vale, lux, & ſpes mea. CIↃIↃCIV.

EPISTOLA CLIV.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

IRaſcentem me negotiis meis (quae exigua quidem, ſed tamen multa ſunt) quod tanto tempore ne litteris quidem tecum conjungerer, deprehendit belliſſima occaſio, quae debetur [1] *Garnandiſto* noſtro. Is cum & literis & inſcriptione problematum ſuorum me tibi ſociaſſet (quod fere ſolent, qui mihi optime volunt) quae utrique noſtrum erant communia forte prius ad me pervenere: Uterque rei gratiae ſumus, uterque in ſolidum tenemur. creditum hoc dividi non poteſt. ſed tibi conſtat ratio: habes quod imputare poſſis: ego nihil unquam aliud, quam debui. ita ſine fine obligor. excuſarem me, quod prior

1 Vid. Epiſt. CXLV.

prior haec reſignaverim, prior legerim. ſed ita arbitror, ne illam quidem partem a me alienam eſſe, quae tua propria eſt. Non poſſum tibi non conqueri miſeriam meam. Germanus quidam (noſti hominum genus) edidit figuras aſteriſmorum caeleſtium cum explicatione. Eo in libro nihil paene eſt, niſi ex Manilianis maximi Herois, aut meis ad Aratea commentariis depromptum: nec tamen uſquam profitetur illorum nomen, quorum fere paginas exſcribit. Etiam praefationem ſuam expreſſit ex mea. & *Scaligeri* quidem, cujus opera vel propter ipſum perpetuo omnia legentur, id non intereſt. Mea aut peribunt, aut, ſi benignius mecum aget fortuna, faciet poſteritas utrum volet, furti reum. Ita etiam tenuis fama inſidiatores habet. Vale, mea gloria. xv. Dec. CIↃ IↃ CIV. Theſium exemplaria tibi mitto duo, manent apud me altera totidem. Saluta ſuaviſſimum *Baudium*.

EPISTOLA CLV.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Lugdam.

JAm dudum ad te ſcripturus fueram, ſi quid certius de rebus materterae tuae potuiſſem cognoſcere. Nunc quoque non ideo ſcribo, quod cognoverim ejus quippiam, ſed ne fruſtra expectetis. Nam ad litem illam quod attinet, nullum hic ab ullo Magiſtratu praeſidium peti poteſt, antequam judices loci nos laeſerint, de quo nobis queri nondum licet. De re altera plane ita eſt, ut dixeram, niſi magnis faventium ſtudiis ſpem eſſe nullam conficiendi negotii. Interim *Huſſenius* hic prenſat, & valde vult in ſummum ſenatum allegi, quod ſi impetrabit, credo nobis aliquanto plus in jure fiduciae fore, niſi omne illud tribunal ejuramus. Heroi me & *Borelium* commendabis. Vale, princeps eruditae juventutis. xx. Oct. CIↃ IↃ CV.

Litteras has multo ſerius curavi quam ſcripſi: quia is, quem allaturum crediderat, me fruſtratus eſt. Interim tuas recepi. Quibus nunc quidem nihil aliud reſpondendum habeo, quam fore ut ὁ διοσκόρης praeſideat ſeptimana, non ea, quae nunc incipitur, ſed ſequente, quae in annum alterum incidet. Addebam xxv. Dec. CIↃ IↃ CV. Velim te meminiſſe *Douzae* Poëmatum. ſed & Apotheoſin nobis tranſmittere, ut videamus. Litteras incluſas, quandocunque commodum erit, velim *Tuningio* tradendas cures.

EPISTOLA CLVI.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Lugdam.

QUod nuper in fratrem hujus adoleſcentis ſtudium oſtendiſti, idem in hunc oſtendas tres ſimul oramus. Eſt enim eo judicio, ut facile intelligat ma-

gnum diligentiae ſuae ſubſidium in amicitia tua fore. Ego eum talem cognovi, qui tibi dehoneſtamento futurus non ſit. Reliquiſti apud me, ſi forte memineris, Saxonicam hiſtoriam, Suevicam inquam. Eam & ſi quid aliud apud me tuum eſt tranſmiſiſſem nunc, ſed nolui ipſi praeter literas quicquam oneris eſſe. De [1] *Bezae* carmine ſollicitus ſum: quia nec genus carminis, nec tempus invenio: Tantum argumentum abunde ſufficit, idque ipſum ſaepe cogitanti impedimento eſt. ſi aliter non potero, ubi prima me Muſica aura inflaverit, Epigrammate tranſigam. De Apotheoſi, quaeſo, memineris *Mylii* cauſa. Quoties ad nos veneris, & moleſtum non erit, juvenis hic non invitus te comitabitur. Interim materteram tuam a me ſalutatam velim. Et eum, quem nunc incepturi ſumus annum, felicem tibi, hoc eſt literis, precor. III. ejus Cal. ſcribebam CIↃIↃCV.

1 In ejus mortem quae incidit in XIII. Octob. hujus anni, Anapaeſtos fecit, qui leguntur lib. III. Farrag. p. 204.

EPISTOLA CLVII.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

HUnc, qui ad te venit, duplici tibi nomine commendatum volo: & quod apud ſuos in aliqua dignitate eſt, & quod mihi olim Lugduni ſtudiorum commilitio junctus, nunquam exinde deſiit amicitiae foedus fovere. Nomen eſt *Eitzoni Tiardae*, tibi, ut puto, non inauditum. Ipſe omnium elegantiarum ſtudioſus, & quod reipſa magis experieris *ἀ τῶν τυχόντων*. Fac, quaeſo, ut videat meam gratiam apud te aliquid valere: quae mea maxima jactatio eſt. De caeteris, quae pro nimia tua humanitate curanda ſuſceperas, proxime, ut puto, aut per literas, aut, quod multo mavelim, adventu tuo intelligam. Et utinam illum una adducas, qui nunc, ut tu ſcribebas, in diem gaudet. Oſtendam tibi, ſi velis, quanto ego rectius legem Aſcraeae frugalitatis obſervem. Vale poſtrid. Kal. Sextil: CIↃIↃCVI.

EPISTOLA CLVIII.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

MAle ſit illi convivatori, qui me heri ſobrium abire paſſus non eſt: ac praeterea maximo me bono fraudavit, conſpectu tui. Idque eo magis dolet, quia quaerendi me laborem toties a te ſumtum intelligo. Sed fatum hoc meum eſt, ſaepe tibi moleſtum eſſe. Nam & pro [1] verſibus meis ſcio non me

1 Puto hac & ſeq. Epiſtolis agi de Epithalamio *Philippi Guilielmi* Arauſionenſis, & *Heleonorae Borbonicae*, quod legitur lib. III. Silvar. pag. 107.

me magis ipſum, quam te eſſe ſollicitum. Nihil forte opus erit aut emblemate aliquo (ut fieri ſolet) aut loci Typographiae expreſſione, ut frons ſit quam ſimpliciſſima: & apud Gallos (noſtri gentem) aliqua novitate commendabilis; quos facile patiar & auctoris nomen conjecturis deſtinare, niſi ad quos ipſe ſcripturus ſum. Sed de his omnibus tuum eſto arbitrium: & re peracta monebis me, ut tranſcurram. Comprimenda erunt exempla, donec nuptiarum dies advenerit: de quo necdum reſcivi. Materterae tuae ita me commendari velim, ut ſimul excuſes meam nuper feſtinationem. *Baudium* quoque gaudere jubeo, dum licet: & in iſto voluptatis interluſurio noſtrae vitae commoda delibare. Sed vereor, ne brevi recidat, in ſuum αὖθ' ἑφίλον, noſti ſequentia. Tu autem quam jucundiſſime vale. XII. Sept. CIↃIↃCVI. Hagae.

EPISTOLA CLIX.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

EUndem te ſemper agnoſco. Tam tibi ἀδυνατεῖν eſt non bene facere, quam mihi gratiam referre. Amicos meos ita amplecteris, ut non minus tibi, quam mihi debeant: niſi quod hoc ipſum mihi deberi vis, quod tu praeſtas. In carminibus noſtris, quae mihi ob hoc unum placent, quod tibi non improbantur, horas ultro perdis; & quidem tam pretioſas. Interpellatus nocte, literas ne in diem quidem differs: At eas quam lepidas, quam elegantes, ut ſane appareat, te ne tum quidem, cum dormiendum eſt, dormitare. Sed quid amplius dicam. *Baudione* memoriam ſuam impoſuiſſe, quod ego inter prodigia habeo, an, quod ſolet fieri, me non ſatis explicaſſe animi ſententiam? Non enim paucis exemplaribus, ſed aut omnibus, aut ſane magna parte opus erat, quae in Galliam mitterem. Itaque hoc volueram, quod de inauratione dictum erat, ſi ſine temporis jactura confici non poſſet, omittendum potius, ut quae parata eſſent exemplaria, ſine ulla mora curarentur, quod etiamnum ut fiat te oro. nam imminent nuptiae, & ſatius eſt quemvis potius cultum amittere, quam ejus temporis occaſionem, qua elapſa Epithalamium res ſit frigidiſſima. Transmittam igitur ea, quamprimum a te accepero, quod confido jamjam futurum. Si quae inaurari caepta ſunt, ea ubi perfecta erunt, facile hîc dominum invenient. Sed, ut dixi, non tanti hoc eſt, ut vel diem unum interponam. Rogo te, ut aliqua Carmina his, quibus videbitur, diſtribuas. Nam apud nos pauci ſunt, a quibus eo nomine gratiam exſpectem. Fraudem hanc mihi gratificare: Putent homines aliquid, eſſe quod per te donabitur. Pecuniam, quae Bibliopolae reſtat, ubi quanta ſit indicaveris, tranſmittam: niſi ipſe huc venturus es, quod ut ante monui, flagrantiſſime exopto: XV. Sept. CIↃIↃCVI.

EPI-

EPISTOLA CLX.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

TIbi gratias ago, Typographo ignoſco, *Baudium* abſolvo. Quid enim erravit, qui credidit non eſſe numeroſis exemplaribus vulganda carmina, quae ſive bona ſunt, quod nunquam mihi perſuadebitis, paucorum laude contenta eſſe debent, ſeu mala, ea ratione multorum notas lucrabuntur. Sed ita nobiſcum agitur, ut quibus labores noſtros donamus, iiſdem famam noſtram gratificemur. Mecum autem ita agitur, ut cum luſore paupere, qui perdere ne tum quidem poteſt, cum vincitur: ejus autem generis hominibus crebro arbitror tentandam aleam. Satis enim tuto periclitatur, qui quod ſperet habet, pro quo timeat non habet. Gaudeo ſane, quod τὸ τῦ σοφοῦ experimento comprobaſti, α' τὸ τῶν Φίλων κοινὰ, μάλιστα οἱ τῶν Φίλων Φίλοι κοινοί. praecipue quod caeptum faedus hoſpitali uterque teſſera obſignaſtis. Atque utinam fuiſſem & ego τῶν δαιτυμόνων. dixiſſem aliquid tam ſtultum, quam ea erant, quae te nuper laudare coëgi, ne me impune convivio excepiſſes. Ego, ſeverus ille cenſor, ultro popoſciſſem majoribus, cum ſuperindicto, bene te, bene me, bene noſtram. Nec enim aliter decuiſſet apud ducturientem. Bene ceſſit *Tiardae* noſtro, quod *Baudium* non vidit, ex quo contractior dormit. Non placuiſſet illi, vereor, vultus maritalis. quid enim illo triſtius, cui ex animo triſti eſſe non licet? Fingo mihi non jurgia tantum moleſta, ſed & delitias moleſtiores: cum miſer conjunx infauſto noctis tributo mala quae pertulit deprecatur. Sed heus tu, verſus meos cur ita contemſiſti, ut nulla paene apud te exemplaria retineres? An te puduit malorum carminum eſſe diviſorem? Nunquam effugies. reddam tibi ſi huc veneris. ſi non veneris, ipſe referam. Vale, dulciſſime Heinſi, & in Maximo diligenter perge. Poſtrid. Cal. Oct. CIↃIↃCVI.

EPISTOLA CLXI.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

PLurimum tibi debeo, per quem mihi adducto, & triſti eſſe non licet. Nam abſque te foret vitam agerem plane ἄμουσον καὶ ἀβροδίαιτον, nunc & fori taedium, & ingenii mei frigus feſtiviſſimae tuae litterae detergunt. Nam quis non rideat, cum tam lepide depingis illum, qui ſane intelligere debuerat, in Batavis neminem parem ſibi fuiſſe, peregre ſe non habere idem gratiae? Quod ſi magiſtrum ſe neget, & ego cum non mentiri liquido jurabo, nam diſcipulos non habet. Quod autem ita agit, ut herifugae famuli ſolent, ſeque pro li-

Digitized by Google

libero gerit, &, ut ita dicam, ſui plagium facit, id hercule ſciri dominorum intereſt. Carmina, ut voluiſti, tibi mitto. Cupio enim, ut alias ſcripſi, ita te implicare, ne tibi integrum ſit non laudare iſta, quibus & oculos & manus commodaveris. Melius autem me ſcis, quibus iſta debeantur. hoc eſt nec ita ineruditis, ut intelligere non poſſint, nec ita ſeveris, ut nequeant ignoſcere. De paraphraſte Ariſtotelis jam mandatum a Curatoribus *Merulae* datum eſt: quem quidem librum ego, ſimulatque emtus fuerit, inſpicere geſtio. Delectant me enim mirifice τὰ περὶ ἡθῶν. Nec minus tamen ardeo & Maximum tuum & Alcinoum legere: quibus dum tu obſtetricaris, interim deſiderium Epigrammate Graeco, eruditiſſimae (ita me Muſae juvent) ſimplicitatis ſolabor. Τῷ ἥρωι commendatum me velim & [1] illi, quem proprio rabies armavit iambo. Vale, meum dulce decus. IV. Oct. CIↃIↃCVI.

1 *Dominico Baudio*, ut puto.

EPISTOLA CLXII.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

SOla nocte interpoſita poſtquam a te abſceſſeram adii *Mylium*, qui mihi literas tuas demonſtravit, ſane candidas & elegantes, & dignas quas tu ſcriberes, ille legeret. Probabat non tantum verba, ſed, quod puto tibi non minus curae eſſe, rem ipſam: niſi quod arbitrabatur parum dignitati tuae conſultum iri, ſi ante peractum interpretandae Paraphraſeos laborem de praemio, velut ſtipulato, agatur. putat & ipſis Curatoribus, & tibi decentius fore, ſi nec tu liberalitati illorum diffidere videaris; & illi non ex pacti conventi formula, ſed ex gratiarum lege teneantur, cujus nomine actionem ideo Praetor nullam prodidit, ne virtus eſſe deſineret, quod jus eſſe coepiſſet. Scio multas eſſe cauſas, cur, non quantum tibi debetur, tantum ſperare audeas, ab illis hominibus, quibus hactenus partim ad judicandum prudentia, partim ad efficiendum vis defuit. ſed fas eſt attollere animos, ex quo illius numeri eſſe coepit vir cordatiſſimus, cui difficile ſit literas amanti deſerere literatos. praecipue autem dignitatis ejus fructum vindicare vobis debetis tuque & *Baudius* privato amicitiae jure: ut nunc nihil dicam de ſingularibus tuis in publicum meritis, in quorum partem nemo venit. Neque decipiet vos ſpes veſtra, ſi hoc modo cogitetis temporis illi ſpatio opus eſſe, tum ut ſuam auctoritatem confirmet, tum ut veſtris occaſionibus invigilet. Curatores non coibunt antequam diſſolutus ſit aut diffiſus Ordinum Hollandiae conventus, qui in aliquot dies adhuc, ſed incertum quouſque durat. Legatus noſter ſarcinas incipit colligere, & quidem optimas primo loco: jam enim libros convaſat. Hodie illi Senatus Federatorum Ordinum datur, in quo nunc ſupremum, ut puto, oraturus eſt. Vides & tibi ſuper itinere incundum conſilium: ac forte non imprudenter

ter feceris, ſi Illuſtriſſimi *Scaligeri* rationes, quibus iſtam peregrinationem diſſuadet, cum animo tuo conſideraveris. Ego & hoc vereor, ne cum ille ſubito abiturus eſt, ut ferme ſolet, tibi tempus non ſit cum Curatoribus agendi, ut illorum pace ab Academia tibi abeſſe liceat. Loquar hac de re cum patre tuo: & tecum ſi huc veneris: quod ſatis conſultum videri poteſt. Mihi heſterni temporis anguſtiae abſtulerunt bonam partem eorum negotiorum, quorum cauſa Lugdunum veneram. Nam *Patium* eram conventurus, ut ſcirem quid illi a me reſtet. ſi velit tranſcribere, mittam continuo. Promiſeram Nobiliſſimo *Douſae* me ipſius nomine tecum acturum de editione Poëmatum fratris. potes negligentiae meae ſuccurrere, ſi quid fieri ejus poſſit, & quid tibi optimum videatur, coram, ſin minus, per literas mihi, aut ipſi ſignificaveris. Idem voluerat dici *Bertio*, quem audiit editionem ſuperantium *Lipſii* epiſtolarum adornare, eſſe aliquot apud ſe nec editas, nolim tibi eam ob rem moleſtus eſſe, niſi forte in illum incideris. Vale, & de Maximo, Alcinoo, Paraphraſte fac ne nimium diu nos torqueas. XI. Nov. CIↃIↃCVI.

EPISTOLA CLXIII.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

TE an Tyrium tuum magis expectem, ita te ſemper amicum habeam, ut neſcio. nam & librum videre vehementer exopto, a ſe bonum, at te meliorem, & quem ipſa mora deſiderio meo commendavit: & tu quoque abfuiſſe jam pene ſaeculum videris. ſunt praeterea, quae tibi referam juſſu D. *Buſanvalii*. Fac itaque ad nos venias. Nam *Mylio* ipſe te Maximus optime excuſabit: cui tamen ego interim impatientiam expectationis ſpe propinqua mitigabo. Et eadem opera poterit res materterae tuae apud Hugenſem Secretarium tua gratia adjuvari. quod & *Venio* videtur, qui protracti negotii hanc reddit cauſam, quod *Bevernius* nondum praeſederit. Addam & hoc, ſi quid forte ad rem pertineat, optare me judicium tuum in paucis [1] Erotopaegniis meis, quae puto iratus otio meo effudi. Cura ut valeas. XIX. Dec. CIↃIↃCVI.

1 Leguntur illa lib. II. Epigr. p. 282.

EPISTOLA CLXIV.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

LItteras tuas, Clariſſime Heinſi, non cum voluptate modo, ſed & cum fructu perlegi, digniſſimas illas, quae ab optimo Platonis interprete ſcribe-

berentur. Veniam autem dabis, ſi fatebor de Alcinoi loco nondum omnes mihi ſcrupulos evelli. eoque mitius, ſi quid fallor, interpretari debes, quia nec otium mihi ſuppetit illa pro voluntate & ſtudio meo examinandi, neque ad manum ſunt Academicorum ſcripta, quae conſulam. Tantum quod mihi memoria Platonicae lectionis, & Alcinoi tui diligens inſpectio ſubjecit, ejus te participem, atque adeo judicem fieri volo. Primum autem hoc velim diligenter conſideres, illud ἐξ ὑποθέσεως apud Alcinoum dici non tantum, περὶ τὴν ἐν νόμοις πολιτείας, verum etiam περὶ τὴν ἐκ διορθώσεως ἐν Πλάτωνος. Quomodo hoc τῇ ἐν νόμοις conveniat, aliquo modo in litteris explicas, ita tamen ut negare non poſſis, eam loquendi rationem a Graeco ſermone, & uſu Philoſophorum abhorrere. ſed Epiſtolicis πολιτείαις, quae ſine dubio ſunt verae Reſpublicae, & in ſe ſubſiſtentes, quomodo eadem illa interpretatio aptari poſſit, non ſatis video. Deinde in libris de Republica deſcribi Rempublicam ἀπόλεμον ita verum eſt, ut iiſdem etiam περὶ τὴν πολεμικὴν agatur. quid enim aliud faciunt Πάνοπλοι, & mulierum armata agmina? Et hoc ipſum diſerte Alcinous teſtatur cum dicit, ἐν τῇ πολίτιδι, hoc eſt in libris, quos dicebam, ἀπογράφους τὴν ἀπόλεμον καὶ τὴν πολεμικὴν, utramque ſcilicet pari loco ponens: ut & debuit, quia tractatio bellica in illis libris neutiquam minorem partem obtinet. Idem ex Apulejano Philoſophiae Platonicae compendio clarum eſt. Nunc ad rem venio. Convenit inter nos Alcinoum earum, quae apud Platonem ſunt, πολιτειῶν duo ſumma genera ponere. ut patet cum dicit τὰς μὲν, & infra ἀπογράφει τὰ καὶ ἄλλας. Illa autem ſumma genera duo ex lege διχοτομίας Platonicae oportet ἀνυπολειπτους quare ſi unum intelligamus, facile eſt alterum reperire. De genere poſteriori non dubitamus vocari τὰς ἐξ ὑποθέσεως πολιτείας. Sequi ergo videtur genus illud prius, quod contrarium huic eſſe oportet, non poſſe ἀνυπόθετον dici, quod idem plane eſt cum illo ἐξ ὑποθέσεως, (ſi tamen vox illa apud Philoſophos uſitata eſt, quod equidem neſcio) ſed ἀνυπόθετον. Expendere ergo debes, an non ullo recto ſenſu (quando iſtarum vocum non ubique eadem eſt ſignificatio) Reſpublica ἡ ἐν τῇ Πλάτωνος πολιτείᾳ poſſit ἀνυπόθετος dici, ita ut ei directe opponatur, ea quae eſt tum ἐν νόμοις, tum ἐκ Πλατωνικαῖς διορθώσεσιν, ἐξ ὑποθέσεως ſcilicet. Voces ἐξ ὑποθέσεως & ἀνυπόθετον non memini me in ipſo Platone alibi tam clare alteram alteri oppoſitam legere, quam in ſexto & ſeptimo τῆς πολιτείας: ad quos locos reſpexiſſe Alcinoum, cum de eo argumento ageret, plane mihi perſuadeo. Videtur autem mihi Plato illis locis hoc ferme dicere. Eſſe in rebus aliud ὀρατὸν, aliud νοητὸν. Νοητὸν eſſe duplex: aliud enim uti ὁρατοῖς εἰκόσι, aliud non uti, aut certe non uti neceſſario, illud quod ὁρατοῖς εἰκόσι noſcitur pendere omnino ἐξ ὑποθέσεως, qua ſublata corruere omnem ejus certitudinem. Alterum autem non uti τῷ αἰσθητῷ, ſed εἴδεσιν αὐτοῖς δι' αὐτῶν. eſſe tamen ei poſſe τὰς ὑποθέσεις ἀναιρεῖν loco: ſed eaſdem ὑποθέσεις ἀναιρεῖσας venirique ad ἀρχὴν ἀνυπόθετον, quae ſcilicet vi nulla ὑποθέσεως nitatur. Mox eam doctrinam aptans ad inſtitutam de republica tractationem, fatetur, qualem ipſe inſtituit rempublicam, difficulter quidem inveniri poſſe inter res viſui ac ſenſui

obnoxias, ſed tamen veram ſe formam atque ideam reipublicae perſcripſiſſe, quae non contineat δοξαστόν τι, & ἐξ ὑποθέσεως, ut aliorum νομοθεσίας, ſed ut ipſe loquitur τὸ ἀγαθὸν αὐτὸ, quod ſit ὄν magis quam γιγνόμενον, & καθ' ὑπαρ, non καθ' ὕναρ. Illud vero τὸ αὐτὸ ὄν vult eſſe ἀρχὴν ἀνυπόθετον: Itaque in Republica communi nomine δικαιοσύνης videtur exprimere. Ergo ut ipſi videtur πίθεται, non ὑποπίθεται: quod Rhetores dicunt, agit ἐν θέσει, non ἐν ὑποθέσει. In legibus autem agere videtur ἐξ ὑποθέσεως. nam ὑποπίθεται in agro Cretenſi civitatis exſtructionem. Et haec quidem ficta eſt, ut arbitror, ὑποθέσις: At in Epiſtolis vera. Tam vero in Epiſtolis, quam in legibus, non id explicat quod abſolute & in ſe optimum eſt, quod non niſi ex ipſis principiis demonſtratur, ſed quod optimum eſt quibuſdam poſitis, quae videas tolli non poſſe. Apulejus de Republica in legibus ita loquitur. In hac non ſuo nomine & de ſtatu & de commodo civitatis requirens originis ejus principia, & fundamenta diſponit: ſed eo tendit, quemadmodum civilis gubernator, ejuſmodi locum conventumque multitudinis nactus, juxta naturam praeſentium rerum & convenarum debeat facere civitatem plenam bonarum legum & morum bonorum. Comparat item, ut Alcinous, rempublicam τὴν ἐν πολιτείᾳ & τὴν ἐν νόμοις. In illa dicit ipſa principia diſponi, quae eſt ἀρχὴ ἀνυπόθετος Platoni. in hac conſuli ex rerum praeſentium ſtatu, quod eſt ἐξ ὑποθέσεως. Haec autem, Doctiſſime Heinſi, non ita ſcribo, quaſi qui pertinaciter velim defendere haec ita ſe habere, ſed ut qui cupiam a te doceri, cui & librorum & ſcientiae major eſt copia. Praeſertim de voce ἀνυπόθετον velim me moneas, nunc ubi & quo ſenſu reperiatur, & ſi quid differat ἀπὸ τοῦ ἐξ ὑποθέσεως. Ego ſi poſſem, Alcinoum tuum libenter ab oblivionis & incuriae nota liberarem. *Borelius* noſter te reſalutat, & quis fuit alter, ὁ τὰ ἱερὰ ἀνεπιστολῶν. De *Viſſchero* autem quid? jamne e voto ſuo miſer eſt, an ſervabitur invitus? Vale, amiciſſimum mihi & Muſis caput. Jan. CIↃ IↃ CVII.

EPISTOLA CLXV.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Lidam.

LIteras tuas, eruditiſſime Heinſi, legi non ut literas ſolemus, ſed ut libros: hoc eſt attente, & ut in quibus unus finis eſt diſcere. Quare gratias tibi habeo maximas, quod in me inſtruendo tantum laboris tibi perire volueris: aut non tibi, qui, ut ſcio, nihil mavis, quam amicos bene inſtitutos, ſed publico, cui perit etiam, cujus privatim tibi conſtat ratio. De argumento iſto nihil nunc ſcribam. Multa enim ſubjeciſti, quae longiorem cogitationem deſiderant: & interim nolui neſcire te, veniſſe *Mylium*, qui te & Maximum tuum ſedulo exſpectat. Erit aliqua gratia in ipſo tempore. Haec igitur in praeſens ſatis, niſi illud me vis iis addere, non hoc me quaeſiviſſe an ἀνυπόθ-

τος

τις possit ἀναλογικῶς dici, quod aliquis leviter, & ut ego, Graece peritus nescire non potest, sed an usitatum sit, & quidem ita, ut sit ἀντιδιηρημένον τῷ ἐξ ὑποθέσεως. Ne illud quidem ignorabam, in sexto de republica a Platone Philosophum describi, quem perfici statuit divinitatis contemplatione. Sed arbitrabar demonstrari posse, quod, ni fallor & alii voluerunt, haec ita aptari institutae de republica tractationi, ut dicat, quemadmodum summam sapientiam in Deo, ita singulas partes ἐν τοῖς ἰδίοις quiescere: ibi autem τῆς πολιτείας ἰδέαν describi: quam qui norit secundum Platonem, certi aliquid, & non aliunde pendens, norit. Ideo enim per se sunt & semper: ideoque per eas vere sapimus. In tuis definitionibus, quae Alcinoi subjunctae Speusippum antistitem praeferunt, recte ex Platonis sententia σοφία definitur, ἐπιστήμη non tantum τοῦ ὄντος, id est, Dei, sed τῶν ἀεὶ ὄντων, quod sunt ἰδέαι: eodemque sensu dicitur σοφία esse ἐπιστήμη ἀνυπόπτου; quia qui res, ut semper sunt, intelligit, is scit eas simpliciter, & non ἐξ ὑποθέσεως. Sed tu quam primum ad nos veni, ut & amplius, si necesse est, de hac re colloquamur, & versus legas, quos pro te interpellatus *Milandro* rescripsi. miserum me, cujus hodie feriae exierunt: vestrae an vivaciores fuerint equidem nescio. Salutant te duo, quorum alter diligentissime vigilat, alter felicissime somniat: & velit ex te audire quid faciat ὁλπὶς ὁ τερπνός. VIII. Jan. CIↃIↃCVII.

EPISTOLA CLXVI.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinsio.

Leidam.

TAm anxie sollicitus fui, ut mea Epigrammata de [1] *Lipsio* inter vestra carmina non comparerent, ut cum moneret *Nicolaus* noster editionem a te parari, ne scribendi quidem ad te moram mihi indulserim, quum continuo quicquid erat id ad te mitterem, quare quod tunc festinatione peccavi, nunc resarcio. Facis rem te dignam, quod hoc tam diligenter agis: videant homines illi, qui humanitatem omnem eousque exuerunt, ut extra suam cohortem nullius virtutes velint agnoscere, in nos neque religionis neque reipublicae partes tantum juris habere, ut alieni boni ingratos nos faciant aestimatores. placuerunt mihi semper illi e Tragoedia versus:

Ἀλλ' αὐτὸν ἴμπας οὔτ' ἐγὼ τοιόνδ' ἐμοὶ
Οὐκ ἄνγ' ἀπμάσαίμ' ἄν, ὥς τι μὴ λέγειν
Ἓν' ἀνδρ' ἰδεῖν ἄριστον Ἀργείων, ὅσοι
Τροίαν ἀφικόμεσθα, πλὴν Ἀχιλλέως.

Et hujus quidem laudis ego quoque in partem veniam. illud autem proprie vestrum erit decus, *Lipsii* famam hostium carminibus auctam, quam sui male

1 Leguntur lib. II. Farraginis pag. 201. & lib. I. Epigram. pag. 239. *Heinsii* vero in *Lipsii* mortem carmina inter ejus Poëmata lib. III. Sylv. pag. 62. & seqq.

laudando corruperint. Ex literis poſtea tuis etiam illud libenter didici, nullum eſſe tam magnum malum, unde non bonum alicui obtingat: quippe cum illi, quos ſtudioſos nos dicimus, ſibi arceſſito negotio, vobis otium paraverint. Egregrie ſane ſe ulciſcuntur, quod volunt quicquam diſcere. ἢ κεν γηθήσαι Πρίαμος. [2] illum dico, qui perpetuum cum ordinariis bellum gerit: qui vereor ne ſe cupiat per iſtos tumultus reipublicae partem facere, & jactare ſe tribunitiis concionibus, niſi forte domeſticum illi bellum civili prius eſt. Miratus ſum nuper vim hominis. ſerio cuidam iraſcebatur, quod alapis ſuis caput non praebuiſſet. Sed tu, arbitror, recte feceris, ſi ad nos tranſcurras? ubi nullae ſunt, niſi horariae, partes. Salve, Heinſi clariſſime & nos ama. Mart. CIↃIↃCVII.

2 *Baudius*, cujus epiſtolae, praeſertim ad *Mylium*, plenae querelarum, quod tam diu inter extraordinarios Profeſſores ſedere juberetur. quod concoquere non potuit magnus ejus animus.

EPISTOLA CLXVII.

HUGO GROTIUS

Daneli Heinſio ſuo S.

Lugdam.

UTinam tu quidem meam cauſſam, quam juſte ſuſceperas, tam feliciter egiſſes. nam profecto pudet me, cum iſta video publici juris facta, quae ne privatim quidem, niſi inter paucos, legi debuerant. [1] Verſus enim illos πρὸς τὸ τόπι μιλλοδόκωρα in ea primum charta concepi, quae ad ipſum miſſa eſt, idque praeſentibus amicis aliquot & mecum nugantibus; neque aliud ſperaveram, quam quod tu veriſſime conjicis, fore ut noſter ὑαλῦργιάδης, ea quae ita ſcripſeram, pro ſoluta oratione acciperet, quum non videretur mihi ipſe unquam ſolutius ſcribere. Itaque in mandatis dederam Heroi ἡρωσπιῶ, ne litteras illi exhiberet, niſi in ipſo prandio, aut paulo ante, ut cum deinde vobis eaſdem literas oſtendiſſet, haberetis riſus argumentum. Nunc ita res accidit, ut quae potuiſſent non indigna videri *Grotii*, ut ille inquit, lepore, facta ſunt iſta editione paullo minus, quam fatua atque inſulſa. Locutus ſum hac de re cum [2] *Archilocho*. is primum videbatur operam ſuam mihi velle imputare, quod ut magis perſuaderet, ajebat quaedam ſe illic ſui genii agnoſcere, puto quia *natio mortalium* mihi excidiſſet. Poſtea, ut vidit me ita judicare, non debuiſſe tale quid fieri, me non modo inſcio, ſed etiam invito, ut qui contraria mandata dediſſem, quod negare non poterat, culpam omnem rejecit in amicum noſtrum, quem mihi in mentem venit vocare [3] ἐνδύσοντα, qui ſane hac

1 Credo intelligi Epiſtolam jocoſam ad *Henr. Delmanhorſtium*, cum Medicinae doctor crearetur lib. 11. Farrag. pag. 189. videtur ille *Delmanhorſtii* pater vitriariam feciſſe vid. infr. Epiſt. ccx.

2 *Baudio* Jambico Poëta: quem mox *Biprofeſſorem* vocat, quia & Juris profeſſionem ambiit, & titulum obtinuit, ſed honore contentus, diſciplina abſtinere debuit.

3 *Scriverium*, qui diu Martialem promiſit, antequam tandem ederet. nam in epiſtola illa vocat eum *Grotius Martialis editorem Lentulum*: & *Roſſae Poëtam* eſſe ipſum *Heinſium* patet ex Epiſt. CLXXXII. quae ſequitur.

Digitized by Google

hac in re contra iſtud nomen ſuum fecit, neque Lentulum ſe, ſed Celerem aut Curſorem praeſtitit. Ipſi parentis tanti alumno non miror perſuaderi potuiſſe iſtam editionem; credidit enim quae ibi dicantur, ad artis ſuae commendationem mirifice pertinere: cui ego cur parcerem, cum etiam meos offenderim? Poſthac ergo & litigatores & medicos iratos habere mereor. ac proinde nec honeſtum mihi forte erit cauſſas agere, nec tutum aegrotare. Poterant omnia iſta tolerari, ſi nomen non acceſſiſſet, quod ſane pluribus quam duobus exemplaribus proſtare oportet, cum ego jam duo ita edita acceperim, alterum per *Reigersbergium*, alterum per noſtrum novum Biprofeſſorem, qui ſpero uxori eas poenas pendet, quas mihi debet. Aeſculapii autem nomen, quod in aliis pro meo ſuffectum eſt, nonne inſigniter ineptum eſt? ſaltem Aulum Gellium dixiſſet, nam Aeſculapii perſonae alia conveniebant. Vide quam ſaepe falſa ſint noſtra conſilia. Ego qui † *Heemskerkianum* Epicedium, quod tu quoque, ut inter mea, non peſſimum judicabas, neſcio quas ob ratiunculas, ſupprimere volui, nunc per iſtud egregium poëma fabula fio. Adverſus hoc faſtidium refeci me hodie lectione eloquentiſſimae tuae praefationis εἰς Δωσιάδην, quae viſa eſt mihi mirabili temperamento, & amici affectum, & judicis relligionem ſervare. Rogo te, ſaepe aliquid edas, ut ſaepe praefari tibi neceſſe ſit. Huc autem ſi redire tibi vacaverit, qua me domi reperias certiorem tibi horam, quam prandii condicere non poſſum. XXIII. Julii CIↃIↃCVII.

† Legitur lib. II. Silvar. pag. 72.

EPISTOLA CLXVIII.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Lidam.

MItto tibi literas ejus hominis, qui vix unquam ſolitus eſt gratis ſcribere, noſti, ut video, artem homines ineſcandi. tam belle illi Theognidem ſuum proponis. invenies & in his Theognidea, ſed ea quorum optime meminiſſe videtur, περὶ τ̃ χρημάτων, καὶ τῆς πενίας, quae puto facilius in Academiis, quam in aulis invenitur. Poteſt ille ſibi occinere, *omne tulit punctum*. & tamen ita ſcribit, ſi animadvertas, quaſi puncta neſciat. Sed ſatis jocorum. Nam ille profecto nos poteſt armis non Alexandri, ſed Eumenis ἀντιμυητεύειν. XXVII. Julii CIↃIↃCVII. Hagae.

Hanc epiſtolam agere de *Joanne Milandro*, Domino de Poederoye, ideo ſuſpicor, quia *Danielis Heinſii* manu in margine notatum erat, *Milander*, ad quem ſunt multae *Baudii* Epiſtolae, qui quovis modo ex arido illo pumice nummos elicere tentabat, unde ſaepe joci in ejus epiſtolis ad *Mylium* & alios de ejus tenacitate occurrunt. vide lib. II. Epiſt. *Baudii* 101. & 111. 3. & ex aliis ad ipſum *Milandrum* & *Mylium* epiſtolis ſaepe illum mendicaſſe, ſed non potuiſſe emungere conſtabit. erat vero *Milander* Principi Mauritio ſcriba, ſive ſecretarius, quo reſpicere hîc puto *Grotium*, cum Eumenes ſcriba Alexandri fuerit: & ideo nihil gratis ſcribere ait, quia ſcribae ex omnibus, quae ſcribunt, quaeſtum faciunt. *Grotius* epigrammata duo ejus honori dedit pag. 209. & 222. *Heinſius* nuptias ejus cum *Maria Hoheuleia* celebrat lib. I. Silvar. pag. 7.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CLXIX.

HUGO GROTIUS,

Danieli Heinſio.

Leidam.

JUſſit D. Legatus Francicus impelli illud negotium, quod ejus nomine tibi commendaveram de libello, quem noſti. Quantum igitur poteris hoc cures velim, ut deſcribatur. Locutus ſum *Myſio* de controverſiola, quae Urbi cum ſenatu inciderat; non potes habere animoſiorem tui defenſorem, ex quo rem illi omnem, & neſcio quorum inſcitiam aperui. Ille continuo ad vos perget: quid actum ſit, poſtea ſciam, & ſignificabo. Interim de ſcribendis literis quod dixeram, tecum vide. Ego ſicut ex uſu tuo eſſe credidi, ita ſuaſi. Tibi ſi aliter videtur, nihil repugno. Tua enim dignitas mihi commendatiſſima eſt. Sed de *Rhedonio*, mi ἐυηγέτα, utinam! beabis me. Salve igitur, & aut ſcribe, aut potius veni, utriuſque excuſationem non accipiam. Hagae CIↃ IↃ CVII.

EPISTOLA CLXX.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

GRatularis vero mihi, Heinſi Clariſſime, & cur quaeſo gratularis? quiane ereptam mihi vides eam, quam ſemper habui maximam, literariam voluptatem? an quia in lites, apud quas diverti hactenus, nunc totus relegor? an vero quia totos dies cum eo hominum genere vivendum mihi erit, quos vos non poſſitis ſine ſtomacho aſpicere. Vera ſunt quae dico, atque utinam minus vera eſſent. At tu etiam ſic loqui audes, quaſi in iſta, quam tibi dignitatem appellare viſum eſt, aliquid amicis eſſe poſſet praeſidii, in quo ſane neſcis quantum fallaris. Nam mihi in hoc munere ἕτερον μὲν ἔδωκε πατὴρ, ut malis nocere poſſim, ἕτερον δ' ἀνέῳξεν, ut bonis poſſim prodeſſe. Putaſne tu ei homini magnopere gratulandum, qui officii bene geſti non aliam poteſt ſperare mercedem, quam graves & magnas offenſas? Hoc ei non accidit, qui Theocritum, Heſiodum, Maximum Tyrium & ſimilia edendo quicquid ubique doctorum eſt obligat, aut ut ad minora exempla veniam, qui de curru aliquid, aut de area ludit. Quare, etiam vetante te, non mentiar, ſi me invidere vobis dicam, iſtam vitae tranquillitatem, ſecuritatem animi, libertatem otii: An tu hoc eſſe putas, Hagae litigare, quod Lugduni inter *Scaligeros* & *Baudios* vivere? Veſtras virtutes magna excipiet gratia poſteritatis: quanquam ne poſteritas quidem exſpectanda eſt illis, quibus vivis licet fama & conſentientis orbis judicio frui: nobis parum eſt inter ingratos ſeneſcere: inter iratos & infen-

ſenſos transigendum eſt aevum, in praeſens ſollicitum, in poſterum ignobile. Lucani ipſius, cujus tu in mei gratiam meminiſti, vereor ne mihi nunc obliviſcendum ſit, niſi quod illi verſus nimium adhuc haerent animo

— — — *O vitae tuta facultas*
Pauperis, anguſtique Lares, o munera, nondum
Intellecta Deum!

Pleni ſunt omnes chori Tragoediarum id genus ſententiis, quae nobis privata ſtudia commendant, ſed nos iſtorum quaſi memores loquimur, quaſi obliti vivimus. Ipſe ego, cui nunc iſta dicere non difficile eſt, tamen hoc volui, quod nunc incuſo. At tu, cui liberius & conſtantius eſt judicium, loco gratulationis conſolationem meditare, neque enim minus verum eſt de eo, qui ad talia munera, quam qui ad aulas accedit, δᾶλον πίφυκε καὶν ἀλσὶ πρὸν πόλει. Morbum tuum jam deſiiſſe ſpero, aut minuiſſe ſaltem: at meus nunc incipit primum, & creſcit, donec ego decreſcam. XIX. Nov. CIↃIↃCVII.

EPISTOLA CLXXI.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

ROgo te per quicquid amas & taces, ac per iſtos Belgicos verſus, quos nuper crudeliſſime cremaſti, ut Tragoediam noſtram, quam *Chriſtum patientem* inſcribere *Scaligero*, Heroum maximo, viſum eſt, perlegas quam diligentiſſime, emendes quam liberrime, deinde quamprimum tranſmittas, ut ea quoque corrigam, quae idem Heros admovit. Vellem ſane, ſi fieri poſſet, non tam meum nomen, quam *Jannini*, cui debeo plurimum, in Nundinis comparere. ſed oportet ſerius Typographos decipi, qui alioqui ſcientes tam malae merci ſe non immiſcebunt. Fac mentiaris aliquid mea cauſa. Sed neſcire non debes eſſe tibi iratum amici noſtri genium, quia ipſum ab uxore, quam ille inſanire tandem fatetur, contuſum eſſe *Scaligero* nuntiaſti: qua de cauſa a *Scaligero* ſe Laconem plagipatidam vocatum graviter conqueritur. Vide ipſi ſatisfacias, ne veſtri Jambi inter ſe committantur. Poſt abitum tuum dixit mihi *Mylius*, curaturum ſe, ut res tua jamjam transigatur, dum Lugdunenſes hîc ſunt. Doleo ſane recruduiſſe apud vos mala Academica, dum hîc remedia quaeruntur. Ego febricula laborare incipio, adverſus quam refice me, quaeſo, ſi vacat, literis tuis. XXVI. Febr. CIↃIↃCVIII.

EPISTOLA CLXXII.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

VIx ad te dederam, quas poſtremas ſcripſeram, literas, cum mihi tragoedia a patre tuo redditur, quam leniter perlectam neque multo emenda-

tiorem remitto. Perſevero enim in ea opinione, ſi edenda eſt, id ſine mora faciendum: neſcio autem an typographum jam inveneris, an praelum vacet. ſi utrumque ex voto eſt, nihil obſtat quo minus continuo tradas. Praefationes ad *Janninum* & lectorem jam ſcriptae ſunt. Sed retineo eas, dum caetera excuſa ſint, ſi quid forte ex medii temporis occaſionibus mutandum obveniat. Multum ſine dubio taedii tibi creatura eſt correctio. Sed rogo ne grave ſit hoc quoque beneficium multis prioribus adjungere. Lectiones vobis recte procedere gaudeo. Et velim ſcire, an *Baudius* a declamando ſe abſtinere potuerit, & quouſque vapulet tibi *Scoppius*. A°. CIↃIↃCVIII.

EPISTOLA CLXXIII.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

ETſi nundinarum occaſionem praeterfluxiſſe ex te intelligo, tamen aliis de cauſis omnino conſtitui tragoediae editionem feſtinare, & *Janninum* Praeſidem, hoc potiſſimum rerum ſtatu, publico ſcripto affari. quam ad rem te mihi adjutorem fere confido. Idque ſcripſiſſem ſtatim poſt receptas tuas literas, niſi dictus eſſes mihi hic exſpectari, quod & literae tuae innuere videbantur. quae ſpes cum jam forte evanuerit, & ob lectiones, neque dum ſcimus quo ſucceſſu, repetitas, iterum te rogare volui, ut de Typographo ſi quid actum eſt, ſciam, ſimulque exemplar accipiam, ut emendatius remittam. Gaudeo tibi meos luſus mediocriter placere. nam caetera, quae addis, perſuaſurum te non ſperaſti ei maxime, qui non modo priorem tuam Tragoediam, ſed & recentioris partem viderit: ſi quid apud vos novi agitur, fac nos, quaeſo, participes: praeſertim Scoppiana quo proceſſerint. Et quomodo tibi cum virorum optimo, mulierem habente peſſimam, conveniat. Vale, Clariſſime Heinſi. 3. Martii 1608.

EPISTOLA CLXXIV.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

ANxia res eſt poëſis. praeſertim in ingeniis erudioribus, nec ſatis in ea arte recoctis. Venit mihi in mentem hodie, me in choro ſecundo ſemel poſuiſſe, *Nova creverunt moenia templi.* quod non muto, ſemel; ſub finem ejuſdem chori *per te ſancti moenia templi*, pro quo melius erit *Limina templi*; ne vocum duarum repetitio offendat. Similiter in actu quarto ſcripſi, *Templi illa*

la veteris decora, *quae fuerant prius*, quod retineo; ſed in ultima ſcena Tragoediae eſt aliud, quod nimium prope accedit, nempe *Saecli illa veteris decora quam longe tibi &c.* Mallem igitur, *Senioris aevi decora quam longe.* Ignoſce ineptiis, & vale, mi Heinſi. Mart. CIↃIↃCVIII.

EPISTOLA CXXLV.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

QUod Tragoediam noſtram tam cito proditurum ſcribis, e voto eſt, eoque magis, quia in amicorum manibus eſſe poterit ſub id tempus, quod ejuſdem argumenti memoriae ab Eccleſia conſecratum eſt. Et quod addis exiguum fore libellum, neque hoc diſplicet. Erit enim hoc magis περιφερητός: *Siquis tamen haec quoque, ſiquis.* Etſi parum id refert: Eritis enim pro omnibus tu mihi & *Scaliger*, a quibus abſolutus non eſt quod aliorum judicia anxie metuam. Ceterum quod tu in re nihili tam diligentem operam navas, excuſandam tibi habeo meam libertatem, quae te non uti modo, ſed & abuti audeat. Quanquam vero in rebus majoribus expertus ſaepe ſum benevolentiam tuam, tanto plus tamen nunc tibi debeo, quanto minus eſt, quod exſequeris. Utinam vero ſciret orbis, qui te novit, te mihi tam amicum fuiſſe, ut iſta tibi patereris injungi, eſſet mihi hoc ſane non paullo glorioſius, quam id, quod tu magnifice depraedicas, inter forum & carcerem regnare: ubi ſane nullus eſt locus meis Tragoediis. Miſi tibi nuper emendationem duorum verſuum novi opuſculi. Nunc de tertio monebo. in ſcena Petri eſt Joſephi Patriarchae quaedam περίφρασις. Ibi dixi, *undecim fratrum manus*, & tamen cum recte cogito, undecimus, qui erat Benjamin, conſilio fratris interficiendi aut venumdandi non interfuit. Dolet mihi quod iſtam numeri elegantiam amittere debeo, & reſcribere, *impias fratrum manus*, niſi tu mavis *invidas.* XI. Martii CIↃIↃCVIII.

EPISTOLA CLXXVI.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

VIdeo me in Tragoedia mea, id quod ferme potiſſimum erat, perdere tempeſtivam editionem. Itaque quod vulgo dici ſolet, poſt diem feſtum veniemus. Scio te quoque iraſci. Sed quid faciamus? ita ſunt homines. Impelle tamen quantum potes. Verſus hos ad *Vrientium* ſcriptos cum leges, ridebis, ſat ſcio, captatam nominum alluſionem. & tu ſcis quam hoc a me alienum ſit.

Digitized by Google

ſed volui ipſum, cui iſta, ut video, placent, ſuo exemplo ulciſci. Tranſmittes cum litteris tuis, ſi tanti videbitur. Ego vero non Herculis, ſed tuam fidem imploro, quod exſpectatiſſimo ſcripto tam diu caremus. Accepi a *Baudio* novas litteras plenas triſtibus facetiis, in quibus vim ſibi fieri queritur, quod αἱ κρατῶντες orationis editioni intercedunt. Vale, & fac aut te aut tua quamprimum videamus. 11. April. CIↃIↃCVIII.

EPISTOLA CLXXVII.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

TRagoediae meae exemplaria, quod rerum omnium ſi non primum, certe nec poſtremum eſt, in tempore recepi: eoque nomine ac plurimis aliis diligentiae tuae ſummas habeo gratias. Mitto nunc miniſtrum, ut exemplaria alia uſque ad quinquaginta a bibliopola auferat eo pretio, quod tu, ſi vacabit, cum Typographo ſtatues. D. *Scaligero*, tibi ac *Baudio* ipſe hinc transmittam: interim volo quaedam nunc apud te relinqui, quibus pro arbitratu utaris. In relegendo inveni errata quaedam Typographica in poſterioribus paginis, & quaedam talia, ut ſenſum alium facerent, quam quem ego voluiſſe me ſentio. Ea omnino judico calamo, quando aliter fieri non poteſt, corrigenda: quod ſi Typographo nimis moleſtum eſt, tradat huic homini exemplaria omnia: remittam intra biduum emendata. De verſiculis, ſane tecum judico eſſe non ſatis πρὸς ἐπῳδὴν aut, ut proprie loquar, πρὸς τὴν τραγῳδίαν. Sed tamen iſtius commendationis lenocinio aliquot lectores alliciemus. Te & Herculem tuum δοκιμώτατον avide exſpectamus, imprimis legati Germanici, qui me velut expromiſſorem interpellant. Legatus Marchionis Ansbachii eo magis, quia [1] hominem illum, ſi tamen homo dicendus eſt, tam familiariter in Italia novit, ut ab ipſo Cardinalibus Lutheraniſmi nomine commendatus ſit, quod illi magnam fugiendi diligentiam injecit. Vale, & veni. CIↃIↃCVIII.

1 *Scioppium.*

EPISTOLA CLXXVIII.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

LEgi Menippeam tuam, quae ſane meretur, ut inter magnos titulos, quos tibi ſummo jure eruditorum omnium judicia conferunt, *Lepidi* quoque nomen non reſpuas. Neque enim arbitror poſt δοκιμολοκύντωσιν quicquam exiiſſe tam docte feſtivum. Unum dolet, quod plerique lectores magnam jo-

co-

Digitized by Google

corum partem non intelligent, eam vero imprimis, quae ad *Zenonis* decreta alludit. Verſus autem, quos intexuiſti, ſunt vere Petroniani, hoc eſt elegantiſſimi: tum vero παῤῥησίαι, & verſuum Graecorum & Latinorum detorſiones feliciſſimae. Utinam adfuiſſem heri, ut demonſtrare praeſenti tibi potuiſſem, eſſe me inter eos, quibus iſtam ſcriptionem potes imputare. Dediſſem ſimul tibi exemplaria aliquot Tragoediae, non quidem quot volo, magna enim pars a ſalutantibus abrepta eſt, ſed quot nunc potui. Ubi Lugdunum venero, efficiam ut habeas, quot voles. Rogo D. *Scaligero* meo nomine unum exhibeas, aut plura etiam, ſi uti voluerit: cui quidem Heroi ſedulo gratulor; quod ita uti debebat, ac pro dignitate vindicatus eſt. Vidi hîc *Baudium* cum uxore, quae litigando ita mihi profeciſſe videtur, ut tunc etiam cum loqui vult, non loquatur, ſed latret. Cerita mihi videtur, ita loquitur ἀναῤῥήξεως. Ipſe autem, cum praeter iſtud, quod maximum eſt malum, eo miſeriarum redigatur, quotidie ut πτωχεύειν turpe non judicet, tamen & verſus facere potuit, & bibere non deſinit. Neſcio cum riſu haec an indignatione dicere debeam, nuper in menſa *Jamini* praeſidis, cum mero incaluiſſet, ſponſione obligare ſe voluit, ſe vel ipſis, qui aderant, judicibus, (erant autem Pontificii omnes) luce meridiana clarius demonſtraturum, Pontificem eſſe Antichriſtum. Nunc Haeſdam neſcio qua ſpecula abivit, & illam circumducit foedum ſpectantibus omen. Nobis erit procul dubio ἡ ζυγία placatior. de qua ſi lubet cogitemus. Nihil abſurdi feceris ſi de [1] illa, ἣν μᾶλλον καλέουσι, & quae *in Silvis* dicitur *pulcherrima*, aliquid moliaris: κωμάζεται quidem jam, quantum conjicio, non a noſtro *Othonis* adverſario, ſed ab altero, contra quem tibi non difficilem puto fore victoriam, ſi commiti volueris. Hoc affirmare tibi poſſum, ſi formae magnam habes rationem, nihil tibi poſſe melius contingere. Sed forte eorum ex numero es, qui aequo animo ferunt aliquid formae decedere, dum doti tantundem accedat, a quibus ego quoque non pertinaciter diſſentio. Tamen aliquid agamus, ne nos putent homines *Baudii* exemplo ita affici, ut de judicio noſtro deſperemus, aut id verum credam, quod mihi exprobavit ὁ μείζων *Reigersbergius*, te ac me noſtrique ſimiles tantum citra verſus amare; quam ego vocem illi non excidiſſe magno velim: adeo me moleſte habet. Tu autem Vale XII. Apr. CIↃIↃCVIII.

1 Vernaculo nomine, credo, *van Eſch* vocatam puellam innui: reſpicit enim ad illa Virgilii. Ecl. VII. *Fraxinus in Silvis pulcherrima.* vid. & Ep. CLXXX.

EPISTOLA CLXXIX.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

ROgo te faſciculum hunc tradas ei viro, quem nos, invito *Scioppio*, *Scaligerum* nominamus. Puto ineſſe litteras ad te. Alterum quod te precor

hoc eſt, ut ſi quae habes penes te exemplaria Tragoediae noſtrae, tradas unum *Scriverio*, quem ſane multis nominibus amo. Si non habes, jube peti a Typographo. Audio te & *Baudium* nuper coenatos apud *Venium*, elegantiſſimum hominem. Sane, niſi ſe invitare turpe eſſet, adeſſe debueram, niſi poſthac ob auſteriora quaedam ſtudia, exſulare me e veſtro choro jubetis, quam unam poenam deprecor. April. CIↃIↃCVIII.

EPISTOLA CLXXX.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

POlybium Megalopolitanum, auctorem, ut Cicero ſentit, neque vero ego diſſentio, inprimis bonum, ut dicere tibi occoeperam, videre geſtit [1] privigni Phaedrae cognominis; qui ut cum ſibi tranſmittas e bibliotheca aut tua aut publica, meretur ſane, Herculis tui lector non indiligens. Huic libro ſi alterum adjunxeris, *Philippum de Leydis* Jurisconſultum, rem munificentia tua non indignam feceris. Ne autem moram ullam facias his te verſibus obteſtor,

Sic properet ſe inferre tuis amplexibus ultro
Digna viro conjux; Dryadum ſeu ſanguinis una
[2] *Fraxinei laetas nemoris te invitat ad umbras;*
Seu quicunque furor tecto quem carmine Roſſae
Diſſimulat, quas non perlatum nomen ad aures!
Sic tibi: [3] *Munſteri generis furtiva propago*
Sub flagris gemat, atque inſcriptus verbere terga
Vibices toti cupiat monſtrare Suburrae. [4]

IV. Maji CIↃIↃCVIII.

1 *Hippolytus a Collibus* Palatini legatus ad Ordines foederatos, cujus & infra mentio ſaepe fit.
2 Vide ſup. Epiſt. CLXXVIII.
3 Scioppius.

EPISTOLA CLXXXI.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

MItto tibi, Heinſi Clairſſime, libros elegantes duos ab *Ottone Venio*, quem ego non illepide, ut mihi videbatur, verum infeliciter *Octavium* nominaveram. Habes hîc [1] Emblemata Erotica, quia meruiſti: Horatiana, ut merearis: pauca enim nunc exemplaria excudit, brevi plura editurus: ad quam commendationem a noſtrûm utroque Epigramma exſpectat. tertius erit *Vrientius*:

1 Vide *D. Heinſii* Poëmata pag. 376. & 377. & *Grotii* pag. 245. & 246.

tius: hic laudator illi ſatis eſt. Credo facturum te, etſi materia per ſe favet, & ipſius & fratris gratia. Hoc igitur ipſius nomine. Alterum alterius, vel potius meo petam. Monui nuper obiter, nunc ſerio urgebo verſus a te aliquos, quibus[2] *Joh. Borelii* ditiſſimae nuptiae celebrentur. Erit illi non ingratum poëmatum Belgicum, quod & ſponſae legi poſſit, ſi tibi ita videbitur. *Baudius* quoque non abſurde fecerit, ſi Gallicam venam experiatur. Nos etſi eo ſcribendi genere apprimis laſſati, Latine aliquod moliemur. Ab Heroe epigramma aliquod petere forte importunum foret. tamen fieri poſſe arbitror, ut leviter admonitus aliquid meditetur, ſi hora ſit commoda, & ad libros orientales reſpexerit. Haec ego amiciſſimi hominis nomine rogo confidentius, quam pro me fuiſſem rogaturus, cui tamen aliquid reſervavi, ſi quid nobis forte tale contingat, trepide precor. Vale, decus aetatis, & me perpetuo tuum crede. XIII. Maji CIↃIↃCVIII.

2 Celebrarunt ejus nuptias cum *Agneta Haymanna*, *Grotius* pag. 104. *Heinſius* 191.

EPISTOLA CLXXXII.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

PUto te, Clariſſime Heinſi, & tibi & *Borelio* non defuturum: *Borelio* quidem, quo minus ipſius locupletiſſimum conjugium praeſentia tua honeſtes; tibi vero, quominus optima occaſione & in hominum amiciſſimorum comitatu (quos inter & me velim numeres) remiſſionem aliquam ſtudiis indulgeas, & videas Zelandiam, illam divitum puellarum nutricem. quis ſcit an & nos vocet aliqua boni fati aura? vulgatum enim eſt, nuptias ex nuptiis fieri. Epigramma tuum puto jam eſſe paratum. magno velim te videre hac ſeptimana, ut & de verſibus noſtris, & de itineris ratione aliquid ſtatuamus. Ego niſi quibuſdam moleſtiis detinerer, jam ad te advolaſſem, vocatoris diligentis officio functurus. Ita enim mihi jucundum eſt, ut te adducam, ut niſi te comite proficiſci omnino non audeam. Quare cum eo ire mea intereſt (eſt enim ibi quaedam nobis non inviſa) poteris paucos abſentiae tuae dies non minus mihi, quam *Borelio* imputare. Scis nos ita ſolere rationem ponere, ut nunquam ducamus perire id tempus, quo una ſumus. Reſponſum tuum, aut te potius, jamjam exſpectabo. 27. Maji CIↃIↃCVIII.

EPISTOLA CLXXXIII.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

TUningius noſter, & quidem ſerio, ſpem mihi fecerat adventus tui in hunc diem; ego multum crucior, quod eventus non reſponderit. Ecce enim li-

literas, quas ea de cauſa penes me ſervavi. Audio te deliberare, num honeſtiſſimi viri poſtulato obſecuturus ſis. da mihi veniam: ſi ea de re dubitas, parum amice facis. potes enim duobus ſummopere gratificari, & *Borelio*, qui hoc mihi diligentiſſime injunxit, & mihi, qui alioqui habiturus ſum iter faſtidioſiſſimum. Et ſi libere loquamur, quid utriſque nobis commodius accidere poteſt, quam tanto tempore, eoque continuo, ſimul vivere, & ſtudiorum intermiſſionem familiaribus colloquiis ſolari. proculdubio jam aliquid ſcripſeris. Ego ſcripſi, quod vides, carmen minime optimum, & in quo facile animadvertes nihil me ſponte dixiſſe, ſed quod Philoſophi quidam in omni rerum natura putant accidere, tractum materiae neceſſitate. quo factum eſt, ut ſumpſerim decurſorium ſcribendi genus, & quale, ut puto, neque tu antehac a me legiſti, neque ego poſthac ſcripturus ſum. Vides quanta ſit miſeria non ex ſuo, ſed alterius tempore poëtam agere. *Baudius* quoque ſpem mihi injecit Ἐπιθαλαμίου aut ἐπιθαλάμου. velim illi aurem velli. Si *Baſſon* vacat, aut ſi non ille, alius quivis, velim mea cum veſtris imprimat; ita ut ſub veſperam diei Mercurii, aut, ſi fieri poteſt, aliquanto ante parata ſint, ut ea nobiſcum feramus σὺν τῷ δὺ ἐρχομένῳ. Melius nobis conveniet, quam heri atque hodie *Gomaro* & *Arminio*. Utinam tantum apud te poſſim, ut cras te videam. Niſi admodum neceſſariis detinerer, jam ad te transvolaſſem. fac aliquid, quaeſo, mei cauſa. 31. Maji. CIↃIↃCVIII.

EPISTOLA CLXXXIV.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

VElim ex te ſcire, Vir Clariſſime, quae ſchola earum, quae ſunt in oppidis noſtris, maxime apud vos commendetur, optimamque juventutem in Academiam mittat: idque amicorum cauſa, qui de liberis aliquo literarum cauſa ablegandis conſultant. Nonne tibi mirum videtur vacare homini ſponſo iſtis de rebus eſſe ſollicitum? Atque die martis proximo iſthuc cogito, unde abeſſe aequo animo diutius non poſſum. quo ſi, ut & tu venias in ſeptimanam inde alteram circa XVII. Julii cum parentibus cognatiſque meis rogem atque obſecrem, putem me rem indignam facere noſtra amicitia, quaſi tu, qui me ſoles, quoties benefaciendi occaſio eſt, ultro praevenire, nunc magno ambitu exorandus ſis, ne id mihi neges, quod nemo hominum venuſtiorum negare tibi putabit jus aut fas eſſe. Nam ne neſcias, quanta res agatur, diſcent nunc homines, quid Poëtae Poëtis debeant. Ego in eo etiam perſto, ut *Baudium* ſerio vocem, ſed, quaſi caelibem, id eſt, ſine uxore, cujus adventus non poſſet eſſe niſi male ominatus. [1] Epithalamii neceſſitatem non ipſi modo, ſed & ſummo Heroi facile remitto: praeſertim ſi & ipſe heros ſponte malit facere. Ti-

1 Legitur *Heinſii* Epithalamium lib. 1. Silv: in ipſo initio.

Tibi quoque remittam hoc potius, quam operam paranymphicam, ad quam & noſter *Tuningius* ὁ ὑδροπότης ſodalis futurus atque ſociennus unus tuus, ſerio ſe apparat. Vale. v. Julii CIↃIↃVIII.

EPISTOLA CLXXXV.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

CLariſſime Domine. Ita te illa amet, quam tu ſatis belle *Luciam* nominas, caeterum neſcire non debes, haud indecoro vocabulo *Margaritam* eandem appellari, ita enim illam καλέσει θεὸι nimirum *Vettius* & *Blonquius*, μερόπες τ' ἀνθρωποι, hoc eſt *Tuningius* & ſui ſimiles. Miraberis quo eam tam longo hyperbato: ſed hoc volebam, ita te illa amet, ut ego litteras tuas, in quibus legens σημεῖα ϗ ἰκνόμ morbi ſane mihi non incogniti, recolui mecum *veteris veſtigia flammae*. Votum meum ſimplicius efferre non poſſum, quam, optare me, ut idem Heroinae iſti a te fiat, quod tu meae factum putas, cum primum in amorem incidiſti. Interim neſcire non debes, *Tuningium* ad illam ſcriptitare, animi, ut puto, cauſſa: tibi tamen opera danda eſt, ne plus ille joco facere videatur, quam tu ſerio. Si quid vis facere, quod ille aſſimulare non poſſit, ſcribe verſus, *ſed quos legat ipſa Lycoris*. materiam ſumendam non arbitror, neque ab illo miſero Vale, cum ipſam apud hortum relinqueres, neque vero a rheda, & arboribus illis, apud *Weſthovium* tuorum ſuſpiriorum conſciis, ſed quomodo manſionem hîc tuam, cum id maxime vellet, impetrare non potuerit. Aliquid illi praeſtare debes, cui tantum negaſti. Ego, qui jam aliquid juris in novam nuptam meam uſurpare incipio, diligenter eam admonui, quam ſit me atque ipſa indignum, tibi ullas ab ipſa aut conquerendi aut ſuſpicandi cauſſas dari, cui plus obligata ſit, quam aut ego poſſim dicere, aut ipſa intelligere. Putabat ſe nihil aliud, niſi incendiſſe te, ego dixi, ſi aliae neſcirent, at ipſam non poſſe ignorare, quam ſint proni ad aegritudinem & deſperationem amorum id genus hominum, qui, ſanctiſſimo olim nomine, nunc prope ad convitium delapſo, Poëtae vocantur. Orphea quoque & Stellam nunquam ſine triſtitia & ſuſpicionibus amaſſe. Illa, tacta tam magnis nominibus, ſerio dolere, quod ullum ſuum factum tibi diſplicuiſſet. quid plura? promiſit ſe in *Manmakeri* & *Comaniae* ſubſelliis futuram. atque adeo hodie Middelburgum tranſit, *Luciam* allocutura ἀκαδημικῶς: id enim paullo eſt melius, quam σκεπτικῶς. Coepit jam & καταλαμβάνειν, & tuae ſententiae συγκατατίθεσθ. Heroum principi luſus noſtros non diſplicuiſſe eſt quod gaudeam: atque eo praeſertim nomine, quod eadem Epigrammata vobis duobus probantur, quae ego quoque damnare vix ſuſtineo. Male ſit iſti decoctori, qui me ſolutione pecuniae ſibi debitae fraudavit. neque enim hominem vidi, viſurum tamen ſpero, ne ille ſic impune cum aere alieno meo ſe in fugam dederit,

Digitized by Google

Plura non addo, viſurus enim te ſum, ut ſpero, ante abitum hinc meum, hoc eſt ante proximos octo dies. Veriae. CIↃ IↃ CVIII. XVIII. Aug.

EPISTOLA CLXXXVI.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

TRiumvirali noſtro conventui nihil his diebus ad ſummam laetitiam, ut arbitror, deerat, niſi quod amici noſtri uxor viveret, & *Scaliger* periclitaretur: hoc eſt, hic nimis, illa minus, quam vellemus, aegrotaret. Ego ſane & boni hic omnes ſolliciti ſumus pro valetudine viri incomparabilis, & cujus damnum vere aeſtimare non niſi ſerae poſteritati dabitur. Nam noſtrum quidem ſaeculum, ſi quod ominari nolim evenerit, non tam perdidiſſe illum dici poteſt, quam expuliſſe: quippe tam ingratum ac prope dixerim impium, ut & beneficia *Scaligeri* ſine praemio tulerit, & ſcelera *Scoppii* ſine poena, absque vobis paucis eſſet, qui & ipſi alieno ſaeculo nati eſtis, digni tamen a fatis habiti, qui cum *Scaligero* viveretis. Utinam immortali Deo hanc poenam placeret imponere facinoroſis hominibus, ut diu jubar iſtud luceat, quo fulgente inſcitia latere non poteſt. Quod ſi aliter, hoc eſt, ita ut aetas meretur, acciderit, quae licentia ignorantiae dabitur, quanta nox literarum imminet? mors iſta non mors dici debet, ſed occaſus. Qua nota terrarum eluvies & morbi populorum ſtrage graſſantes, & anni alimentorum frangentes fidem memoriae & honori commendantur, hac transibit ad poſteros iſtius non jacturae, ſed calamitatis deteſtatio. Moram tamen, ſi fas eſt, tanti mali precibus efflagitemus: non erunt inverecundae, etſi pro ſene. Demantur anni, quos non ſibi, ſed mundo vixit; juvenis eſt: imo puer. Interim has ab *Hippolyto*, ut puto, literas ei trade, ſi quid forte ſit quod dolentem juvet, languentem excitet; & ea mihi de ipſius valetudine renuntia, quae bene ſperare me non prohibeant. Tu quoque, ut ipſi melius ſit, recte vale. IX. Octo. CIↃ IↃ CVIII.

EPISTOLA CLXXXVII.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

REduci mihi jammodo ab aliquot dierum itinere, inter alia laeta obvenit epiſtola tua, in qua quod de *Lucia* ſcribis tam gaudeo falſum reperiri, (ita enim mihi affirmant, quibus ea res curae cordique eſt) quam verum eſſe doleo, fraudem eſſe factam naſo Baudiano: de quo quid aliud dicam, niſi nec recte nec ordine factum videri? Heroina illa, quae vellet ſe ſine matre natam,

nu-

nuptura eſt [1] ſeni noſtro die, ut arbitror, ſolis, non jam imminente, ſed eo, qui iſtum ſequitur. certe non prius. ego hactenus ita deſtringor, ut ſcribendo epithalamio non vacaverim, nedum ſuper poëmatum editione cogitarem. de quibus tu vere & amice mones, nunquam tempeſtivius poſſe vulgari, quam hac aetate, quae & judicio non caret, & extra veniam non eſt. Spero te brevi ad nos transcurſurum, ut & de hac & aliis de rebus loquamur liberalius, quam aut epiſtolae mos eſt, aut mihi nunc facere temporis anguſtia permittit: cui donabis hujus tam feſtinatae ſcriptionis culpam. IV. Novembris CIↃIↃCVIII.

P. S. Deceperunt te heri ſcriptae literae meae, quibus nuptialem *Tithoni* tui diem ſignificavi. hodie enim certo, hoc eſt ab ipſa, cujus de virginitate agentur Comitia, mihi nuntiatur, ſolemnia peractum iri die Martis proximo: quod te latere nolui: quem & arbitrum facio, num hoc carmen otii penuria & aliud agentis animi feſtinatione protruſum, novi conjugis honori, edi an meo ſupprimi debeat.

1 *Joh. Milandro.* vide *Grot.* lib. III. Farraginis pag. 209. *Heinſ.* lib. I. Silvar. pag. 7.

EPISTOLA CLXXXVIII.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

VEreor ut ſatis vendibilis ſit inventa opera noſtra Indicana, eoque magis, quia nihil a te accepi tam relligioſo rerum alienarum curatore. Mea quidem intereſt, ut editio mea me indemnem praeſtet, neque emam ipſe opera mea meo pretio, quae rurſum aliis donem. Tamen ſi non poteſt lucripetis veſtris perſuaderi, ut deſiderio meo ſatisfaciant, malo librorum aliquot, quam temporis facere jacturam: Itaque celeritatem editionis inprimis tibi commendo, ſine qua & uſus & gratia operis peribit. Hodie admonet me quidam, ut circumſpiciam, num quem poſſem reperire, qui Gallice hoc ſcriptum interpretetur. erunt forte ſtudioſi apud vos Galli literati, quorum ſi quis aliquot horas in translationem velit impendere, poterit & typographum demereri, & me, qui libenter relegam & conſiderabo, num ſenſus meus, qui mihi optime debet eſſe cognitus, ſatis expreſſus ſit. Rogo te patiaris hanc tibi a me moleſtiam imponi, ut partui noſtro obſtetriceris. Sed & alieno nomine te ſollicitabo. *Janninus* induciarum arbiter magni facit commentarios iſtos in ſacras litteras Rabani Mauri, quos puto eſſe in bibliotheca publica ſub tua fide. ingenti deſiderio tangitur ejus libri inſpiciendi. ſi habes, velim (nam puto tomos eſſe plures) Tomum primum experimenti cauſſa ad nos tranſmittas. Ego me tibi publico nomine debitorem *Philippi Leidenſis* profiteor, quem tranſmittam per nautam. XXIII. Nov. CIↃIↃCVIII. Fac aliquid ſciam, quouſque aegrotet *Scaliger*, & quid meditetur *Baudius*.

EPISTOLA CLXXXIX.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

SCripſi ad te nuper de Indicanis noſtris, nondum puto te Typographum inveniſſe, nam alioqui ſcripſiſſes, tamen id qualecunque eſt, fac ſciam, quaeſo, ne diu pendeam. Multas habeo rationes editionem feſtinandi in quibus, ſatis ſcio, adjuvabis me, ſi potes. Scripſeram autem de Rabano Mauro, quem praeſes *Janinus* utendum ex bibliotheca publica receperat. Si forte literas non receperis, potes ex his intelligere, quod prioribus ſignificaveram. Vereor, ne te *Scaligeri* ſequior valetudo detineat: tamen aliquid tibi temporis tui ſalvum eſſe debet, & amicis minoribus. Utinam iter Zelandium tibi arrideat: neque enim debes, ſi eo iturus, ire eo tempore, quo *Scottus* & *Vosbergius*, tui amantiſſimi inde abſuturi ſunt. Vale, & nos, quamvis ſaepe moleſtos, ama. XXVII. Nov. CIↃIↃCVIII.

EPISTOLA CXC.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

NImia mea expectatio & impatientia moleſtum me tibi ſaepius cogit eſſe, ſatis intelligere videor ex eo, quod non ſcribis, nihil te conficere potuiſſe de Indicanis meis. tamen velim ſcire, qua pecunia putes poſſe imprimi, ſimul quid de Gallica translatione ſperare debeam. Reſcribe, quaeſo, imo potius, ſi potes, tranſcurre ad me in aedes jam viduas. Uxor enim a me profugit, & minatur mihi gelu longum divortium; ſolare ſaltem in unum diem ſolitudinem meam. Facies rem pergratam *Janino*, ſi ipſum videris. Legati Germani & princeps chori *Hippolytus* excuſant ſe, quod celeritate abitus ſui impediti ſint *Scaligerum*, ut putant, nunquam rurſus videndum teque & *Baudium* ſalutare. *Ansbachienſis* quoque abiit, qui ſane felix mihi videtur, quod *Scaligero* placeat: ſibi autem quod diviti dominae: quae multum praedicat eum, ſibi & bellum & non invenuſtum videri. Hoc eo, ut ſcias, illum, ubi redierit, indicturum tibi epithalamium: quod ſi ei ego excuſare non potero, praevideo futurum, ut in eundem locum incidamus, de gentium jure violato in vulnere legati. Rogo te ut has literas, quas incluſas vides (ſunt a patre meo) per miniſtrum tuum mittas ad hominem, ſi non fallor, in tractandis pecuniis non paulo te eruditiorem, quam ſapientiam mirum ni *Baudius* ipſi invideat v. Dec. CIↃIↃCVIII.

EPI-

EPISTOLA CXCI.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

IN Zelandiam trahor, triſti cauſſa, ob morbum conjugis: quod ne tibi contingat certiſſimo uteris remedio, vita caelibe. Ego malo ibi totus eſſe, quam hîc dimidius. Caeterum τῶν Γ'νδικῶν deproperationem tibi, ut me ipſum, commendo. intereſt enim & publice & mea privatim, ut editio feſtinetur: alioqui χάρις ὤλετο. ſcio per te non ſtaturum. ſed negligentiae & deſidiae Typographorum oppono diligentiam tuam, quam ſemper in rebus meis etiam infra dignitatem tuam exhibuiſti. Cogita me, quamdiu abſum, quotidie id rogare, quod nunc ſemel per litteras rogo. In correctione neſcio an aliquis uſus eſſe poſſit herois *Tuningii*. ſi ita eſt, non gravabitur. Dabo operam ut redeam quamprimum, etſi hoc Ἰτὺς ἐν γούνασι. Inter proprios metus etiam *Scaligeri* me valetudo cruciat, cui me commendo, forte haud ultra viſurus iſtud ſaeculi lumen. Vale, Doctiſſime Virorum. XVIII. Dec. CIↃIↃCVIII.

EPISTOLA CXCII.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

EPithalamiorum tuorum partem a me interceptam humane laturum te confido. Interim de amoribus, ſi modo ea tibi manet cura, ignarum te eſſe nolui, heroinam noſtram Middelburgi eſſe, eo a matre, ad quam *Blocquius* miſerat, vocatam. cauſa ejus conſilii erat, ut ſi quis eam vere amaret, quaereret ipſam potius, quam inveniret. quippe oblata occaſione colloquendi fortuita facile diſcerni poſſe ſimulatos & temporis cauſa confictos amores a veris amoribus. Dixit mihi *Blonquius* ſe, ſi ante adventum tuum conſilii tui particeps fuiſſet, potuiſſe rem multum apud ipſam praeparare & matrem. Socrus mea a te ſtat. ſi non plane deſperaſti, neque quicquam vidiſti cur te conſilii prioris poeniteat, forte aliquid apud ipſam praeſidii tibi futurum eſt in ea arte, quae mihi ſaepe feliciter ceſſit: de verſibus loquor ea lingua ſcribendis, quam mollior ſexus intelligat. Fac quaeſo, aliquas a te literas accipiam, & memineris me unum eſſe ex eo hominum genere, qui ſummam felicitatis ſuae partem in eo ponunt, quod virtutes tuas & aeſtimare & praedicare poſſunt, quod ego & nunc facio, & facere nunquam deſinam. Decemb. CIↃIↃCVIII.

EPISTOLA CXCIII.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

Hîc in Zelandia multos tui amantes pluresque accuſantes video eam, quam tu quoque in verſibus ſocordiam appellas. Imprimis *Blonquius* verba mihi retulit *Vettii*, qui cum matre dominae hac de re ſerio egeras. Uterque tuus eſt, quantum vis, ſed prodeſſe tibi non poſſunt, dum tibi obſtas. Ita feriae cauſam tuam gravant, & meum huc iter. putant enim minus eſſe patrocinii in occupationibus contra amicam, quam contra uxorem. Mea gravi morbo liberata eſt. Tua adhuc vacat. Neque eſt quod aut Papirios aut Martios, aut id genus hominum metuas. Liber meus interim, ut puto, procedit. te quidem ἐργοδιώκτην, quod ſi *Luciae* aliqua tibi cura eſt, & febrem Zelandicam non nimium metuis, poterit correctio mandari *Tuningio*, aut ſi ille minus vacat, *Baudio*, qui ſe oblectabit hac opera interim, dum uxor mori cunctatur. Pro *Scaligero* ſane ſollicitus ſum, niſi tu fortiter deſperandum putes. Vale, decus noſtrum. 26. Decemb. CIↃIↃCVIII.

EPISTOLA CXCIV.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

Domum reverſus, ſine uxore, quam tamen reliqui probe valentem, nihil prius habui, quam ad te ſcribere, primum ut hoc tu ſcires: deinde ut ego ex te, ecquid Indica mea profecerint, quae niſi maturantur, & oleum & opera perierunt. De *Lucia* nimium tu ſecurus es. Et vera ſunt, quae ex Zelandia ſcripſi. Neſcio quis illi nunc miles alludit, quem tu facile excuties. Etſi hercule etiam dubito, an ſuadere cuiquam auſim matrimonium, cum video me, cui id optime ceſſit, tanto in cruciatu fuiſſe, pendente conjugis valetudine. Adeo nihil in rebus humanis ſincerum eſt: nam ubi id quod amas nactus ſis, ſuccedit amittendi metus, moleſtia, cui vix ulla voluptas contra comparanda ſit. ut bene ſuccedat tamen, ut dico, me exemplum habes: ſin male [1] amicum noſtrum vides, quem non dubito graviter angi ob immortalitatem uxoris. Saluta quaeſo materteram tuam, cui gratias ago, quod ſe pro uxore mea ſollicitam oſtenderit. 5. Jan. CIↃIↃCIX.

1 *Baudium.*

EPI-

EPISTOLA CXCV.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

EGo vero, mi Heinſi, hominum ſum omnium ingratiſſimus, ſi aut ea, quae tu mihi praeſtas, quotidie non agnoſcam, aut ea tibi imputem, quorum in aliis culpa ineſt: quis enim non in ſuis hoc rebus experitur, diligentiam noſtram vinci ſaepe atque impediri aliorum deſidia, etſi iſtorum lucripetarum mora non eſt mera deſidia, ſed avaritia. ſi putarem eos non poſſe indemnes eſſe, niſi mihi injuriam facerent, ferrem aequo animo. nam de quaeſtu tuo certant diſpendio meo, hoc eſt gratiae detrimento: tamen quantum adhuc in poſterum feſtinabunt, tantum peccato ſuo demſerint. Tibi vero tanto plus debebo, quanto cum moleſtiore hominum genere rem tibi eſſe ſatis intelligo. Characteres ſane placent & libelli forma. utinam chartam non peſſimam adhibeant! De publicis addamus aliquid? Induciae periclitantur, quantum unquam antehac. Videtur Hiſpanus non tanti facturus nos decipere, ut eo nomine veterem ſuperbiam omittat. quod ſi facit, verendum eſt ne poſteritas illum a nobis corruptum judicet, adeo hoc rebus noſtris expedit. Caeterum de Eccleſia quoque, ut debeo, ſollicitus tum. Et ut poſſim cum viris ſapientibus loqui cum ratione, legi diligenter dialogos *Caſtellionis*. invenio miſerum interpretem ſacrarum literarum, & ut objectiones moventem in argumento foecundo multiplices, ita ad contrarias auctoritates reſpondentem perfrigide. Si eſſem apud vos, darem operam, ut ſcripta aliqua *Arminii* nanciſcerer. De *Scaligero* nihil ſcribis, puto eum adhuc mori. *Baudium* noſtrum an vidiſti? inauratus eſt a [1] *Jannino* non poenitenda liberalitate: puto eam eſſe hominis ingenuitatem, ut hoc omnibus praedicet: nam ad me quidem eo is duntaxat nomine venit, ne hoc neſcirem. Rogo te, ut has literas ad *Gomari* aedes cures deferri. XII. Januar. CIↃIↃCIX.

1 Nec tacuit *Baudius*, ſed magnifice jactat *Braſſaro* lib. III. Epiſt. 70. munus centum Piſtoletoſum, quos de manu in manum *Jannino* ipſi dedit, minatus ante diſceſſum in Galliam adhuc tantundem additurum: nec minora exſpectabat ab Angliae legato, qui non inferiorem ſe in *Baudio* inaurando fore promiſerat.

EPISTOLA CXCVI.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

INter negotia non minus multiplicia, quam injucunda, ſolatium majus mihi obtingere nullum potuit eo, quod ex orationum tuarum lectione percepi.

pi. Nefas ſit te alii quam tibimet ipſi comparari. Itaque cum priores tuas orationes cum his poſtremis confero, ita judico, eloquentiam tuam a ſubtilitate Senecae ad Plinii elegantiam veniſſe, nunc in perfectiſſima Ciceronis facundia conſummatam. Diſcent poſthac Tullium admirari, qui videbunt te, cui caetera dicendi genera feliciſſime contigerunt, hunc delegiſſe poſtremo loco, quem imitareris, aut quicum contenderes. Quis nunc contemnet eam facilitatem, quam tu ſequendam duxiſti, cui nihil difficile eſt? Eant nunc illa verboſae brevitatis praaecipitia, eant acumina anxie quaeſita, eat putida fordentis vetuſtatis affectatio: illi quoque eant, qui per omnes aetates, per omnia dicendi genera inſtabili dictione decurrunt. Habent forte aliquid eruditionis eorum labores: oratio ſanitatem & robur non habet. Fuit olim laus ſaeculi incorrupte atque caſtigate loqui, quo nimirum tempore Hortenſius, gravis aemulus, palmam tamen Ciceroni reliquit, quo Brutus, Aſinius, Calvus, certatim ad vim dicendi maſculam aſpirabant, quo immenſus ille Caeſaris animus digna Romana majeſtate ſine fuco & calamiſtris loquebatur. Nunc iſta laus, quae publica eſſe aetatis jam dudum deſiit, privata tua facta eſt: Verſus ipſi tui, quorum gloria hac nova laude obſcuratur, indicium huic rei dederant atque praeſagium. Quid enim aliud exſpectare debebamus ab Ovidiano poëta quam Ciceronianum oratorem? Illa vero imprimis quae de bibliotheca eſt oratio, multis mihi bibliothecis praeſtare videtur, quippe cum praeter eximiam in dicendo felicitatem de Clariſſimis ingeniis exactiſſima judicia complectatur. Neque minus admiror, quomodo in argumento parum amoeno de ratione interpretandi Poëtas non diſertus tantum, ſed & feſtivus eſſe potueris. In librum de Mundo quae dicis, talia ſunt, quae niſi ab excercitatiſſimo Philoſopho, & Critico diligentiſſimo, dici non potuerint. Argumenta autem de auctore ejus libri certiſſima; ſtylus & placita Ariſtotelis, a quibus iſte liber plurimum diſſidet. Nunc ad mea venio, hoc primum teſtatus, non ſine rubore mittere me ad te Praefationem, quam Indicis meis praefigas. nunc enim demum, poſtquam tua legi, incipio intelligere, quam non Latine alii ſcribamus. Sed profecto totus liber, ut ferme omnium, qui in ſtudio hoc inficeto verſantur, laboris multum continet, eruditionis nihil. Mitto & binas regis Hiſpaniae literas, quas in fine operis locandas judico. Inſcriptio libri erit, quae in prima pagina ſcripta eſt. Sed non debet publicari liber antequam monſtratus ſit Ordinibus, a quibus accedet permiſſio, cujus exemplum in tergo ipſius frontiſpicii excudetur. Itaque ubi impreſſa erunt omnia, exemplar unum ad me mittetur, quod cum Ordinibus communicem. Vale, Clariſſime Domine, & aequi interpretare libertatem meam, qua toties tibi moleſtus ſum. 18. Febr. 1609.

EPI-

EPISTOLA CXCVII.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

LEgi heri literas tuas, Clariſſime Heinſi, quarum leporem ſi noſter *Blocquius* tam bene intelligeret, quam ego mihi intelligere videor, non putaret ſe difficile adeo patrocinium ſuſcepiſſe, cum tibi contra Decios & Curſores & Martios favet. Ac de illo quidem noviſſimo rivali tuo ulciſcendo nunc diligenter Antverpiae agitur: ac duo viri principes,[1] *Janninus* & *Mylii* ſocer nihil omittunt moliri, quo illi male ſit, quod hercle fortiter concoquendum ipſi puto, quando affinis ipſius, vir & tibi & Monacho *Neyen* non ignotus, jamdudum annititur ut artificium iſtud, quo illi ſe jactant, funditus pereat. *Ferrum eſt quod amant*, inquit ille de ſui ſaeculi feminis. ſed profecto huic ferro poſthac non tam cum hoſte, quam cum rubedine certandum erit. Interim ad tui fautoris nuptias quod attinet, ſcis quam raro mihi vacet poëtari, qui hoc munere diſtringor & uxorem habeo. praeterea eſt adhuc, quod ipſi de Jona excuſem. tamen cum heri tuam epiſtolam accepiſſem, meditatus ſum aliquid hodie, quod eſt ſane non magni pretii.

Ad V. Clariſſ.[2] Adr. Manmakerum.

Te quoque, per vanas jactatum ſaepe puellas,
Detinuit loro jam Cytherea ſuo.
Nec tua jam multas mirantur lumina formas,
Multarum victrix poſſidet una locum,
Teutonides ſordent, & gens male caſta Latinae,
Et Tameſis quicquid, Sequana quicquid habet.
Hic quoque ſunt aliquae: ſed & has Berchemia *vincit,*
Et tantum eſt animo pulchrior illa tuo;
Quantum nobilitas feſtivaque gratia morum,
Et tuus in laudes addere quivit amor.
O bene dilatae felicia gaudia taedae!
Omnibus ô votis concelebranda dies!
Sed quid opus votis? trepident quod vota precari
Jam tibi, praeveniens contulit ante Deus.
Jam nihil optandum dominam tu praeter habebas.
Optaſti dominam: contigit ecce tibi.
Haeredes (id reſtat enim) jam cernere velles,
Hos quoque ludenti lectulus ille dabit:

1 Innuit inducias, de quibus agebatur hoc tempore, quae ſi convenirent, rivali *Heinſii* militi male eſſet. Vide Ep. ſeq.

2 Ejus nuptias celebrat *Heinſius* lib. 1. Silvar. p. 12. ſed haec epigrammata inter *Grotii* Poëmata non inveni, ideoque perire nolui.

Vides nihil esse non vulgaris argumenti: & quandoquidem semel depuduit, quin te, aut potius sponsum, onero & hoc epigrammate inficeto: sed tamen aperto & familiari, in quo miraberis Baudianum *pernegat* tantopere mihi placuisse

Ad eundem Manmakerum.

Accipe, felici juvenis dignissime fato,
Carmina pro meritis inferiora tuis:
Non ea larga quidem, nec certe qualia vellem,
Ut pereat Fisci triste patrocinium.
Quod tibi nunc justas prohibet me solvere grates,
Tam procul abstentum fontibus Aoniis:
Cujus tu implacidos quondam miseratus amores,
Tentasti Dominae frangere duritiem.
Praeterea vates quantum tutaris amantes,
Heinsius *ignotum pernegat esse sibi:*
Heinsius *ille meus, cui qui bene fecerit unquam,*
Hic Venerem & Musas scribat in aere suo.
Ille tuo dignos deducit foedere versus,
Quos procul extremo quisquis in orbe leget.
Felicem nimium dicet Berchemida *nympham,*
Felices thalamos, Mannemaquere, tuos.
At tu, cum Maria *nisi vis resipiscere nostra,*
Invisum populis, Lucia, *nomen eris.*

Cave nimium anxie inquiras, cujus characteris sit hoc postremum epigramma, est enim nullius, & quidni nobis uti liceat Baudiana libertate. Implevi epistolam nugis, implebo & hoc negotiolo. Uxoris meae (quae se dixerat nunquam aliarum fuisse partium, quam quae optimates decent, neque se cuiquam contra te faviſse, sed tamen dedisse operam, ut suscitato rivalitatis certamine sui generis mercem incenderet) ejus inquam frater minimus, *Davidem* quem vocant, sub Majum mensem Lugdunum migraturus est, velim nos consilio instruas, quo in hospitio eum honestissime acturum putes. Vale, flos aevi: neque succense, si frigidius interdum jocamur, neque divinas virgulae tuae virtutis exprimimus. Quo ego scripto nihil vidi eo in genere felicius, nisi in saeculum insipiens incidisset: & tamen diligenter legetur iste liber, & a multis, non dubito, ob hoc tantum, ut intelligere credantur. x. Apr. CIↃ IↃ CIX.

EPISTOLA CXCVIII.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinsio.

Lidam.

FAcis rem te dignissimam, quod ei, qui te unus tanti facit, ut pluris neminem, mortuo gratias persolvis: tuus enim vere grati animi affectus appa-

paret, cum amplius foenerari beneficia non licet, & ei datur, qui reddere jam non poteſt. Neque te decet quemquam magis ornare, quam *Scaligerum*, neque *Scaliger* ab alio ornari, quam ab *Heinſio* poteſt. Ego autem patrocinii mei triſtitiam nunc demum intelligo: duo jam itinera confeci, alterum Noorthollandicum: alterum Amſtelodamenſe: nunc ad tertium Dordracenſe accingor. mediis diebus ita premor negotiis, ut vix reſpirare mihi detur, multo minus verſus ſcribere, minuſque etiam tales, qui *Scaligerum* deceant, aut dignos, qui cum tuis appareant. Videbo tamen quid mihi permiſſurum ſit, quod nunc inſtituo, iter. Habere interim te puto Epigramma meum de chartis *Scaligeri*, quod puto poſſe ob argumenti ſimilitudinem epithaphiis verſibus adjungi. Sapienter autem facis, quod praeclariſſimo munere eum vis donare, cui ob inducias factas non uno nomine obligaris, ut quibus & Rivalis tuus damno auctus eſt, & tu recuperatis rebus, quas hoſtilis injuria abſtulerat, minus habes quod Rivali invideas. *Tuningius* aliud ſolatium ſibi invenit: dicit *Luciam* rubicundiorem fieri indies, & ſi ita pergit, non parum in deformitate profecturam. Nobis aliter videtur, neque enim poteſt ſine ſcelere non formoſa credi, quae tam bonos a te verſus meruit. Sed tu etiam vide, ne te Flandricae deliciae ita capiant, ut hujus noſtrae, quae & altera tua eſt, patriae obliviſcaris. Sed quid tantum mali feci, ut mihi tam acerbe de dilata exemplaris libelli mei miſſione inſultares? An neſcis, mare illud ita liberum eſſe, ut me Domino inſcio atque invito in libertatem proruperit, *Elzeviriis* hercule manumittentibus, qui mihi jus patronatus intervertere, dum ego in ultima Noorthollandia Fiſci utilitatibus pervicaciter indulgeo: quam ob rem aequiſſimum eſſe, ut in integrum reſtituar, multi mihi Juriſconſulti reſpondent. Tu igitur ita habe, quaſi nunc primum is liber prodeat, teque ante omnes alios, ita uti par eſt, ſalutet, quippe qui tot cruciatus & faſtidia ipſius cauſa fortiter exhauſeris, ut ipſos illos, qui in liberrimo Mari, quod Oceanum dicimus, vehuntur, magis nauſeare non putem. Vale, eruditiſſime Domine. CIↃIↃCIX.

EPISTOLA CXCIX.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

PUto occurrere tibi interdum juvenes, quorum ingenium cum fortuna luctatur. eorum ſi quem repereris non alienum a paedagogica ſorte, velim mihi commonſtres. Affinis enim meus *de Bye*, ordinum Foed. aerario praefectus, filios habet duos (minor eſt jam, ut puto, annorum quindecim, ſatis tenui tamen profectu) quos domi in conſpectu ſuo inſtitui ad maturandas, quas de liberis ſuis concepit, ſpes utiliſſimum putat. Foret autem hoc non incommodum alicui, qui Juris diſciplinam coepiſſet attingere, & ſine ſuo

ſumtu uſum fori hîc vellet addiſcere. Et pater ipſe talem quaerit, qui poſt tradita linguae rudimenta, & quantum Philoſophiae properantibus ſatis eſt, legum quoque primordia adoleſcentibus aperire poſſet. Adjicerem, poſſe & ad meliorem fortunam perveniri per gratiam viri, in noſtra Republica multum valentis. Sed quominus id aſſeverem facit exemplum [1] cujuſdam, quem noſti, qui nondum taediorum ſuorum dignam accepit mercedem ab eo, qui omnia poſſe creditur, Batavo Pericle. *Bontio* veſtro video vitam Academicam magis placere, quam ſpes forenſes. De illius itaque & *Meiroſi* negotio *Campius* viderit. Tu ſi quem talem noſti, qualem tibi deſcripſi, eum ad me rogo alleges. Juveris & affinem meum, & ipſum, ut puto, juvenem: Me quoque, qui libentiſſime amicis inſervio. 27. Junii CIↃIↃCIX.

1 *Meurſii* credo, qui *Oldenbarneveldii* filiorum rector fuit.

EPISTOLA CC.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Laidam.

ARminium vita exceſſiſſe intelligo, virum ut omnes judicant, eruditum, probum & veri amantem. Scio tibi non placuiſſe ipſius in quibuſdam capitibus aut ἐπιδοξίαν, aut, ut dicere tu ſolebas, ἀκαταληψίαν. Interim puto illi conſtitiſſe apud conſcientiam factorum ſuorum rationem, tam in iis, in quibus ἐπείχε, quam in quibus ἐξω τῆς λειφθείσης ἐβάδιζε. Noſtrum certe eſt, praeſertim ex quo ille vitae huic ereptus eſt, quam optime de illo arbitrari ex charitatis regula, quae docet duarum anſarum ſemper commodiorem καὶ τὸν εὐλημπότερον apprehendere. Ego, etſi quartana ita premor, ut neceſſariis rebus meis ſupereſſe vix poſſim, conſtitui tamen ex animi ſententia viro eximio & mihi, dum vixit, amico, carmine aliquo, puto [1] epigrammate, ut meus eſt mos, id praebere teſtimonium, in quo ſpero me ψευδομαρτυρίας ὐκ ἐμπεσεῖν δίκην. Tu quid facturus ſis apud te conſtitues. puto, poteris ſine ulla nota inconſtantiae, aut invidia, etiam diſſentientium, mortuum laudare, quem vivum nunquam odiſti: praeſertim cum multae illi laudes tribui poſſint extra τὰ ἀμφισβητούμενα. A [2] *Baudio* quin id impetrare poſſim non dubito. eſt enim δεινὸς ἀνὴρ. Et cum arbitrum ſe totius controverſiae conſtitui ſaepe poſtulaverit, praeſtabit ſine dubio, quod arbitrorum eſt, animum medium & offenſis non obnoxium: etſi in *Scaligeri* [3] naenia perſtrinxit τὸν μαχαίρην ſatis frigido ſchemate. quia tu ſcilicet ea omnia praeripueras, quae iſtius erant temporis, ad aliena confugit & locum implevit. Sed haec illi non minus jam exciderint, quam quae de *Scribanio* & Duce *Alberto* olim ſcripſit, ea nimirum tempeſtate, qua & fas & jus erat, πολεμίζειν ἠδὲ μάχεσθαι. Sed neſcio quomo-

1 Scazonte parentavit lib. III. Farrag. pag. 210.

2 Vide *Baudii* Poëmata pag. 232.

3 Neſcio quaenam ea ſit, nam in *Scaligeri* mortem nihil carminis edidit, & ſilentii cauſſam reddit *Jacobo Gilloto* Epiſt. III. 17.

modo orſus a triſtibus ad jocos delabor, niſi quod eſt & hoc hominis febriculoſi nulla in re ſibi conſtare, ſed per omnia affectuum genera jactari: Rogo, reſpondeas mihi, quid tu circa memoriam *Arminii* facere conſtitueris. 21. Octob. CIↃIↃCIX.

EPISTOLA CCI.

HUGO GROTIUS.

Danieli Heinſio.

Leidam.

MItto tibi [1] carmen, Clariſſime Heinſi, non quale tua eruditio meretur, nec ſane quale debeo tibi meritiſſimo, qui me immeritum ſaepe laudibus tuis obruiſti, ſed quod tu tamen, qui & occupationes noſtras noſti, & iſta ſcis non ſuo pretio, ſed animi affectu aeſtimanda, aequi conſules. Dixi in eo quod veriſſimum eſt, mirari me quomodo tot linguarum, tot generum carmina tam feliciter omnia tractes, quam veterum pauci ſingula. Et hîc de carminibus tantum mihi ſermo. quid ſi illud de ſcriptis antiquorum acre judicium, quid ſi philoſophiam ſectarum omnium, quid ſi denique per omne id, quod ſciri poteſt, diffuſa ſtudia tua velim proſequi? Quae cum conſidero, amicitia tua nihil mihi puto contingere poſſe glorioſius. teque oro & precor, ut eam mihi perpetuo tam integram ſerves, quam ego in admirationem tui defixus ſum. III. Cal. April. CIↃIↃCX.

1 Vid. *D. Heinſii* Adoptiva p. 642.

EPISTOLA CCII.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

MItto tibi litteras, Clariſſime Heinſi, ex quibus intelliges, non tantum ea, quae tibi virorum maximus *Caſaubonus* ſignificat, ſed etiam veniſſe *Mitium*, qui has tibi attulit. Is me ut curarem rogavit. Ego *Caſaubonum* ſollicitari a Rege Angliae intelligo, non ſine opimis praemiis. Puto illi non ita placituram Galliam, quin praelaturus ſit ſecuriorem ſedem, ſine rei ſuae detrimento. *Hippolytum* noſtrum ſi aliquanto inviſas ſaepius, facias rem & te dignam & illo, quo nemo eſt tui amantior; & nunc in relegendis poëmatis tuis totus eſt. [1] Amicus noſter hîc fuit, & me vitare videtur, quod nolim. neque enim tam inepti ſumus, ut nihil vino velimus ignoſcere. Spero te vel *Milii* cauſſa huc venturum, quod ſi erit, fac, ut ſoles, ut me quoque facias participem tui. Salve, doctiſſime amicorum. Prid. Cal. Julias. CIↃIↃCX.

1 *Baudius.*

EPISTOLA CCIII.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Lugdam.

CUm ad me venit epiſtola tua, Heinſi Clariſſime, nullum apud me exemplum Senecae fuit. habui duo, ſed alterum *Reigersbergius*, alterum *Bloncquius* abſtulit, nec memoria mihi tam fidelis eſt, ut abſente libro locum repraeſentem. Tamen quae nuper notaveram curſim admodum, tranſmittere tibi volui. Tu ex his eligas, ſi quid dignum poſteritate & aliis indictum. Poſtquam illa ſcripſi; vidi *Scaligeri* poſthuma, & in illis notas ad Senecam, in quibus ut multa praeclara, ita non dubie pleraque ingenioſa magis, quam vera. Multas emendationes phraſes & ſtylum Senecae reſpiciunt, de quo puto te non dubitaturum. Voces etiam quaſdam, ut *praecommovebunt*, *procacitates* & ſimiles a Seneca uſurpatas vix credam. Jam vero illud Theb. 65. *Duc e duobus*, id eſt elige, quam durum nec illius ſaeculi? cum vera ſit lectio, *quovis vertere duce me: duobus omnis eligitur via.* Antigone enim duce Oedipo quovis ire cupit, nec poſſe patrem ait iter aliquod invenire, quo non ſequatur & filia. Et in Medea quid eſt apertius illo verſu 514. *Quid facere poſſim, eloquere.* MED. *pro me vel ſcelus.* Hoc enim vult Medea, nihil eſſe, quod non ipſius cauſa facere Jaſon deberet, quamvis id cum ſcelere conjunctum foret, quae videlicet multa ſcelera ipſa illi imputabat: Rurſus Jaſon ait duos reges gemino a latere ipſi inſtituros, reſpondet illa, Medeam magis eſſe metuendam regibus. negari non poteſt quin apertum ſenſum vir magnus mirum in modum diſtorſerit. Illud quoque non dubito, verſui 500. *Regina natis*, in eadem Tragoedia, recte Jaſonis perſonam praeponi. Cum enim Medea aegre ferret ſuis liberis fatres ex Creuſa futuros, Jaſon contra nihil in hac quidem re dolendum eſſe oſtendit, cum potius id & honori & praeſidio ipſius liberis eſſet futurum, quod miſeri ipſi potentes haberent fratres e ſtirpe regnante. In Phaedra verſus 556. hanc ego putarim eſſe ſententiam. Nihil eſt humani inter homines. Ipſae matres ſaepe ſuis liberis ſunt infenſiſſimae, ut jam de novercis nihil dicam. Omnia ſi circumſpicias, invenies, inquit Hippolytus, feras, inter quas vitam agunt venatores, minus eſſe feras, quam ipſi ſint homines. Eſt enim θηριόδοξον, ferae a feritate dicuntur, atqui ego contendo feras non eſſe feras, prae quam ſunt homines, imo ſi comparationem inſtituas, nihil eſſe feris manſuetius: ita ut merito ſolitaria iſta inter feras vita conſortio hominum ſit praeferenda; nam huc ſpectat oratio. plura nunc non addam. nam & negotia me divellunt ab hac ſuaviſſima confabulatione, nec quicquam ultra praeſtare poſſum ſine libro meo. Vale, flos eruditorum. VIII. Decemb. CIↃ IↃ CX.

EPI-

EPISTOLA CCIV.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

DIcam quod res eſt, Heinſi, ut te eo compellem vocabulo, quod aliis quidem datur, caeterum uni tibi debetur, Vir undequaque eruditiſſime, cum omnibus ſcriptis tuis id reverentiae debeatur, ne ea aliter legere audeam, niſi quum totum id unum ago, tum vero imprimis addixiſſe me diligentiam expendendis virtutibus ejus [1] libelli, quem mihi poſtremo miſiſti proprium munus, utpote meo inſcriptum nomini. Neque enim ita legendum exiſtimavi, quaſi eſſet pulcherrimorum duntaxat epigrammatum dilectus quidam, ſed tanquam totius veteris philoſophiae breviarium. Quominus ante id fecerim obſtitit infelix hominum genus, quibus quotidie libet peccare magno meo incommodo. Implacabilius autem illis poſthac iraſcor, ex quo comperio me per illos impediri, quo minus mature fruar, re mihi dulciſſima, commentationibus tuis. Sed bene evenit, quod me triſtibus illis negotiis per dies aliquot exercitum ſolatus eſt liber tuus ſapientior, an doctior dicam incertum. Adeo tu & pro philoſophia es ſollicitus, quam Muſarum amoenitate exhilaras, & pro ipſa Poëſi non minus, quam rerum ſterilem non eſſe ſinis. Pauciſſimis datum eſt unam aut alteram ſectam diligenter ediſcere; tu nobis omnes pauciſſimis paginis exhibes; & quidem ſuis quamque ſententiis, ſua phraſi, ſuo etiam idiomate. Itaque ego, qui iſtis in rebus non quantum vellem intelligo, mirifice tamen moveor & Epicuri delitiis, & Platonis ſuavitate, & majeſtate Ariſtotelis, & Stoico robore, & dubitatione Arceſilai. Plane ut per ſe, quod eximium erat, ignotam per tot ſecula Graecam Poëſin ad vetus inſtar reparaſſe, id inter alia laboris tui merita vix compareat. Et pro his quidem gratias habeo tibi publico nomine, & tanquam eorum unus, quorum ſtudia tuus labor adjuvit. Caeterum quod cum libello aeternitate digniſſimo meum ſimul nomen poſteris commendare voluiſti, id vero ego tantum exiſtimo beneficium, ut libenter & ingenue fatear, nec ad habendas gratias copiam mihi, nec ad agendas verba ſufficere. Quod reddam profecto nihil habeo praeter vota, inter quae praecipuum eſt, ut ſaeculum te contingat te dignius. Magnum tibi luculentiſſimi operis fructum abſtulit mors *Scaligeri*, quo prope uno Judice hae ſtabant litterae. Nunc *Caſaubonum*, *Thuanum* & paucos aliquot mihi tolle; perierit ille ipſi etiam vetuſtati admirabilis labor. Sed ne tantum imperitiae regnum Deus conceſſerit, ut aeſtimantium penuria te a recto deterreat. Audeo de poſteris melius ſperare. Veniet aetas doctior & ſanctior, quae noſtrae hoc quoque exprobrabit, quod virtutes tuas non intellexerit. Vale, amicorum princeps. XII. Cal. Decembr. MDCXII.

1 Intelligit peplum epigrammatum Graecorum, vid. *Heinſ.* Poëmat. pag. 508.

EPI-

EPISTOLA CCV.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

CUm in manus meas veniſſent literae, quas ad te ſcripſit vir tui ſimillimus *Caſaubonus*, in culpa eſſe nolui, quo minus quam maturrime ad te curarentur. Noveram enim illud noſtri juris, minus ſolvere qui tempore minus ſolvat. Maluiſſem tamen, ſi ſpes fuiſſet tui hic videndi, coram tibi tradere, ſi quid forte inde diſcerem, quo in ſtatu res ipſius nunc eſſent, ecquid placeret Britannia, an Gallia adhuc potior, & quo labore rem ſibi inviſiſſimam otium pelleret. Nam meae quidem litterae horum nihil habent, tantum quaedam, quae ad me pertinent, quanquam ut verum dicam, ne haec ipſa quidem ad me pertinent. Noſti vitium hominis, etiam minime magnos magni facientis. Nimirum ita eſt ſaeculum, ut videri poſſint ſapere, qui non extrema deſipiunt. At tu vale, Heinſi doctiſſime, & hoc tum natura, tum diligentia conſecute, ut laudatoribus tuis nihil debeas. VIII. Jan. CIↃIↃCXII.

EPISTOLA CCVI.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

LItteras, quas ad affinem miſeras meum, Heinſi Clariſſime, reſerare auſus ſum, cupiditate nimia videndi Socratis tui, tum ne Senatorum deſideria morarer, quibus exemplaria te mittere non dubitabam: erat enim *Nicolaus* noſter in Zelandia, eſtque etiamnum, reditu, ut videtur, hoc frigore intercepto. Omnes, qui legerant orationem tuam, gratias tibi agunt, ipſam orationem laudant, non modo ut tua omnia, verum etiam inter tua. Poſt tantorum virorum judicia, frigida ſit mea commendatio. Et ſoleo de te ubique potius, quam apud te loqui. Uno verbo dicam, mel Hymettium. Nunc litteras ad te mitto, quas ad me *Caſaubonus*: alteras quidem inſcriptas tibi, quae ſimplices ſunt, ut aſpicienti patet: Caeterum ad *Bertium* alteras, in quibus neſcio quid latet, uterum enim geſtant. Dabis operam, ut curentur: ſimul rogo moleſtum ne ſit, ſi forte illac tranſis, aut per famulum, monere *Raphelengium*, exemplaria mihi tria aut quatuor Antiquitatis Reip. Batavicae mittat. Petiit enim a me Galliae legatus, vir, ut tui amantiſſimus, ita tuo viciſſim amore digniſſimus, quod ubi voles experieris. 23. Febr. CIↃIↃCXII.

EPI-

EPISTOLA CCVII.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

USus ſum paullo inverecundius, Heinſi Clariſſime, beneficio tuo, dum libros, quos utendos dederas, longa poſſeſſione detineo. Pro uſura praeter gratias quod ſolvam nihil habeo: niſi in ſolutum accipere tibi placet has *Caſauboni* literas, quas mihi ad te curandas mandavit. Scripſit ad me nuper *Gruterus* verſari te in Cicerone Gulielmiano, & rogat ut, ſi quid haberem, adferrem ſymbolam. Velim ſcire cujus ſit anni editio Gulielmiana. nam, qua ego utor, Wecheliana eſt anni ciɔ ıɔ cxc. An poſterior aliqua & emendatior ſit, neſcio: ſed ex te id potero diſcere. *Caſaubonum* jam ſaepe, ut ad nos tranſcurrat, invito, & facturum puto: Eo magis, quia Spadanas aquas adire jubetur a medicis. Id ſi evenerit, nos felices. Vale, mi cariſſime, & nos ama. ciɔ ıɔ cxii.

EPISTOLA CCVIII.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

LIbenter admodum ex tuis intellexi paratas eſſe ad me viri maximi *Caſauboni* literas, quas avide exſpecto, bonaſque & auſpicatas reipublicae & Eccleſiae fore confido. Miror illorum φειδωλίας, qui tantum laboris inſumere volunt in effingendo vultu, quem ſine operis detrimento praetermittere poterant. Vobis illud jus debetur imaginum, nobis latere liceat, ne pictum mirentur poſteri, quem vixiſſe ignorabant. De *Eraſmo* agere coepi & peracturum me ſpero. interim velim tuo beneficio ad paucos dies uti tomis Conciliorum Graecorum. quo minus dubites, auctor tibi erit ipſe *Mylius*. ſi recta Rotterodamum mittere non poteris, mittes ad hoſpitem meum, is ut ad me recte perferantur curabit. ciɔ ıɔ cxii.

EPISTOLA CCIX.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

EX quo me tetrica haec & Muſis hoſtiliter inimica fori rabies ludo triſtiſſimo incluſit, haud facile memini felicius mihi proceſſiſſe Epigrammatis ſcriptionem (hoc enim ſolum mihi regnum relictum eſt) atque hodie, cum

Digitized by Google

paucos, ſed affectus veri pleniſſimos, verſus, in laudem ſacratiſſimorum tuorum poëmatum fudi: quae quidem tanti ego facio, ut in eorum venerationem interdicendum mihi carminibus putem. Sed exſtare volui apud poſteritatem quantumvis breve monumentum, quo conſtaret, vixiſſe in Batavis amicos duos, quorum alter optima ſcriberet, alter optime ſcripta, qua debebat, fide miraretur. Vale, vir ſummorum ſumme, & quantum te colimus tantum nos ama. A. CIↃIↃCXIII.

Carmen additum erat, quod legitur in *Grotii* Poëmatibus, p. 642.

EPISTOLA CCX.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

ACcepi heri ſpecimen primarum paginarum libri ejus, quem pro tuenda Ordinum exiſtimatione conſcripſi. Non opus eſt, ut curam editionis tibi commendem, qui ſoleas rebus amicorum non minorem, quam tuis diligentiam impendere. Sed niſi ſerum eſt, oratum te volui, ut pagina tertia ad oram adjiciatur vocis Graecae interpretatio *cordium cognitoris*. Pagina etiam quarta magis maſculum mihi videtur *invicta patientia civitas*, quam *invictae*, etſi eſt hoc ſatis ἀδιάφορον. Et pagina ſeptima verſu tertio ego *debere* ſcripſeram, ubi nunc eſt *deberet*. malueram enim a prioribus pendere ſenſum. Cogita etiam, an nitidius ſit futurum, ſi voces, quae in margine ſcribuntur, characterem habeant, ut nunc, rotundum, an potius acutum, ut in *Caſauboni* Epiſtola ad Frontonem. Caetera, quae ad ornandam editionem pertinent, tu melius excogitabis, quotidianus editor. Ignoſces mihi, quod liberius te utor. Utinam tamen reſpondere poſſem tot tuis officiis. XVII. Sept. CIↃIↃCXIII.

EPISTOLA CCXI.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

QUod de libello meo tam benigne ſentis, eſt quod gaudeam, Heinſi clariſſime: multorum enim inclementia judicia exſpecto, adverſus quae ſolabitur me recti inſtituti conſcientia. Multum errant, qui meo me conſilio, aut privata temeritate ſuſcepiſſe putant tam moleſtum negotium. Viri magni, neceſſitas muneris, periculum reipublicae hoc mihi onus impoſuerunt. Itaque & poſt confectum opus publico nomine actae mihi ſunt gratiae verbis honorificentiſſimis. Et certe examinemus ipſas libri partes: quid eſt, cujus poenitere me debeat? Socini errores nonne aperte damnavi, damnaturus & alios,

alios, ſi noviſſem omnes. De *Vorſtii* negotio quid ago aliud, niſi ne mala fide hoc actum credatur ab Ordinibus & Curatoribus, ut invehcretur in Eccleſias Socinianiſmus? ut culpa aliqua levis interceſſerit, dolum certe abfuiſſe contendo. Remonſtrantium dogmata toleranda eſſe dico, nimirum poſt tot Ordinum decreta eam in rem facta; poſt intellectam praeſtantiſſimorum in Anglia Theologorum ſententiam: qui ita exiſtimant, in primo capite partem antiquitatis, in caeteris omnem antiquitatem ab illis ſtare: ac ſi altera partium condemnanda foret, exiſtimant juſtius hoc ei parti eventurum, quae licet invita, attamen incredulitatis humanae cauſas Deo adſcribit, & ſtudium pietatis mirum in modum refrigerat. Ita ſentiunt illi in Anglia, quos nos ex *Caſauboni* teſtimonio maximi facimus. Ego tamen continui me, nec aliud dixi, quam ferendos utrinque diſſidentes. De jure ſummi magiſtratus promſi ſane intrepide ſententiam: quid enim aliud facerem juris publici patronus? Nihil tamen ſtatui, in quo non aſſentientes habeam Reges omnes, Electores & Principes Reformatos. Neque vereor, ne id in me reprehendas, quod quibuſdam aſſentiri non poſſum, Epiſcopatus Satanae commentum vocantibus: aut hoc agentibus ut presbyterium tale, quale nos habemus, juris eſſe mere atque abſolute divini putetur, & quod proinde Magiſtratui auctoritatis ſuae nullam partem debeat. Fremant qui volent; poſthac non alio jure in Hollandia vivetur, quam eo, quod libellus meus exprimit. Si qua tamen ſunt, in quibus modum me praetergreſſum exiſtimas, rogo libere me moneas: invenies minime contumacem. Non erit mihi dedecori, ſi altera editio contineat διατίεας Φρονίδας. Miror ſane quae narras περὶ τῆ δοκιμασίαμένε. Documentum id mihi erit, ut ſim poſthac cautior. Quin Archiepiſcopus & *Winwodus* arripuerint eam occaſionem, ut libro meo odium apud Regem concitarent, dubium non habeo. Sed ſpero, ubi diligenter ſingula conſideraverit Majeſtas ipſius, & conſuluerit doctiſſimos aulae ſuae Theologos, nihil futurum quod magnopere reprehendat. quanquam alioqui ſcio eum, qui patriae ſuae libertatem tutandam ſuſcepit, non ſemper placere poſſe externis poteſtatibus: neque ea de re nimis ſollicitum eſſe debere. Salutant te & lienoſus, & paritura, & ſocrus: & adverſus plethoram remedium tibi ut quaeras etiam atque etiam te monent. Vale, vir praeſtantiſſime, & digne ſaeculo meliore. Prid. Cal. Nov. CIↃIↃCXIII.

EPISTOLA CCXII.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

NIhil inſolitum facio, cum tibi moleſtus ſum. Libros, quos a te utendos accepi, etiamnum retineo. donec cum aliis, quos nunc peto, remittam. Laboramus omnes boni, ut ſemel & Reipublicae & Eccleſiae liceat ab iſtis miniſtrorum turbellis quieſcere. Et in conventu noviſſimo ita placide acta ſunt

omnia, ut a ſpe noſtra non longe ſimus. opus autem habeo Theophylacto in Epiſtolam ad Romanos, Fauſti & Lucidi ſcriptis, quae puto exſtare in tomo quarto Bibliothecae Patrum. Puto eſſe in eodem Tomo Epiſtolam Hormiſdae & Maxentii agentis de his ipſis controverſiis. Velim adjici Caſſiani ſcripta, & imprimis libellum Fulgentii ad Monimum. Mihi enim mirum in modum placet antiquitatis veſtigiis inſiſtere, quae & ſanctius vixit, quam nunc vivitur, & judicio uſa eſt minus perturbato. Haec ſi per te nanciſcor, adjunges plurimis tuis in me beneficiis hoc quoque gratiſſimum. Scripſi & D. *Bertio*, ut ſi qua ipſe iſtorum habet, te moleſtia levet. Vale, Vir doctiſſime, & diu de litteris bene merere. y. Febr. CIↃIↃCXIV.

EPISTOLA CCXIII.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

PAucos ante dies, Virorum Clariſſime, convenerunt me litterae tuae, ſed paullo ſerius, quam oportuit; vix enim eas acceperam, cum mihi ereptus eſt *Seiſtius*, ita ut ejus compellandi poteſtas non eſſet. Sed poſtquam is Lugduno ad conventum rediit, coepi ipſi exponere aequitatem poſtulationis tuae. Ille ſtatim occurrere, tranſactum ſe arbitro negotium, & *Cunaeum* omiſſo Taeito ad Suetonium rediiſſe. Mihi ne hoc quidem ſatis placebat, cum neque ſic ſolida hiſtoriarum profeſſio tibi relinqueretur. Sed tamen gaudebam quocunque modo tibi ſatisfactum. Multi minus amant Ἡσιοδειον illud: ἀρατὴ δ' ἐρις. At mihi inhumanum videtur, oblectare ſe eorum ſimultatibus atque contentionibus, qui magiſtri eſſe debent humanitatis. Recte faceret *Cunaeus*, ſi parceret uti in te tuis beneficiis, hoc eſt & fama ſua & dignitate, quarum utrumque, poſt Deum immortalem, tibi maxime debet. Sed ſi ille officium non facit, tu tamen obliviſci non debes eorum, quae de ferendis fortiter injuriis tuus Plato, & alii Sapientiae doctores praecipiunt. Minime enim te dignum eſſet, ignorare in vita, quod in ſchola & libris doces. De componendis belli noſtri Annalibus egi cum Pericle. ſed video decretum ipſi nihil agere antequam venerit [1] ὁ Βυζαντιος, quem plane tuum eſſe confido. Vereor ne *Byzantinus* molitiones noſtras perturbet. Ego non hîc modo, ſed in quacunque re alia, ſi quid facere poſſum, quod aut dignitatem aut commoda tua promoveat, id omne tibi deberi, ac longe inferius eſſe tuis in me officiis ſemper exiſtimabo. Vale, noſtri ſaeculi decus, & magno fer animo, ſi qui te qui ſis ignorant. XII. Martii CIↃIↃCXIV.

1 *Corn. Mylius*, gener *Oldenbarneveldii*, quem *Periclis* nomine videtur indicare. Quis *Byzantinus* ille ſit vix exputo, niſi ad nomen *Conſtantini* reſpiciens, intelligat *Hugenium*, vel forte an vero *Grotius* de ſuis Annalibus, an vero de hac Provincia *Heinſio* mandanda agat dubium videri poſſet, *Aarſſenium* ſed ego *Heinſium* commendaſſe puto, quia *Mylius* curator de eo conſuli debebat.

EPI-

EPISTOLA CCXIV.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

LIber, qui te Rotterodami exſpectaverat, Lugdunum ad te venit: [1] Poëta φιλελλήνων, ἀεισκεφτικός, μισοτύραννος, in ſumma dignus, quem mei Batavi legant, ut quo magis amant vatem Hiſpanum, eo Hiſpanum Regem implacabilius oderint. Multum haec editio *Raphelengii* diligentiae, mihi aut nihil, aut minimum debet, itaque & nomen me inſcio adſcriptum eſt. Videtur enim mihi plane μικροφιλότιμον labore tam exiguo, tam obvio, gloriolam quaerere. Textus puto tibi non diſplicebit, concinnatus, niſi fallor, ex lectiſſimis lectionibus. Notas, non ut ita ederentur, ſcripſeram, ſed ut emendarem aberrantes quaſdam *Berſmanni* interpretationes, alioqui aut plura annotanda fuerant, aut nec iſta. Sint haec ſane, ut ſunt, haud magni pretii. tamen nemo ante me Syndicus Rotterodamenſis haec praeſtitit. Vides me ridere, hominem tanto Theologorum odio laborantem: quod non vulgaris eſt fortitudinis: Nam & apud Lucanum Caeſar [2] Achoreum ſatis placide alloquitur: ut videas, ne tum quidem tutum fuiſſe in Iſiacos incurrere. Miror quod nullum adhuc ex Friſia fulmen. magnum oportet malum ſit, quod tamdiu cuditur. Vale, mi Heinſi, & me vel illis invitis ama. xx. Apr. CIↃIↃCXIV.

1 Lucanus. 2 Lib. x. 175.

EPISTOLA CCXV.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

[1] HEnricum *Delmanhorſtium* familiariter olim novi, juvenem puer, cum ambo mirifice eo ſtudio delectaremur, quod nos ſuperbo nimis vocabulo Criticum appellabamus, cum id omne in vocum quarundam abſtruſiorum notitia, & rituum quorundam indagatione conſiſteret: ac memini jam tum tantos fuiſſe illius progreſſus, ut ſi cum Carmenta, matrona nobiliſſima, loquendum hodie eſſet, aptior vix quiſquam poſſet inveniri, cui id negotium mandaretur. In Scholiis Graecis nullus illum locus fugiebat, ubi ſcriptum eſſet ἦθος λῶ. Ex eo tempore quantum profecerit, anni enim jam multi ſunt, equidem neſcio: praeſertim vero illud ignoro, quam prope abſit a magiſtro Hippocrate. Ego quidem aegrotavi jam ſaepius, ſed opem ipſius experiri mihi nondum contigit. Ambit nunc, & quidem calide, Medicam in Academia

1 Medicinae honores Academicos ei gratulatus erat lib. II. Farrag. pag. 189. vid. ſupr. Epiſt. CLXVII.

Digitized by Google

Profeſſionem. Hîc ego quid facerem, homo tenerrimae frontis, diu dubitavi. Videbantur mihi multa eſſe, quae ſpem illi facerent. Primum videntur mihi, qui Academiam curant, numero docentium mirum in modum delectari: neque ineptum eſt, ut qui ſex aliquando Juriſconſultos habuerunt, quatuor habeant Medicos: praeſertim cum ſint, qui ex ingeniorum conflictu voluptatem neſcio quam capiant. Deinde quod minime eſt contemnendum, non Gallus eſt, non Germanus, non Flander, ut tuos quoque attingam, ſed purus putus Hollandus, & quidem Lugdunenſis, *Baudii* voce, *equus verna*. Tandem haec menti ſedit ſententia, ad te ſcribere, qui ipſum tanto melius noſti, quanto poſterius cum illo vixiſti. Τοῖς γὰρ νόος ἐστι, meminiſti caetera. Quare rogo te, ut ſi videtur tibi *Delmanborſtius* herbarum ingenia ac vires, humani corporis membra ac receſſus intimos, morborum cauſſas ac remedia, ita ut oportet, didiciſſe, patiaris eum de ſuo lumine aliis facem accendere: imo tuae commendationi meam quoque adjungas, quod & Virum Clariſſimum *Petrum Scriverium*, amicum utriuſque noſtrum veterem, libenter facturum confido. Sin (nolo autem male ominari) tum ut blanda oratione, qua vales plurimum, a propoſito infelicis ſpei eum deterreas, medicuſque ſis medico. Non leviter enim aegrotare mihi videtur, qui inſana ambitione ſe macerat. Vale Vir Clariſſime XIII. Maji CIↃIↃCXIV.

EPISTOLA CCXVI.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

MItto tibi ſumme virorum, hiſtoriam ornate admodum & ſubtiliter ſcriptam a doctiſſimo [1] *Raphaele Thorio*, quae cauſſam mortis viri incomparabilis, & tibi ſimillimi, *Iſaaci Cauſaboni* complectitur. Rogo legas, deinde oſtendas *Pavio*, qui miram conſtitutionem corporis, in quo habitavit admirandus ille animus, obſervationibus ſuis Anatomicis adjungat. eſt enim res digna medicorum exacta conſideratione. poſtea vero obſecro cures ad me redeant literae. De *Caſſandri* epiſtola interpellor a Chriſtianiſſimi Regis Legato, juſſu ejus, cui omnes operam noſtram debemus, *Auguſti Thuani*. quare advigila quaeſo. Velim etiam mitti mihi *Goldaſtina*: & primum quidem tomum quamprimum poterit: cum ubi remiſerim, alterum, deinde tertium. Vale, decus literarum, quarum ſpes nunc ferme in te ſolo ſita eſt. XIV. Aug. CIↃIↃCXIV.

1 Vide Vitam *Caſauboni* ante Epiſtolas noviſſimae editionis pag. 64.

EPI-

EPISTOLA CCXVII.

CORNELIUS VANDER MYLE ET HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

VIrum nobilem & utraque fortuna inſignem *Poppium ab Ayſema* tibi commendamus, non ſane perfunctorie, neque dicis cauſa, ſed ut amantem eruditos, & dignum viciſſim qui ab eruditis ametur. Ordines foederati, cum multa habent agenda apud Balthicas civitates, neminem reperire potuerunt, cui potius legationem, & quidem permanentem crederent. Quare recte & pro tua humanitate feceris, ſi hunc virum ſuis virtutibus praeclarum, deinde publica quoque dignitate ornatum, oſtendas tibi eſſe quam gratiſſimum. Hagae Comitatenſi x. Auguſti CIↃIↃCXVII.

EPISTOLA CCXVIII.

HUGO GROTIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

PRo diligentia, quam praeſtitiſti non operi (neque enim merebatur) ſed amico gratias ago maximas. Errata annotavi, & gaudeo me tam paucis defunctum, ut nunc eſt Typographorum genus. Sed alia difficultas hinc ſuborta eſt, quod cum illorum hominum deſidia opuſculum meum ſua tempora perdiderit, cum id ipſum argumentum iſto modo diſceptari decebat, nunc in ea inciderit, quae plane videntur incommoda omnia editioni, quippe in ultimo colloquiorum articulo, quibus ea omnia vitanda ſunt, quae poſſunt ingenia partium offendere. Utique vir ſapiens, *Mylii* tui ſocer (quem cum dico nihil me aliud, quam ordines Hollandiae dicere intelligo) in ea perſtat ſententia, quae & mihi, non hercule mea, ſed reipublicae cauſa probatur, poſſe quidem, ne Typographus de damno conqueratur, mitti libellum ad nundinas: Caeterum diſtributionum in vulgus in ſeptimanas aliquot, menſem ad ſummum, his in partibus diligenter comprimendam, extra ea exemplaria, quae mea cura & fide hominibus judicio praeditis & bene in patriam affectis donabuntur. Hujus rei cauſa, & ut impreſſio finem quam primum accipiat, ne nova ſuboriantur incommoda, eram venturus Lugdunum, ſed prohibeor arcta occupatiſſimi muneris neceſſitudine, quo tamen non ita diſtringor, ut non vetera ſtudia interdum fugitivum ſuum retrahant. Teſtabitur hic, quem tibi mitto, [1] *Jonas*, de quo judicium tuum ſimplex & ſincerum exſpecto, hoc primum ſtipulatus, ut bene cogites, quam ſit difficilis omnis poëtica paraphraſis argumenti religioſi, & quantum interſit inter ſermonem Hebraeum & verſus Latini-

1. Legitur in ipſo limine Poëmatum *Grotii*.

tinos. De libello meo explora, quaeſo, an Typographus ultro pariturus ſit legi, quam ſcripſi; alioqui utendum erit publica auctoritate: nolo enim cum meo periculo peccare. Et non ſumus *Baudii*. Jonam aut remittes, aut, ſi placeret, referes. VII. Martii.

EPISTOLA CCXIX.

HUGO GROTIUS

Geverhardo Elmenhorſtio.

Hamburgum.

LIbellum *Wouwerii*, quem mittis, Vir Clariſſime, de interpretatione τῶν ὁ jam ante ſcriptum manu videram beneficio *Johannis Wittii*, qui a conſiliis eſt Megalopolitano Duci: miratuſque fueram & obſervationes raras & ſermonis caſtitatem, cum ſumma elegantia conjunctam. quare me quidem libentiſſimo feciſti, ut publici uſus foret tam praeſtans, deque argumento tam nobili diſſertatio. Et hoc quidem nomine debitorem me tibi fateor, ſed inter multos illud me propius tangit, quod animi tui affectum benigniſſimum mihi promis atque promittis: de quo dubitare minime poſſum, cum video quam praeclare & ſupra meritum de ſtudiis noſtris ſentias. Id enim tanti judicii viro accidere non potuit, niſi amor judicium anteveniſſet. quare & gratias tibi habeo, & tibi perſuadeas velim, me & ob ſummas tuas virtutes, & ob hunc in me affectum, addictiſſimum ſemper tibi fore. Meorum nihil erat, quod mitterem novum, praeter id, quod contra *Socinum* commentati ſumus: in quo ſi quid eſt boni, id argumento debetur: ſi quid minus recte ſe habet, excuſabunt me negotia publica, quae vix exiguam temporis partem excolendis ſtudiis mihi relinquunt. Tibi felicius otium precor, ſimulque fauſta omnia. Gratum erit, ſi indicem Photinianorum & Antiphotinianorum ad me miſeris. Si qua in re viciſſim commodare tibi potero, experieris paratiſſimum. Cal. Dec. Anni CIↃIↃCXVII.

EPISTOLA CCXX.

HUGO GROTIUS

Geverhardo Elmenhorſtio.

Hamburgum.

NOli ſuccenſere mihi, Vir Ampliſſime, quod & literis & beneficiis tuis provocatus ſilentium tamdiu reponam. Non auſus ſum vacuis ad te manibus venire: qua me moleſtia liberavit *Ravenſpergerus*, qui aut contradicendi ſtudio, aut prava inclareſcendi libidine noſtrum librum & aliorum, & quod plurimi facio, tuo judicio approbatum hoſtiliter eſt inſectatus. Ei libro doctiſſime reſpondit vir tui noſtrique amantiſſimus *Gerardus Voſſius*: cujus laborem a me, quam ab ipſo, ut acciperes malui, ne deeſſet teſtimonium grati in te ani-

animi. Nam cum a me propter moleſtiſſimas occupationes nihil dignum tuis oculis poſſit proficiſci, quid facerem potius, quam ut ab alio ſumerem, quo te poſſem demereri? Attamen ſi quod reſpirandi mihi tempus dabitur, reſumam in manus Apuleji Mileſias & alia ejuſdem ſcriptoris: non quod praeſtare me quicquam poſſe confido in artibus, quas, ſi didiciſſem unquam, jam dedidiciſſe poteram. Sed ne ulla in parte tibi ſim inobſequens. Vale, vir Ampliſſime, & nos in tuorum cenſu habe. Prid. Cal. Sextil: CIↃ IↃ CXVIII.

EPISTOLA CCXXI.

HUGO GROTIUS

Andreae Schotto S.

Antverpiam.

JAm pridem, vir optime ac doctiſſime, tui viſendi cupidine flagraveram, cujus non eruditio mihi tantum ex editis libris, ſed & ſuavitas morum ex *Scaligeri* atque aliorum teſtimonio innotuerat. Atque adeo id ipſum inter cauſas vel praecipuas erat, cur veſtram Belgicae partem adire cuperem: ſed obſtitit bellum diu, mox factis induciis metus ne, quia privatus jam eſſe deſieram, ſequius id interpretaretur hominum malignitas. ſed vere, quod dici ſolet, fumum dum metuo in flammam incidi. Nam qui tam temere metueram, ne levi ſuſpicione aſpergerer, totis calumniarum fluctibus merſus ſum. ſicut autem in carcere cum eſſem, me iſto Joſephi dicto ſolatus ſum: *nihil feci cur in hanc foveam conjiciendus eſſem*: ita nunc liberatus Dei beneficio (ingratus ſim aliter ſi dicam aut ſentiam) merito mihi videor cum eodem Joſepho dicere poſſe, τῆς ἐμὲ δωρεὰν μισήσαντι: *Vos quidem in malum hoc cogitaveratis, Deus autem hoc cogitaverat in bonum.* Nam exemtus & negotiis publicis, quae vix ullam animo pacem indulgent, & turbae hominum plerumque per contagium noxiae, vitam egi quaſi ἀσκητικὴν, maximamque partem temporis tum precibus, tum ſacrae ſcripturae & veterum ejus interpretum lectioni impendi, eo ſane animo ut, quemadmodum in controverſiis de Gratia & libero arbitrio id, quod verum eſſe firme perſuaſus ſum, magno potentium odio meoque periculo & profeſſus eram libere, & pro eo, quo tum fungebar, munere tutatus; ita in caeteris partibus, ſepoſito rerum temporalium reſpectu, veritatem aut jam cognitam, aut amplius (neque enim de profectu deſperandum eſt) cognoſcendam animoſe ſequerer. in quo propoſito Deum & precatus ſum hactenus, & nunc etiam precor, ut me conſervet ac roboret. cum autem iis, quae praecipua ſunt, praecipuam quoque curam deberi arbitrarer, primitias otii mei conſecravi illis rebus, quae Chriſtianorum univerſitatem a reliquo humano genere ſegregant. Itaque eo animo lectis aliquoties ſacris oraculis, atque iis, quae tum adverſus Gentes, tum adverſus Judaeos a priſcis ac recentioribus erant diſputata, operam dedi, ut horum ſummam populari ac patrio ſermone expreſſam, quo magis lectio allubeſceret, quadam verſuum dulcedine con-

condirem, aliis quoque, ſed meis praeſertim Hollandis, hanc operam navans, ut qui domi cum Judaeis, peregre cum Mahumetanis & paganis, ſaepe etiam cum impiis Dei aut divinae providentiae negatoribus verſantur, haberent praeſens adverſus tot venena remedium. Is labor in libros ſex fluxit, quorum primus Deum eſſe probat, ac ſcitu maxime neceſſarias proprietates ei aſſignat, providentiam, & aliud poſt hoc, quod hîc agitur, aevum: atque inde Religionem generaliter adſtruit. Secundus docet eam eſſe veram religionem, quam Chriſtus Dominus noſter in terras attulit. Tertius auctoritatem defendit eorum librorum, quos veteris & Novi inſtrumenti codices continent: Quartus ſpeciatim Paganiſmo, quintus Judaiſmo, ſextus Mahumatiſmo opponitur. In eodem opere Chriſtianos omnes hortor, ut omiſſis ad pietatem minus facientibus controverſiis, praecipue vero animos aſperantibus rixis, ad pacem ſe concordiamque componant. Confido Deum Optimum Maximum, qui in delineandis iſtis Chriſtianiſmi rudimentis mihi benignus adjutor fuit, hoc etiam mihi conceſſurum, ne in erroribus ullis haeream, qui animae meae ſaluti poſſint adverſari, neve charitatem abjiciam in eos, qui eidem Domino nomen dederunt, praecipue qui vitae innocentia tanto nomini reſpondent: quam in rem omnium bonorum precibus adjuvari cupio, paratus & ipſe pro aliis eaſdem preces ad Deum ſine intermiſſione fundere. Haec igitur, ut dixi, quamquam meditari coeperam pridem, tamen ut amplius intentiuſque meditarer divina directione carcer mihi profuit. proderit, ſpero, & exilium, cui hoc etiam debeo, quod te aliosque viros eximios, tum iſtuc, tum hîc in Gallia vidi: quibus omnibus gratias ago, nominatim tibi, vir reverende, qui praeter illos ſane amiciſſimos ſermones has etiam literas, tui in me affectus indices, eſſe voluiſti. Bene mones & carcerem eſſe hanc vitam & exilium. Carcerem: nam quota pars univerſi eſt, quae nos incluſos tenet, adſtrictos etiam vinculis divinae gubernationis? exilium, a patria quippe abſumus: municipatus enim noſter in coelo eſt. Exempla Themiſtoclis Coriolani, atque aliorum interdum cogito: ſaepius autem illorum, qui leniter tulere illatas a civibus injurias, qualis Ariſtides, Phocion, Rutilius, &, quem dicis, Scipio: ſed quid opus aliunde exempla petere, cum praeſtantiſſimum nobis in Moſe exhibeant ſacrae literae? qui populi liberator incertum ingratiusne acceptus ſit a ſuis, an ipſe patientius pravos populi mores pertulerit. Virtus hic in alieno habitat. inde plerunque adeo ſine praemio eſt, ut & poenas incurrat, aut ubi unus principatum in dominationem vertit, aut ubi inter plures orta factio, rem, quae publica fuerat, privatam facit, aut ubi populus, (qui mos eſt furentium) in membra ſua, & quidem potiſſima, ſaevit. Merito divini libri civilis imperii ſtatum mari comparant: nam ut maris aeſtus eadem loca nunc tegit, nunc deſtituit, ita poteſtas illa ambulatoria eſt, neque veſtigium ſervat: tum vero non deſunt venti & fluctus, qui, non dicam, incautos, ſed vel maxime ſibi caventes, alios penitus demergant, alios diu vexatos tandem naufragos in littus ejiciant. Ad haec exempla nos quoque acceſſimus, quibus propoſitum ſemper fuit in eo, quem acceperamus, ſtatu patriam conſervare: quod nobis qua-

qua mercede ſteterit vides, quanto tutior tranquilliorque vita in piis meditationibus & literato otio ſeneſcentium

Ζηλῶ σε γέρον, ζηλῶ δ' ἀνδρων
Ὅς ἀκινδύνων βιον ἐξεπίεσας
Ἀγνῶς, ἀκλεῶς.

Hoc vitae genus ſi mihi in poſterum clemens Deus indulſerit, operam dabo, ne eo ſegniter abutar. Verſus, quos ex Graecis apud Stobaeum Latinos feceram, jam recepi, eiſque relegendis quod primum dabitur tempus impendam. Conferam & *Ratalleri* libellum, pro cujus uſu gratias habeo, remiſſurus propediem. Quos nominas viros eruditionis fama pridem notas, videre nondum contigit. ſi qua dabitur eos videndi occaſio, utar, neque enim neſcio quam multa ſint quae ab eis doceri poſſem. Vale, vir optime. VIII. Julii. CIↃIↃCXXI. Lutetiae.

EPISTOLA CCXXII.

HUGO GROTIUS

Caſparo Gevartio.

Antverpiam.

SIlvam noſtram, Clariſſime Gevarti, jam puto noſter *Puteanus*, penes quem exemplorum diſpenſatio eſt, ad Te miſerit: in qua ſi quid eſt, quod tibi amiciſque aliis non diſplicet, id omne veſtrae in me benevolentiae atque amori acceptum fero. Neque enim neſcis hactenus ea noſtra tempora fuiſſe, quae litterarum uſum vix quenquam mihi, niſi ad ſolatium, permitterent. Pro Carmine, quo Libertatem meam proſequeris, ſummas ago gratias: agit & uxor, quae non ſine magnis incommodis tandem ad me pervenit, exſilium ejus toleratura, cujus carcerem tulit. Poëſin apud vos vigere ex ſapiente Satyra optimi ſenis, & ex *Burgundi* mellitis ſupra ſaeculum verſibus laetus intelligo. ſi quid recte judico, non eſt quod Belgica in hoc ſtudiorum genere cuiquam terrae concedat, te praeſertim ſuperſtite, Doctiſſime Gevarti, cui felicem litterarum ſucceſſum ex animo precor. Patere quaeſo ut *Schottus*, *Miraeus*, *Wouerius*, *Rubenius* per te ſalutem a me accipiant. Nam *Hemelario* jam alterum reſcripſi: tamen per te quoque velim intelligat amorem ipſius in me a me maximi, ut debet, aeſtimari. Vale, Vir eruditiſſime. XXV. Septembr. CIↃIↃCXXI. Lutetiae.

EPISTOLA CCXXIII.

HUGO GROTIUS

[1] *Joh. Hemelario.*

Antverpiam.

SPero jam perveniſſe ad te, Hemelari doctiſſime, literas, quibus & Scriptori pro conſcripto, & tibi, pro tranſmiſſo ad me Belgico libro gratias ago.

1 Vide de hoc *Hemelario*, & his epiſtolis, quae notavimus ad *Lipſianas* Epiſt. DXLII. Tom. I. pag. 563.

Alioqui merito mihi doleat tamdiu me apud te mei amantiſſimum haeſiſſe in crimine maximo ingrati animi, cujus culpae ut me exſortem ſcias, mitto exemplum earum, quas dixi, literarum, ut ſi eas non accepiſti, hoc earum vicem praeſtet. Librum ipſum & legere incepi, & qua oportet diligentia atque animi attentione perlegam. Acceſſit interim alterum beneficium, Jambi ad me Latini: in quibus libertatem loquendi fruſtra excuſas. Neque enim neſcio id veri affectus certiſſimum eſſe teſtimonium, quae ſentias promere: praeſertim ſi ea perſuaſus ſis, ad ſummam ſalutem ejus, cui loqueris, pertinere, quod te quidem plane credere neutiquam dubito: & vel hoc uno, etiamſi deeſſent alia, facile agnoſco quantopere tibi ſim obligatus. Nam ſi omnium munerum cenſus ex animo maxime venit, ſequitur ut hoc mihi gratiſſimum eſſe debeat, quod non ambigua praefert ſummae benevolentiae ſigna. Accedit ad hoc Carminum dulcis politura, de Angelis vitae noſtrae cuſtodibus, de vitae a turba ſecretae felicitate, piae ſententiae, & ſingularis in me divinae bonitatis numquam ex animo meo delendae pulcherrima delineatio. quod vero antehac & dixi & ſcripſi, idem nunc quoque tibi perſuadeas velim, daturum me operam ut, quae inter Chriſtianos diſputantur, ad dictata Prophetarum atque Apoſtolorum, & ſecundum eos ad ſanctae Vetuſtatis conſenſum exigam, exutis praejudiciis & rerum caducarum reſpectu, quas ſi contemnere nondum didici, ſummus mihi adverſorum meorum fructus periit. Cum vero non neſciam, quot ſint humanae ignorantiae ſinus, Deum ſupplex veneror, ut tibi mihique animum ſuperna luce colluſtret, & ad verum, in rebus praecipue ſalutaribus, conſtanter arripiendum tenendumque corroboret: Te vero, Reverende Hemelari, etiam atque etiam precor, ne minus me tui amantem credas, quam tu te mei oſtendis, quamquam oſtendendi mihi haud par eſt copia. Vale, vir eruditiſſime. XXIV. Septemb. CIↃIↃCXXI. Lutetiae.

Exemplum epiſtolae primae, cujus fit in hiſce mentio.

Librum olim mihi conſolando, nunc inſtruendo deſtinatum, Hemelari doctiſſime, jam nunc accipio: ita ut totum perlegendi nondum tempus invenerim, facturus id ipſum ſine mora, ut meretur affectus pro meliore mei parte ſollicitus. Interim tibi magnas ago gratias, maximas Auctori ejus libri, cujus ego eruditionem per omne litterarum genus latiſſime diſperſam, quod vel inſpicienti patet, valde imperitus ſim, ni admirer, ingratus ni exoſculer. In illis verſibus, quos liberis meis inſtituendis conſcriptos, alii me ignaro ediderunt, video eſſe quaedam, in quibus aut ingenii mei caligo, forte id temporis per calamitates meas nonnihil obruti, cum ab omni amicorum alloquio abſtractus nihil niſi hoſtile aſpicerem, aut ipſa verſuum brevitas & numerorum vincula me impedierunt, quo minus ſatis perſpicue animi mei ſenſa exprimerem. Quod ni eſſet, certe nulli data eſſet occaſio adverſum me diſputandi de illis culpis, quae hominem de Gratiae divinae poſſeſſione non depellunt. Omnino enim cum libri, quem mittis, ſcriptore ſenſi, ejus generis eſſe quoſdam quotidianae incurſationis lapſus, quos ἀθῳώσας ibidem appello: minime vero trahenda eodem capitalia facinora, quae aut dolum malum aut latam culpam in-

involvunt, & proinde cum ſtatu τῆς παλιγγενεσίας nequeunt conſiſtere. Sic & alia quaedam eſſe arbitror, in quibus cum idem ſentiamus, hoc tantum intereſt, quod ille, qua pollet facundia, ſententiam communem verbis lucidioribus expreſſit. Erunt & alia, credo, in quibus aliud illi, aliud mihi animus dictat; quod ipſum tamen ne amicitiae noſtrae obſtet, impenſe oro: atque eo, ni fallor, juſtius, quia non tantum abſum longiſſime ab odio a me diſſidentium, ſed quod in ſummis malis, Deo juvante, praeſtiti, ne quid in re Fidei profiterer contra quam animus ſentiret, idem nunc eadem opitulante gratia praeſtiturum me confido, & quidem eo facilius, quo longius nunc abſum ab omnibus in eo negotio ſimulandi diſſimulandique cauſis. Interim Deum oro, ut ſi quid me fugit ad ſalutem utilis Veri, ejus me luce perfundat; meaque ex parte polliceor animum doceri cupidum, & rectis paratum cedere. Ejuſdem paternae bonitati te quoque & libri ſcriptorem quam poſſum maxime commendo. Carmen tuum avide exſpectabo. Vale, eruditiſſime Hemelari. XXIII. Julii CIↃIↃCXXI.

EPISTOLA CCXXIV.

DANIEL HEINSIUS

Geverardio Elmenborſtio.

Hamburgum.

VIr Clariſſime. Mitto tibi ex pacto Methonenſem, exemplar elegans: quod ut deſcriptum qua potes fide ad nos remittas, vehementer oro. Scripſi nuper ad te, & quidem ſatis prolixe, ad quas literas reſponſum nunc expecto. Accepi Libanii Rhetoris λόγον ἀνέκδοτον: verum ante nundinas negat quicquam ſe in eo poſſe typographus: qui eodem tempore alia nonnulla excudit. Verum de his alias. nunc vix haec licuit. Impenſe enim properat Regis ſereniſſimi legatus, cui Methonenſem tradidi. Meus amor vale, & reſponde. Lugd. Bat. CIↃIↃCVIII. VII. Feb.

EPISTOLA CCXXV.

DANIEL HEINSIUS

Geverhardio Elmenborſtio.

Hamburgum.

VIr Clariſſime. Reverſus e Flandria eximium munus tuum accepi. Arnobium inquam, & in eum commentarium doctiſſimum. Utinam quicunque has literas tractant, ad autores tales emendandos & illuſtrandos operam omnem & induſtriam conferant. Expectamus & Minucium, ſcriptorem, quem ſine ſingulari admiratione nunquam lego. Si quantum ego iſtis laboribus tribuere me fateor, omnes eruditi debere tibi ſe ſentiunt, non eſt quod oleum & operam perdidiſſe te exiſtimes. De literis, quas ad me creberrimas

dediſſe ſcribis, equidem neſcio. Scio unas & alteras me accepiſſe a mercatore noſtrate: Sed quibus reſpondiſſe continuo me arbitror. Si quo minus ſemel atque iterum hoc ut oportebat a me factum fuerit, per abſentiam meam ſtetit, quaeſo ignoſce. Aliquamdiu enim meus non fui. *Wouwerii* noſtri obitum maximo cum animi dolore intellexi. Ego eruditionem ejus viri ac praecipue acerrimum ingenium vehementer ſemper fui admiratus. Sed quid agas! Naturae concedamus ut in ſingulis hoc agat, quando ei viſum fuerit, quod vitare nemo poteſt. De Plauto diu eſt cum cogitare deſii. Sed fortaſſe ſi occaſio ſe offerat denuo in manus ſumam. Jam enim editionem adornaveram. Theophraſti opera, quae ex emendatione noſtra annos aliquot ſub praelo fuerant, adhuc lente procedunt. Excuduntur & Orationes noſtrae, quarum brevi exemplum videbis. Neſcio quae de Satira diſputavimus nuper an videris. libenter enim quicquid ejus eſt tranſmittam. Liber *Vorſtii* de Deo, quem ſollicite quaeſivi ante tempus aliquod, extare hîc negabatur. Scio tamen me immenſum aliquando exemplarium vidiſſe numerum. Res aliquantulum jam languet. Ipſe juſſu Ordinum Lugduno Goudam diſceſſit, ubi nunc vivit. Faxit Deus, ut cum quibus aliquamdiu Academia noſtra conflictata eſt moleſtiis, eas componat ὁ ἅπτι πάντων. De amore meo & benevolentia ſi dubitas, non noſti hominem ἀπήχνως χρήσει καὶ κτήσει tuum. Talem enim me profiteor. Vale, vir Clariſſime, & me literis tuis beare perge. Lugd. Bat. CIↃIↃCXII. XII. Junii.

EPISTOLA CCXXVI.

N. N.

Iſaaco Caſaubono.

Londinum.

SOleo ego ſaepe mecum, Iſace Caſaubone, vir Clariſſime, in haec tempora intueri, quibus duae res graviſſimae, religio ac pietas, aliis quaeſtui ac lucro, aliis exercitio ſunt aut ludibrio. Quibus eodem modo diſputatur, quo in bello confligi ſolet, non ut utraque pars in fide & charitate placide ſub capite ſuo conveniat, & divulſa Eccleſiae membra colligantur, ſed ut quocumque modo victoriam obtineat, qui opiniones ſuas acrius tuetur. Quare quemadmodum milites, ſtipendia qui faciunt, fortes eſſe negat maximus philoſophorum, ac ne quidem civibus hoc nomen relinquit, quibus vel honor, vel aliud quid praeter honeſtatem eſt propoſitum: ita mihi hodie pauciſſimi videntur eſſe, qui inveniendae veritatis ſpe eam quaerant. Alii quippe, dum immane quantum corruptam eſſe Eccleſiam, ipſi non neſciunt, eam, a qua ſemel

1 Dubitavi diu cui hanc Epiſtolam adſcriberem. An *Dan. Heinſio*, a quo *Caſaubonus* judicium de Epiſtola ſua ad Cardinalem *Perronium*, de qua hîc agitur, petierat, & etiam acceperat: vid. *Caſaub.* Epiſt. DCCCVII. & DCCCXV. An vero, *Petro Bertio*, qui de hac epiſtola judicium ſuum transmiſerat *Caſaubono*, qui ſub *diatribes* nomine ejus mentionem facit Ep. DCCCXXXV. videat Lector, & dijudicet. in ſequentibus etiam epiſtolis, quas non autographas repperi, nomina eorum, ad quos ſcriptae ſunt, deerant.

ſemel receſſerunt antiquitatem, ſemper & loquntur & fugiunt. Quare inventa eſt patrona cauſſae peſſimae, Sophiſtica: quae dum partim verbum Dei vel ſuperba praeterit, vel negligit ſecura, partim ſaecula aut diverſa confundit, aut corrupta tantum adducit, facile obtinere hoc potuit, ut non tantum fidem inveniret apud ſuos, ſed quae vellet ſuis ſibi munita principiis, adverſariis pro veris venderet. quibus hoc ipſum ſaepe nocuit, quod paſtoris ſui vocem non ſolam audirent: aut quod potius antiquitati crederent, quam ex ſolo Dei verbo tempora diſtinguerent. Omitto plurimorum intereſſe ex iis, qui Catholicos dici ſe volunt, ne admittant veritatem, aut efficaciſſimae ejus potentiae dent manus. Non enim aras tantum ſed & focos tuentur, quos perpetuo lucere ſibi volunt. Omitto autoritatem illius, ſub quo militant: qui diviſum cum Chriſto imperium jam habet. Ex quo illa caelum reliquit, ſibi in inferiora iſta poteſtatem uſurpare coepit. Itaquo eo eſt deventum, ut & unus ſupremum caput ſit Eccleſiae totius, & ſub iſto capite Eccleſiam errare non poſſe, pars ſit fidei aut fulcrum. Cui ſi quis Dei verbum opponat: rurſus ab eadem interpretationem ejus accipere cogatur, quam oppugnat. Hanc enim eadem ſibi ſervat quae errat. Et ne quid deſit, quia principem habet in terris, quae credenda ſunt ex verbo vitae non probat, ſed ex poteſtate ſua injungit. Itaque Catholica, non quod univerſalis ſit, vocatur, ſed quod univerſae imperet, merite ſic dici poteſt. Alii dum in ea omnia corrupta eſſe ſibi perſuadent, & hoc a parentibus liberi hauſerunt, tantum ſtudioſe dant operam, ut in diverſum eant, quare nihil praeter odium ad eam cauſſam adferunt, quam oppreſſam eſſe cupiunt. Verbo Dei gloriantur potius, quam ut ex antiquitate interpretationem illius admittant. Ritus, qui ad formam Eccleſiae interiorem quidem non faciunt, externam vero abſolvunt, tollere non dubitant: Partim quia ſuperſtitionem metuunt, quam ibi viderunt, hîc autem non diſtinguunt, partim quia veteres non legunt, ſed calide condemnant. Denique dant operam, non tam, ut Catholicae ſint membra, quam ne ſint in Romana. Nec intelligunt ſe ea ratione, non ab ea tantum abire, quam oderant. Sed cum reliquis, quae ſi non ſunt puriores, ſane quod ad formam internam nihil mutant, ad externam autem quod attinet, forte prudentius ſunt conſtitutae, coaleſcere non poſſe. Ut de iis ne dicam, qui divortium faciunt. Nam quam multos novimus, qui opiniones ſequi ſuas in exilio malunt, quam ſub optimo principe pietatem in patria profiteri? Tantum quia maximus Regum, ſolis quidem literis ſacris omnem in omnibus autoritatem defert: ſi quae ad ſalutem aut parum conferunt aut nihil, ad aedificationem autem plurimum, ea ex antiquitate, non corrupta quidem illa, ſed quae proxime ad Apoſtolicam accedit, eſſe judicat petenda: Ideo quiſque in religionis negotio, quia ſuae plurimum opinioni tribuit, alienam facile ſententiam contemnit. Dum haec & id genus alia mecum ipſe cogito, gratiſſimum munus tuum, amiciſſime virorum accepi. Si vulgares illas a me laudes expectas, quibus homo literarum ſtudioſus, virorum quantum hodie eſt literatiſſimum, commendare ſoleo, fallit te tua expectatio. Longe enim majus & illuſtrius eſt munus, quam

quam pro illis laudibus, quod ſuſcepiſti. Neque tu ignoras, quaedam eſſe quae laudari non poſſunt. Quae ſuprema nempe ſunt in bonis, & virtutem ipſam excedunt: ut philoſophorum maximus nos docet. Quid eſt autem melius, quam Chriſti cauſam agere: cujus ἀρίσφον καὶ ὑφαστὸν χιτῶνα non jam milites, ut olim, dividunt, ſed qui negotium pietatis maxime curare videntur? Quid praeclarius, quam cum ſumma eruditione nihil praeter veritatis ſtudium ad hoc conferre, ad quod alii ſcientiam, alii fiduciam illius attulerunt: neutri ſine perturbatione mentis integri & ſuae ſpontis acceſſerunt? Perturbatio quid eſt; niſi mentis tempeſtas? aut quis recte de duobus judicat, quam qui aliquid utrique concedit? vel quod aequitas hoc poſtulet, vel ut ea ratione animos utrinque mitiget? Jam κεφάλεια quae ponis, ut ad veritatem inquirendam ſunt certa, ita neutra pars ea non admittit. Sacras enim literas neque illi neſciunt, ſed ſubinde aliter interpretantur: & praeſertim de Eccleſiae autoritate cum agatur. Nam hîc tota res haeret. Patres vero & antiquitatem hi quoque agnoſcunt, niſi quatenus ab illa veritatis norma recedunt. Id autem quando factum ſit, & quomodo docet hiſtoria. Non Eccleſiaſtica tantum, & quae de induſtria hoc agit: ſed quaecunque e continuatione aut mutatione petitur doctrinae: quae in patrum ſcriptis plana eſt ac manifeſta. Quare qui pro ſaeculis diverſam diſtinguit doctrinam, & ex una hac amuſſi judicat de tota, facile videbit quae ſit pura. Et, quod utinam utrinque fieret, multas cavillationes, recitationes, rixas, concluſiunculas ineptas quas invexit ἡ δογματικὴ, vitabit. Quam niſi accurata illa ab antiquitate lux illuſtret, novam ſemper aut aliquid ſtatuet aut refutabit. Hujus ancilla philoſophia, ne non diſputet, quas non ineptias invexit, ne non, quod Platoni tribuit antiquitas, erudite dubitet, quid non excogitavit? Hinc etiam opiniones in ſacris peculiares, & nonnunquam nulli rei. Quae cum agitantur inter doctos, nihil aliud dicuntur, & facillime componi ſolent. Si in vulgus emanent, haereſin libenter vocant, qui non capiunt; alii libentius ſequuntur. Unde primum Schiſmata in Eccleſia, & non raro factiones in Republica. Quod ex illa de Ubiquitate controverſia apparuit. Vel una Metaphyſica ſcientia, quae ſi intra limites conſiſtat ſuos & principia, ita convenit cum mente noſtra, ut occurrere ei ultro videatur cum diſcitur, ut quae prima ſit ac nobiliſſima ſapientia, in quam omnes inclinamus, quas non nugas in Theologiam induxit, & ſpinoſas primum, mox pernicioſas quaeſtiones? Scholaſtici enim, qui & illam veritatis normam, de qua ſupra agebamus, mirifice involverunt, & antiquitatem inſuper habuerunt, principia ipſa diverſiſſimarum diſciplinarum confundere non dubitarunt. Quarum altera ex mera revelatione & effabili aeternae bonitate ſapientiae, ſua habet firma & immota: altera autem ſuo naturali circumſcribit lumine. Velle in iis ergo laſcivire, aut commiſcere illa, quae mox aegre ſeparari poſſunt, & nihil aliud quam controverſiarum augent numerum, quae dementia eſt? Ubi pax praeſertim & concordia quaeritur. Et hoc ſancti illi patres viderunt, quibus loco Metaphyſicae ſua Huperphyſica, erat, cujus principia; ſola ea norma, de qua agimus, nituntur. Quid Augu-

guſtino ad facilitatem in diſputando defuit? Nec Logicam quidem Ariſtotelis integram viderat. quae ut nobis divinitus eſt data, ita infinita addidimus, quae nec Ariſtoteles agnoſceret. Quanto autem plura ad Theologiam ex philoſophia noſtra acceſſerunt: quae ne Apoſtoli quidem (humano more loquor: omnia enim illis Dei ſpiritus communicare potuit) intelligérent? Quae res ſicut puritatem doctrinae, ita pacem Eccleſiae non parum turbavit. Ad utramque autem, niſi fallor, aſpirare viri vere Chriſtiani eſt. Et hoc ſerio agere Majeſtas illius videtur; quae internam Eccleſiae formam quaerit in divino verbo: externam partim ibi, partim ex antiquitate, ſed quam maxime integra, quaerendam arbitratur. Cui laudabili ac praeclaro illius inſtituto, procul dubio is benedicet, cujus negotium potiſſimum agitur. Horum autem poſterius ut fiat, diligenter τὰ ἱερώμενα tractanda ſunt. Nam ἐν τοῖς δογματικοῖς, ſatis ad ſalutem ac ſuper: nimium ad contentionem profecimus. Gaudeo vero totum te in eo eſſe, & mecum plurimi praeclari ac eruditi viri. Qui quantum olim literarum humaniorum nomine obſtricti tibi erant, tantum nunc Eccleſiae cauſa, debere ſe libenter profitentur. Nam ut omnibus placere iſta poſſe credas, ne autor quidem fuerim tibi. Debes enim melius quorundam ingenia noſſe, quorum ſaepe judicia expertus es. Hoc enim eſt prudentiae; ſicut generoſitatis eſt, ea fortiter contemnere. Sunt qui novum eſſe putant, quicquid nunquam audierunt. Et haec imperitia eſt mera. Igitur commiſeratione digni ſunt. Sunt non pauci, neque indocti, qui antiquitatis loco habent quicquid obtinere coepit, licet nuper ſit exortum. A quo latum unguem ſi recedas, peſſimae opinionis damnatus fias. Non de neceſſariis jam loquor, ſed externis quoque ac ritibus. Multi ſunt, qui ſuperſtitionem vocant, quicquid paulo minus eſt quam neceſſarium ad cultum. Qualia non pauca prima illa ſaecula habuerunt, & Anglia nunc habet. Sunt qui Idololatriam vocant quicquid aut Pontificii admittunt, aut non damnant. Neque tantum homines hoc nomine, ſed integras Eccleſias condemnant. Et hanc dari autoritatem ſibi concedi volunt. Sacras enim literas ſequi ſe ajunt. Quaſi eas melius, quam Patres intelligant. Aut Apoſtolis ſint propriores, quam eorum proximi. Ego vero ſponſam Chriſti, puram debere eſſe ſemper judicavi, non nudam. Ordinem in domo Dei, non confuſionem, laudari. In qua ſi omnes ſunt pares, imperitiſſimi ſunt ſuperiores. Neceſſaria enim in regimine tollitur proportio. Tum ſi non ſunt, fiant. Major enim eſt eorum ambitio, quae paulatim ſe exerit, & ſi nimium poſſit, tyrannidem inducit. Hoc non credidi olim, nunc experientia me docuit. Confeſſionem damnant: qui vel ejus uſum non vident: vel abuſum modo in papatu cogitant. Admittere autem nec *Melanthon* olim dubitavit. Τῆς γονυκλισίας πέρι meminiſti alias quid ad te ſcripſerim. Quae ad τὰς ἐκφάσεις reponuntur, facilius noſtris quam adverſariis probabis. Tamen quae ad primum de reali praeſentia, nec ex his quibuſdam, ſcis quam multa plurimi quam operoſe de hoc argumento ſcripſerint; quomodo τὸ *eſſe vere*, & τὸ *eſſe realiter*, diſtinxerint. Quam multas ea diſputatio chartas impleverit. Cum facillime, in hoc utrinque convenire poſ-

ſit. Eſt enim mere inanis diſputatio. Qui realiter praeſentem eſſe Dominum fatetur, pie loquitur. Nihil enim ibi eſt imaginarium. Atqui *eſſe realiter* & *eſſe ratione* a philoſophis opponuntur. Nam quae ratione ſunt, in ſola mente noſtra & imaginatione verſantur. Ut Reſpublica Platonis, quae τῷ λόγῳ γενέσθαι ſemper dicitur: Tale aliquid ſtatuere in ſanctiſſimo hoc myſterio magna ſit impietas. Nam τῷ λόγῳ ὄν, non imaginarium modo, ſed & fictum ſaepe dicitur. Et haec idem valent. Convenit ergo de reali praeſentia: convenit de eo, panem realiter eſſe corpus. Quomodo autem ſit, ut recte praeſtantiſſimus antiſtes notat, ſi intelligeremus, jam myſterium non eſſet. Qui ergo pie credit quod ſit, pie fatetur ſe neſcire quomodo ſit, ad ſobrietatem ſapit, ut Apoſtolus loquitur. Tum *tranſubſtantiones*, *concomitantias*, & alia, quae primum barbaries induxit, ſuperſtitio excepit, utilitas confirmavit, excludit. Quae tuentur pauci, quod ſic ſentiant: plerique vero, aut quod expedire id ſibi ſciunt, aut, quo ſemper confugiunt, quia Eccleſia id credit. Quam non amplius ſacrarum literarum autoritas, ſed pontificis defendit poteſtas. Et huc omnis res redit. Eo enim jam deventum eſt, ut nec calamo eruditi, neque armis eam debellare poſſint principes. Facile autem poſſit tueri quae credit. Qualia ſunt plurima quae nec verbo Dei, neque incorrupta antiquitate nituntur: neque immerito a te ad reliquas ἐκτάσεις adferuntur. In quibus omnibus, aliquando ut utriſque inter ſe conveniat, a miraculoſa Dei bonitate, & moderatione hominum eſt expectandum. Hoc autem magno Regi hîc cura videtur eſſe, non modo ut Catholicum ſe eſſe probet. Quod qui Anglis demit, quomodo Romanis tribuat, non video. Hujus autem principis tam magni inſtituto, tam praeclaro, pii omnes favent: & cum eo pariter deſperant. Nimis enim notum eſt propugnare quae ſemel placuerunt, non eſſe fidei fiduciam, ſed ingenii exercitium. Cujus praemia in hac vita hodie a pleriſque, non ut olim in futura, expectantur. Te autem ſtrenue ut pergas, moneo. Verum magno animo. Debes enim cogitare, homo tam profundae eruditionis, nunquam cuiquam, niſi magno admodum ſtetiſſe, concordiae inter diſſentientes ſtudioſum fuiſſe. quod tam bonum eſt opus, quam periculoſe ſuſcipitur. Scis *Eraſmo* quid evenerit: quem mordicibus aſini, cornibus petebant boves. Neque ſcio tamen an conſiliis illius quicquam extet moderatius. Niſi ſi qui damnent, quod prudenter iis diſplicere noluit, apud quos veritati ſolus prodeſſe tum poterat. Idem in ſcriptis aliquid nonnunquam ex iis, quae ἀδιάφορα ſunt, prudenter concedit. non quod ita ſentit, ſed quod tempori ſerviat, cauſae ſuccurrat, veritatem promoveat, quae tum nondum cognita, damnata tamen erat. Quod ipſum in paraphraſi cum nollet, maximis patronis eos libros inſcribit. Quos profecto ſine admiratione nunquam lego. Chryſoſtomi ac aliorum medullam eſſe dicas, qui ſine allegoriis & ineptiis τὴν ἀκολουθίαν ſacri contextus optime excuſſerant. Jam de *Melanchtone* quid dicas? quem ut animum ab omni perturbatione alienum, ita pectus omni eruditione inſtructum ad hoc negotium contuliſſe certum eſt, quo hoc unum eſt conſequutus, ut cui parti optime conſuluiſſet, prope ab ea tantum vapularet.

Ut

Ut *Caſſandrum* hominem noſtratem omittam, cujus ſummam modeſtiam, cum utrinque plurimi mirentur: ſunt tamen nonnulli qui frigidiuſcule de eo, ne dicam maligne, judicent. Credo, quia antiquitati nimium deferre eum credunt: quod ab ea, quam antiquam eſſe judicabat Eccleſiam, nondum divortium feciſſet. Ne tum quidem cum utrique parti operam daret. Vides quam prolixe, ut mei prope fuerim oblitus. Huc res redit. Summam eruditionem tuam me mirari, inſtitutum vehementer probare, curam antiquitatis, ac Chriſtianae moderationis tibi commendare, ſucceſſum a Deo immortali petere. A quo ſolo hoc expectandum eſt. Lugd. Bat. CIↃIↃCXII. 18. May.

EPISTOLA CCXXVII.

DANIEL HEINSIUS

N. N.

Isidam.

CLariſſime juvenum. Vidi lepidas feſtivitates, quas hoc die ad me miſiſti. Non eſt noſtrae opis efficere, ut nemo inſaniat: ſane non magis, quam ne quiſquam ſit aeger: Quanquam iſte morbus eſt profecto: & ut recte judicavit medicus, qui homini reſpondet, jugere ellebori curandus. Carmen illud ab autore paulo ante accepi. *Eglisbemii παιδαγωγικὰν μανίαν* non videram. Eſt in paedagogicis ingeniis quotquot vidi, nota quaedam, quam vix toto mari eluas. ſaepe mecum cogitavi, an ab educatione ſit hoc vitium. Verum uſu didici, plerumque tales naſci. Ajunt *Buchananum*, virum ſuo ſaeculo majorem, cum vix unquam Academiam vidiſſet, ſed in Gallicis collegiis conſenuiſſet, ad Reginam ſuam, monſtrum illud faeminae, attuliſſe, quod mirari ſatis ipſa non poſſet. Nam cum affectaret libertatem quamdam in cenſura morum, diluebat ſpecie ſimplicitatis omnem protinus offenſam. Ut non tantum aulae natus videretur; ſed & huic emendandae. Quominus eſt ferendum, eſſe hominem tam confidentem, qui leoni mortuo inſultet. Sed & pulices & pedes idem faciunt: animalia quae e putridine naſcuntur. Equidem cum iſto praeceptore uſi eſtis, plus pro oblectatione, quam pro inſtitutione debuiſtis homini. Verſus enim ſunt inepti: judicium *φρενοβλαβὶς*: numeri, quos reprehendit, exquiſiti & cum cura adhibiti. Homerus, ait ille, alibi dormitat. Pſalmus iſte rex eſt caeterorum. Quod ſi verſus leonini ſunt, quos iſte notat, dabo integras elegias Ovidii, quae talibus pentametris contextae ſunt. Non poteſt *Buchanani* manibus de illo ſatisfieri, niſi conſtet ſaeculo, larvarum plenum eſſe. Cave tamen credas ſolum hunc eſſe, qui ſic deſipit. Narro tibi, nauſea tenet ad plurimorum penſa, quae chartis hoc tempore illinuntur. & praecipue eorum, qui ſe literas tractare exiſtimant. Inprimis ubi faſtus paedagogicus & ignorantia conſpirant. Ibi enim filia quae naſcitur phreneſis eſt. Cujus in hoc Scoto ſpecimen habemus. Verum deſino nugarum, & ut amare nos pergas vehementer a te peto. Vale, praeſtantiſſime juvenis, ac paren-

ti, viro ſingularis exempli, fratrique tuo, me commenda. Lugd. Bat. Octob. Anno 1619. Addidi munuſculum: quod ut aequi ac boni facias, te rogo. Pauca in uſum amicorum exemplaria excuſa ſunt.

EPISTOLA CCXXVIII.

N. N.

Danieli Heinſio.

Leidam.

REverendiſſime & Praeſtantiſſime Vir Domino. Fuit proculdubio Apoſtolorum Joannis & Pauli ſententia, quam in tua homilia enarraſti, eamque orthodoxam eſſe ſoli non credunt, qui caecitate mentis damnati ſunt; nam ut divinae gratiae & adoptionis ſoli electi participes ſunt, ita quae ſit ejus vis & efficacitas ſoli cognoſcere poſſunt. Non enim mundus, aut caro, vel nycticorax lucem ferre valent, quibus denegata eſt ea oculorum acies, qua lux perſpici poteſt. Meo judicio nedum fides divinum beneficium eſt, verum & recta de ea ac de illius cauſſis & effectibus exiſtimatio mundanis ſapientibus eſt denegata. Vos faelices, quibus caelitus divina myſteria detecta ſunt. Chriſtiana iſta Synodus Apoſtolicam ſententiam a carnali diſcrevit, & hac damnata illam pie amplexa eſt, & prudenter Ampliſſimi Ordines adverſarios veſtros linguam coërcere juſſerunt, defuncti munere, quod principis proprium eſt in Eccleſia. Quod vero illi hoſtibus ſe adjunxerint, nihil mirum, errores invicem maxime pugnantes, & extremum diſſidentes, facilius inter ſe conveniunt, quam cum media veritate. Ego ſumma alacritate literas tuas Kal. Jan. his de rebus recepi, & legi, quem divinarum rerum ſcientem ex homiliae lectione cognovi, & intelligentem humanarum ex aliis, quae circumferuntur, ſcriptis publicis adverti. Te diu incolumem ſervari maxime exopto, idque a Deo & Patre precibus exorare nunquam ceſſabo. Venetiis 4. Kal. Junii. 1620.

Credo eſſe *Pauli Servitae* epiſtolam, quae an alibi edita ſit neſcio; agit vero de Homilia in locum Johannis cap. XVII. 9. quae legitur poſt *Heinſii* Orationes pag. 431.

EPISTOLA CCXXIX.

DANIEL HEINSIUS.

N. N.

Leidam.

VIr Clariſſime. Quod ſerius reſpondeo, pro humanitate tua ut excuſes enixe rogo. Ex quo enim mortalium cariſſimam, uxorem meam, cum dolore ineffabili amiſi, vitam egi vagam, & in diem quaſi, ſaepe & abſens, vixi. Quod de ſtyli puritate & auctoribus, qui eo ducunt, paucis ex me quaeris, paucis reſpondebo. Duo hic ſpectanda. Primo ut Latinus ſit, quam nos *puri-*

ta-

tatem dicimus. Secundo ut abſolutus, in quo *brevitas* potiſſimum, & quae cujuſque ingenio convenient, ſpectatur. Quod ad *puritatem*, Ciceronem cum Terentio ac Caeſare, omnibus praeferri non ignoras, nec Romanos ipſos alios his praetuliſſe. Qua de re praeclare alibi *Muretum* diſputaſſe memini, cujus ſcripta, hac aetate, ſola fere puritatem iſtam prae ſe ferunt. Adde nihil obſtitiſſe, quo minus Menandrum caeteris praeferrem Graecis, qui poſtea eſſent, qui in hac parte, hoc eſt in formando ſermone, comicis cujuſque gentis ſcriptoribus non ſine cauſſa praetulerunt. E Cicerone quidquid eſt ſimpliciſſimum, legendum primo. Ubi jam ulterius deventum, Epiſtolas ad Atticum, quas *brevitas* commendat, caeteris praeferri velim, ac cum iis Curtium, Vellejum ſimileſque, qui puriſſime ſcripſerunt, ex hiſtoricis conjungi. Confirmata jam aetate Tacitum, qui omnibus prudentia antiſtat, cum Salluſtio. Aliquamdiu autem iis abſtinendum, quos declamatoriae argutiae commendant, & qui quam longiſſime a puritate ea abſunt. Inter quos Valerium, ſcriptorem alias eximium, fuiſſe & ego judicavi ſemper, nec tu, puto, negas. quaeque alia in eo culpent, recte annotaſti. Vale.

EPISTOLA CCXXX.

DANIEL HEINSIUS

N. N.

Leidam.

AMicorum intime. Quod ad tuas nihil reſponderim, cauſa una eſt. ſperavi enim hactenus, Sluſam me venturum. Interim cognatus meus, adoleſcens ſummae indolis, & eruditionis in aetate iſta rarae, ad vos venit, a quo unum alterumve *Scriverii* munuſculum accipies. Ita enim malo vocare, quae nobis excidunt, ille autem ſtudioſior lectoris quam noſtri, ſed tamen amore noſtri, cum omnibus communicat. Quanquam ſane Hymni ſacri non me poenitet. Epiſtolas quas promiſiſti, fruſtra hactenus expecto. De edendis loquor. Poëmata, cum ſenſimus, ſicut ſolet fieri cum multa ſimul excuduntur exemplaria, vendantur, bonum factum erit, niſi fallor, ſi inſcriptio mutetur, & mutata illa reliqua addantur. Sed fortaſſe de his coram. jam enim tempore excludor. quod ſi non eveniat, multa brevi ſcribam & multis. In privatis enim meis fide tua & integritate nobis opus eſt. Valde Itali nos amant: & jam clanculum εἰς τὴν ἑσπάλεφον ingenti praemio, videndae urbis cauſa invitamur. Sed ut dixi, de his brevi. Vale, noſter amor, & de Belgicis his judica. Lugd. Bat. A°. CIↃIↃCXVI. XX. Maji.

Ad quem haec epiſtola ſcripta ſit ignoro, certe Flandro cuidam, vel in ils partibus agenti. ex fine hujus epiſtolae poſſet quis ſuſpicionem, in quam multi Heinſium vocabant, confirmare, quaſi non modo in Italiam, ſed in ipſa ſacra Romana inclinaſſet. vide *Cunaei* Epiſtolam ad *Apol. Scottum* XXVIII. pag. 48. certe tentarunt eum poſt hanc ſcriptam epiſtolam etiam *Barbarini*, vid. *Erye. Puteani* Nov. Apparat. Epiſt. Cent. III. 82. quam cum *Naudaei* epiſtola protulit hanc in rem Cl. *Gronius* Animad. Hiſt. tom. III. pag. 98. Cardinalis etiam *a Balneo* eum labefactare conatus eſt.

ſed gravius viſum Heinſio Religionem, quam ſedem aut fortunam mutare, fatetur *Eryc. Puteanus* Centur. 1. Poſth. Epiſt. 8. *Voſſius* quoque Epiſt. DXV. ita eum ſcripſiſſe ait, ut & Romae placeret. Et ex *Balſaco* nobis narravit *Auctor Novor. reipub. Literariae* Anno 1686. tom. v. pag. 650. *Heinſium* in libro quodam ſuo ſcripſiſſe Papam, *Eccleſiae caput*; ſed in erratis juſſiſſe emendari, *Eccleſiae Romanae caput*; illud ut Romae placeret; hoc ne Theologis noſtris cauſam aliquam criminationis praeberet: tot ſuſpicionibus preſſum fuit caput illud, cujus manu vindices ὀρθοδοξίας in Synodo Dordracena uſi fuerant, & quae tam fervide ibi victricem cauſam egerat, ut grande inde odium ſibi apud alios contraxerit. ſed hoc etiam *Caſauboni* & aliorum magnorum virorum fatum fuit.

EPISTOLA CCXXXI.

DANIEL HEINSIUS

Scoto cuidam.

Leidam.

NObiliſſime Vir. Bene ſit optimo huic viro, qui effecit, ut, quod diu optavi, aliqua in Scotiam ſcribendi daretur occaſio. Quomodo enim non optare eam poſſim, qui ex quo hîc una fuimus venuſtos mores tuos, ſummam comitatem, exquiſitam eruditionem, excitatum ac vegetum ingenium, non tam inſcriptum, quam inſculptum huic pectori aſſidue circumfero. Quod ut credas, ecce meos de contemptu mortis libros, ecce & aliud, quod nuper aliud agenti excidit. Noſtra in Politica philoſophorum maximi paraphraſis, propemodum ad finem a typographis perducta, ad te itidem abire geſtit. neque voluntati ejus deero, niſi deſit nobis, cui eam, & quaecunque noſtra poſthac proditura ſunt in publicum, committere auſim. Mea enim magis intereſſe arbitror quam tua, ut qui incredibili humanitate tua me obſtrictum ſentio, ſi deſint caetera, ad tanta beneficia, ſi nihil aliud animum erectum ſaltem non ingratum adferam. Quem ſpondere tibi, Nobiliſſime vir, audeo. Vale, Generoſe Domine, & nos ama. Lugd. Bat. A°. 1621. Jan. 29.

EPISTOLA CCXXXII.

DANIEL HEINSIUS

Joanni Polyandro Academiae Rectori.

Leidam.

MAgnifice & Ampliſſime Domine. Cum primo Hagam ex itinere me contuli, eo veni animo, ut Lugdunum me conferrem. Nam & ſatis adverſus omnes caſus, qui humano generi, ex ſupremi numinis juſtiſſimo judicio ac voluntate, evenire poſſunt, inſtructus ſum, & de contemnenda morte libros, qui in omnium verſantur manibus, conſcripſi. Ita tamen, ut nec amicorum judicia, nec eorum, quibus reverentiam debemus, conſilia, quod praefractorum eſt, inſuper habenda exiſtimem. Evenit autem, ut cum aliquot proceribus, quorum prudentia res noſtra ſtat ac nititur, occurrerem, uno omnes ore peterent, ne, qui puriſſimum hauſiſſem in itinere aerem, infecto me

me committerem, ſed ad tempus aliquod, ſeceſſum urbi noſtrae proximum eligerem. Certo ſcire ſe, non eam eſſe mentem iis, quibus curae eſſet Academia, viris humaniſſimis praeſertim, ut ad ultimum diſcrimen eruditos cogerent. qui quo pauciores miſera hac tempeſtate ſupereſſent, qua ad internecionem prope eruditionis ventum eſſet, eo magis dandam operam, ne in flammam manifeſtam ac incendium ſe darent, ſi qui ſupereſſent. Haec illi, qui & in loco commodo idoneoque offerendo, inter ſe certarunt. Quorum humanitatem cum vix expugnarem, ac ut meo ſucco viverem, nec cuiquam gravis eſſem, Waſſenariam conceſſi. In primis autem curae nobis fuit, ut cum iis agerem, quibus cura Academiae commiſſa eſt. Qui amorem, aut ut propria hîc voce utar, pietatem verius, quodque illorum eſt, humanitatem ſingularem, prolixiſſime teſtati ſunt. Conſulendo ac monendo, ut me ſibi atque Academiae ſervarem, nec in caſum tenere aut periculum tam praeſens me darem; ne cum invidia cujuſquam id conjunctum eſſet. Sperare enim, brevi adfuturum urbi laboranti Deum immortalem, nec diuturnum fore, quod tam vehemens atque atrox eſſet. Me vero quanquam haec movere aut debebant certe, aut poterant, & exemplum viri conjunctiſſimi ſuaviſſimique, ne de eruditione dicam, *Golii*, terreret, qui vix ex itinere ingreſſus urbem, lue eadem, aut malignitate ſimili afflatus eſt, ante omnia, in ſtatum Academiae, ac caeteros, qui nondum malo illi ac calamitati ſeſe ſubduxiſſent, inquirendum duxi: ne quod viri boni munus ac officium in me deſiderari poſſet. Intellexi autem, pleroſque, cum ad obeundam ſtationem magno animo ſe comparaſſent, deſtitutos omni auditorum populo, ſine comitatu ac choragio, cum ornamentis, domum rediiſſe. Quae res animum nutantem confirmavit. Non ignarus autem, annos eſſe plurimos, ex quo, amicorum monitu, inprimis autem ejus ordinis, in quo illuſtrem locum obtines, laborem, ut moleſtum, ita, ſi quid judicare poſſum, plane neceſſarium, ſuſcepi, in quo eos jam progreſſus feci, ut poſt pene exhauſta veterum praecipue Theologorum ſcripta, nihil praeter deſcribendi taedium jam reſtat, huc me protinus converti. Non ignoras autem, quod non ſemel ex me audiviſſe potes, primo omnium, Ampliſſimum doctiſſimumque *Catzium*, nunc Curatorem noſtrum, nomine Illuſtriſſimorum Bataviae Ordinum, per literas aut internuncios egiſſe mecum, ut me interpretibus recentioris Foederis adjungerem. Secutum mox & *Pauwium*, qui ex eorundem partim, partim & eorum, quos Foederatos dicimus, mandato, quod in ſcriptis haberet, idem perſuadere nobis conaretur. Quod ut honeſtiſſime ac modeſte tum declinavi, ita nihil mihi prius eſt, quam ut brevi labore proprio defungar, ac nonnihil temporis ac ocii curae graviſſimae impendam. Quod cum caeteris negatum non ſit, mihi, qui Latinam non interpretationem modo recenſui, ut noſti, ſed & locos difficillimos, pro virium tenuitate ac ingenii, extricavi aut excuſſi, triſtiſſimo hoc tempore, quo alii, non ſponte, ſed inviti vacant, non negatum iri arbitror. Quanquam enim deſtitutus libris, quibus infinitis opus eſt, non poſſim quae velim, nullum tamen tempus, cujus ratio non conſtet nobis, hîc elabi patimur. De quo tibi, qui ipſo-

διώκτην hujus operis te profiteri ſoles, ut conſtaret, mea intereſſe exiſtimavi. Inprimis vero, ut & per te iis, quos religioſe, ut debemus, hactenus coluimus, Ampliſſimis, videlicet, Conſulibus, aut ſi qui ibi, praeter eos, alii, quos cura Academiae aut ſalus tangit. Ubi caeteros redire ad munus intellexero, dabo operam, ut & ipſe ad reditum paulatim me componam: qui jam annos amplius triginta, tum ſcribendo, tum docendo, niſi fallor, nihil de induſtria remiſi. Magnifice & Ampliſſime vir, vale, & ut ſoles, nos ama. Waſſenariae, anno CIↃIↃCXXXV. Octob. 25.

Ampliſſimi viri D. Syndici negotium noſti quam ſerio a me commendatum ſit. cum quo has, ſi videbitur, communicare poteris, ne non curae fuiſſe nobis exiſtimet.

EPISTOLA CCXXXIII.

JOHANNES BUXTORFIUS

Danieli Heinſio S. P.

Leidam.

Literae tuae, menſe Auguſto anni ſuperioris, datae, ex nundinis vernalibus hujus anni demum mihi ſunt redditae. liber autem Tuus Exercitationum in N. T. ante paucos dies, quem proinde nondum mihi licuit perluſtrare. Interim gratias tibi ingentes ago pro munere praeſtantiſſimo, quo non aliud pretioſius accipere potuiſſem. Utinam & gratitudinem & obſervantiam, quam Tibi debeo & habeo, luculente aliquando re ipſa teſtari poſſim. Petis a me, ut, quo jam in loco res meae ſint, ad te ſcribam, quo item hic fruar ſtipendio. Citius utique reſpondiſſem, ſed morbus febrilis, quo per totam fere aeſtatem, a principio menſis Maji, laboravi, & a ſtudiis & a literis ſcribendis me averſum reddidit. Nunc meliuſcule iterum habeo; necdum tamen plane confirmatus. Res meas igitur quod attinet, ſtipendio fruor quidem extraordinario, ſed tamen modico, hac praeſertim omnium rerum caritate, quo victualia omnia in triplo ſunt, reſpectu aliorum temporum, pretio. In pecunia parata quotannis 150 Thaleros Imperiales circiter habeo in univerſum: frumenti aliquanto amplius, quam pro praeſentis rei familiaris neceſſitate nunc requiritur, vini aliquanto minus: haec pecunia aeſtimata, centum plus minus, his temporibus, Imperialibus aeſtimari poſſunt, decreſcente autem illorum pretio, tantundem etiam huic ſummae decedet. Hoc totum eſt ſtipendium, quod tamen alendae exiguae meae familiae, cum duobus liberis, & totidem famulis, nequaquam ſufficit. Itaque quod ulterius requiritur, de peculio meo addendum, vel aliunde acquirendum. Per caetera triennium nunc eſt, ex quo in ſtatu viduo dego, neque adhucdum de mutatione ſuſcipienda cogito, varias ob cauſas, inter quas tamen non poſtremae ſunt hae; ut tempeſtate vel turbidiore & adverſa (quam nobis haud pauca minitari videntur) hic ingruente, tanto expeditius evadere & enatare poſſim; vel ſereniore & favorabiliore, ſeu publica ſeu privata, affulgente, tanto liberius, quod mihi videbitur, facere liceat.

Digitized by Google

liceat. Omnia autem mea in Dei providentia & benedictione ſola pono, ejuſque voluntati totum me ſubmitto. Dabit idem aliquando meliora etiam tempora. Tu interim, Vir & Amice ſumme, mihi meiſque ſtudiis ſemper faveto. Praeteritis nundinis Abbreviaturae Parentis cum Bibliotheca Rabbinica, trecentis circiter novis libris aucta, ſunt recuſa: eidem nunc accedit Appendix ſatis copioſa: unde non dubito, majorem imo maximam librorum Judaicorum partem nobis jam notam eſſe, quae res non exiguam habet quoque utilitatem. Si Deus mihi vires adaugeat, prodibit forte hac hyeme nova editio Latina Synagogae Judaicae. Utriuſque enim, & Latinae & Germanicae editio, a Typographis & aliis apud me urgetur. Quid D. *L'Empereur* agat & edat, his nundinis expecto: intra annum nullas ab eo literas accepi; cum tamen ego ſemel atque iterum ad eum ſcripſerim. Plura alias, ſi Deus volet: ſcriptionem negligentiorem ut benigne interpreteris, & valetudini, quae me nec intentum, nec aſſiduum adhuc in ſtudiis eſſe ſinit, ut adſcribas, obſervanter rogo. Deus Opt. Max. Te ſaeculi praecipuum decus & ornamentum quamdiutiſſime ſalvum & incolumem conſervet, ſuiſque benedictionibus cumulet. Dab. Bas. prid. Kal. Sept. An. 1640.

EPISTOLA CCXXXIV.

JOHANNES BUXTORFIUS

Danieli Heinſio S. P.

Leidam.

NOn ſoleo libenter occupationes Tuas, Vir honorande, frequentius interpellare: ſed nequeo etiam mihi temperare, quin aliquando, occaſione in primis aliqua ſe offerente, ad conſervandam eam, quam tua ſingularis humanitas & benevolentia mihi indulſit, amicitiam & familiaritatem, verecundiae limites tranſiliam, meaeque in Te obſervantiae debitae teſtimonium apud Te deponam. Saepius jam ſum expertus, quantopere Tibi & rerum, & ſtudiorum meorum ſtatum curae Tibi eſſe patiaris ac digneris. Unde non ingratum futurum Tibi duxi, ſi ex meipſo quoque intelligas, quod forte ex aliis jam audiviſti & intellexiſti. Viri Clariſſimi D. *Spanhemii* ad nos adventus & Promotio occaſionem dedit, ut & ego, magnis ſic ſuadentibus Viris, me ipſi adjunxerim, & ſupremum in Theologia gradum una cum ipſo aſſumpſerim. Cauſas habuerunt amici, qui id ſuaſerunt: cauſas habui & ego privatas, ob quas huic conſilio mihi obtemperandum eſſe duxi. Tu ſpero cum caeteris amicis favebitis, nec improbabitis. Mitto Tibi, Vir eximie, Diſputationis inauguralis exemplar, quamvis probe ſciam, nihil quicquam in ea eſſe Tua lectione dignum, ſed duntaxat veluti *μνημόσυνον*, & meae obſervantiae teſtimonium. Ob inſtantiſſimam enim D. *Spanhemii* feſtinationem non licuit mihi aliquid accurate conſcribere & meditari: imo vix haec licuit tumultuarie in chartam conjicere. Faxit Deus ut iſta quoque res cedat ad Nominis ipſius Di-

vini gloriam, Eccleſiae & Scholarum aedificationem, Orthodoxae noſtrae Religionis propagationem, meamque propriam ſalutem. Addo Exercitationem quoque in Hiſtoriam Inſtitutionis S. Caenae Dominicae, in qua praecipue ritus primae Caenae enucleare mihi fuit propoſitum, & tentare, num ex Hebraeorum hiſtoria ad hujus quoque rei ulteriorem illuſtrationem, in rem Chriſtianam, aliquid elici poſſit. Quid praeſtitum, Tuum, & Tui ſimilium erit judicare. Utinam vero non Camarinam moverim in meum malum! *Scaligeri* ſententiam examino, ſed modeſte & candide. Si bene id a me factum, vel haec unica ſuſceptae hujus ſcriptiunculae cauſa ſufficiet, quod maculas iſtas ex illuſtriſſimo illo tanti Herois opere eluere conatus ſim: ſi & ego erravi, docilem me & facilem meliora oſtendenti praebebo. Occaſionem mihi eam ſcribendi dedit, quod hoc ipſo tempore in noſtris quoque Eccleſiis, ad caeterarum Eccleſiarum reformatarum exemplum, Caenae celebratio ſit confirmata, azymo pane ſublato, & communi ac nutritico pane, una cum illius fractione, introducta. Hanc ergo actionem hac Exercitatione Academica proſequi volui, exiſtimans id & rei de qua agebatur, & profeſſioni meae conſonum & conforme, nec abſque utilitate publica, futurum. Exemplaria autem ejus publice apud Bibliopolam noſtrum ſufficientia proſtant, ſi qui forte ſtudioſorum ſibi comparare deſiderent. Tuum, ſi tantum abs tuis rebus tibi ſit otii, ut ad me de iſta Exercitatione judicium perſcribas, officioſe rogo. Simul & illud ſcire vehementer deſidero, quibus in ſtudiis tua nunc ſint tempora occupata, quidque nobis a te exſpectandum. Vale, Vir Magne, & ſolito tuo amore & favore proſequi me perge, Dabam Bas. 5. Sept. An. 1642.

EPISTOLA CCXXXV.

THOMAS BANGIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

NObiliſſime & Excellentiſſime vir. Ecce tibi denuo amoris dextram, teſſeramque debiti tuis virtutibus honoris. Imo ecce tibi nobile ingeniorum par, *Joh. Mulenium* & *Michaelem Johannaeum*, quibus ſi me interprete, favere digneris, magni beneficii loco ponam, ipſoſque tuarum virtutum admiratores fore ſpondeo. Cautam vero ſpontaneae ſponſionis tanto lubentius in me ſuſcipio, quanto rectius heic apud nos uterque ſe virtuti & labori ſuapte devovit ſponte. Alter *Mulenius* nobili genere, alter Epiſcopali loco oriundus, non minus loci quam generis decus eſſe coepit. Quare ſi has commendatitias aliquid apud te ponderis habuiſſe cognovero, conabor efficere, ut non modo hujus favorabilis beneficii memoriam conſervaſſe judicer, ſed etiam ſingularem tuum erga noſtrates virtutis & eruditionis alumnos affectum & agnoviſſe & digne aeſtimaſſe. Annus jam eſt, cum eum erga memetipſum a te declaratum gratus intellexi e literis tuis humaniſſime & eruditiſſime ad me ſcriptis.

Deus

Deus tibi ac tuis praeclaris auſis benedicat, quibus, quae omnia vincit, mortem dudum viciſti. Porro judicio tuo ſubmitto chartas quaſdam meas, majorem in modum rogans, velis iſtas anguli noſtri obſcuras umbras benignis oculis tueri, mihique ut indigno Jeſu Chriſti ſervo bene velle & precari. Deo ter Opt. ter Max. te ex animo commendo. Hauniae 6. Jun. 1641.

P. S. Luſtraturus pronuper thecam librariam, forte incidi in Dialogos duos elegantiſſimos *Venetiis* 1534. *a Melch. Seſſ.* excuſos, quorum hic titulus: *Cicero relegatus* & *Cicero revocatus.* Ille Ciceronis dictionem & res geſtas obelo confudit: hic vero liberat & laudat. Opus praeter propter 24. fol. 8°. min. dicatum *Pomponio Trivultio* a H. A. Tuae humanitatis erit me heic ἐν τῇ τῆς βολῆς τρόδῳ haerentem juvare, & ſiquid certi de illo (H. A.) autore tibi conſtiterit, paucis id per amanuenſem velis ſignificare. nolo enim viro occupatiſſimo & publice & privatim me moleſtum eſſe, niſi hac lege. In primis vero eo nomine hoc Te rogo, ut ſcribas mihi tuum judicium, ubi de autore conſtiterit aliquid exploratius, dignumne novis typis cenſeas? &c. Vale, ſeculi decus, & importunitati amici audentioris facti tua humanitate ignoſce!

EPISTOLA CCXXXVI.

HENRICUS A DIEST

Danieli Heinſio.

Leidam.

NObiliſſime & Clariſſime vir. Viſis tuis literis, lactatus ſum, quemadmodum ſolent homines, בְּחֶלְקָם שָׂלַל. Eas vero, ut exoſculatus ſum, ita reverenter habebo, donec fructum aliquando benevolentiae, quem promittunt, carpam. Coepi his feriis evolvere exercitationes tuas ſacras, Deus bone, quantos labores! & non potui, quin de duobus, hac occaſione, te conſulerem. Primo, quum diſtinctionem N. T. in verſus, non ſemel perſtringas, tanquam novam, & alicubi vim ipſi contextui facientem; quo conſilio ejus authorem diſſimules, quem *Henricus Stephanus*, praefatione in Concordantias graecas N. T. ſcribit eſſe patrem, *Robertum Stephanum*? Deinde, an 1. *Tim.* 3. 15. 16. articulus, de quo ſcribis, impediat talem conſtructionem, τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, ἐν σῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, καὶ ὁμολογουμένως μέγα? Habeo enim authoritatem Irenaei, qui videtur verba illa, σῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, non ad praecedentia, ſed ad ſequentia referre: ut & doctiſſimo viro D. *De Dieu* nuper expoſui. Ille enim lib. 3. cap. 1. Evangelium, ab Apoſtolis praeconiatum, poſtea in literas relatum, ſcribit eſſe Columnam & Fundamentum fidei noſtrae. Interim admiror ea, quae a T. C. in explicationem hujus loci adducuntur, ſicut & pleraque alia; quibus Eccleſiam tibi aeternum obligaſti. Deus T. C. bono publico, meoque privato, diu ſervet incolumem. Dabam Daventriae, Anno 1641. 19. Septembris.

EPISTOLA CCXXXVII.

LUDOVICUS CAMERARIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

POſtquam Leida diſceſſi, & cum meis Groningam feliciter appuli, ſaepius mihi animus fuit, ut hoc tibi viro mihi amiciſſimo, & cujus virtutes & eruditionem veneror, ſignificarem litterarum mearum indicio. Non enim dubitavi, gratam tibi fore cognitionem rerum noſtrarum. Verum diſtuli illud officium, donec oportuna ſe offerret occaſio, quae cum nunc mihi contigerit, negligere illam nolui. Vivimus hîc & habitamus ſatis commode, & quod primum eſt, grati ſumus Magiſtratui, Eccleſiae & Academiae. Otio fruimur honeſto, & in valetudine mediocri ea tranquillitate vitae, ut in hac migratione temporaria de coeleſti illa ad aeternam beatitudinem ductura rectius cogitare poſſimus. Interea nunquam amicorum, quos habemus complures in Hollandia, obliviſcar. Sed ubi ubi & quandocunque erit occaſio, reipſa oſtendam, & virtutes ipſorum me aeſtimare, ut par eſt, & grati animi memoriam pro acceptis beneficiis nunquam depoſiturum eſſe. Diſpoſui nunc in ordinem Bibliothecam meam, & omnes chartas avi mei τῦ μακαρίτυ, ut & meas tot annis collectas, evolvi. Ex iis brevi ad x. volumina Epiſtolarum a magnis doctiſque viris ἐν αὐτοχεάφοις ſcriptarum me congeſturum puto. Ad incrementum vero totius operis adhuc a tua benignitate expecto, quas a me in ſcheda annotatas, ut etiam plures alias, mihi es pollicitus. Spero etiam filium tuum, lectiſſimum mihique cariſſimum juvenem, recuperata integra valetudine ex tuo juſſu eam curam operamque in ſe lubenter ſuſcepturum eſſe, quantum ſine veſtro damno fieri poterit. Ex *Rutgerſii* Epiſtolis plures ſane deſidero. Quodcunque autem hac in re officium mihi praeſtabitis, grati animi memoria & aliis hoſtimentis compenſare ſtudebo, arrepta omni occaſione ſe forte offerente. Multum jam vobis debeo pro iis, quas ex magni *Joſ. Scaligeri* chartis mihi nuper communicaſtis, Sed ad eas adjecturos adhuc vos eſſe aliquas etiam ex illis, quae a doctis clariſque viris ad doctiſſimum clariſſimumque Dn. *Heinſium*, praeſertim ex Italia, miſſae fuerunt, certo mihi polliceor. Iubete autem viciſſim, quae vobis a me fieri velitis, ſecuri, voluntati & deſideriis veſtris cunctis viribus me obtemperaturum eſſe. Deus Te, Nobiliſſime vir, cum tota tua domo ſervet & tueatur, in bonum Reipub. & amicorum. Inter quos perſuadeas tibi velim, quod ſum dignitatis tuae ſtudioſiſſimus. Groningae. 26. Julii. Anni 1642.

EPI-

EPISTOLA CCXXXVIII.

ANDREAS COLVIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

NObiliſſime ac Praeſtantiſſime Vir. Summas tibi debeo gratias pro libello nuper ad me miſſo. quem heroibus noſtris Conſuli *Beverio*, & D. *Beverovicio*, cultoribus tuis, communicavi. qui elogia quae tibi merito tribuuntur gratiſſimis auribus oculiſque excepere. quemadmodum & ego, qui ab ineunte aetate magnus fui virtutum tuarum aeſtimator. Auctor, cujus nomen necdum apparet, videtur vir doctiſſimus. Ego ſummopere optarem magna illa ingenia nunquam conflictari. ita enim fit, quod omnis eruditio apud vulgus male audiat. Qui de contemnenda gloria ſcripſere, etiam nomina ſua addidere. Et qui de concordia Chriſtiana ſcribunt, & ad eam viam ſternunt, quantas rixas dant, & ni fallor dabunt. Et qui omnium affectus componere ſtudent, proprios ſedare nequeunt. Quis unquam credidiſſet talia de maximo *Hugone*, quem *ὁ μακαείτης Friſius* noſter, cui olim palmam ſolebatis dare, Deum in terris vocabat paulo adhuc ante obitum. In ſenibus maxime prudentia & judicium vigeant oportet. In multis ipſi inimici ejus defectum harum rerum puto agnoſcent. D. *Mareſius*, quem ſemper per contemtum Borboritam vocat, ſatis acerbe, ut puto, more Gallico, reſpondebit. Ejus ſcripta necdum vidi, etiamſi ultima noſtra Synodus lectionem illorum mihi injunxerit. D. *Spanhemii* adventum una tecum vehementer deſidero. quemadmodum & tuum in hac noſtra urbe, qui etiam communi noſtro amico D. *Beverovicio* erit longe gratiſſimus. Vale, vir ſumme: & me amare perge. Dordrechti 16. Julii 1642.

EPISTOLA CCXXXIX.

JOACHIMUS MATT. F. GERDES

Danieli Heinſio S. P. D.

Leidam.

VIr Nobiliſſime. Iterum ad Te exiguo aliquo literario comitatus munere venio, ſed minime ad palatum tanti viri. Quam vellem, crepundiis ejuſmodi meis vel unum Diſtichon hoſtimenti loco elicere poſſem, quale illud in *Grotium*, quod nunquam ſine admiratione tui recolo:

Depoſitum coeli, quod jure Batavia mater
Horret, & haud credit, ſe peperiſſe ſibi:
Talem oculis, talem ore tulit ſe maximus Hugo,
Inſtar, crede, hominis, cetera crede Dei.

Equidem perlibenter, ſic beatus effectus, illud, *χρύσια χαλκείων*, uſurparem.

Videor facilius mihi imposterum talia promissurus, quum Lugduni in praesentia *Henricus* Jacobi Archiatri Reg. Dan. fil. *Fabricius*, amicus meus praestantissimus, qui has Tibi tradet, degat, quoque curatore (nam ita cum illo egi) commodum utar. Nunc, virorum Excellentissime, paucis causam percipe, quamobrem ad Te scribere, necessarium duxerim. Annus est, ex quo cum Doctissimo, & elegantiore tam Graeca quam Latina Eruditione ornatissimo quodam viro Nobili, cui nomen *Joachimi Gerstorpii*, in Scania vivebam. Apud quem cum Philosophia Stoica magno in pretio esset, ego jamdudum eam periens, acrius amore illius accensus fui. Quare, cum mihi apud eum copia Veneti Codicis Simplicianorum in Epictetum esset, quibus insignis ille Philologus *Hieronymus Wolfius* usus est, eum cum Editione Batava, quae tuam in fronte praefationem exhibet, ac biennium in Academia vestra abhinc excusa est, quam potui diligentissime conferre, quodque Oppio de B. H. dictu frequens est de militibus, pedem pedi componere coepi. Quo labore longe molestissimo exantlato, equidem me temporis dispendium feciſſe, non quaestus fui, cum, ut opinor, exacte satis ea ratione utriusque codicis indolem perdidicerim, nec frustra nunquam satis laudatum *Hieronymum* perhibuisse viderim, quod perquam depravatum codicem in versione sua sequi coactus fuerit. Hinc mirari desii, quare eruditissimus ille vir non eadem opera, qua Epicteti Encheiridion, ac Arriani in illud exegesin Graece divulgaverit, lectorem φιλόλογον exhilaraverit, sed Latinae interpretationi Simplicii, optimi explicatoris Epictetici, acquiescere voluerit. Vidit enim acutissimus, linguaeque Graecae peritissimus Germanus, si ea ratione literariae rei prodesse vellet, integrum illum codicem, quantus quantus est, describendum, ac eam ei medicinam adhibendam esse. Quod fortasse per alia eo tempore ipsi praestare non licuit. Pauci tamen loci in istis Veneti Cod. tenebris lucem praeferunt, quam vestra editio, clariorem. Id quod miranti ostendere, non esset difficillimum. Quod autem ad illam attinet, equidem si Graecum textum excutimus, cumque Veneto illo desperato volumine componimus, merito gratias vobis, quotquot aliquid studii in ea posuistis (quos inter Tibi, *Heinsi*, princeps debetur locus) habemus, agimusque, majores acturi, si per Typographum aliquantisper adhuc tam aurei operis editionem differre vobis licuisset diutius. Idem enim etiam vobis illic loci accidere autumo, quod aliis alibi quandoque usuvenisse audivi, quibus Typographorum instantium importunitas, scripta saepe numero quasi extorsit, nec postremam manum iis imponere concessit. Ego autem non parum tam illustria duo nomina praescripta libro indignatus sum, in quo tantum quid adhuc desideretur. Nam hoc parum vestrae opitulabitur existimationi, quod Typographus interpretationem illius, de qua loquor, editionis, nonnullis a Wolfiana interpretatione abire dictitat; cum illud tale sit, quod integrum scriptum accuratiori Lectori suspectum magis faciat. Omnino enim, Latinam interpretationem cum textu Graeco comparanti, mula equo juncta visa sunt. Quomodo enim (ut de multis duo saltem Tibi, tua, Excellentissime vir, pace, propinem) pagina 89. τῇ ἀρχῇ significet *per ignaviam*? pag. 91. ἀγνώμων, *horrorem*?

rem? Recte, pro ἀρχῇ Wolfius ἀρχίᾳ, pro, ἄγνωτος, ἀγνωσίας legendum cenſebat. Atque illi emendationi Latina iſta quadrabant. Licet illi, qua τῇ ἀρχίᾳ legitur, rectius, quam huic, qua ἀγνωσίας. Mihi, cui continua illa bellica flamma ad excelſa in editis illis Sapientum Templis adſpirare minime alias concedit, eam mihi obtingere de cetero tranquillitatem tantum expeto, ut nobiliſſimos hoſce divinae Philoſophiae Doctores Epictetum, Simplicium, Arrianum, pro captu meo, munde mihi deſcriptos, ac *Wolfii*, tuo V. C. *Rutgerſii*, atque, ſi ut modice ſaltem carpit, opem ferre uberiorem iis perrexerit, *Salmaſii*, tum meo judicio caſtigatos, effingere, ac eo modo effictis commodam aptamque interpretationem apponere poſſim. Is talis, erit meus codex: meum delicium: meum ἰατρεῖον. Inde, ſi dextre ſpero, quae Belgicam nuperam Editionem, citra tuam, vir Doctiſſime, culpam, lectionum monſtra contaminant; qualia pag. 144. m. διαθεὶς: pag. 157. ἀπιχώρησιν: pag. 214. αἴτια τὰ: pag. 247. m. ὡς φύσιν: 280. pag. φέρονται, ibid. ἐφημένων, & quae, niſi opera tua in legenda hac epiſtola abuti mihi eſſet religio, multo plura annumerare poſſem (nam operarum errata, quae etiam affatim obſervavi, quale Pag. 83. f. ἀποκαίματα, hunc in cenſum nullus traho) ea, inquam, omnia, iiſque ſimilia, e codice mea manu utilitati meae exarato, exulabunt. Quae illic animi recreatio; quae ſeria voluptas erit? Praeſertim ſi induſtriae meae aliquis proſperior reſpondeat eventus. Ignoſce mihi, *Arriane*, Philoſophe maxime ſobrie, quod voluptatem cum utilitate junctam in aureae hujus doctrinae lectione, cum meo mihi *Heinſio* pollicear. Videris enim eam his in ſeriis nullus tolerare. At ſeria mihi illa, quam dixi, erit voluptas: ſicca erit: quaeque ſe alte tollat ſuper omnem faecem. Nec *Lipſius* enim (at quis viro illo magis veſtrae addictus Stoae?) ullo modo illud delectationis nectar removet ab hac palaeſtra. Vale, vir ſumme *Heinſi*, ac ea quae tecum communicavi, candide interpretare, etiam, cum per varia officii tui negotia licet, ad iſta reſpondere haut aſpernare. Filio tuo politiſſimo meis, quaeſo, verbis ſalutem dicito. Scrib. Hafn. XVI. Kal. Jan. anno Salutis per D. N. partae CIↃIↃCXLIII.

EPISTOLA CCXL.

MARTINUS SCHOOCKIUS

Danieli Heinſio S. D.

Lidam.

AMplector conſilium de chartis noſtris *Janſſonio* committendis, cum quo ubi huc venerit (exſpectatur autem intra tres hebdomadas) coram agam. Diutius ſi emanſerit, fratrem meum Amſtelodamum ablegabo. Interera alterum hominis noſtri Commentarium percurri, & praeter alia multa prolixius expendi opinionum portenta de dono linguarum Apoſtolis ad horas tantum paucas conceſſo (cujus commenti architectus videtur eſſe *Eraſmus* in Apologia ad Monachos Hiſpanos p. 148.) de Epiſtola ad Hebraeos & Evangelio Johannis

nis Ebraice ſcripto, de Petro Graecae linguae ignaro, ejuſque interprete Marco, & LXX. ſenum verſione deperdita, de verſione eadem nunquam ab Apoſtolis (ſic contendit noſter) ad partes vocata, de Judaeorum diſperſionibus, quas reclamante variis in locis ipſi Sp. Sancto, contra *Grotium* unam tantum fuiſſe vult, oblitus eorum, quae in Praef. ex Epiphanio citaverat, aliiſque ejuſdem per omnia farinae. Prolixiorem Praef. ad ipſum virum Nobilem (ſic enim haberi vult) Diſſertationibus, quae jam in molem aliquam excreverunt, praemiſi, qua perquam modeſte ſummam non tantum controverſiae propono, ſed ipſum quoque procedendi Methodum, provocando ad eum ipſum & ſcripta, quibus olim viſus eſt probare ea, quae cum pſalteriis & canticis praeter rationem hodie traducit Omnium, qui linguae noſtrae favent, indiculum, prolegomenis ſubjiciendum, contexui, in quo praeter ipſum *Salmaſium*, *Hugo* quoque *Grotius* ex nuperis Annotationibus in N. T. laudatur. Triplex N. T. ἰλλας neſcio an tibi annotata ſit ex Eulogio Alexandrino apud Photium. Multa congeſſi, quae ſi uni tibi probata fuerint, regem me putabo. Turbae & eruditorum vulgi ſecurus ſum. Quod reliquum, ſupplex Deum venror, ut miſereatur reip. literariae, te illuſtriſſimum ejus principem non ante ad ſe vocando, quam ſuccreverit alter Atlas, qui niſi ex aedibus veſtris prodeat, ipſis Muſarum manibus formari non poterit. Vale & ſalve, ſeculi miraculum, ac ſi mereatur amare perge eum, qui ſemper devotus nominis cultor. Raptim Groningae XII. Kal. Jan. CIↃIↃCXLIII.

EPISTOLA CCXLI.

MARTINUS SCHOOCKIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

MAximum Muſarum decus, virorum doctiſſime & celeberrime. Pono tandem frontem, ſchediumque hoc, cui qualemcunque de Anima Mundi Commentariolum jungere meditabar, coram literati ſenatus principe comparere jubeo. Loqui compellit impudens quis veſpillo, qui niſi odio excaecatus eſſet, cognoſcere potuiſſet imperatorium ſpiritum in gregario milite non elidi. Minus polita & tumultuaria exercitatio, viſa a viris admodum Reverendis Dn. *Revio* & Dn. *Cloppenburgio*, cum tandem veniſſet in manus D. *Voetii* (qui nugas meas aliquid eſſe putare ſolet) me inſcio typis exſcripta eſt: adeo vere ejus evulgatio diſplicuit, ut nulli mortalium, praeterquam amiciſſimo *Vedelio*, jam ἐν τῇς μαχαίρης exemplar miſerim. Et tamen homo noſter in abortivum hunc partum, quem ipſe author ad torrentem delatum mallet, haut ſecus ac Ajax in verveces ac hircos ſuos, debacchatur. Si pateris, mi domine, viri furibundam imprudentiam orbem docebo. Non ſemel pronunciat linguam Helleniſticam, quia nuſquam eſt, mori non poſſe, & tamen funus ei ducere audet. Me certe haec κωφαὶ βίλη mirum quam confirmant,

&

Digitized by Google

& pene cogunt ea, quae amplius de nobiliſſimae linguae natalibus, incunabulis ac exceſſu commentatus ſum, iis legenda offerre, qui rationes magis penſitare, quam loquentis authoritatem reſpicere ſolent. Nomen an praeſcribere debeam, tute arbitraberis. Enimvero latere malo, & Deo meo (quem toties innocentiae vindicem expertus ſum) notus eſſe, quam pilas & librarias nominis celebritate replere. Quidam ex iis quoque, quos profeſſio & aetas aliud docere deberent, exiſtimant abunde conatus noſtros contundi, ſi iis opponantur rancidae calumniae, quibus veritatis divinae hoſtes religioniſque mangones ante annos aliquot me onerare laborarunt. Deus talibus ignoſcat, pergatque ſervo ſuo, frementibus omnibus maledicentibus, benedicere: ſi ille, qui omnes eruditos ſubmovere laborat, quo ſolus in vacua arena dominetur, ſecundum eaſdem furoris lineas me adoriatur, methodum in ſcribendo ipſi peculiarem orbi literato oſtendam, ut exemplo *Renati des Cartes* (quem audio convitiorum plauſtra in me ac Doctorem *Voetium* exoneraſſe) ingenio ſuo tantum ſervire ac gnaviter furere poſſit. Si ita videatur, Nobiliſſime Domine, cauſſam linguae Helleniſticae communem faciam, laudando authores, maxime Theologos, qui nobis ſunt ὁμόφρονες. Quod ad ἰλλήνισις, favent per omnia ſententiae noſtrae Reverendi authores annotationum ad novam verſionem N. T. item *Piſcator*, & tot alii ex Pontificiis, inter quos *Salianus* ſic pro nobis ſunt, ut amplius quid ab eo flagitari non poſſit. Contra coaxantem *Gretzerum* pro Illuſtriſſimo *Scaligero*, confutante vulgatam ex Ariſtaea de LXXII. ſenibus fabulam, diu apologiam paratam habui; ſi pateris, eam reliquis quiſquiliis adjungam, ut & octo exercitationes circa varia Scripturae loca, ab homine noſtro minus faeliciter examinata, quo videat, cur ea, quae prodiit, prima inſcripta fuerit. Rogo vero doceas me, qua fide libitinarius pag. 59. referat conciones Gallicas deſiiſſe Illuſtri veſtra praeſentia condecorari, ex quo ipſe in Hollandiam venit: Ad hoc, an ullibi, ex tripode profatus ſis Apellam, in vulgato illo Horatii verſu, *Credat Judaeus apella*, notare λιπόδερμον. Flaccus Veſter ad manum non eſt. Homo noſter exiſtimat ſe novi quid docere, oſtendendo Apellam proprium nomen eſſe, cum hoc notatum ſit a *Torrentio*. Si non abnuas, hac occaſione prolixum catalogum conjecturarum, & audacium buſtirapi dictatorum concinnare potero, ex quo quiſque videre poterit, ſaepe eum Talariae legis ſecurum eſſe. Amplius ſi quid uſui eſſe putes, rogo communices. Si deo viſum fuerit, propediem inter infinitas & plus quam paedagogicas occupationes, telam hanc pertexam: niſi forte magiſter arrogantiae *Renatus* virtutes ſuas, clarius adhuc propoſitas, intueri debeat. Vale σβασμώτατον ἐμοὶ κάρες, diuque orbem exorna. Conſcientia tenuitatis niſi vetaret, rogarem ut me amares, & eſſe patereris in ultimo amicorum agmine: quam ſtationem quanquam non mereor, ero tamen ſemper Illuſtri veſtro nomini devotiſſimus. Groningae IX. Kal. Jun. CIↃIↃCXLIII.

EPISTOLA CCXLII.

MARTINUS SCHOOCKIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

UT quod res eſt fatear, gratiores literae veſtrae fuerunt, quam apud multos caeci illius Dei cum multis talentis adventus. quemadmodum enim Amplitudinem Veſtram ſemper ſuſpexi, tacitaque veneratione colui, ex animo vovendo, ut potius annis meis quid decederet, quam Muſis; (quas niſi ſolus recreares, curriculo ad tibicines properandum eſſet) ita hominum ſortem me exceſſiſſe credo, quod nullo meo merito cohorti eorum aſſcribere digneris, qui ut virtutes tuas magis aeſtimare ſciunt, merentur quoque primae apud vos admiſſionis amici eſſe. utinam vero, provincia, quam a me ſuſceptam eſſe probas, ſic defungi queam, ut ſaltem qualiſcunque conatus tibi non diſpliceat! quam curta mihi ſupellex ſit, per Dei gratiam, non ignoro, & prae omnibus aliis ſerio deploro: cum multis hactenus difficultatibus luctatus fui, nec per ea adminicula, quae abunde aliis in mundo ſunt, proficere potui: non defuit tamen qualiſcunque coelo ſucceſſus, Deo, cui ex aſſe me conſecravi, homini juveni & imperito favorem & non contemnendam conditionem ibi procurante, ubi neque cum candida toga unquam conſpectus fuit, neque notos habuit eos, quos alii prenſare, & ſuperfluis officiis onerare ſolent. Funeris, quod homo ad miraculum arrogans ducere meditatus fuit, apparatum ac ornamenta diligentius luſtrare inſtitui, quoque rogo (ad quem ſubſecundariis horis aliquando multos jam faſces contuli) nihil deſit, de cupreſſis (immo ſex exercitationes circa Theologica dogmata adverſaria plane communi omnium Orthodoxorum opinioni) ordine convenienti diſponendis cogitavi. Omnia Archilochi noſtri ſcripta legi, ex quibus omnes, quotquot extra partes ſunt, docebo, nullum unquam in literatorum Orcheſtra ſediſſe, quem non furibundi inſtar cum veru ſuo aggreſſus fuerit. Suſpexi hactenus hominem, ut doctum, credidique Gratiis etiam litaſſe, at me deceptum video. Recolui obiter ea, quae ante in variis ejus ſcriptis & elephantinis libris notaram: quo diligentius vere ea expendo, video propoſitum ei fuiſſe, ex quo primum animum ad ſcribendum appulit, nulli parcere, ac per omnium (qui eruditi haberi ſolent) aut contemtum, aut latrocinium ad dictaturam quam graſſari. modeſtiſſime agam fideque optima; & quo more ſuo dein convitia pro rationibus adferre non poſſit, breviter per indicem ea omnia exhibebo, quibus non tantum te, omnibus invidiae conatibus ſuperiorem, ſed multos etiam alios, quorum nomina aequa poſteritas peplo conſecrabit, petere ſolet. ad me quod attinet, ignorari mallem, quam in libri fronte legi. ſed cum neceſſitas flagitare videatur, lubens offeram me dentibus, quibus Theones ab annis aliquot lacerare laborarunt, quod ſtylum in virum quem celebrem pro re nata ſtrinxi. ſi ſupremo conatuum noſtrorum arbitro viſum fuerit, cuicuimodi opuſculum propediem af-

affectum erit, & ſi ita Amplitudini Veſtrae videatur, typographi alicujus operam efflagitare audebit. Quas vero, mi domine, tibi gratias debeo, quod ſollicitus ſis de me promovendo, & ex carcere hoc educendo. mihi hic non male eſſet, ſi liceret per eos, qui, ut olim σβασμιώτατον ſenem, nunc ἐν τοῖς ἁγίοις D. *Gomarum* quiete beare non potuerunt, ita circumſcribere artibuſque homine Chriſtiano non dignis circumvenire eos laborant, quibus ſervile non eſt ingenium. In Franekerana Academia quos fautores me habere ſcio. in partes ſi amicos plures ſollicitare voluiſſem, forte Curatorum puncta tuliſſem. ſed haut ſoleo in ſubſidium advocare ſeculi hujus delitias. eventum ei commiſi, qui (quicquid malevoli qui crepent) novit ſervi ſui innocentiam & candorem; quem ex animo rogo ut Academiam veſtram clementer reſpiciat, teque ejus Palladium cura ſingulari conſervet, & nepotibus quoque noſtris, tanquam rarum ſuae omnipotentiae depoſitum, oſtendat. Vale, vir ſaeculo hoc major, & ſi merear, me qui animum hunc tibi mancipo, ama favoreque proſequere. Si non grave, diſertiſſimo Domino *Boxhornio* ac Reverendiſſimo Domino *Revio* ſalutem. Iterum Vale & ſalve. Raptim Groningae propridie Kal. Quintil. CIↃIↃCXLIII.

EPISTOLA CCXLIII.

MARTINUS SCHOOCKIUS

Danieli Heinſio S.

Leidam.

ERuditorum princeps, fautorum maxime. Fidem Hagae nuper datam, magno meo emolumento ſervaſſem, niſi eadem veſpera declamata (ſic opinabatur avia) filioli valetudo me Ultrajectum revocaſſet, invidiſſetque voluptatem, qua, praeter melleum tuum os, dives opum bibliotheca me perfudiſſet. Incommodum hoc aliud ſecum traxit, ſiniſtrum ſcilicet de me rumorem, per neſcio quem flagrionem per hanc urbem divulgatum. qui male conatibus meis volunt, indigenaſque in his oris ſupprimere ſtudent, per *Carteſium*, graviter quaſi a me laeſum, cuſtodiae in veſtra urbe mandatum ominabantur, audebantque abſentem, ut publicae quietis perturbatorem, traducere apud eos, per quos Acedemiae ſceptrum hoc anno mihi mandatum eſſe ringebantur. Quid non facturi ſunt hi maleferiati, ubi viderint me audere Deo literatorum (ſic de *Salmaſio* exiſtimant) perſonam detrahere, libereque pro veritate ac innocentia verba facere. Ego contemnere hos didici, eorumque ſonchis & calumniis bonae conſcientiae Palladium opponere. Scriptum meum jam miſiſſem, niſi hîc ſignificatum eſſet hominem noſtrum alterum quem tractatum de Helleniſtica lingua, inſcriptum τῷ πάνυ de *Laet*, apud vos evulgaſſe, rogo quam ociſſime ejus mihi copiam facias, quo cum chartis illis conferre queam, quae, quoniam animum addidiſti, cenſurae tuae ſubjici geſtiunt, ut orbis univerſi, ſi a te probatae fuerint, applauſum mereantur. Vale, ſeculi Phoenix, bonoque

publico perenna. Si non moleſtum D. *Revio* Viro Clariſſimo ſalutem. Iterum vale ac ſalve. Raptim Groningae poſtr. Eid. Octob. CIↃIↃCXLIII.

EPISTOLA CCXLIV.

MARTINUS SCHOOCKIUS

Danieli Heinſio S. D.

Leidam.

LIterarii Senatus princeps, virorum obſervandiſſime. Hominis noſtri Commentarium accepi, in quo multa πάιζεγα, quaedam ἐπεόδοξα, pleraque ejus commatis notavi, ut cum funere propediem ad rogum jam ſtructum efferri queant: cujus apparatum hac occaſione vidiſſes, niſi nova quaedam errata, proſcripta jam olim ab iis, qui inter antiquos Patres prae aliis judicio valuerunt, vetarent. Toto tractatu hoc ago, ut doceam aequum Lectorem, infeſtiſſimum Helleniſticae linguae adverſarium improvido contradicendi ſtudio abripi ad errores, nequaquam ferendos in eo, qui Orthodoxus Chriſtianus haberi cupit. Rogo indicium typographi, fidique editionis curatoris facias. Noſti quid ſolitarius inter Profeſſores hujus Academiae Belga ferre ab alienigenis debeam, qui tum ſibi magni videntur, quando innocentes calumniis ac convitiis circumvenerunt. Nuper cum in Hollandia opinione diutius per morbum & alia negotia detinerer, fine fronte homines ipſis Curatoribus perſuadere voluerunt, per *Carteſium* Amſtelodami me incarceratum eſſe, ad cujus nomen trepidare debeam, quia decem aureorum millia quotannis ex reditibus colligit: nunc quia reverſum me vident, quos ex primoribus blandiloquentia ductare ſolent, vinculis in tempore meam in ſcribendo pruriginem coërceant, monent; grande enim periculum Academiae imminere, ſi in eam *Salmaſius* concitetur, qui ut habeatur quis ex Indigetum choro, literas Voſſianas, neſcio ad quem datas, publice oſtentant. Sed haut terrent me tales Lamiae turres: Proceres noſtri tam exploratum habent meam candidam innocentiam, quam eorum maledicam invidiam. Poſtquam liber ſub praelo fuerit, modo Conſuli, qui unus hîc omnia eſt, ſcripſeris, ſecurus ero. Ut vero propediem eum habeas, ſedulo inter curarum agmina enitor. Quod ſupereſt Deum rogo Excellentiam Veſtram ſoſpitet, bonaſque literas ſero Hercule ſuo ſpoliet. Vale, ſeculi ornamentum & ſalve. Si non grave ſalutem plurimam Reverendiſſimo *Revio* amicorum candidiſſimo, & diſertiſſimo *Boxhornio*. Raptim Groningae XII. d. Novemb. 1643.

EPISTOLA CCXLV.

GYSBERTUS VOETIUS

Danieli Heinſio.

Leidam.

NObiliſſime & celeberrime vir. Voluiſſem ſane occaſionem mihi oblatam ſummum meum erga te ſtudium & obſervantiam declarandi. Sed quia gym-

gymnaſii noſtri Conrector D. *Bockſtadius* ex hemiplegia ſua convaleſcit, & ſpes ſit eum priſtinae ſanitati reſtituendum; factum eſt, ut Senatus noſter non cogitet de ſucceſſore. Alioquin juveni illi libens pro modulo gratificari voluiſſem; cujus pater & avus mihi non ignoti fuere. Non parum mirantur noſtrates, quod in Academia veſtra ante menſes aliquot corollariis & theſibus fanatica & fantaſtica illa philoſophia defenſa ſit: metuunt, ne praeludia ſint majorum turbarum. Senatus noſter de conſilio Academiae hîc in herba eam oppreſſit. Non dubito quin & vos invigilaturi ſitis, ne quid Reſpublica literaria detrimenti capiat. Quod niſi fiat, non video quomodo tempeſtas aliqua Reipublicae & Eccleſiae non immineat. Deum precor noſtri miſereatur, & furores fanaticorum compeſcat, teque & animo & corpore ſoſpitet. Ultrajecti VII. Kal. Junii CIↃIↃCXLIV.

EPISTOLA CCXLVI.

REINHOLDIUS FRANCKENBERG

Danieli Heinſio S.

Leidam.

DOmine Patrone & Fautor aeternum honorande. Gratum mihi eſt & fuit, quod literas meas ut & ipſum, uti ſpero, Tractatulum meum Chronologicum acceperis, & inſuper Dn. *Meiſnerum* commendatiſſimum habueris, gratius autem & gratiſſimum, quod affectum, quem erga μακαρίτην Magnum *Scaligerum* ab ineunte aetate geſſiſti, prolixe declaraveris, eoque ipſo tenue meum *Scaligerum* contra *Petavium*, *Calviſium*, *Samuelem Petitum* &c. defendendi ſtudium non parum laudaveris. Nulla opus fuiſſet excuſatione, quod literae tuae reſponſoriae ſerius ſint ſubſecutae. Sat cito, ſi ſat bene. Facit autem tuus immenſus *Scaligeri* amor, ut non dubitem in his, quae ad cauſam Scaligerianam pertinent, majus negotium faceſſere. Scripſit & edidit nuper Clariſſimus Dn. *Cloppenburgius* in cauſa Scaligeriana & Caſauboniana, ad Paſcha potiſſimum ψευδοσίμου Alexandraeum ſpectante, contra Dn. *Capellum* libellum quidem exiguum, & tamen multiplici eruditione plenum, ut vocant, in 16°. Ingenue fateor me hunc libellum elegantiſſimum, cum fundamenta conſcriberem & ederem, neque vidiſſe neque legiſſe. Unde magno meo infortunio factum eſt, ut neque Maximi hujus Viri Dn. *Cloppenburgii*, neque Dn. M. *Petri Crugeri* Mathematici quondam Dantiſcani, ipſius *Cloppenburgii*, in Paſchatis Alexandraei ψευδοσίμου Scaligeriani cauſa ὀυοψήφου, in Scholio meo 16. & praecipue in Paſchate quinto ullam mentionem fecerim. Idem mihi accidit cum Paulo *Guldino* Jeſuita doctiſſimo & iniquiore, quam *Petavius* exiſtit, *Scaligeri* Adverſario. Libenter ergo ſcirem & reſciſcerem, num Dn. *Cloppenburgius* fundamenta mea jam legiſſet, in quibus nimirum Calendarii Calippici & Alexandraei artificium in *Scaligeri* operibus aliquo modo obſcurum, a *Calviſio* autem debita fide minime propoſitum, & planiſſime propoſui, & rationibus Aſtronomicis

micis munivi. Si ſcirem Dn. *Cloppenburgium* ſuam in libello iſto propoſitam adhuc retinere ſententiam, facere non poſſem, quin in Chronologia ſuo tempore edenda ejuſdem Dn. *Cloppenburgii* argumenta, contra *Scaligerum* & *Caſaubonum* prolata, & a Dn. *Capello* meo judicio non omnino ſufficienter refutata, de novo & examinarem & refutarem. Ita etiam tu, Vir Illuſtriſſime & Maxime, haud gravatim me erudies, namque potes, cur Illuſtriſſimus *Scaliger* Cantorem Lipſienſium, prout ipſum *Paulus Guldinus*, per contemtum & injuriam vocat, *Sethum Calviſium*, qui in tam multis & magnis rebus *Scaligero* obloquitur, contradicit & adverſatur, tantis in variis locis non tam ornaverit, quam oneraverit, quae encomia non tantum in *Guldino* de *Calviſio* & *Origano*, hac occaſione Sceptice & ironice loquuta, mala audiunt: verum etiam Scaligerianorum & Calviſianorum Scriptorum Chronologicorum lectorem, *Scaligerone* magis an *Calviſio* credere debebat, dubium reddunt, imo confundunt. Ego diviniſſimum *Scaligerum* mallem & optarem in *Calviſio* laudando fuiſſe cautiorem & circumſpectiorem; ſed homines ſumus, errare poſſumus. Ego Illuſtriſſimae Tuae Excellentiae ſancte promitto, me τῷ μακαρίτῃ *Scaligeri* veſtri & tui, hoc eſt ipſius veritatis Chronologicae cauſam, cujus patrocinii ſuſcipiendi in Tractatulo illo tum primo & ut tyro initium feci, toto vitae meae tempore & praeſertim in ipſius Chronologiae meae, quam etiam primo quoque tempore publicarem, modo Bibliopolam ſumtus facturum haberem, exiguo opere ita, Deo dante, eſſe acturum, ut neque veritati vis injuſta, neque *Scaligero*, *Petavio*, *Calviſio*, *Petito*, D. *Behmio*, Dn. *Cloppenburgio*, Dn. *Petro Crugero*, *Paulo Guldino*, ipſique adeo Calendario Gregoriano injuria facta videatur. Tu interea, Virorum Illuſtriſſime, & defenſorum Scaligerianorum Maxime, longiſſime vive, bene vale, meis conatibus favere, omniaque officia & ſervitia a me expectare perge. Dabam Witebergae. 28. Maji Anno 1645.

Hujus *Franckenbergeri* vita eſt apud H. Witte in memoriis Philoſophorum Decad. VIII. 5. p. 439.

EPISTOLA CCXLVII.

JOANNES BAPTISTA DONIUS

Danieli Heinſio S. D.

Leidam.

CLariſſime vir. Quanto ſim gaudio affectus ex adventu in Italiam atque in hanc urbem eruditiſſimi juvenis *Nicolai* filii tui, vix equidem dicere poſſum. Nam praeter proprias inſitaſque dotes probitatis atque excellentis doctrinae, quae cordatis omnibus ac virtutis amantibus mirifice eum conciliant, vivum in eo ſimulacrum Clariſſimi genitoris apparet: ut qui te vel e ſcriptis elegantiſſimis noverunt; ideoque & plurimi faciunt, & non vulgariter amant (quorum numero me licet adſcribas) non poſſint ex ejus notitia atque amicitia non ſummam percipere voluptatem. Et quamdiu quidem Florentiae is manſit,

ſit, non deſtiti quacumque in re potui, ſtudioſe eum colere atque aſſectari. Nec tamen quidquam praeſtiti, quod aut propenſiſſimae in eum voluntati meae ſatis reſponderet; aut merita illius ullo modo aequaret. Nunc illum Urbs gentium victrix complexu ſuo fovet ac detinet; ſingula quaeque monumenta & bibliothecas in primis curioſe luſtrantem, quibus ſic afficitur, tantoque ardore ac perſeverantia dies totos & magnam noctium partem in volutandis libris impendit; ut niſi eum, Vir Clariſſime, autoritate tua, quae ſumma eſt, patris videlicet, taliſque patris, a tam pertinaci labore deterreas, vehementer metuam, ut eſt corpore infirmo & gracili, ne citius, quam Reipublicae litterariae expedit, deficiat atque ſuccumbat. De hoc ut te admonerem (quamquam id prius a me factum oportuit) & officii mei ratio, & commune humanitatis jus ſuaſerunt; ſive impulerunt potius. Tu quidquid hoc eſt, in bonam partem accipies: & me inter nominis tui, veſtraeque familiae ſtudioſiſſimos connumerabis. Interea Deum Opt. Max. precor, ut & ineuntem annum, ac deinceps alios plures tibi quam laetiſſimos ac feliciſſimos fluere velit. Florentiae 3. Nonas Januarias CIↃIↃCXLVII.

EPISTOLA CCXLVIII.

DANIEL HEINSIUS

N. N.

Lugdun.

NObiliſſime & Ampliſſime Vir. Anni ſunt jam plurimi, cum de vocando in hanc Academiam *Claudio Salmaſio* agi coeptum eſt. Inter eos autem, quibus praecipue tum commendatus erat, Nobiliſſimus Ampliſſimuſque vir *Franciſcus Arſenius* Someldyckii Dominus, Academiae hujus Curator, fuit. Cujus comitati ſummae ac benignitati tota Academia debere ſe fatetur, inter primos autem ego. Qui cum prolixe hac de re tum ad me ſcriberet, ac judicium, quo tamen opus hîc non erat, ex me ſcire meum vellet, non hominem modo, ſed & inſtitutum de vocatione approbavi, meque eo eſſe animo ſignificavi, ut quo plures eruditi hanc Bataviam ornarent, eo melius & illi & eruditis caeteris proſpectum judicarem; niſi eſſent, quorum animos invidia, familiare quorundam, qui in literis verſantur, malum jam afflaſſet. A quo, ſi quem alium, inprimis alienum ſemper me fuiſſe. Optare interim, ut quantum poſſet fieri, peregrinus hic cum eſſet, humanitate ac civili converſatione quam plurimos conciliaret ſibi. Ubique enim & aetate omni quoſdam reperiri, qui nec advenis nec eruditis nimium faverent. Meminiſſe me quid maximo *Scaligero* jam olim eveniſſet. qui vir tantus, ſumptu licet maximo in Academiam vocatus, & aegerrime ab Hoſpite Illuſtriſſimo, cum quo tot annos vixerat, ac Rege impetratus, quanquam gravis ac moleſtus eſſet nemini, haud pauca tamen, etiam in Academia, ingenti concoxiſſe animo, quae vix ferenda videbantur. Quas litteras judiciumque meum gratiſſimum fuiſſe ſibi, ſaepius vir idem Nobiliſſimus cum voluptate & gaudio teſtatus eſt: neque

quic-

quicquam magis placuiſſe ſibi, quam quod a livore ac aemulatione omni alienum me videret. Odium enim aliorum non raro comitari eruditionis amorem: cum nihil tamen minus animo honeſto dignum ſit, quam in alio non ferre, cujus ipſe ſtudioſus ſis. Poſt haec omnia diu exſpectatus ipſe in urbem hanc advenit; quem & protinus acceſſi, & officia quaecunque excogitari a me poterant, ſincero animo ac candido, qualis Belgarum eſſe ſolet aut debet, qui ſine fuco aut oſtentatione ulla non aliud, quam ſentiunt, atque ab amico ſimili exſpectant, vultu prae ſe ferunt, libentiſſime obtuli. Ludere enim in re ſeria ac tali mimicum ac ſcenicum, viroque bono, ſi quid aliud, indignum arbitrantur. Paullo poſt quam huc advenit, & in Academiam admiſſus eſt, de loco, quem in ea obtineret, actum eſt; cum eundem, quem obtinuiſſet *Scaliger*, deberi ſibi, atque hac lege vocatum ſe affirmaret, caeteri plerique ſe opponerent. Atque eo jam deventum eſt, ut ad Illuſtriſſimos Hollandiae Ordines nonnulli provocandum judicarent. Ego autem quantum potui id diſſuaſi. cum ab iis, qui pars eſſent Ordinum, imo ipſos, & ab ipſis conſtituti, hîc repraeſentarent, abeundum non exiſtimarem, neque id gratum iis fore crederem. Modeſte potius ac placide cum his agendum, quod aegerrime tuliſſe quoſdam, tum expertus ſum. quod ut ipſi judicabant, animo non ſatis pro praeſentibus erecto, mihi pariter & Academiae deëſſem. Aliquanto poſt evenit, ut typographus tum quidam, quis & qualis hîc non dicam, cum res ipſa ſatis id evincat, Epicteti Enchiridion hîc ederet, cui & Simplicii adjungebat commentarium, quem cum manuſcriptis collatum codicibus domi meae cum haberem, copiam ut ejus ſibi facerem, enixe petiit. Curaturum enim, ut qui operis praeeſſet typographicis, atque eas emendaret, Graecae linguae cum peritus eſſet, meliorem ex collatione ejus publico contextum daret. Quem codicem, qui nihil publico negare aut amicis ſoleo, praeſente quodam e collegis ei tradidi. Et, ut amplius de eo mererer, praefatiunculam editioni ad amicum praefixi, in qua ne tantillum quidem mihi vindicavi. Ille gratum ſe pro beneficio, tam candide collato, ut profiteretur, codicem hunc meum, (quem ne nunc quidem ab eo impetrare poſſum) hoſti meo tradidit. qui me indigniſſimis aſperrimiſque dictis tanquam plagiarium traduxit. Me inquam, qui jam publice teſtatus fueram, interpretem me cum editione Veneta collatum, lociſque haud paucis auctiorem, cum Typographo communicaſſe. quemadmodum & Nanſianum nomen meo juſſu a Typographo expreſſum eſt. qui *Nacti ergo*, inquit, *codicem cum Nanſiano MS. collatum*, &c. *Viro erudito, qui emendationi praeeſt operarum, percurrendum dedimus*, quo nihil dici poteſt planius. Ille interim, haud recte quaedam, quae in Nanſiano codice extabant, manu mea emendata ait. Ac ne veritati locus detur, aut ad ea reſpondere nobis in hac ipſa libertatis ſede liceat, noſter nobis denegatur codex. quibus ſingulis nihil poſſe atrocius excogitari omnes boni mecum judicant. Niſi ſit atrocius, quod ſequitur. Cum aſperrime in viros eruditos plurimos is ipſe, de quo agimus, invectus eſſet, quidam, cujus nomen quoque mihi hactenus ignotum eſt, excerpta quaedam ex ejuſdem ſcriptis edidit: in quibus & opiniones aliquot,

quot, in quibus ab Eccleſiis, quas reformatas dicunt, receſſiſſe videbatur, refutavit auctor & rejecit. Qui libellus ne diſtraheretur publice effecit. me quoque, ut autorem ejus, cum ne jurato quidem mihi, aut amicis meis fidem hic haberet, aliquoties traduxit. Quidam hic conſultus juris, inter urbis hujus Senatores, cum de Mutuo ac Alieno, applaudentibus quotquot Hagae ſaperent, ac tales haberentur, Juriſconſultis, imo admirantibus (judicia quippe nec unius ipſe audivi) tractatum conſcripſiſſet, opinionem autem ejus ac ſententiam damnarent, ipſum quidem Senatorem verum dixit Aſinum; Juriſconſultos vero Hagienſes, ut & Advocatos publice cum ratione inſanire ſcripſit, quae nunc publice leguntur: cum nihil iis interim reſpondeat, qui principia eum Juris, cujus ſcientiam venditare coeperat, ignorare, & argumentum, quo ad hoc quod vult probandum utitur, virgis dignum feruliſque in aliis jam Academiis ſcripſerunt, imo Theſibus, quae publice ibi diſputatae ſunt, haec addiderunt. Omnes, quotquot hactenus fuerunt, eruditi, cum non parum intereſſe inter eam linguam, qua Novi Foederis conſcriptus codex legitur, eamque, qua ſcriptores Graeci veteres jam olim uſi ſunt, recte judicarent (ut pote, in quo non minus ubique exprimatur Hebraiſmus, ac familiaris Orienti ratio loquendi, quam a ſeptuaginta, ut vulgo eos vocant, interpretibus, qui Hebraeorum atque Chaldaeorum nobis librorum verſionem dederunt) peculiari eam diſtinxerunt nomine, cum de re ſi conſtet, parum referat, quo nomine dicatur. Helleniſticam igitur etiam Rabbinis praeeuntibus dixerunt. Neque aliter aut *Scaliger*, aut *Caſaubonus*, aut *Seldenus*, aut alii innumeri: neque aliter *Salmaſius*, qui nomine hoc eodem paſſim, in Exercitationibus praeſertim Plinianis, uſus eſt. Quos cum & ego non immerito ſecutus eſſem, non ſecus ac ſi crimen majeſtatis commiſſum a me eſſet, id objecit mihi. Quod ita mirum eruditis viſum eſt, ut nuperrime ex iis quidam, cum quo nihil commercii interceſſiſſe unquam mihi norunt omnes, qui me norunt, ſcriptum oppoſuerit publicum: quod ipſum non expreſſo cum prodiret nomine, ne quid ſuſpicari ullo modo de me poſſet, aut indignum quicquam ſe committeret, cum cura ac ſollicite, & in tempore de hoc amici eum monuerunt: Quos acerbe, ut intellexi, atque aſperrime excepit. Libro interim famoſo non in ſcripti auctorem licet jam monitus, ſed in me, etiam amicos meos, ac propinquos, qui, quo loco hic & alibi fuerint, multi meminerunt, aſperrime invectus eſt. Ita ut quaecunque in auctore reprehendit, non auctori, ſed, quod fidem omnem ſuperat eorum, qui nunc vivunt, neque minus & poſteritatis ſuperabit, rei hujus plane ignaro, hoc eſt mihi pro libidine aſſcribat. Adeo, ut cum auctor nos commendat aut honoris, ut fit, titulos attribuit, id ut a me, non ab eo, factum acerbiſſime traducat. Quod ſi is, qui privatim aliquem, a quo privatim laeſus eſt, acerbius traducit, reprehenſione ac cenſura etiam, privatim, inquam, hoc ſi fiat, dignus judicatur, quid qui publice ac coram orbe univerſo illi parcit, a quo laeſus eſt, immerentem autem atque innoxium, & quem talem novit ac noviſſe debet, publice traducit? Quod longiſſime omnem, quam privatim hactenus in Bel-

gio exercuit Hiſpanus, vim, crudelitatem, ac injuriam excedit: neque aliud jam Academiae nonnullae, atque in iis eximii loquuntur Viri. Cum nihil ſit crudelius, quam innocenti & de cujus innocentia ex amicorum monitu jam conſtat tibi, publice injuriam inferre, ac carnificinam in bonorum famam atque exiſtimationem exercere, & cum alii in te ſcripſerint, ac qui ſint ſcire poſſis, aut jam ſcias, non his ipſis, ſed qui eos ne noverunt quidem, inſultare ac vi publica graſſari: imo ea non in illis, ſed in his traducere, quae alium autorem habent; ut omittam D. D. Curatorum rem hîc agi; qui cum liberaliter imprimis ac benigne Profeſſores habeant, tantum Academiae ac ſumptibus eorum, quantum famae Profeſſorum atque exiſtimationi publice detrahitur. Ne de D. D. Ordinum autoritate ac majeſtate agam, qui cum publicis decretis hanc licentiam, ut diram atque deteſtabilem proſcripſerint, adverſus inſtituta ſua toties peccari, ac praeiri aliis intelligunt. Id autem quid & quantum poſſit, quotidie hic jam videmus, cum vix quiſquam hîc nuper ad gradum facultatis, ut loquuntur, aliquem promotus ſit, quin verſiculi famoſi, etiam adverſus facultates ipſas, & earum Profeſſores, publice prodierint. Quia id, quod uni licuit, ac quotidie licet, licere omnes ſibi arbitrantur: imo volunt: quia ſine legibus ſuperiores ſunt, in primis autem, & ante alios, juventus. Fuerunt interim non pauci, qui initio ut reſponderem ſerio hortati ſunt. Cum alii & quidem e proceribus nonnulli ſerio id diſſuaderent. Futurum enim, nemini ut parceret, qui quam plurimos impune ac optimos laeſiſſet. Ita & futurum, ut id nemo excuſaret, quod jam deteſtantur plurimi, tum autem omnium ut puniretur intereſſet, quanquam & nunc omnium interſit. Sed & fieri vix poſſe, quin qui petulanter laeſus eſſet, irritatus ſimile aliquid reponeret, cui neque ingenium praeſertim, nec vigor animi deeſſet. Ita ſimilem futurum ei, quem jam accuſaret. Diſſentire autem eruditis uſitatum: certare maledictis neque generoſi animi, nec viri boni eſſe. Maledicere autem ultro vix hominis eſſe, ideoque ad ſpiritus ab homine diverſos nomen id aut ſimile, a Chriſtianis jam translatum eſſe. ſed & ipſe haeſiſſe in bivio me fateor, donec aliorum ſcripta non autoribus ſuis, ſed nobis, neſcio quo animo ac fide aſſcripſit, ac pro iis me traduxit. Qui ne reſponderem, mea ſimul & illorum intereſſe exiſtimavi. Mea, quod ad me non ſpectent: illorum autem, quod ut illis hoc debetur, ita relinquendum eſt, neque vindicandis ſuis impares futuros aut exiſtimem, aut aliis, qui hoc ignorant, perſuadere debeam. Quis enim eſſe auctorem illorum me ignorat? Ut diſſimulatio hic nullum aut contemptus habeat jam locum. Adde quod famoſis libellis nemo pro merito reſpondet praeter magiſtratum, qui autores punit. Memini autem mihi aliquando quid evenerit. Dum initio quid faciendum eſſet adhuc dubitarem, cum amicus quidam me Theologus, officii atque amoris offerendi cauſſa acceſſiſſet, ac de eo agerem cum ipſo, praeter exſpectationem meam, cur *Scaligeri* jam mei amplius non meminiſſem, & an penitus extincta ejus apud me jam eſſet recordatio, quaeſivit. Cum attonitus haererem, nec quid vellet intelligerem, ibi iterum ille, Cum quidam maximorum, inquit, hominum, *Xylandri* pari-

ter

ter ac *Caſauboni* cum ab iis diſſentiret, nomen traduxiſſet (erat autem is de quo nunc agimus, cui Theologorum ordo alibi homines inepti, eorum aetate ſua princeps *Franciſcus Junius* beſtia terrena alibi dicitur) verbis totidem ad eum ſcribit *Scaliger*: *Tuum eſt indicare*, inquit, *illa* (errores ſcilicet) *ne rudiores in illos ſcopulos offendant*: *& excuſare, ne animadverſio illa propior ſit obtrectationi, quam caſtigationi. Doctis & probis ſemper honos ſuus & reverentia debetur. Contra, maledicos inultos pati non debemus, niſi forte contemnere malimus*: *Nam ſuperbi magis offenduntur ſilentio, quod ſe contemni putent, quam reſponſo, ex quo triumphum captant, quaſi digni, qui meliorum odium aut iram meruerint.* Sed nec ignorare me aut ignoraſſe unquam, melius contemptu quaedam quam reſponſo vindicari, & quam magno illi viro ea ſemper diſplicuerint. Loco autem alio rem eſſe hîc nunc judico. Cum omnino aliud ſit maledicere, aut intemperanter aliquem ab aliquo diſſentientem reſpondere: aliud non reſpondere iis, qui diſſentiunt, aut aliquid ſcripſerunt, ſed in famam innocentis, ac majorum ejus nomine diſſimulato truculenter ac congeſtis maledictis & calumniis, quas falſas eſſe, bonus nemo eſt qui neſciat, incurrere ac graſſari; quod ſi hîc impune licet, de quo omnes docti ac indocti pariter nunc agunt, quis antiquis legibus, quae inter pauca alia nec male, Auguſtino ſi credimus, capite id puniendum judicarunt, tantum olim tribuiſſe quoſdam non mirabitur, aut quis, ut de iis agam, noſtris locus erit? Quid Reipublicae denique aut Academiae jam fiet? Quas interiiſſe, nec jam viris bonis eſſe in iis locum, ſi hoc liceat, ac tandem omnibus ſit metuendum, quod in quibuſdam non punitur, caeterae fere omnes judicant, ac libere de eo inter ſe conſentiunt, pronuntiant ac cenſent. Quid ipſis Curatoribus, in quos nonnulla circumferri ſunt qui dicant. Hoc affirmare poſſum, vidiſſe me nonnullos inter primores patriae, quibus moeſtiſſimae querelae exciderent, cum haec & ſimilia audirent. Nos acquiſſimam rem petimus ac poſtulamus; cum praeſertim plures ſint, quos publice exagitavit aut exagitat. Ne iis, qui tot annos abſunt hinc, & alibi jam vivunt aut morantur, hactenus in eos, qui praeſentes ſunt, nec peſſime de Academia omnium judicio merentur, tyrannide immodeſta ſaevire ac publica liceat. Quorum nomen atque exiſtimatio dum laeditur, nomen atque exiſtimationem Academiae proſtitui, coſque, qui de ea frequentanda cogitant, in alias, vel propter hanc licentiam, ac ſimultatis cauſſas, vel inuſitata maledicta, quibus fidem quidam habent, ablegari, ne amici quidem ejus negant, aut negare poſſunt.

EPISTOLA CCXLIX.

DANIEL HEINSIUS

N. N.

REverende Domine. Aliquamdiu poſtquam eruditum munus tuum hîc accepi, quod, ut omnia tua, cum admiratione percurri, quemadmodum,

ut ſpero, ſigillatim aliquando teſtabor, venit ad nos tanto patre dignus filius cui & me, & quicquid exſpectari a me poteſt, libentiſſime obtuli. Si qui enim vivit hodie, qui te tuaque, adde & tuos vere aeſtimat, ut debet, is ego ſum. Utinam occaſio ſe offerat, ut vere hunc animum teſtari poſſim, qui nihil magis opto: etiam caeteri, quos commendaſti, ſemel nobis ut ſe ſiſterent, ſed fruſtra domi noſtrae fuere. jam enim in publicum prodieram. Poſt natos homines nemo minus hominem, quam *Salmaſius*, ſe aut eſſe meminit aut praeſtat. Nullus in Belgio Hiſpanus ſic graſſatus eſt. Qui in omnem etiam Theologorum, etiam Jurisconſultorum ordinem, mucronem ſtrinxit publice. In me praeſertim, a quo nunquam laeſus eſt. Et, quod fidem omnem ſuperat, cum bis adverſus eum alii jam ſcripſerint, quos (de quo amici eum monuerunt) ne novi quidem hactenus, quicquid deliquiſſe eos arbitratur, nobis id aſſcribit. Atque haec cauſſa eſt, cur amicorum ſuaſu hactenus contemptu iſta vindicem. Alii enim hoc jam agunt. De lingua Helleniſtica, ſtolida, ut ſcribit, λογομαχία eſt, quid enim cum de re conſtet, hoc eſt quae qualiſque ſit haec lingua, refert, quomodo dicatur? Linguam, de qua agitur, eruditi, niſi fallor, hujus ſeculi prope omnes Rabbinorum imitatione Helleniſticam dixerunt, *Salmaſius* inprimis, quod negare nemo poteſt; paſſim id Exercitationes ejus clamant, etiam poſteriora ſcripta, ut amici nos monent. Nunc majeſtatis crimen qui hac voce utitur committit. hiſtoriam eorum, quae hîc evenere. & quomodo adverſus me imprimis hic ſe geſſerit, tranſmittam aliquando. Vix fidem adhibebis credo. Fidem enim omnem haec excedunt. Haec ſcribebam obiter. breve pluribus ut ſpero. Feſtinationi & mendis ut ignoſcas rogo petoque.

EPISTOLA CCL.

DANIEL HEINSIUS

N. N.

NObiliſſime & Reverende Domine. Quantum tibi pro erudito atque elegantiſſimo ſcripto, quo adverſus hominis malevoli calumnias, & me & Infanticidam meum tutatus es, debeam, e *Gronovio* noſtro pridem intellexi: qui cum in terras alias jam pridem ſe contulerit, neque de eo, in quo verſaris, loco certus eſſem, nihil hactenus ſcripſi. igitur quas debeo ac poſſum pro immortali beneficio gratias privatim ago, quas occaſione prima publice acturus ſum. In quo dum totus ſum ex amicis intelligo, fuiſſe quendam (cui ut Deus immortalis ignoſcat peto, eumque veneror) qui perſuadere conatus fuit tibi, me typographis fuiſſe auctorem, ne tuas in Novum Teſtamentum obſervationes hîc in lucem darent, quas ego me vidiſſe nunquam ſatis ſcio: qui nec tale quicquam a te praeſtitum aut te praeſtiturum ſcivi unquam. Cui rei confirmandae typographi ipſius, quem in partes audio vocari, teſtimonium hîc mitto, qui ut tua haec excudat operam libenter atque ex animo daturus ſum.

In

In meis nihil magis bonis omnibus, imprimis τῷ μακαρίτῃ, D. *Gomaro*, cujus opera Amſtelredami nunc eduntur, placuit, quam quod nuſquam acerbe de viro maximo, cui & inter primos honorifice hîc olim parentavi, *Theodoro Bezae* judicaverim. qui *Gomarus* paullo ante obitum, poſt amicum nimis de conatibus noſtris elogium verba haec apponit. *Nomini D. Bezae quantum obſervare potui, parcis: cum vir ille Clariſſimus Eraſmo non parcendum judicavit, ſi quando uſus poſtulabat: nec ſibi ipſi, cum quaedam revocanda ac recenſenda cenſeret. Nec in Piſcatorem eſt invectus, ſed gratam teſtatus publice memoriam ob merita. Adeo ut non dubitem, quin ſi ſupereſſet ob multa egregie a te correcta, gratias ſimiliter ageret ac haberet.* Aliter mecum te acturum quod nonnulli arbitrantur, abſit ut credam: qui exiſtimationem tuam veneror ac colo. Salutat te amicus meus ac deliciae, vir ſummus, *Fredericus Spanhemius.*

Videtur ad *Crojum* ſcripta.

EPISTOLA CCLI.

DANIEL HEINSIUS

N. N.

REverende Domine. Cum Saturni die proximo, Ultrajecto, & quidem hac de cauſſa, indignantibus amicis, quotquot ibi ſtudioſos mei repperi, reverſus eſſem, ut ſacro caenae Dominicae hîc intereſſem epulo, praeter exſpectationem amicus me acceſſit, qui & monuit aſperrimum D. *Salmaſii* adverſus me parari ſcriptum, quod ante tempus aliquod gener meus, ſcripto poſt pactum inter nos initum ab illo hîc edito, acerbe exceptus, acerbe, ut ait, ei reſpondiſſet. Se, cum tanti illum non faciat (qui ampliſſimis tamen ſummaque dignitate functis prognatus eſt parentibus, ac magiſtratum in hac urbe gerit) mecum eſſe acturum, ac jam acerbiſſimum ad manum habere ſcriptum. Amicum utriuſque noſtrum, cui id aut partem ejus tum exhibuit, attonitum haeſiſſe: quod non ignorarent nunquam eum a me laeſum eſſe: neque hoc decere eos, inter quos dematur concordia, cum mandato publicae auctoritatis conveniſſet: Sed & qui ſanctiſſimae conjunctionis ac fraternitatis epulo ſe conjunxiſſent. Ille non id ſibi curae eſſe nunc reſpondit, cum non me, ſed mea vitia odiſſet. Qui, licet hominem me eſſe memini, quae aut cujus tandem ſint generis ignoro. Ex quo tempore inter nos convenit, nullo, ut nec ante, cum ſcripto laeſi. Genero autem meo, ut aut non, aut modeſte reſponderet, non auctor modo fui, ſed & ut perſuaderem, dedi operam, & quidem omnem. Ut autem genero, & quidem qui in publico verſatur munere, abſolute ſocer imperet, ac legem ponat, quis conſultum aut hoc admiſſurum cum credat. Neſcio quis illi amplius perſuaſit, Curatori me noſtro hunc libellum ei dedicatum cum inſigni commendatione obtuliſſe. Hoc enim a quibuſdam agitur, ut committamur. Cum omnino fieri non poſſit, ut vel cautius vel circumſpectius, vel Chriſtiane magis quiſquam agat, quam a me, praeſertim poſtquam inter nos convenit, actum eſt. Per amicum quemdam nu-

per mihi *Schoockius* significavit, alterum de lingua Hellenistica paratum se habere libellum: qui & libelli ejus auctor, cujus causa acerrime in me invectus est: cum ne nomen quidem tum autoris nossem, me tamen ille, (quo quid acerbius dici potest?) non hunc refutavit. Respondi, inter nos jam convenisse, si quid scriberet atque ante editionem, quod facturus videbatur, ad me mitteret, D. *Salmasio* me id missurum esse. Moriturum enim prius, quam ut pacto non starem. Litterae, in quibus cum primum huc venisset, acerbissime in proceres nonnullos invectus dicebatur, ne in lucem ab hostibus illius ederentur suasi atque obtinui, ne de aliis quibusdam agam, quae oberrant. Quod si nihilominus, ut in me innocentem invehatur, sua interesse existimat, quae hîc denuo inusitatae atque omnino inauditae hactenus turbae immineant ac simultates, verbis exprimi non potest. Et in primis si ad procerum quorundam me consilium componam, qui, ut hactenus ne responderem, serio suaserunt, ita lacsam patientiam furorem fieri non negant. A quibusdam jam dimisso Ordinum Hollandiae conventu, in locum ei rei destinatum vocatus, scio quid intellexerim, & de famosis ejus libellis quid judicent. Ipsum ergo D. *Salmasium* cum ministro uno Gallicae Ecclesiae atque altero, vir Reverende, ut convenias te rogo. Verbis enim exprimi non potest, quid utrinque hîc sit expectandum, & quid de inusitata hac scribendi licentia primates judicent. Ego, ut saltem hospitem me esse & convivam Domini mei patiatur, rogo; a cujus sacrosancto epulo jam annos aliquot cum cruciatu animi ac conscientiae non levi abstinere sum coactus. Vale, Reverende Domine, &, si me ames, hoc age.

Videtur fuisse codicillus, quem ad aliquem Ecclesiae Wallonicae Pastorem, quae Leidae erat, misit *Heinsius*.

EPISTOLA CCLII.

DANIEL HEINSIUS

N. N.

in Britanniam.

NObilissime Virorum. Litterae tuae, quibus nonnulla proponebas nobis, ad quae responderi velles, in eo morbo a Clarissimo *Latio* nobis traditae sunt, quem fatalem nobis aliquamdiu judicarant medici. Ita factum, ut seponerentur litterae, ad quas respondere tum non potui, &, cum ad me rediissem, eas non repererim. Ignoscas igitur, si non mihi, meae calamitati certe, quae ab omni seria cogitatione me tum abduxit. Quare ad posteriores nunc respondeo. Veterem Aegyptiorum linguam non fuisse Graecam, recte summi illi Viri, quorum meministi, judicarunt. Quid enim hîc commune esse potuit? Extant etiam hoc tempore Aegyptiorum linguae quaedam in libris Foederis antiqui voces, ut exempli causa illud *Zaphnath Paaneach*, quas quum ad Hebraeam nonnulli ex magistris Hebraeorum reducere linguam conen-

nentur, alii, voces esse Aegyptias candide fatentur. quod Graeci interpretes aut Hellenistae potius σωτῆρα φανήν salvatorem, ut volunt, mundi dixerunt. Quod an origine sit Graecum, aut quicquam cum Graecorum lingua commune habeat, ejus linguae periti satis vident. Ptolemaeos Graecos fuisse origine, in primis Lagi, summum Alexandri magni amicum, patrem Philadelphi, cui Graeca interpretatio debetur, nemo nescit: cui & Stratonem praeceptorem tribuunt. Et quis dubitat, quin Philadelphus, Soter, Euergetes, caeteraque quibus usi sunt Ptolemaei, ut & ipsum Ptolemaei, Graeca sint nomina? quid igitur mirum, si Rex talis tantusque Graecae & Hebraicae peritos linguae convocarit viros, ut tam illustrium interpretatione librorum (ne de majori & publica utilitate nunc dicam) nobilissimam suam exornaret bibliothecam, quamquam cur, qui eam legerent, Aegyptiace legere dicerentur, caussam notat magnus *Scaliger*. Neque mirum utriusque linguae peritos fuisse Hellenistas Judaeos, cum plurimi sint hodie, qui plures conjungant. Oracula olim Sibyllina fuisse & quidem nota paganis ac lecta, qui negat, simul duumviros S. F. atque iis quoque inspiciendis, ac deinde decemviros, tandem quindecimviros, creatos neget. Qua dignitate functus inter caeteros, si ipsi credimus, etiam Tacitus. Et quomodo, si nulla apud eos Sibyllina fuerunt oracula, idem libro VI. Annalium, *relatum ad patres a Quintiliano tribuno plebis, de libro Sibyllae, quem Caninius Gallus quindecimvir recipi inter caeteros ejusdem vatis, & ea de re Senatusconsultum postulaverat*, notavit? Ut omittam Platonem in Phaedro, in Theage Aristotelem, Strabonem, Plutarchum, Aelianum, Pausaniam, Graecorum alios, Latinos autem prope omnes eorum non semel meminisse, quod jam ostenderunt eruditi. Ut omittam caeteros, quis Pollionem Eclogam Virgilii ex Oraculis Sibyllinis, aut plurima certe in ea excerpta, non videt? Nota quae de Virgine ibi ac felicitate saeculi ad verbum prope ex Esaia & prophetis conversa. Cum de Pseudo Sibyllinis autem oraculis, *e Christianorum haec officina prodiisse, in Gentium autem Bibliothecis non reperta*, idem dixit *Scaliger*, quis de Pseudo Sibyllinis, quod profitetur, non de Sibyllinis egisse eum non videt? Pseudo Sibyllina autem ea esse, quae hodie habemus, ita planum est, ut vel quivis obesae quamquam naris protinus id deprehendat. Sibyllarum veterum oracula aenigmatibus, pluribus in locis, ex obscuritate proxima fuisse, antiqui docent. Cum haec, ad fastidium prope, plana sint, & omnibus exposita. Ita autem putide inepta nonnunquam, ut nec Graecismus, nec quantitatis ratio in syllabis plerisque in locis sibi constet. Ut omittam, ex Homero, ex Hesiodo caeterisque paganorum poëtis, ridicule ac trivialiter non pauca desumpta esse. Qua aetate autem vixit Sibylla, quae futurum aliquando Mosen praedicit, Τάτων δ' ἰχθῆες καπιήσει μίχαν ἀνδρα Μωσήν? Cui si credimus, ante Mosem vixit. Aliae quae de Domino, ut vere ita ex oeconomiae ratione obscurius, quemadmodum ut caeteros omittam, ab Esaia dicuntur, ita plane exprimunt, ut Mariam quoque matrem Domini futuram dicant: quod ipsum eruditis jam, ut alia non pauca, observatum video. Singula autem si percurram, infinitae, & quidem non inusitatae Criticis,

cen-

cenſurae, de dicendi in primis genere, quod nec vetuſtum eſſe, nec conſtare ſibi certum eſt, ſub manu naſcentur. De oraculis res alia eſt. Neque enim mirum, non nunquam vera, oraculorum, ut caeterorum ita inprimis Delphicorum autorem, praedixiſſe Diabolum. qui ne falſa reſponderet, ut plurimum ambigue reſpondit. Quemadmodum, nec mirum, nato Domino defeciſſe oracula, nec amplius locutum falſi autorem. Quis eſſet Dominus, noviſſe Diabolum probat hoc oraculum (ita enim confeſſionem illam dico) quod Marci 1. 24. legitur. *Novi te quis ſis. Sanctus ille Dei*: quid reſpondet Dominus? *Obmuteſce* quod & eo tempore evenit, quo magnus ille Pan (noſti hiſtoriam) advenit. In oraculo Clarii Apollinis, Germanico de morte ejus reddito, ita Tacitus, *Et ferebatur* (quod non tam ejus eſt, qui affirmat, quam qui rumorem memorat aut famam) *Germanico per ambages* (hoc eſt, dubie & ambigue) *ut mos oraculis, maturum exitium cecinisſe*, quod nemo qui ingenium Tiberii ac Piſonis perſpectum haberet, quem non alia de cauſſa, niſi ut Germanicum everteret, miſſum in Syriam ſatis conſtat, ignorare poterat, neque quiſquam vere prudens aliud Germanico tum praedixiſſet, niſi in omnibus nos fallit Tacitus. Sequitur de Hiſtoria adulterae, quam a Phariſaeis accuſatam ac Scribis abſolvit Dominus. & quam non Syriacus modo codex, ut ſcribis, & Nonnus, ſed & maximus interpretum ac vere cordatus, adde & qui optimis uſus eſt codicibus, praetermiſit Chryſoſtomus, & qui eum ſequitur Theophylactus. ne de Euſebii judicio aut aliis nunc dicam. Mihi quoque interdum mirari ſubiit ipſam Dei ſapientiam, non quidem hypocriſeos Scribas damnaſſe ac Phariſaeos, ſed deprehenſam in ipſo facto abſolviſſe adulteram. Ipſum dico verbum Dei & ſapientiam, quae ſimpliciter pronunciarat, *quicunque mulierem aſpicit, ut eam concupiſcat, jam cum ea adulterium in corde ſuo commiſit.* quomodo igitur factum abſolvit, qui cogitationem damnat? Quod & in mentem veniſſe S. S. Patribus exiſtimo, qui ex optimis codicibus ſuppoſitum id eſſe ac paulatim, ut non pauca, in Graecum antiqui Foederis contextum, quae Hebraea norma non agnoſcit, irrepſiſſe judicarunt. De praeclaris numiſmatis tuis, & vero antiquitatis theſauro maxima cum voluptate legi, quae ſcribis, qui & memini quanta cum voluptate nummorum *Gorlaei* noſtri indicem confecerim. Cujus imprimis Graecos maxima cum admiratione magnus *Scaliger* luſtraverat. Magnus, inquam *Scaliger*, cujus autographa quaedam ad te miſiſſe noſtrum *Latium* ex eo intellexi. Annotationes autem nullas ad Novum Teſtamentum habeo, aut ullis unquam, quae non extant, uſus ſum. In augendis noſtris exercitationibus jam ſum totus. Atque utinam tam ſim felix, ut, procurante aliquo, in noſtram gratiam Manuſcripti, quos antiquiſſimos eſſe in Brittannia veſtra novi, conferantur codices. Quod ſperare quam conſequi facilius: ego ſane publice me gratum probarem. De excerptis tuis ex Homiliis MS. Anglo Saxonicis, gratias, quas poſſum, ago maximas, qui ſum ac futurus ſemper ſum tuus.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCLIII.

JANUS VLITIUS

Danieli Heinſio S. P. D.

Leidam.

ITa eſt, ut praedixti, Vir Illuſtris: Stipites Romanos in elegantiſſimis literis ſuis multum mihi praedicat Filius tuus; (quem niſi redamem, ἀναξιοφιλητότατος; niſi aeſtimem ut tuum, indigniſſimus illo, quo me hactenus inter cultores familiae veſtrae admiſiſti, ac habes, favore tuo ſim.) Saxa tamen ac lapides, &, quam in iis conſtituit, Urbis magnificentiam mire laudat, & ſuper incolas atque indigenas ſuos extollit. Vereor ne, ut digniorem ſe iis inquilinum adſcribat, ideo etiam atque etiam morandum Romae cenſeat, nimiſque antiquis inhaerens, praeſentium immemor vivat. Multis conatus ſum deſiderium Tui (cujus ſubita deſolatio pro maximo argumento militabit) patriaeque ac noſtri in memoriam illi redigere. Ne ſaltem ulterius tendat, cauſasque innectat emanendi, dehortatus ſum hiſce [1] literis meis; quas vel ideo, Virorum ſumme, commendari & committi tibi patiare, rogo. Tu quoque affectui meo ignoſce; ac porro, ſi faves, luculenta illa favoris tui teſtimonia, literas tuas, quarum compellatione jam gloriari incipio, aliquando repete. Ita te Reipublicae tuiſque incolumem diu, tibique reducem ſiſtat Filium tuum Deus Opt. Max. Vale, Vir illuſtris. Dabam Hagae Com. pridie Idus Januar. CIↃIↃCXLVII. quem annum & Tibi feliciſſimum opto.

1 Quae leguntur tom. III. pag. 117.

EPISTOLA CCLIV.

VIRO AMPLISSIMO

. . . . . .

Amico Veteri.

PAulo ante Calendas Maji Sedano diſceſſimus. Ubi Ducem Comitemque, quem noſti, iiſdem operari ſacris vidimus. D. *Molineum* & *Rambourſium* ſed ignotus, ſalutavi. Lutetiae nonnullos, imprimis Cardinalem, veram nunc Europae totius, rerumque quae pro Gallis adverſus Hiſpanum geruntur, Cynoſuram, cum Patre Joſepho, etiam amoenum *Balſaci* ingenium vidi. Ante omnia mira de apparatu belli in ſequentem annum, ex aulicis nonnullis intellexi. Non ita multo poſt Leodium venimus, ubi diem unum alterumque egimus. In qua urbe exacerbatos plurimorum animos adverſus Hiſpanorum factionem invenimus; ob proditionem imprimis, quae Trajecti ad Moſam nuper tentata, peſſime autoribus ceſſit. Eodem nobiſcum hoſpitio noſtras quidam utebatur. Cujus eruditionem admiratus ſum. Ex eo cum de ſtatu Academiae Lugduno-Batavae, cujus olim alumnus fuiſſem, & in qua moratus ali-

quamdiu ipſe eſſet, diligenter quaeſiviſſem, omnia optimo loco eſſe reſpondit. Etiam amicos veteresque Profeſſores ſalvos ibi atque incolumes. Cum ex eodem, ecquid novi ſub praelo eſſet, aut in lucem nuper prodiiſſet, quaererem, inter alia libellum quendam De uſura nuper editum, reſpondit; cujus autorem ante annos aliquot, relicta matre Gallia, eo ſe contuliſſe, veterem amicum ſuum. De quo varia in Batavia (ubi & ipſe ignotus aliquamdiu vixiſſet) judicia, & quae nollet, audiviſſe. E quibus alienos multorum animos ab eo eſſe, ſatis perſpexiſſe. etiam Theologorum quorundam, etiam amicorum: qui non parum mirarentur, cujus conſilio hoc argumentum delegiſſet, ut tot annorum ocium ſic excuſaret & uſuram ſic ſolveret. Sed & concionibus interfuiſſe, in quibus non obſcure tangeretur. Judicare quoſdam, potuiſſe eum genti nihil minus quam inſipidae, a qua benigne inprimis eſſet habitus, ratione alia nomen atque exiſtimationem ſuam commendare. qui ejus praeſertim Eccleſiae pars eſſet, in qua verbis ſolennibus excommunicari foeneratores ac uſurarii ſolent. qui inter Belgas viveret, quorum pueri in templis ad octavum praeceptum verba illa, *furti nomine*, *iniquum pondus*, *injuſtam ulnam*, *inaequalem menſuram*, *fucoſam mercem*, *fallacem monetam*, *ac uſuram*, *aut aliam quamvis rationem aut modum rem faciendi a Deo interdictum*, contineri recitant, aut morali lege prohiberi, diſcunt. Illud quoque mirum non paucis videri, quod de Juriſconſultis cum loquitur, quorum mentem non ſatis plerunque aſſecutum praedicant, qui haec intelligunt, non morari ſe eos publice pronunciet. neque ſaltem quod de eo profani ſcriptores veteres Romani ſtatuerint, permovere eum potuerit. In omnium enim manibus, ut caeteros omitteret, Catonis de re Ruſtica libros verſari, quorum initio nobile illud dictum legeretur: *Majores noſtri ſic habuerunt & ita in legibus poſuerunt*, *furem dupli condemnari*, *foeneratorem quadrupli*. *Quanto pejorem civem exiſtimarint foeneratorem quam furem*, *hinc licet exiſtimari*. Ad quem locum cavillari. Sed & Ariſtotelem arroganter ab eo traduci. Neque quis, ſi connivendo alibi toleratur, ideo laudari aut permittendam dicat. Quod tale eſt, ac ſi quis furtum commendet, aut permittendum dicat, quia in ſevera alias Lacedaemoniorum Republica id permiſſum, aut paederaſtiam, quia alibi non toleratur tantum ac diſſimulatur, ſed & laudem ejus quidam, patrum aetate, in iis locis ſcripſit. Nam quid Synodi de ea ſtatuerint, mirum, ubi tot eruditi vivunt, neminem ſuppeditaſſe ei. Sed & hoc mirari, quod eos, a quibus nunquam publice aut privatim laeſus eſſet, praeter rem & inſtitutum ſcribendi, laceſſeret. De quo mirum eſſe, nunquam a D. *Riveto* monitum fuiſſe: inprimis, ne inprovide nonnunquam apud eos, quorum animos non ſatis perſpectos habet, de ea gente judicaret, cui tantum debet. cum ille aliter ſe geſſerit, ac amice cum collegis vixerit. Ibi ego, Me eruditis omnibus, illi quoque viro, de quo nonnulli ita judicarent, quanvis neceſſitate nulla junctus nobis eſſet, ſemper faviſſe, doteſque ejus aliis commendaſſe, id autem ſerio diſplicuiſſe, quod in aliis quoque ſcriptis, quoties a Magno *Scaligero*, *Caſaubono* aliiſque diſſentit, ineptire eos dicat. Quae non niſi ab aegro animo aut bilioſo, proficiſci poſſe.

Sed

Sed & *Franciſcum Junium*, de Theologia optime, nec de aliis ſtudiis peſſime meritum, tum Gallum, vehementer alibi perſtringat; quaſi ea quae in Tertullianum ſcripſit, nihil aliud quam cacata charta eſſent. quem & parum honeſto, aut infami potius, notavit nomine. Quemadmodum & ſummo cum periculo quoſdam, qui adhuc ſuperſunt, tangi: cum praeſertim nec illorum ſatis refutet ſententiam, nec ſuam probet: taleſque ſint, ut impune eos nemo irritet; qui fortaſſe ſolo contemptu melius haec vindicabunt. Illud inprimis parum conſulte ab eo factum videri, quod in eo libro hos reprehendat, in quo ab ipſa, cui nomen dedit, Eccleſia, a Patribus, a Synodis, quin a pleriſque Chriſtianis, diſſentit. Ne jam dicam, quod inciviliter ac putide Ariſtotelem exceperit. Ibi contubernalis ille meus, quaeſiviſſe ſe ſollicite ajebat, quiſnam eſſet ille, quem de mutuo cum agitur, acerbe pungit. Intellexiſſe autem e quodam, urbis primariae Medicum ac Senatorem eſſe, cujus nomini nunc parceret: qui & ipſe ſcriptis jam illuſtris, neque quicquam minus quam mulus eſſet. Etiam illud mirari quoſdam, quicquid autor alibi legiſſet, in hoc ſcripto legi: neque quicquam, praeter ea quae ad rem ſpectarent, ibi praetermitti. Hoc fateri omnes, qui judicio exacto eſſent, etiam pleroſque amicos ita ſentire. Nihil enim aeque ac genium & brevitatem cum judicio, ſcripta, quae unius ſunt argumenti, commendare. Sed & ſine etymologiis, emendationibuſque locorum, qui locum ibi non habent, tranſigi negotium hoc potuiſſe. Etiam mirari quoſdam, quod Theologo, & quidem erudito, opuſculum hoc inſcripſiſſet; quem & ab ea ſententia alienum eſſe nemo dubitaret (adeo ut reſpondendi impoſuiſſe illi neceſſitatem videatur) & ne ſcribendi quidem rationem probare exiſtimarent. E locis enim communibus congerere omnia, etiam quae praeter rem ſunt, non tam eruditionem, quam moleſtam oſtentationem, nonnullis videri. De lectoribus autem eorumque judicio ſemper ſollicitum prudentem ſcriptorem eſſe oportere. Haec tum ille. Nos poſt dies aliquot, tuti commeatu publico, Antverpiam pervenimus.

EPISTOLA CCLV.

GOTHOFREDUS JUNGERMANNUS

Claudio Salmaſio amiciſſ. meo S. P. D.

Heidelbergam.

BInas abs te accepi probe, utraſque gratiſſimas, mi amiciſſ. Dn. vin' tamen ſcire quae gratiores? verbo dicam; longiores. Prioribus ex parte quid repoſuiſſe me jam noſti, antequam has acciperem. In illis quam ornate excuſas eruditam aberratiunculam tuam? tanti paene fuit errare, uti tam elegans orator accederet. O de meis quid dicam, ſi ſic tu agis, qui ſubinde labor, haereo, neſcio. id tu omne in me amice toleras, & connives non raro; te vero tam acriter caſtigas, nae tibi es ipſe injurius. Ego hos eruditos lapſus culpis annumerare non poſſum: & ſi mihi contingerent, laudi ducerem. de plauſtris quoque cavillari (ignoſce verbo) tibi ut in tuis licet, mi Dn. Mihi tamen,

Digitized by Google

ut aliter ſentiam, quam ſcripſi, ne perſuaſeris unquam, ne ſi Suadam adducas ipſam, & quae in labris tuis ſeſſitat, Attica Pitho: verſum, quo carebat inſcriptio Herodiana, eodem tempore quoque cum literis noſtri *Bongarſii* accepi. E quibus nil novi alias, quam editorem nuperum Boëthiani libelli de conſolatione philoſophica facile potuiſſe impetrare a *Petavio* veſtro graecam verſionem illius libelli Planudicam. De *Morello* nondum certe e paucis, quae vidi, potui mihi ita perſuadere prorſus, uti eum inter ſemperfidos interpretes adnumerarem. Ingenio mihi indulgere nimium videtur ſuo, & delectari floſculis inſerendis, hinc inde decerptis. Sed penes vos ſit potius judicium de ejuſmodi. Platonis comici carmen de συβωτείᾳ ut interpretaris, intelligo. Nondum tamen, amiciſſime, poſſum conquieſcere, vereor uti aliquid adhuc lateat. Jam accipiebam editoris *Seberi*, auctoris inquam Pollucaeae editionis, qui multis MSS. uſus fuit, notas. avide accurrebam ad hunc locum, ubi ne gry quidem. Puto de loco iſto ſane inquirendum magis: quod ego tamen prae inſcitia non audeo. Infra quidem l. VII. c. 33. συβώτριαι quoque nominantur: ſed nihil praeterea additur. video quidem forte Pollucem hoc dicere, Epicharmum πηκτικὸν (de qua vocula quis etiam ambigeret) τὴ μέλῳ αὐλεῖᾷ dicere: Platonem vero comicum etiam συβωτικὸν αὐλεῖᾷ· & neſcio an dicat συβώτριαν habere ſaltem digitos αὐλητικὰς, non & os aptum ad canendum tibia. Sed aegri ſomnia vidiſti & ante, nec opus ea me referre. Alias noſter αὐλοὺς δακτυλικοὺς vocat infra etiam τοὺς ἐπὶ ὀρχήμασιν. Sed quando taceo delirare? Sed lubet repetere de σφοδρομαχίᾳ, quod vocabulum l. III. c. ult. in mendo cubare admonebas, non σφοδρότητα. Audi quid mihi in mentem fuit jam, legendum σφαιρομαχίᾳ. conſidera infra ſis, ſique vacat, quae l. IX. cap. 7. de luſu pilae τῆς ἁπισκύρου, an me quid juvent. Ad Indicas facile jam acquieſco, & cur te caelem, haec ipſa *a duobus feriri* quae ab Iſidoro videbam addi, & in Suida ὄργανα τείγωνα, me ſtatim dubitare fecerunt. Pro inſigni loco de tubicinibus maximas tibi gratias, quae per omnes lineas eſſent repetendae, quia ſemper mereris. Quid enim dicam de ποσὶ, in quibus eruditiſſimi viri faſſi ſunt ſe nil ſcire, & ἀναδήγμασι, quae jam omnia primum intelligo? O quem te dicam! nolo in os te laudare, quod modeſtiſſimum ipſe incoram cognoſcere potui. Quod ad γολίας, prorſus ſcopum attigiſti: omnibus enim ſuis litteris id ita in MS. Palatino: & uti porro nos doceas, eodem in loco lib. X. c. 31. noſter ita auctior: πλαμῶνα δ' ἂν καὶ ζωρῆρα εἴποις, καὶ ὄχανα, καὶ κιλιβάντας, Ἀριστοφάνης ἱππότῳ, τὰς κιλιβάντας οἷσι παῖ τῆς ἀσπίδος. Et eodem capite poſt οἰκοδομὰ σκιυὴ, ſtatim ante νεωλκὰ, ζωγράφου σκιυὴ &c. καλιβάντις, quae infra in vulgato c. 37. leguntur. Sed l. VII. c. 28. ubi vulgo καὶ καλύβας, MS. κίλιβας. Ariſtophanea in Acharnenſibus indicarunt jam alii, ubi legitur, οἷσι παῖ τῆς ἀσπ. Sed jam iterum mirum locum propono lib. VI. c. 12. ἐμοὶ δ' ἐς τὴν καλαμένην αἴγλαν μυστιλὴν ἴδιον καλεῖν, ἢ αἴγλαν. MS. habet καλ. νέγλαν ἡδεῖον καλεῖν, ἢ νίγλαν. ego nec de αἴγλα, nec de νίγλα alibi quid invenio. ἡδεῖον emendare facile eſt. Etiam audi mea facinora lib. VI. c. 11. fine, ubi MS. λείπα. Et quidem de βαχιδαείοις, & πλαισίοις tacui, uti ignarus. Mox ἰσχαδόπλη-

δόπ]ην ſuſpectum mendi habeo. Sed & quod conjiciebam, ἰσχάδα ὀπ]ὴν. Sequitur paullo poſt ἐλαιοσίμμαξις. quod monſtrum ni fallor pellebam feliciter, reſtituendo, ἐλαί-, ἄμαξις, (ſive ἄμαξις, vel ἄμμαξις,) ἐλαί- ſane, ut ἀμπίλου εἶδος: & ἄμαξις, uti γόν- ςαφυλῆς apud Heſych. legi: apud quem & caeterorum quoque nomina fere variant. Sequitur in Polluce χαιρέινως. apud Heſych. eſt χαρόνη, χαρῖν- ἄμπλ-. dein quae malum φθισία. patet mihi ſcribendum ψιθία. Dein λυδυατῶ ἀπεράμνει-. an? λιδυατα, περάμνει-. de περάμνει- non dubito. Deinde χαρόπη. forte id apud Heſych. quoque reponendum pro χαρόνη. De ea quae πιλμηρὶς & τορνία mihi non liquet. Cap. ſequenti τὰς λαδικλας ὀνομαζομίνας. An λαδίδας? Heſychius tamen de χρυσοχόικῳ σκύφῳ. Eodem capite 14. iſta πεῦτα δὶ ὅσα κατὰ Φιάλας ἀνεπίπλατο (quae pars capitis in MS. deeſt) neſcio an non aliquid quoque vitii alant. l. VI. c. 28. περὶ κόλαχ-. in fine. deſunt in MS. ςοσαιρήσων, θρίσιτ-. Et quid hîc eſt quaeſo ςοσαιρήσων, vel quo modo corrigendum? Ibidem ultima, πᾶνα ἐπὼν, πᾶνα πιθὼν. ridicule veſter *Bulengerus* in theatro interpretatur, *qui panem patitur, riſum vocans panem*, omnia ſic reſtituenda ajo: περιχόμεν- συμβολὰς τ γέλωτα, πᾶν ἂν ἐπῶν, πᾶν' ἂν πιθών. MS. habet ſaltem, πὰν ἂν ἐπών. Sic. c. 32. loquitur noſter, πᾶν ἂν πρᾴξας, πᾶν ἂν ἐπών. Agatharchidis Eclogas Cteſianis adjiciemus, quod me aliquando ſcripſiſſe puto. Edemus illa ex Photii Bibliotheca. Quaeſo te, adi ejus Bibl. graecae p. 722. 723. Si tibi vacat & illa, Ἀυςηρὸς ὁ λόγ-, ἀλλὰ σωτῆρι- δηλοῦτα &c. uſque ad p. 724. quae *H. Stephani* vetus editio non adgnoſcit, conſidera an Agatarchidis putes. Mihi id perſuadere non poſſum, ſed ex alio auctore aſſuta credo, niſi tu diſſentis. Et plura jam non addo, niſi haec non nimia fuere ad te obtundendum. Prolixe eſt ad *Gruterum* noſtrum ſcribendum, qui tecum credo quaedam, ſi tanti, communicabit. Vale & ſalve, amiciſſime Salmaſi, diu diuque mihi & reipublicae litterariae, & tibi quoque annes & perannes. raptim e typographio Wecheliano: a. d. XVI. Kal. Jan. CIↃIↃCVII.

Hae epiſtolae, quae ad *Salmaſium* ſcriptae ſunt, cum annorum modo XIV. vix eſſet, ſtupendam eruditionem in tam praecoci ingenio magis oſtenderent, ſi ad eas reſponſiones nobis ad manum eſſent. Tot enim egregias in Polluce & aliis Graecis ſcriptoribus emendationes cum *Jungermanno* communicavit, ut patet ex hujus notis in Pollucem, quibus *Salmaſii* ſui verba fere ſemper inſeruit, ut incredibile videatur jam tum potuiſſe evolvere tot Scriptores. Hac vero occaſione de ejus natalibus aliquid adjiciendum videtur, quia *Ant. Clementius*, qui *Salmaſii* vitam prodidit, & Epiſtolis praepoſuit, ſibi contraria tradidiſſe, nec recte calculos poſuiſſe mihi videtur. Scribit ille *Salmaſium* natum eſſe A. CIↃIↃCVI. & deinde A. CIↃIↃCVI. abiiſſe Heidelbergam, annos jam XIV. natum. quare ex ejus opinione debuerat naſci A. CIↃIↃCII. Sed poſtea ipſe ex epiſtola ad *Gronovium* docet Anno XV. aetatis edidiſſe Florum, qui cum prodierit A. CIↃIↃCIX. ſine dubio natus fuit A. CIↃIↃCIV. De anno, quo obiit, etiam in diverſa abeunt Scriptores. *Clementius*, *Witten* in Diario Biogr. referunt ad III. Sept. CIↃIↃCLII. ſed ex Epiſt. *Heinſii* ad *Gronov* CCLXV. qui mihi videtur falli vix potuiſſe, conſtat; A. CIↃIↃCLIII. mortuum eſſe; & *Adolf. Vorſtius* parentans ipſi A. CIↃIↃCLIV. (dies non additur) praeteriti anni III. Septembris animam exhalaſſe ait, Anno aetatis LXV. quod iterum mirum videri debet. ſed ille natales in Annum CIↃIↃLXXXVIII. conjecer.t. quis non miretur tot viros, qui vixerunt cum *Salmaſio*, & eum habuerunt familiarem, tam diſcrepare in annis natalium, aetatis & mortis. Ego puto recte calculum conſtare iis, qui ſtatuunt natum A. CIↃCXCIV. obiiſſe CIↃIↃCLIII. aetatis LIX. Qui vitam nuper *Salmaſii* edidit *Clarmondus* perſonatus, incredibilis ſtuporis & inſcientiae compilator, ſequitur fere, etſi omnem temporum rationem confundit, *Clemen-*

sium, quem ignoraſſe tamen videtur: nam & *Clementem* illum vocat, & Famulum *Salmaſii*, & ipſi in primis charum, ideoque ſcripta ipſi, quae vivente *Salmaſio* jam tractabat, ait fuiſſe poſt fata commiſſa; quae omnia falſiſſima, cum *Clementius* ſibi non eam familiaritatem interceſſiſſe, quanta aliis, nec neceſſaria ſibi ſuppetiiſſe ſubſidia ſcribat, neque umquam in familia *Salmaſii* vixerit, ſed poſt ejus mortem omnia, quae edidit, undique collegerit: in ipſa vita tot peccata admittit, ut ne puer quidem, qui Latine ſciret, ex aliorum monumentis omnia corradens, foedius poſſet errare. Patrem deſtinaſſe filium ſibi ſucceſſorem ſenatoriae dignitatis in *Lugdunenſi* Parlamento ſcribit: legerat certe in Gallico quodam ſcriptore *Dijon*, inde ille *Lyon* fecit. nec errorem operarum eſſe patet, quod bis Parlamenti de *Lyon* meminerit, ubi nullum eſſe conſtat. Florum edidiſſe A. xv. aetatis recte quidem narrat, ſed eum *Hugoni Grotio* dedicaſſe falſum eſt: nec enim ejus viri notitiam adhuc habuiſſe credo. dedicavit vero *Jano Grutero*. Unicum reliquiſſe filium, quo quid factum ſit omnibus ignorari ait: atqui *Clementius* ex filiis (habuit ergo plures) duos memorat *Claudium* & *Joſiam*, ex quorum primo adhuc poſteritas, ejectis ex Gallia Hugenottis in Bataviam tranſtulit aedes, & nos ejus nepotes nuper diſciplinae noſtrae alumnos habuimus. Interdici publice deberet tam fatuis & indoctis nugatoribus, ne vitas ſummorum virorum tot mendaciis contaminarent. Ego certe nullam hujus compilatoris vitam inſpexi, quin ſingulis fere paginis pueriles errores deprehenderim: potuiſſet certe *Hanckium* conſulere, cujus operâ vita *Salmaſii* conſcripta legitur apud Wittenum Decur. v. Philoſ. p. 111. in qua etiam quaedam caſtigari poſſent, ſed notarum harum ratio, jam nimium me fuiſſe, clamat.

EPISTOLA CCLVI.

GOTHOFREDUS JUNGERMANNUS

Claudio Salmaſio ſummae eruditionis juveni, S. P. D.

Heidelbergam.

NOn ut tuas elegantiſſimas, & quae divinae in te particulam aurae, ut ea pollens & melior tibi data prae caeteris, ita ſpirabant, redhoſtirem, haſce exaravi; quî enim id fieri poſſet? ſed ut ex iis tamen magis tibi, mirum, quem veneror & admiror, familiarem me factum adgnoſceres. Placet enim tuum judicium exquirere ſuper quibuſdam Πολυδευκείοις. in quem auctorem jam conſcribere incipiebam, quae ex MS. obſervaveram. Unum tamen, ut ſtatim id quod dolet indicem, in tuis literis me hactenus male habuit, quod *Stephanum* rurſus inter Δοτικομίνας relictum iri dicere videris: quod ut ne facias, reip. litterariae nomine te volo etiam atque etiam obſecratum. De caeteris geographis & *Hoeſchelii* levi in illos opera juxta tecum ſentio. Sed Pollucea illa libet adferre, in quibus me a te adjutum velim. l. I. c. I. τμήματα περὶ τῶν περσιόντων θεῶν, vulgati: τὰ δὲ ἀρώματα καὶ θυμιάματα καλεῖται. Θουκυδίδης δ' αὐτὰ εἰρηκεν ἄγνα θύματα πρὸς τὰ αἱμάσσοντα καὶ σφαττόμενα ἀναπιθεὶς σμύρναν, λιβανωτόν. MS. Θουκυδίδης εἰρηκεν αὐτὰ, θύματα ἁγνὰ, ἀντιδιαστέλλων πρὸς τὰ ἐν αἵματι. & in margine alia manu additum, ἀνατιθεὶς σμύρναν, λιβανωτόν. Quaeſo te, quis iſte locus Thucydidis. nam qui mihi l. I. ξυγγραφῆς occurrit de Diaſiis: ἐν ᾗ πανδημεὶ θύουσι πολλοὶ, οὐκ ἱερεῖα, ἀλλὰ θύματα ἐπιχώρια, vel non eſt, vel Pollux mendoſus eſt. Mox τμ. Περὶ ἀναθημάτων. πίπασα; ὁμικὴν, σφάγης. Illud ὁμικὴν lexicographi certe plane omittendum ſunt rati, ignorantes credo juxta mecum, cujuſnam eſſet generis. MS. quidem eo caret. tu me doce, & ego potero tum alios. Non ita longe poſt τμήματι ſequente

ſe-

Digitized by Google

ſequitur fabula de Hercule pomario. Ibi iſta, Μήλων ὁ Ἡρακλῆς, Eraſmus interpretatur, *Hercules malorum*, quod mihi videtur non rectum: qui ex Heſychio videor poſſe colligere, Μήλων fuiſſe nomen Herculis, non caſum illum patrium. Heſychii verba ſunt: Μήλων Ἡρακλῆς. ὀνομαθῆναι φασι τὸν θεὸν ὅτως ἀφ' τὸ μὴ ἱερεῖα θύειν αὐτῷ τὰς μελιτῆς, ἀλλὰ τὸν καρπὸν τὰ μῆλα. & quinam fuerunt illi Μελιτῆς, fuerunt enim Melitae illae plures. Sectione Περὶ τὰ κατὰ τὰς θυσίας ὀρχήσεων. λίκνα, καυᾶ MS. auctius longe: λίκνα φερόμενα καυᾶ, ὁ βαρβάρως πύγεας καλοῦσιν καυᾶ &c. Ubi illud πύγεας uſitatum fuerit, ignoro juxta cum ignariſſimis. Sectione antep. ubi de hymnis Deorum, *Bulengerus* veſter de theatro ſic ait: *Polluci l.* 1. *dicitur Demetrulus aut Demetriulus*; qui neſcio quid codicis ob oculos habere debuit, cum in Polluce noſtro clare legatur, tantum: δήμητρος, ἴυλος. apud Euſtath. in ιλ. Σ. eſt quidem δημητριυλος συνθέτως. Et haec ſaltem e primo cap. Plura adtexere nolim: ſi non haec forte ſatisſunt. Euſtathii fabellam amaenam tandem ad te mitto, quod bene Eroticis vertat. MS. 2. ſunt Auguſtani; unus Lutetianus cum Tatio. Addidi, ut & ego deſcripſi, ſi otium ullum nactus fuiſſem ad illum recenſendum, vel interpretandum ſerio. Is ſi tibi uſui eſſe potuerit, ut ad prelum ſerviat, gratum mihi eſt. Ego tamen nondum contuli, an fideliter uſquequaque deſcripſerim, quod non ſemper credo factum. Sequutus ſum vero codicem Auguſtanum majorem illum, integumento ornatum. Quae alia habeo a *Caſaubono* & *Scaligero* τῆς πάνυ, ut & a *Rigaltio* ſuper iſto auctore, ἐν καιρῷ, ſi tibi placuerit, ſubmittam. Tatium aliquando ſtudioſe perlegi, & minutias multas in eo obſervare viſus ſum, quibus ingenium exercere conabar. Heliodorum eodem modo: quem audivi ab *Helia Putſchio* τῷ νεῷ ἐν ὀσίοις auctiorem exſtare Commeliniano apud *Raphelengium*. Cyri illa Prodromi, quae te feliciter audio deſcripſiſſe, & Venetiis in Martiana ſe vidiſſe quoque narravit mihi *Seghetus* meus, δυσαναγνώστῳ pariter ſcriptura exarata. Debes, credo, & illa impetrare ab *Hoeſchelio*, quae bibliotheca Auguſtana habet a *Simone Sethi* e Sarracenico verſa κατὰ στοιχεῖον ἐκ ἰχνηλάτην. Sed doctum moneo. tu ignoſce meae audaciae, qui ita meae conditionis & ingenii immemor adverſus te, eximie Salmaſi, tam prolixe garrio. Vale atque ſalve, & impolitiſſimis litteris ignoſce, quas raptim dabam Hanoviae. A. D. IX. Kal. Jul. MDCVII.

EPISTOLA CCLVII.

GOTHOFREDUS JUNGERMANNUS

Claudio Salmaſio ſuo S. P. D.

Heidelbergam.

ITa ſcribas ſemper, amicorum doctiſſime atque reſcribas, ubi id cum tuo commodo fiat, & abſque publico reip. litterariae incommodo. Quod profecto illa ſentiet, ſi tua praeclare meditata interrumpas ob ullius amici privatam cauſam. Novi tuam iſtam inſignem modeſtiam, quod te gravent illa, quae

quae dixi: ſed non potui tamen non vel leviter affari, quod veritas exprimit. Et quam gaudeo de Floro tuo, amiciſſime & floridiſſ. Juvenis: o fac certo efflorescat cum futuro vere, nec nos amore *μεζόκαυ* ſinas diu. Et quoniam ita ſtat Latium prius demereri, poſt iſtum Romanum ſine, quaeſo, quamprimum ſequi tuam Atticam corollam, *Stephanum* tuum, ſive quocumque alio nomine tibi adpelletur ille *ὁ τὰ ἐθνικὰ γράψας*. Jam, uti ſcripſi, nolim te morari pluribus, quum impedimento eſſe ullo tuis Muſis abominer. Mererer alias certo furcillis ejici praeceps, uti illa mala apud Catullum res. Quum tamen ad *Gruterum* noſtrum alias cum ipſius adfine ſcriberem, libuit quid adjicere ad te. Cteſiae fragmenta edimus quaecunque *Schottus* collegit, egoque pauca inſuper inveni. Novi autem apud Stephanum tuum in *Dyrbaeis*, & *Choramnaeis* extare ejuſdem quid: ſed libro iſto careo. Si vacat & non moleſtum eſt, quaeſo ſis iſta paucula deſcripta habeam. Valde caveo, ne te ulla ratione avocem a tuis: ſed hîc tamen male cavi. Tu hoc ignoſces, rogo. De *σφαιρομαχία* legi quae adfers. Non libenter contendo tecum, uti qui nimium quantum prae me vales. Neſcio tamen, an praeciſe negandum illud de luſu pilae. Certe enim infra l. IX. c. 7. *περὶ παιδιῶν, ἡ Φαίσκυρος σφαίρας παιδιὰ* ita deſcribitur, uti curſui in eo varius locus eſſe videatur: & in ſegmento illo capitis ult. lib. III. ubi de mendo nobis ſermo, agitur de variis curſus exercitiis. Ait autem Pollux diſerte in capite *περὶ παιδιῶν* l. IX. *ἔχει δὲ καὶ σφαιρομαχίας εἴπων, τλὼ Φαίσκυρον τὴν σφαίρας παιδιαν*. Sed non traho hanc ſerram ulterius. De *πυξοπώλαις* eximia tua conjectura. Et praecedunt certe ibi *νεκροφόροι καὶ παφίαι*. MS. noſter ibi nos deſtituit, ita ſaltem habens: *τὰ δὲ Φαὶ τύπτις ἀποπιπράσκειν. ἔστι δὲ εἰπεῖν ἐπ' αὐτῶν πυξοπῶλαι. καὶ ἡ πυκτρ.* Ita ſaltem noſter MS. Nec placet jam *Caſauboni* expoſitio illius vulgati. De Agatarchide facile jam tecum ſentio. Aberraveram tamen in interrogando. Non enim de illa oratione tam dubitabam, ubi Aethiopum mentio: quam de caeteris, quae ſequuntur excerpta ex orationibus Hegeſiae, Hermeſianactis, Demoſthenis, & quae mihi plus ad rhetoris alicujus inſtitutum pertinere videbantur, quales Senecae fuit, quam hiſtorici. Sed non te diutius moror, mi amiciſſime Salmaſi. Quaeſo inſubidas litteras, quales omnes meae, boni conſule: non poſſum aliter per meas operas, & tam diſtractum animum. Vale, & hoc novo anno feliciter age & ex animi tui ſententia, feratque ille, quem jam numeramus cum vulgo a Chriſto nato CIↃIↃCVIII. ingenii tui partus optatiſſimos in dias luminis oras. Scripſi *τῇ ἁγίᾳ τῶν Φώτων ἑορτῇ*, uti a Nazianzeno diem appellatum ferunt.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCLVIII.

GOTHOFREDUS JUNGERMANNUS

Claudio Salmaſio S. P. D.

Heidelbergam.

NOn patiar tamen, Salmaſi eximie, te errare de me diutius. Amor quidem erga te meus & tui veneratio apud me tanta ſunt, ut nolim tibi in ipſo initio firmatae per tuas elegantiſſimas literas amicitiae quaſi contradicere. Affectus quoque proprii, immo communes omnibus, ad laudes tam egregias, quas in me congeris, facere queant, ut ad illas conniveam. Eſt enim, ut Xenophon ait, & repetit Plinius noſter, ἡδίστον ἄκυσμα ἐπαίνου. Verum addit alter, utique ſi te mereri putes. Id quoque meditor ego, & quum me ne quidem mereri unquam poſſe tam egregia dicta abs te non putem, ſed certo ſciam, nolim tibi etiam quid eſſe fraudi. Si enim verum eſt ſuo modulo atque pede ſe quemque metiri, nolim ſane mihi aptari alienum, & qui majori conveniat. Meri nos, mi eximie *Salmaſi*, pumiliones ſumus, ſi in litteris vobiſcum τοῖς ἀετοδέξιοις Aſteropaeis comparemur. Quid enim putas nos hîc poſſe, ubi ὑπὸ δείλης ἠῶας μὲν ἐπαέρχει βαθεῖαν εἰς ἀγορὴν νύκτα, male conciliati typographorum pueri detinent, errata erratis adcumulando, ut nunquam queas ſatis eſſe ſecurus, vel, quaſi hoc mendorum ſtabulum ſatis hac die expurgaſſes, in utramque aurem ob eam rem dormire? Jovem lapidem tibi juro, dum hîc fui, operae meae hautquaquam paſſae ſunt me ullum boni coloris auctorem mihi perlegere: quod tamen ipſorum ingratiis feciſſem, ſi illis potuiſſem tantillum ſurripere operae. Et tu itaque, juvenum elegantiſſime, quid verecundaris ſcribere ad me, vulgarem ſcilicet correctorem librorum, & qui prae tenuitate ingenii & eruditionis vix audeat prodire tenus, ultra certe deſperat? Quid enim non tibi me aperiam, quem certe ſua opinione falli minime velim? Nec vero leviter ſaltem cogitare debes, ut regeram in te laudes, quas tibi convenire ſcio. τῷ αὐτῷ ſane μέτρῳ facerem, καὶ λαΐου, αἴκε δυναίμην. Sed id virium noſtrarum non eſt; & laudes eximias ingenii culpa detenere ἀ θέμισγε. mittamus itaque hoc omne, & ad alia, quae litterarum noſtrarum argumentum ſint potius, properemus. Euſtathii de Iſmenia fabulam amoeniſſimam ad te mittam lubens, primum ac mihi certa occaſio mittendi offeratur. Sunt MSS. duo Auguſtani: & tertius a *Grutero* τῷ πάνυ noſtro mihi donatus: Accedit quartus raro varians, eleganti manu, ſed mendoſe perquam exaratus e *Thuani* veſtri bibliotheca, cum Achille Tatio pleniore longe, quam eſt editus & correctiore. Ipſe Euſtathium mea manu deſcripſi, vacuis pagellis interjectis, quibus inſcriberetur verſio Latina. Mittam illum quoque, qui prelis inſervire poteſt. Conquiram & alia, quae ſuper auctore ipſiusque nomine eruditi viri exquirenti reſponſa dedere varia. *Rigaltii* nomine promiſit *Caſaubonus* veſter plura e MSS. regiis: ſed ultra annum eſt, quod nihil viderim. Valde vero gaudeo de Prodromi Rodanthe, gaudebit & heros noſter *Scaliger*, qui

hoc urſit jam ante biennium. Vidi enim ipſe MS. illum Palatinum, & contortiplicatis vocabulis, Graeculique manu difficili & δυσαναγνώστῳ deterritus reſilii: quamvis Illuſtriſſimus *Scaliger* animum adderet, ſcribens diligentiae & aſſiduitati omne tandem id fore facile. Incipiebam ſane Heidelbergae transferre Euſtatium: ſed omne id in ſpongiam incumbere juſſi. Hîc certe ne aſpexi quidem amplius: adeo ſe omnes amaenitates a me in hoc ſtatu ſpernunt. De Anthologia diu eſt, quod ex litteris mei patroni ampliſſimi *Lingelsheimii* cognovi illa εὐαγγέλια: juxtaque tecum ſenſi & ſentio de Planude, cui non omnia fuere plana. Credo tamen deterritum & laſcivia carminum. Sed quid? Faciamus vel invitis illis inficetiſſimis caſtratoribus bonorum auctorum, ut rumpantur ilia patrum impudentiae. Si enim illi inciderint in haec carmina, antequam publicentur, actum erit, ilicet. Sed Stephano tuo quid tandem fiet? Quaeſo fac ad hiemem habeamus; quum prius nobis non vacet. Da hoc reip. litterariae, quam ἱερὰ γηρύσεται video illius auctoris, & vel paciſcere cum typographo non ex animi tui ſententia prorſus. Diligentia ſane mea in corrigendo πάντη κὶν τὰ μάλα σοφῶν ἀρτιάμαν, & in quacunque ſane re eam tibi uſui eſſe poſſe putaveris. Dabo certe operam, ne te operae meae poeniteat, huicque negotio praevortam ante omnia, ut mendarum, quae typographorum ſollemnis incuria hodie fundere ſolet, expers tuum opus prodeat. Cui enim bono noctu diuque invigilamus, ut σφάλματα e bonis auctoribus exturbemus, ſi alius turbo mendorum a typographo ingruat deinde? Nec immemor eris, quae per Cl. *Gruterum* olim monui, Scylacis Caryandeni, Martiani Heracl. &c. ſi verſione tua illuſtriores queant Stephano addi. Bonum factum id putant *Welſerus* & *Scaliger* & *Hoeſchelius*: accedit & auctor optimus *Bongarſius*, qui id noviſſime ad me perſcripſit. Sed charta me jam deficit, & tenui te diutius meis impolitiis, quas ignoſces, & me ideo amore tuo, quem erga me cepiſti, non ducas indignum: quod me ſperare jubet tua humanitas. Vale atque ſalve, eximie Salmaſi. raptim e typographio Wecheliano, Hanovae ipſis Kal. Maji 1607.

EPISTOLA CCLIX.

GOTHOFREDUS JUNGERMANNUS

Claudio Salmaſio S. P. D.

Heidelbergam.

ITane, mi amiciſſime Salmaſi, tuam operam ſemper mihi promptam ac paratam ſentio, nec unquam quid poſco fruſtra? Ah pudet me impudentiarum, pigetque nugarum, quibus te onero tam ſaepe, tua humanitate adeo frequenter abutens. Quid faciam tamen, ſi tu tam facilis, qui ne differs quidem operam rogatus, nedum negares quidquam? certe me facis iterum iterumque audere, licet non ita prorſus perierit apud me pudor tamen, ut non ideo tacitus mecum erubeſcam. Gratias vero habeo, quod jam tantum poſſum mente

Digitized by Google

te & animo, hisque literarum tabellis, tibi maximas pro lepidiſſime convertendis in Latium noſtrum iſtis carminibus graecis. Valde noſſem libens & quis illius auctor, quod ſine auctore citant, non illepidum certe: ex veteribus membr. in numero pag. 382. Ἡρόδοτος Μύσας ξυνίσατο· τῷ δ' ἀρ ἐκάϛῃ Αρτὶ Φιλεξενίης β.βλον ἔδωκε μίαν. *Brougthonus* noſter in novantiquam editionem Herodoti promiſit ſponte carmen, & vidi jam initium, pluſculos aliquot verſus graves & elegantes: pertexeret modo quam primum. Herodoto neſcio quid adpendiculae adjecimus, quoniam nil alias in tam brevis temporis anguſtiis adgredi auſi ſumus, immo quaedam adgreſſi fruſtra abjecimus: ſed adjecimus tamen e priſcis aliquot locos de diſſenſione veterum ſuper auctu Nili. In iis una cujuſdam incerti expoſitiunculam, quam varie ſenſerint, vel diſſenſerint potius illi, editam anno 1553. inter alia fragmenta Theophraſti & Ariſtotelis, graece ab *H. Stephano*. Iſti unico ἀποσπασματίῳ non inveni interpretem, quem itaque ipſe praeſtare coactus ſum, ne hic libellus ſaltem verſione deſtitueretur. quod quum raptim & operis urgentibus praeſtiterim, non eſt ut me valde venditem; malim omnibus excuſatus eſſe potius. In illo ſunt verſus Aeſchylei, quae an in hodiernis, quae ſuperſunt, ejus viri tragoediis temere reperiantur, neſcio. Sunt autem iſti:

Γύν· μὲν αἰνεῖν καὶ μαθὼν ἔϛιν ἄμα
Αἰθιόπὸν· γῆς, ὕθεν Νεῖλος ἱπτάμενος,
Γαῖαν κυλίνδων πνευμάτων ἐπομβρίαις.
Ἐν ᾗ πυρωτὸν [1] μηνὸς ἐκλάμψαν φλόγα,
Αἴγυπτος ἀγνῷ νάματος πλημυρίνη,
Τίκτει πετραίην χιόνα, πᾶσα δ' εὐθαλὴς
Φιρέσβιον δήμητρος ἀγγέλλει στάχυν.

Vincte ego iſta extorſi.

Aethiopiae haud incognitum terrae genus
Laudare novi, Nilus unde defluit
Humum volutans quum flabra imbres concitant;
Ubi ignea diei micans vis ſplendida
Flamma reſolvit ningidas rupes. viget
Aegyptus omnis tum beata, flumine
Sacro tumens, ſegetemque laetam nunciat.

Legiſti & antea imperitorum verſiones, mi amiciſſime, legeris itaque & iſtam meam, cui ſi quis ſtipulam me adhibuiſſe arbitrabitur, quum hoc carmen diſperderem, opinione ſua non falletur, quiſquis eſt. Sed quid tibi videtur, mi amice obſervande, de Graecis, uſquequaquene ſana? ego in quibuſdam haeſi, ut ſatis oſtendit mea διάφεσις. immo auſus fui etiam duos verſus movere loco, non in graeco contextu, ſed in meis, nempe penultimum in locum antepenultimi reponens, & contra. Si ſuper quibuſdam me, in quibus forte hîc hallucinor turpiter, monueris, candidiſſime meorum judex, id quo-

1 Legendum eſt ἱπτάμενος, hoc eſt ſeptiſluus, *Salmaſ.*
2 Legendum σὺν· πυρωτὸν, *Salmaſ.*

que monebo alias. ista enim jam data sunt prelo. Caeterum inter istas περὶ τ ἀναβάσεως τῦ Νείλυ adnotaveram mihi & peculiare in eam rem caput Theophylacti Simocatae in illius historia, qui de hac re opinionum variarum examen se instituere suo sibi jure ait, quoniam sit Aegyptius. Quid alibi sane fecit nescio, haec, quae vulgata sunt nuper, ad verbum transcripsit e Diodoro Siculo, ne quidem nominato suo auctore, mutasset saltem ordinem, & saepius Diodorea verba, quae quidem aliquando aliter παραφράζεται, ubi tamen, ni fallor, ψυχρολογίαν non omnem effugisse videri queat, de qua re & Photius innuit. Nec putavi hoc isti debere abire adeo impune, optarique ne lucrifaceret censoriam notam ab iis, quibus hoc jus datum est hodie, in quibus & te agnosco. Libetne oculos advertere ad aliquod iterum ζητημάτιον in Polluce nostro? Suidas ait, πινὲς ἢ Ἀρδώνναν σοφιστὴν χαίρειν παίζοντες. πόλις ἢ Φοινίκης ἡ Ἀρδώννα. Et haec sollemniter Polluci praefiguntur. An vero tu legisti unquam de hac Syriaca Arduenna? & quid tibi videtur de viri docti sententia, quam ultro ad me perscripsit, nimirum de Cardyto Syriae potius quid hîc comminiscendum? Sed cur te moror diutius; quem cum Floro suo florentem & valentem hisce nundinis visurum spero, quod laete fiat, faxit summus Deus, cui te commendo, amice honorande. Vale atque salve. raptim Hanoviae e typographio Wecheliano. a. d. XI. Kal. Mart. CIↃIↃCVIII.

EPISTOLA CCLX.

GOTHOFREDUS JUNGERMANNUS

Claudio Salmasio suo S. P. D.

Heidelbergam.

NOn tamen adeo abutar, mi amicissime, tua humanitate & benignitate, ut singulis septimanis illas τὰς ἀφθόνως παρ' σοὶ τ Μουσῶν θύρας pulsem: quamvis ad tuas jucundissimas & doctissimas, in qua re quidem antiquum obtinent, quin continuo responderem, vix me continerem. Tamen calamum nimis prurientem repressi, & amico aliquot diecularum quietem permittendam merito cogitavi. Laudari vero abs te ni gauderem, vererer certe ne mihi soli cornea fibra esset, a tam laudato juvene, & cui placere in hoc studio plus duco, quam multis senibus. Nec tamen huic gaudio non conjunctus est & pudor multus, quum tantum abs te non mereatur scilicet nostrum ingenium, curtam sane eruditionis suppellectilem & tenuem quamvis possidens. Nam quod MS. Palatini optimi ope tot insignes locos restituerim: id fortunae potius tribuendum, qua tam bona in tam bono codice nanciscendo uti me contigit. Et res clamavit ipsa, si modo Notae nostrae unquam in lucem emerserint, quod quidem non tam mei causa, quam Pollucis exopto, τὸ αὐτὸ βοᾶν tum patebit, quidquid in iis boni & reconditi, id maximam partem & fere omnem tum laudato MS. codici, tum tuo erga nos amori & benevolentiae acceptum ferendum esse. Sed ad tua accedo propius. Quod itaque ad lib. VII. 31. attinet,

net, χρωπᾶις, & ego ad eum locum, ob praecedens πέρκη, conjeci πορκᾶις, adduxique locum Pancratis apud Athen. lib. VII. πορκῆες ἁλίζωοι, ut ibi *Caſaubonus* pro ἁλίζωνοι legit. paulo poſt ναυφύλαξ habet clare & MS. Lib. X. 8. quoque non fallus fuiſti. Sic enim MS. ibi: ἄρηται γὰρ περὶ Φιλίσκου ἐν τῇ ς, καὶ ἐν τῇ Σιμύλου Μελικῇ. illius Simyli mentionem alibi quoque videor legiſſe, nec ubi poſſum recordari: niſi tamen memoriam meam ludit Simulus ex Moreto Virgiliano. de eo itaque amplius quaerendum quis fuerit: ſane recipiendam interim MS. lectionem nullus dubito. Pro ἐνήτειχε voce nihili, quod ἐλήτειε reponis, & in eo MS. noſtrum habes conſentientem, feliciſſime ingenii amice, ſicque ille auctior: καὶ ἐπαινῶν δ' ἂν εἴποις, σφοδρὰ λεπτὴ, ὀλυφὴς, ἐλήτριος, ὑγρὰ, &c. qui bene jungit ὀλυφὴς, & ἐλήτειος. nam & lib. VII. 10. habebamus, ὕφασμα δὲ ἐστι, λεπτὸν, ὀλυφὲς, ἰσχνὸν, ἐλήτειον. Verſus iſtos, quos dein uno impetu feliciter concinnas, & a me tentati ſunt, adſumpto Clementis codice ad lib. VII. 22. Sed quod ego ambitioſe egi, & per multas ambages, id tu ſimpliciter & facili conjectura agis, mi amiciſſime. Indicabo itaque, ubi ego diverſus abii, Primum ex MS. noſtro ita ſcribebam. ξυρὸν, κάτροπτρον, ψαλίδια, κηρωτὴν, νίτρον, ſecundum juxta tecum reſtitueram. In tertio ego peſſime, ἀγχεσ' ὄλεθρον &c. quum accuſativus ἄγχεσαν neceſſario requiratur. In 4 & 5, quoque pari modo laboravimus. 6 & 7. ita ego: τρυφοκαλάπειν, ζῶσμ', ἐλίσσορον, κεκρύφαλον, Αμπεχόνιον, τρύφημα, πορφὶς, ξυσίδα. In MS. enim noſtro, ἀμπίχονον, τρύφημα, inveni. Iſta χρύφωμα, λάσειον in MS. non erant, & praviſſimam repetionem alicujus negligentis ſcribae quoque putavi. 8. ita ego: χιτῶνα, βάθρον, ἔγκυκλον, κομμωτρίον. nam βάθρον in MS. Sed alterum magis placet. 10. ita ut tu, niſi quod μαλάκιον, quod & Heſychio nititur, cum MS. retinebam. 11. 12. 13. quoque ut tu, nam & MS. ὀλίσσεις habebat. Lib. V. 16. MS. noſter ὄχθοι, βᾶς, ὄλεθρον· egoque omnia iſta tria adſtruere conabar: ſed tecum potius legendum judico ὀχθοίσεις, ὄλεθρον. paulo ante ξάνιον MS. noſter, ut conjeciſti: ut & ἱπποκάμπια, quae utraque reſtituere juſſi. Quod ad πανθευσιοὶ ὄρμοι, tibi facile aſſentior πανθαυσιοὶ legenti, quum alterum non capiam. Conſidera tamen ſis noſtri MS. Scripturam, an tanti. Is enim habet, Καυθείρυσοι ὄρμοι. ego non intelligo: & quis omnes has nugas? Pro τελοπὶς, ſi τελωπὶς mavis, neſcio an adſentiri debeam, quum Heſychium in τελόπι lego. Cap. 14. MS. etiam diſerte ἰσπωτίλω. λίγνα (ea periodus in MS. deerat) ex Heſychio quoque jam repoſueram. Quod ad Φιλίνλω lib. VII. 17. attinet, merito id mendoſum tibi videtur. legendum enim certo Φλοίνλω ut MS. noſter habet. Locus hiſtorici noſtri eſt, Thalia de Indis: ὅτι μὲν δὴ τ' Ἰνδῶν Φορέουσι ἐσθῆτα τὴ Φλοίνλω, ἣν ἐπιὰν ἐκ ξύλου τινὸς Φλοὸν ἀμήσωσι &c. Et quod mireris, ea lectio remanſit Polluci lib. X. incorrupta, ubi ita orditur caput XLVI. Φλοΐνλω ἧ ἐσθῆτα Ἡροδότου εἰπόντος. Sed eodem lib. X. ut jam quaedam abs te quaeram cap. 36. extremo, ubi Ἡρόδοτος ἧ καὶ κίτερι. in toto Herodoto non adverti hanc voculam: ſed in excerptis Cteſiae Perſicis apud Photium eam quidem legi. Si tu in Herodoto noſti, indica. Sed juva me in ipſo fine libri quaeſo,

ubi MS. noſter deficit. Illa, quibus clauditur ὀνομαστικὸς decimus, ex Eupolidis πόλεσιν enim adniſus ſum in verſiculos, ut certe eſſe credo, reponere, ſed haereo in quibuſdam, nec ea conſtituere poſſum. Quodque eodem ultimo capite eſt, τὸ ὦ πόπαπα, παραπιπτεια καλεῖται, non credo mendorum exſors. MS. ut dixi, noſter iſto capite fere caret toto. A calce ad caput regredior. lib. 1. cap. 5. καὶ τὸ χειρώνακτες Ἡροδότῳ εἰς τ' μέλλοντα καιρόν. Quaeſo quid hîc ſalis? curque hanc voculam improbans ait eam concedendam Herodoto in futurum tempus? MS. noſter aliter longe, Ἐχαπαῖ⊙ λεγέτω, καὶ Ἡρόδοτος τὸ χειρώνακτες. Tum novum caput, titulo περὶ καιρῶν, incipit ita: Εἰς τ' μέλλοντα καιρὸν, Δῶρεια &c. ubi iſta verba facilius tolero: nec adquieſco. Cur enim iſta Δῶρεια &c. quae ſequuntur, ſaltem ad futurum tempus ſpectent, cauſam non video. Plura jam non addo: quam de *Broughtono* nil tibi mirum accidiſſe putes, cum homine tam miro. Is profecto potius videtur quaerere, qui opinioni ejus adſentiantur, quam quos prius doceat. Multum hîc fatigavit Mercatores ob eam rem, & inter eos conſulem *P. Schambartum*: ad quem inter alias litteras etiam ſcripſit, quibus me, ut audio, immiſcuit. Scilicet me ipſi etiam demonſtraſſe locum ex Aemil. Porti Lexico Pindarico, qui egregie ſuam ſententiam περὶ ἀδῆς firmet: & Heidelbergenſes tamen ſapere nolle. Ego de loco quaeſitus mirari valde coepi, quum nullum unquam talem ipſi oſtendiſſem, quantum memini: qui ne quidem ejus mentem percipere adhuc potui: nec valde urſi hominem quoque, ſed ſivi ſemper ſuo ſibi modo funditare verba. Veritus ne mihi accideret quod aliis infinitis, ſi ad ejus ingeminatum crebro, *intelligis*? non fateris, ut aſinus audias, & atheos, & neſcio quid illi amplius ſolet dictare aſſidua bilis. Vale & Salve, mi amiciſſime Salmaſi. Idem facere jubeo *Gruterum* noſtrum, a quo reſponſionem ad meas exſpecto adhuc avide: Scripſi raptim proprid. Kal. Aug. 1608. Hanoviae.

EPISTOLA CCLXI.

GOTHOFREDUS JUNGERMANNUS

Claudio Salmaſio ſuo S. P. D.

Heidelbergam.

JAm nunciatur mihi tabellionem veſtrum, qui hodie cum prima luce petaſatus prae foribus adſtabat, in civitate adhuc morari: rebus itaque relictis caeteris, propter opuſcula tua ad te ſcribendum putavi illico: quamvis fortaſſe res non ita celeriter ſuſcipietur ipſa. Immo ſi non impreſſorem adhuc unum nanciſcamur, de quo nobis ſpes injecta, nulla ratione fieri poſſe video, qua ad nundinas veſtro deſiderio ſatisfiat. Volo autem certus eſſe de tuo conſilio ſuper quibuſdam ad editionem ſpectantibus: ut omnia καθ' ὑναμιν ex animi tui ſententia prodeant: tu liquido tui animi mentem nobis explicabis.

1. Titulus ſaltem continet Nili libellum contra primatum Papae, & Barlaami alterum, nec additum eſt, Latinam verſionem adjectam, quod vel propter

pter typographum tamen addendum eſt. Praeterea inter ipſa opuſculi adjicitur libellus de igne purgatorio, Niline an alterius? Tum Ἀφέλειξις quaedam Graeci & Caldenarii, ſive is Cardinalis eſt. Haec Latine & Graece. In fine excerpta ex actis Synodi VIII. & Quaeſtio de purgatorio. quae Graece non invenio in tranſmiſſis. Haec iſta ſi titulo propter concinnitatem non addenda, tamen in alteram faciem primae paginae vel poſt praefationem tuam poſſent addi.

2. Velim, ſi non vidiſſes, poſceres a Dn. *Lingelshemio* vel *Grutero*, Nyſeni epiſtolam vel illam, quam *Molineus* edidit, vel illam, quam *Caſaubonus*: quamque nos ante annum recudimus. Eo modo alternatim Graecis & Latinis paginis poſitis & haec edere volumus: & omnia pulcre quadrabunt.

3. De lectionibus aliis, quas *Servinus* adjecit ad oram, cognoſco jam e notis tuis, eas nos non debere recipere in textum: qui alias ita emendatus fuit, ut operae potuerint aberrare. Videntur tamen & aliae quaedam adhuc ad oram occurrere, a te in notis praeteritae, (non dico errata manifeſta typographica) quas plane itaque abjiciamus: Idem cognovi de duobus illis locis prolixis, quos ſupplent Servinianus & Palatinus: qui ſi in contextu recepti fuiſſent, debuiſſent tum & Latinae interpretationi addi, ut pagellae ſibi reſponderent. Quod jam non opus: quoniam in notis tuis eos recitas.

4. Indiculum, quod tamen non promitto, adderem in fine, ſi forte inter corrigendum aliquid occurrat, qua in rebus, qua in verbis: ſi tibi non diſpliceat.

Barlaami Libellum propter novitatem ſtatim arripui, & quoniam aliter non licebat, priora duo capita in prandio perlegi. Non contra te mutire audio, mi amiciſſime: tamen veniam mihi da, ſi in duabus emendatiunculis a te diſſentiam. Initio capitis: ἐγὼ δὲ ὅτι μὲν ὁ μακαρίτης Πέτρος καθολικὸς ποιμὴν τε καὶ διδάσκαλος ἀπάσης τῆς θεοῦ ἐκκλησίας κατέστη, πάνυ γε ἀληθὲς φημί. ὅ μὲν αὐτόσε μόνος. ἀλλ' ἰσοτίμως αὐτῷ καὶ τοῖς δώδεκα ἕκαστος. Tu, amiciſſime mi, ais legendum ἰσότιμος. Ego prius putabam verius & capiebam, ἰσοτίμως αὐτῷ καὶ τοῖς δώδεκα ἕκαστος, ſcilicet, κατέστη ποιμὴν καθολικὸς καὶ διδάσκαλος ἀπάσης τῆς θεοῦ ἐκκλησίας, ὅ μόνος Petrus. Alterum erat. διὸ ὑδεὶς αὐτῶν τῆς δι ἢ τῆς δι τῆς πόλεως ἢ χώρας ἐπίσκοπος κατωνόμασται, ἀλλὰ παντα χοῦ τὸν αὐτὴν ἐξουσίαν ἐπόγχανεν ἔχων. Tu ais mi Dn. legendum, τῆς δεῖνα ἢ τῆς δεῖνας. Mihi ſaltem videbatur mutato accentu certo ſcribendum τῆσδε ἢ τῆσδε, *hujus vel alius* certae civitatis aut provinciae, idque videbatur mihi ſic eleganter & Attice dici. ſed tu ignoſce quod ego, qui vix ἀκριβῶς attigi Helleniſmos, haec ad te audeo: & metuo ne imperitam αὐθάδειαν non boni conſulas. Nolim tamen de humanitate tam perſpecta dubitare. Vale, mi amiciſſime & ſalve quoque, quod & *Gruterum* noſtrum facere jubeo. raptim a D. XVII. Kal. Sept. CIↃ IↃCVIII.

EPI-

EPISTOLA CCLXII.

GOTHOFREDUS JUNGERMANNUS

Claudio Salmaſio ſuo S. P. D.

Heidelbergam.

EN tibi, amiciſſime Salmaſi, de veſtris opuſculis primitias tuarum praefationum, quas hoſpes meus praeterita dominica elaboravit. Speramus autem tibi placituras. Valde vero voluiſſem additam fuiſſe *Vulcanii* praefationem vel titulum: potuiſſem inde quid ſequi certius, quod ad caeteros libellos Nilo adjectos attinet, de quibus nil tibi monitum video. Praeponemus autem Nilo & adjectis iſtis peculiari pagella poſt praefationes tuas titulum, qui indicet Nili duos libellos, & e *Vulcanii* interpretatione eos eſſe: tum adjunctam Ἀλάλειξιν vel Ἀλαλείξεως ἀρχήν Graeci cujuſdam & Latini: tu excerpta loca ſimilia e Nilo: tum libellum de igne purgatorio: omnia (ni fallor) ex ejuſdem *Vulcanii* interpretatione: ſic enim adponam, modo ne falſo. nam editionem eam in primis pagellis non vidi. Exinde ſequitur Barlaam quoque novo titulo, qui indicabit *Luydum* interpretem eſſe. Tum notae tuae in utrumque: ampliſſimi vero Domini *Lingelshemius* & *Bongarſius* volunt, ut inſeramus contextui, quae a *Servino*: & monuit me Dn. *Lingelshemius*, in notis tuis interpretationem eorum fragmentorum inventurum. Sed nihil tale ibi: nec inſeram itaque: ſed qui velit cognoſcere, is ſane tuas notas non gravate adire poterit. In praefatione tua ad lectorem ibi: *Et cum nos quoque in codice Palatinae bibliothecae, ejuſdem Nicolai Methonenſis diſputationes aliquot adverſus Latinos, item diſſertationem Baſilii Theſſalonicenſis Metropolitani, hoc eodem uſi argumento &c.* mihi omnino verbum deeſſe viſum fuit; & auſus ſum addere; *Metropolitani invenerimus, &c.* Et in prima praef. *Nam ut caeteras tuas virtutes nonnunquam, quae maximae ſunt.* juſſi opas edere *non tantum, quae.* Sed o me miſerum criticum: fere tua certa corruptela affeciſſem. In ultimo enim ſpecimine, quod jam exhibetur, cogito legendum *tangam*: & tu jam editum habes. Si non recte, condonabis tamen noſtrae ſolicitudini, & indicabis, quid tu volueris, id referam inter Errata ad calcem libelli. Ut & hoc quod ibi *Stilus hujus, quem edimus plenus, aequabilis, illius alteri, multiplex* &c. fecerim *alterius*, quum te mihi non perſuadebam voluiſſe ἀρχαίζειν. Sed currente calamo emanſiſſe συλλάβιον. Ut & in notis tuis: *Haec quidem hactenus. Quae data fuiſſe omiſſa, vel caeco appareat* - non dubito addere: *Quae data opera fuiſſe* &c. Haec tamen omnia tibi indicanda duxi, ut ſi quid temere, in Erratis adhuc ſit corrigendi locus. Nam in tuis ne apicis mutandi libertatem mihi ſumo abſque metu. De Barlaamo ſperabam quid a *Gernando* vos impetraturos: ſed ſpem abjeci poſt Domini *Lingelshemii* literas. Alias is, qui apud *Gernandum* degit, mihi certo affirmavit, *Luydum* quaedam *Sylburgio* miſiſſe ad Barlaami vitam pertinentia, quae praefigerentur, ſi quando hic libellus ederetur. Si ſalvi & incolumes fuerimus, in ipſis nundinis adhuc iſtos libellos extrudemus. Speci-

Digitized by Google

cimen ſi cum ampliſſimo *Lingelsbemio* communicaveris, quem officioſe ſaluto, ut & *Gruterum* noſtrum, ſcio te rem gratam facturum. Meas notas in Pollucem, bonam partem tuas, hac hieme ſe editurum Marnius promiſit: niſi mole audita deterritum iri ſperare debeam. Et quando tuus *Stephanus* emittetur? O te durum! vel ſola ejus mentione in notis tuis torquere nos iterum voluiſti. Sed ne haec epiſtola ſine ζητηματίῳ finiat, quaeſo doce me emendare, vel intelligere iſta in ſcholiaſte Ariſtoph. ad Ἀχαρνεῖς, paullo a fine longius: ἀγορεάζειν, ἐν ἀγορᾷ διατρίβειν, Ἀττικῶς, ὅθεν καὶ Κορίννα ἐν τῷ Πινδάρῳ Ἀττικιεῖ. ἐπεὶ καὶ ἐν τῷ πρώτῳ τῶν παρθενίων ἐχρήσατο τῇ λέξει. Pindarum παρθενια ſcripſiſſe e Suida mihi notum. Sed Corinna quid hic agat, id non novi. Et quid τὸ Λύδιον πάθημα apud Pollucem lib. 1. cap. 10. mea memoria mihi non indicare vult, quum tamen tale quid videor certe olim in hiſtoria legiſſe. Vale, mi amiciſſime, & impudentis amici mores noris, nec oderis, & ſalve quoque. raptim e typographio Wecheliano. a. d. 10. Kal Sept. CIↃIↃCVIII.

EPISTOLA CCLXIII.

GOTHOFREDUS JUNGERMANNUS

Claudio Salmaſio ſuo S. P. D.

Heidelbergam.

LAnguidum te fuiſſe, quum proximas ſcriberes, illae quidem mihi indices: quamvis ex illarum filo eleganti, & ſibi ſimili, ut alias, id nunquam conjeciſſem. Sed reſpicies tamen te, immo nos, & cui te debes, publicum inquam bonum, & vel ejus cauſſa ita ſtudia tractes; ut diu tractare queas. Scimus enim quam in illa re ſis tibi inclemens, & quam valetudinem contemnas, ô ferree. Quaeſo vero in ea re reſipiſce, nec te prode nobis. Mihi ſane ὑδιπότης, quamvis id Stagirites neget recte dictum, ἐχουσι tuae redditae ſunt, immo per totam Hebdomadam hanc porro non tam valui, quam male habui. Credo aëris τὸ παραχῶδες in cauſa eſſe, & quum eo ſereniore me rurſus firmiorem fore. Libellos veſtros tandem in ipſis nundinis extrudemus: ubi valde conflictor cum operis imperitiſſimis, quod ad Graecas literas componendas attinet: adeo ut non raro & inter nos ſit διάστασις, ubi ego tamen, non ſecus ac papa, primatum obtineo. Sed τὰ πάπαι ἐκ παίδων ὀρθοπόδησαι oſtendit Nilus, & nos quaedam vitia proculdubio oculis male lippis pervidebimus. Cumulant enim plane σφαλμάτων σωρακόν. Raptim videbo ad relegendum ut temporis aliquid ſuffurari queam, & ſi quid adhuc erratorum videro, nec aberunt credo, ſub exordio libelli ponam, cum tribus vel quatuor meis conjecturis leviculis, quae interim dum corrigo in mentem venere, πάντα ὑπὸ μιᾶς μύκωνος. Tua quod adeo extenues, apud me opus non erat, minime nempe credulo, & qui ſe ipſum non nihil plane judicare poſſe putat, nec in tuis niſi eximia multa advertit. De Floro oppido quoque gaudeo. Sed cum vere & aeſtate debebas: tu mirus in ipſa hieme θαυμασίως nobis profers flores. Alias in tuis me ita geſſiſſe videbis, ut

nullam cauſam expoſtulandi habeas. Sex vel ſeptem variantes lectiones a *Servino* additas, quae non fuiſſe videbantur, tuis inſerui, ſed verbis ſpero tuis. illius loci corruptelam utinam in tempore advertiſſemus, quo ei mederi licuiſſet. Ecce enim in libello περὶ τῆς καθαρσείας πυρὸς ab operis Lugdunenſibus in Graeco male tota linea omiſſa eſt: nempe ubi narrat quomodo J. Chryſoſtomo adparuerit B. Paulus: τῶν ἐν πόλει τινὰ δυσχέρειαν πεπαιμένων, καὶ ὀργῆς πεπλεσμένου βασιλικῆς, τῶν δὲ Πρόκλον ὑπεκπέμψαντα τὴν ἐν δωματίῳ θύραν τῆς διδασκάλου &c. Ecce hic omiſſus integer verſus, ad ſenſum neceſſarius, ſine dubio ab operis, quae ſat negligentes alias fuere. nec ἔλλειμμα notatum eſt. Interpres ſane integre vertit: *Quidam e primoribus urbis rebus ſuis male affectis, quique regiam indignationem incurrerat, noctu ad magnum hunc Johannem venit, precaturus ut ſibi regem placaret. Proclus autem, quum recluſo domunculae oſtio.* &c. Francofurtum mihi vix ire licebit: mallet enim *Marnius* operas pergere per totas nundinas. Erit tamen eo excurrendum vel per dieculam negotiorum privatorum cauſſa. Clariſſimum *Gruterum* officioſe ſaluto, qui ſine dubio aderit & forte aliquando ad nos huc excurret. Vale atque ſalve, mi Salmaſi, & tuum Jungermannum, ut facis, ama. Deum omnipotentem oro, ut te diu nobis ſervet. raptim a. d. 6. Id. Sept. MDCVIII. Hanoviae.

EPISTOLA CCLXIV.

GOTHOFREDUS JUNGERMANNUS

Claudio Salmaſio S.

Heidelbergam.

QUo longius in Polluce progredior, eo me certius puto deprehendere cauſam, quod hactenus nemo exortus fuerit, qui ſerio illi operam navare auſus ſit, eque ſua recenſione in publicum emittere voluerit, operis nimirum varietatem, quam multis modis difficilem reddit vocabulorum multorum varietas & ignorantia, plurimorum vero corruptio & depravatio. Quae omnia experior deſiderare ingenium Salmaſianum, id eſt felix, & expromptae memoriae: idque quum meo, in quo nihil praeter vulgare, tam prompte, tua comitate adminiculetur, non poſſum non gaudere ſatis: qui tantum amicum inveni, cujus opera mihi benigna ubique licet in obſcuriſſimis locis, & ubi antea alta & mera nox. Utar porro, mi amiciſſime Dn. ita enim te velle, quod tuum τὸ ἐπιείκειαν φιλάνθρωπον, incoram mihi adfirmabas. Et quid quaeſo vocabuli eſt illud πεῖσφις in fine lib. 2. ubi πεζοὶκοι τῷ δίφρῳ recenſentur: ἐπωδιεῖς, πεῖδιφις, πεῖσφις, πεῖδιφιον, &c. reliqua ſane in MS. Pal. habentur ibi; ſed illud, de quo quaero, non adparet. Quid quaeſo vocabuli lib. 3. cap. 20. περὶ τεκμῶν ſtatim initio, γωμαῖαι, quod etiam in MS. deeſt? ineptiebam forte, γεμαῖαι, a γέμω, γέγεμα, quaſi tumentes: ſed te audiam. Et libet paullo altius repetere librum III. Pollucis: Ibi c. 2. τμ. περὶ πίνων fine, locus videtur tua conſideratione dignus: ἢ (μηκέτι πίπτεσθαι)

χ

καὶ ἀνειληθειαν φίλον τοῖς ποιηταῖς καλεῖν. MS. η. κ. ἀνειλείθυιαν οἱ ποιηταὶ καλοῦσι. *H. Stephano* videtur verisimilius ἀν' εἰλείθυιαν, ut apud Hesychium: alias enim fore σωωθίπιον, ἀνειλείθυι. An itaque Pollucem errasse dicamus? non puto. Sic enim & Suidas una voce, & Etymologus in εἰλειθυιαι. Turbat me insuper & Hesych. apud quem ita: Ἀν' εἰλείθυιαν, ἀνὰ τύχον. Εὐριπίδης Ἴωνι. Ego nil tale in hodierna Jone invenio. Nam illi versiculi in media fere, ubi chorus, σὺ τὴν ὠδῖνων λοχίαν Εἰλείθυιάν τι ἡμῖν Ἀθάνας ἱκετεύω &c. nihil ad rem credo. lib. III. tm. 2. initio: καὶ σωμυήσεσθαι (MS. σωμυήσεσθαι) μὲν &c. Σιμελιῶται δ' αὐτὰς καλοῦσι σωμηθυτρίας. MS. Pal. σωμυθικτρίας. *H. Stephanus* mavult σωμηθητρίας. Quid tibi videtur? lib. IV. plusculum a fine: καὶ ξενίζειν, ὃ οἱ μὲν παλαιοὶ τὸ ἐπιὼν λέγουσι. MS. longe aliter. πολλοὶ enim pro παλαιοὶ habet. lib. VIII. tm. 1. ἀλλὰ ἡ δμλεία, κατὰ Θουκυδίδην. τὸ ἔργον αὐτῶν, δμλεία, δοῦλον, &c. Suspicor de mendo. quorsum enim repetitur δμλεία, an tum pro opere & actu servorum, ἔργῳ ut Pollux ait, capiendum? prius sane περὶ πλήθους δούλων dici, locus Thucydidis satis ostendit, qui est l. 5. ξυγγρ. in ξυμμαχίᾳ Athen. & Laced. ἢν δὲ ἡ δμλεία ἐπαισίηται, ἐπικρατεῖν Ἀθηναίους Λακεδ. ubi & ejus Schol. Cap. XIII. ubi τὸ χαὶ σκελύθρον, ὑποπόχθηρον. MS. σκλύθριον τὸ χαὶ σκελυθρ. ὑπ. quibus quid faciam, nescio. Cap. XIV. ὧδε δὲ Κεφαίνῳ, βάδισμα MS. nova voce Κεφαίν῾ δὲ βαδισματίας, quod an de equo gradiente, vel gradario accipiendum? qui solutim badissat, ut Plautus jocatur. Eodem cap. XIV. ubi: καὶ οἱ τοῖς ἀναβαίνουσι βοηθοῦντες, ἀναφέρουσιν αὐτοὺς ὀρθοῦν τῶν χειρῶν. MS. longe aliter: ἀναβαίνουσιν αὐτοὺς ὀρθοῦν τῶν χειρῶν, ἢ σημαῖν τῶν χειρῶν. Illud ἀναβαίνουσιν videtur mihi errore librarii oculos in praecedentem voculam intendentis contigisse, ut & τὸ repetitum τῶν χειρῶν. Ex σημαῖν ni fallor facile fiat σημαῖν. Et *Stratores* puto exprimi. Audiam tamen tuam sententiam: in quam quaeso & hoc conjice, cur vocabulo ἀναβολέων Pollux abstineat? an nullum apud Graecos vocabulum, sicut *Molineus* vester nuper adfirmavit, quod exprimeret eum, qui herum equo deponat. Addam unam vel alteram corruptelam insigniorem, tuo feliciss. ingenio profligandam:

Lib. X. c. penult. καὶ πολλὰ σκεύη τρυπήματα ἐσπαλήπται, μίλιγδ῾ καλεῖται. ὅθεν καὶ Σοφοκλῆς ἐν αἰχμαλώτοισιν, Λατὶς μίλιγδ῾, ὡς πόνωμά τι. Ἐπιπόρπαμα δὲ, κιθαρῳδῶν σκευῶν, ὡς Πλάτων, Δότω τὴν ἔνδοθεν καὶ Ἐπιπόρπαμα. Sic vulgo. jam notabo MS. lectionem. ἐσπαλείπται, μήλιγδ῾. αἰχμαλώτοισι, Λάσπις μὲν ἡμίλιγδ῾, ὡς πινὸν πατεῖ. σκεύη, ὡς Πλάτων ἐν τοῖς ἀφ' Ἱερῶν, Δότω τὴν κιθάραν τὴν ἔνδοθεν καὶ τοὐπιπόρπαμα. Sed emendatum videtur, τὐπιπόρπαμα. Ejusdem capitis finem tibi totum ex MS. praesento, ipse, si vacat conferre cum vulgato potes: Θαυμάζω τὸν τὴν δαπθάκινην (sic sunt priora deleta alterius manu in MS.) πάπῃ ὀσεκάκινην ἢ βίβλον ἔχων τὴν δήποτε Ἡροδότ῾ δ. κ. τ. καὶ ὁ Ἀναξίλας βότρυς (in margine βοτρυδίων) sic est refutum, διωνίου κάνγα μήπω τι χάνηται κεράμιον. En monstra, quae te Herculem lacessunt. Mihi nihil hic virium. Quam praeclara vero nos docuisti de ternis remigum βόλοις, & δὲ ἑταιρείδιος Corinthiacis deque loco Callimachi: pro quibus gratias tibi meo loco aget aliquando posteritas. In tantum, si vacat, & caetera ad nos

mittere ne dedigneris, quae Pollucem percurrens, adnotaſti. Non ſic laetetur pertrepidum cor, ſi quis vel τ̀ γυναῖδα χρυσὸν κ̀ ἀργυρον nobis dona ferat. Alias mihi in recenti memoria, quae dum Francofurti tam charo & amico ore incoram frui dabatur (ὦ Φίλε, ὅτ ἀπ' Αἰγίλω ἰσχάδα τερπνὴν Ἀθήναν ἐμοσσάμην) auribus his hauſi, de ἡμιάμβοις, pro μηνιάμβοις l. 4. reponendis (quo pacto credo & *Caſaubonus* ſuſpicatur) & de θερσίοις ξύλοις, quae prorſus ita ſcribenda erant praecedit enim ſtatim eodem loci de θερσοῖς δεξιῷ κ̀ ἀριστερῷ. οἷς τοιαῦτα ξύλα ὑποπεπηγέναι ait. *Marnius* noſter ad me miſit Herodotum ex ultima (anni 1592) editione *H. Stephani*: vultque illum hac hieme excudi. Ego ut aliquid adferrem, tempus Polluci adhuc tribuendum ſi ſineret, prorſus tamen nec pranſus nec paratus ad hanc rem eſſem. Bonum factum erit, ſi ad exemplar illius καλλίστ τ̀ τοπογεάφων Στράνα fideliter auctor ille edatur & correcte. Si tu tamen quid noſti, quo dare aliquid ſolemni typographorum deſiderio poſſemus auctius, vel additamenti vice, conſilio & ope nos juvabis: idque ut facias rogo. Non dubito hinc inde ejus auctoris locos a Scholiaſtis laudari: ſed cui ea collecta, non ſcio. Vale atque ſalve, mi amiciſſime Domine, & longas ac inſubidas litteras boni conſule. Scripſi Hanoviae A. D. VI. Kal. Octobr. CIↃ IↃ CVIII.

EPISTOLA CCLXV.

GOTHOFREDUS JUNGERMANNUS

Claudio Salmaſio ſuo S. P. D.

Heidelbergam.

IGnoſce, mi amiciſſime Salmaſi. muto inſtitutum tuis forte ingratiis. heri ſcribebam ad *Gruterum* noſtrum, & inter alia in ſequentem hebdomadam me tibi iterum moleſtum fore minabar. Jam σεσήμειμ@ venio audaciter nimis, qui ſi ſuſtinerem meas diutius, ſcilicet ὑπερημερίας fortaſſe γεάφεσθαι ἤμελλον. Sed ea libido peccandi fuit, quam ſi non intendere velis, noli ipſe tam promptus eſſe in reſpondendo. quid dico? ah ſis potius porro mihi tale unicum μαστῖον. & amiculi mores noveris, non oderis: quamvis nimis tamen impariter inter nos comparatum eſt. mihi in quaerendo labor parvus, tibi vero in reſpondendo nonnullus, quem tamen praeclarum ingenium, quod ſummus ille ἰσῶν δωτὴρ tibi largitus eſt, facile profligat. Sed ad tuas aliquid prius, χωματίας, ut verum fatear, mihi etiam in mentem fuit, ſed vix tam fuit atque excidit: quod ejus voculae conſiderationem non perſequerer, vel quid conjeciſſem intelligerem. nunc ex tuis ſcio ſenſum nominis, quod me ſcire ipſe prius neſciebam. Locum illum, ibi δυλεία inculcatur, bene expedis. Sed ſequitur tamen eodem tmemate ſtatim. καὶ ἔργον δυλικὸν καὶ δυλοπρέπεια. &c. hac ratione vero erit repetitum illud δυλικὸν. ſicut antea δυλεία. ſane perturbatus eſt locus. audi tamen, mi amiciſſime, quid mihi denuo jam incidit, quod non probo, niſi tu adprobas. locus ſic legendus: ἀλλὰ ἡ δύλεια κατὰ Θουκυδίδην. τὸ ἔργον αὐ-

αὐτῶν, δέλεον, δέλον, δελικώτερον. &c. de δέλεον vix dubito. δέλον non invenio ſic: niſi δέλα σώματα, quod bis ſtatim ponit Pollux tm. 2. hoc cap. VIII. quamvis in extremo l. 2. ſit δελοσώματα, forte mendoſe, quum ſtatim ſequatur σώματα εἰκῆα Platonis locum vero a te explicatum adgnoſco, uti tam eleganti ingenio dignum. de ἀναβολεῖς video verum eſſe & inquirendum etiam hic in hujuſmodi Φιλολογήμασιν illud Caſſianum, *cui bono*. Ariſtophanem vero diligenter lectum oportere ei, qui Pollucem feliciter aliquammultis locis reſtituere velit, ex tuis, uti περὶ κολλύβου, facile video. En ut & ego interdum, tamquam ut patriae meae idiotiſſimo utar, & gallina caecutiens quamvis interdum etiam reperiat granulum, non plane ſum infelix. Libro enim IV. Cap. 2. ubi Ἀριστοφάνης ἢ παίζει ἐν θεσμοφοριαζούσαις, λέγων ἡ γραμμάτους, voculam ultimam plane corruptam advertens, in manus ſtatim illam fabulam ſumo, & prius quam dimidiam parvo intellectu & raptim percurriſſem, perveni ad cubile illius dictionis, & menda remota, legendum adfirmavi, ἡ γραυματοῦς. hoc eſt quod joco foeminae hoc vocabuli tribuere ait comicum. Verſus eſt ille, ſi recte odoratus fui: τἀ δ' ἄλλα μετὰ τ' γραμματίως συγγράψομαι. Sed ad te, mi Salmaſi eximie, revertor, qui ſi me ex uno expediam, infinita contra ſunt, in quibus haeream: e quorum numero ſunt & iſta, quae tuam curam depoſcunt a me relicta. L. III. Cap. 15. fere extremo: Πλάτων ἢ τ' ἀγοραίστως εἰρηκεν, ὡς τ' ἀγοραίστως Τηλεκλείδης. repetitio hujus vocis prodit mendum. an ἀγοραίας altero utro loco legendum? vel ſi aliud mendum ſuboles, doce me. In eodem cap. pro ῥῦπος legendum ῥῶποι, unde ῥωπικόν. Dabo tibi alios ejuſmodi errorum modos: nec enim credo in junctis lineis Pollucem tam negligenter voces repetiiſſe. Eodem libr. cap. 28. ὄπτι ἢ ἐπαίνου, ἥρπος, ἀψυχία, ἀτολμία, ἀδεία. τὸ γὰρ ἀτολμία, πάνυ ἀπλῆς. atque antea ἀτολμος, & poſtea ἀτόλμως, non ſunt noſtri ἀπλῆ. an itaque primum τολμια delendum? Aliud dico. eodem cap. Φιλοσώματος, ἄψυχος, καταπλήξ. ὁ χὰρ ἀψυχος, σφόδρα κωμικόν. non me expedio, ni prius tollam. incidit tamen pro priori reponi poſſe forte ἄθυμος haec in MS. deſunt ſingula, quum tantum MS. habeat ibi parvam epitomen. Ejuſdem l. c. ult. tm. 3. fine: τὸ μέντοι προδεχομεῖν ἑαυτὰ ὑπολώκειν, ὅπερ ἐν τῇ σφοδρομαχίαις γίγνεται, πεφόβηται ἐλέγετο. ſic & MS. Legiſtine aliquid in Tacticis de hac πεφόβηται; ego nil invenio. Eodem cap. ult. tom. ult. στωμασκηκώς, ἀδικομαχεῖν, ἀσκητὴς &c. illud ἀδικομαχεῖν MS. etiam habet, ego non capio. Lib. IV. cap. 1. extremis verbis: καὶ ἰέναι, καὶ ἰᾶναι, καὶ ἰᾶσθαι. agit de verbis ἀσυπκῇ & ἰατεικῇ, prius emendo ἰέναι, ut infra c. 24. alterum ἰᾶναι, ab ἰάω eſt, nec huc pertinet, niſi ejiciam. Sequitur enim ἰᾶσθαι, infra quidem & penult. eſt, ἰᾶσθαι, ἰάσασθαι. Eodem l. c. 3. καὶ τὰ πρήγματα, δεινότης &c. ἀφθονία, ἐπιμέλεια, &c. ἀφωνία, ἀφθονία, βραχυλογία &c. hîc iterum talis error? quales ante adnotavi. Eodem cap. δι ὧν ἐσι πορὸς ἐξεύρεῖν. &c. ſi antecedentia & ſequentia conſidero, videtur mihi illud δ' ὧν mendoſum. ita ſane vox etiam praecedens in mendo cubat. quae omnino delenda ſunt & leg. πρήγματα δι ὧν ἐσὶ &c. Ibidem paullo poſt, λαβεῖν, διδιξασθαι, δδάξασθαι. Eſt phraſeolo-

gia cum πολεμίως. ad quos quomodo quaeso ultimum pertineat. Ibidem statim: συναγωνισαζ, συνιζεσθῆναι, συναγωνισαζ, συναγωνίται. Solemne vitium, credo, huic libro tertio & quarto, toties iuccurrit: nec illud συναγωνίται valde quoque placet. Caeterum vix credas quam gaviſus fuerim, quod ex *Gruteri* noſtri literis intellexerim, illum tibi auctorem fore, quo Herodotum ad MS. compares, & cum Excerptis in veſtra bibliotheca. Ego inſuper te ut id facias etiam atque etiam reip. literariae cauſa rogo. Edimus autem eum, ut dixi, diligentiſſime ad ultimum exemplum *Stephani*. Certe ſi tu aliquid addes, facile feremus tantopere promiſſas Stephanianas adnotationes, cujus verba meram nobis ſalivam movere, nec res certe ſequuta eſt. Pluribus te haudquaquam teneo, mi amiciſſime Domine, rogo tantum ut nobis ignoſcas. Vale atque ſalve, noſtrum, immo literarum decus. Scripſi raptim Hanoviae e typographio Wecheliano. a. d. 8. Id. Octob. CIↃIↃCVIII.

Dum haſce volo obſignare, e Franconia, quo denuo recurrerant, remittuntur huc ad me a Pollucis editore *W. Sebero* MSS. Palatini: quod quaeſo *Grutero* noſtro, quem officioſe ſaluto, indicare haud graveris, quo ille indicet, cui tuto commendem reportandas.

EPISTOLA CCLXVI.

GOTHOFREDUS JUNGERMANNUS

Claudio Salmaſio Amiciſſimo ſuo S. P. D.

Heidelbergam.

QUicquid dicas, mi amiciſſime, ego quando litteras tuas accipio, ἀμάξας πολλῶν ἀγαθῶν μεσάς me accipere mihi videor. Aliter mihi non perſuaſeris, ne ſumas operam modo. Nec tamen ita eadem fere hebdomoda, qua tuas accepiſſem, remiſiſſem meas, uſque & uſque adeo nugis meis obtundens: niſi omnino ad *Grutervm* noſtrum ſcribendum fuiſſet: quibus ad te adjungere placuit. Tu ignoſce, & quando tibi commodiſſime vacat, reſcribe. Gaudeo te adprobare meam περὶ κλονᾶ emendationem: novi enim quam raro ſcopum tangam, immo ejus inſcitiae ſum, ut me tetigiſſe neſciam, ni peritus jaculator accedat, qui id confirmet. Philoſtrati locus eſt reconditus. Ego illo auctore careo. quem vero innuis, *Morellum* eſſe credo: & tecum ſentio, ſi Libanianam editionem conſidero & Statianas Notas. Infinitam lectionem ſane ei nunquam derogabo. De Etymologo facile tibi accedo, qui antea quoque fui ejus ſententiae: licet ille cum Negallo ſuo ſibi omnino credi volebat. De *Sylburgii* in Etymologum opera miror. Sed credo illi accidiſſe, quod & mihi ſolet (parvis componere magna licebit) ex libidine typographorum librorum editiones nundinis circumferibuntur, & noſtra opera una ſimul, quaſi tota menſura, ultra quam nihil diligentiae accedere debeat: licet ἡμιτέλεσα, immo vix adhuc talia, hoc pacto extrudantur ſaepius. Ita feſtinandum, praecipitandum eſt. ἡ ἢ κώδωνος ἀκάλαντις, ſed ad noſtra. Pollux x. cap. 8. σάναξ alibi

bi non legi: adnotavi tantum MS. varietatem modo σάμαξ, modo σάναξ. σάμαξ mihi alias placet magis. Hesychius me valde firmat, cujus verba tibi nota non adscribo. Ait etiam quosdam a σάτιεσθ deducere: in qua certe sententia & ego fui, antequam legerem. Ab eo verbo certe & κάλαμος ὁ σάκτης vel σάκτας, cujus ῥίψ nominatur a polluce σάμαξ. ἐν σάμαξι itaque dormiebant milites, in expeditione credo, quasi ἐν καλάμῳ στιβαμένῳ ὡς ἐν στιβαδίοις, uti & Hesychius innuit, qui & aliam ὕλαν quoque narrat. Sic mihi videtur; quod rectum putabo, si tu accesseris. De *Chalcedonia Demonesa* lib. v. cap. 5. tibi facile assentior: sed Καρχηδονίων expresse habet Aristoteles, uti ipse vidi, περὶ θαυμασ. ἀκουσ. De *Teumestria* vulpe ibidem locum quoque inveni in nuper recepto libello Metamorph. Ant. Liberalis. Et patet mihi ista omnia Pollucem deprompsisse ex Nicandri ἑτεροιωμένοις. De *Psyllicis* & *Menelaidibus*, intricata res. Versus vero illos quod emendasti, gratiam habeo, Jam enim ideo ad te issem. Non intelligebam sane λάκκοτεάτον τύμβον. *H. Stephanus* nihil ausus erat, nisi prima ita emendare, ἢ σεῦ ἢ &c: In ἄνισας magis haesi, ubi *H. Stephanus* πολυῤῥίζον emendabat, praeterea nihil. Illud ὠκύταλον quidem & mihi incidit. Sed liceat jam quaedam majoris pretii addere, & ubi aetatem haeream, nisi tu juves. lib. IV. cap. 7. tm. 2. Πλάτων ἢ ὁ κωμικὸς, ἢ συβωλικὸν. ὅτι δ' ἂν ἡ συβώτεια μ. η. δ' ἀγαθὴ χθιζιτό μοι. ἔχει ἢ μόνον δακτύλας αὐλητικὰς. MS. hîc λείπει. Tu redigas & illustrabis mihi, mihi mera caligo in talibus. Nosti de ἰαμβύκη initio cap. 9. Est locus Isidori 3. Etymolog. 1. *Psalteria, lyrae, barbita, Phaenices, & pectides, & quae dicuntur indicae, & feriuntur a duobus simul*, putabam forte & hic legendum: *& quae dicuntur jambycae* &c. Delrio enim nimis abire puto, qui *scindapsi* emendat. Eodem lib. c. 10. tm. 1. quaero qui sint σύριττες ἑωσφόροι, uti & MS. habet. tom. 2. vulgo Θεσσαλικὸν ἢ, τὸ Ἀργολικὸν, ὃ ταῖς ἀνθεσμοφόροις ἐν ἥρᾳ, ἐπηύλουν. MS. ἱερόκιον ἢ τ. α. ο. τ. ἀνθεσφόροις ἐν ἱεραῖς ἐπ. Bene ἱερόκιον. De Hierace enim paullo post noster. Et ἀνθεσφόροις etiam puto rectius. Αἱ ἀνθεσφόροι credo ἀπὸ τῶν ἀνθεσφορείων, quae Proserpinae festa novi e nostro. supra l. 1. c. 1. de ἱεραῖς nescio quid dicam. vulgatum ἱερᾷ capio. scilicet ὥρᾳ ἱερᾷ. De Serrite Pollucem adiri jubent hic Casaubonus & Bulengerus ego ne gry invenio, sed apud Athenaeum. Ibidem statim postquam de Antheisphoriis: οἱ ἢ Ἐυΐα, κύκλιοι. MS. monstrose: οἱ ἢ συΐκ κύκνοι. Eodem l. c. 11. ἢ Μένανδρος δέ τινας καλεῖ ἀερισοσαλπιγκτάς, λησὰς σαλπιγκτὰς, quinam illi λησαὶ σαλπιγκταὶ. Mihi erat in mente ineptum quid, λώστας, sed me hercule adscripsisse paenitet pudetque. Sed profecto jam tibi locum proponam, quam si restitueris, eris mihi magnus Apollo: ἢ τὸ μὲν ἐπισάδλω τ σαλπιγκτλὼ ἀφοφέρειν, εἰς πεντήκοντα σάδια τῇ σαλπίγξι διικνέμενον, ὥσπερ ἡμόλοκρον ἐπὶ ἢ Φιλοπάτορος αὐλήσαντα δύο σάλπιξιν ἰσαῖος ἕωλον. Quid enim ἐπισάδλω. An forte aliquis Epistades tubicen dictus? quis dein ille Hemolocrus? & quid illa sine sensu ἰσαῖος ἕωλον. MS. hîc deficit. C. 12. εἰς ἢ Φιλοδημίαν τ ἐπ' αὐτῷ εἰσελθόντων, οἵτε καλύμενοι πόδες ἐνυθέτηθησαν, ἔλεγχον ἔχοντες εἰς μῆκος πνεύματος, ἢ πολλῶν τ αὖθ τὸν νεὼς ᾠκοδομημένων ἔνδοξιν, σαφήνειας τινὸς δεομένῳ. Locus hic vel non sanus, vel non clarus, mihi quidem: nil poteram praeter ἐνομοθέ-

τη-

τηθηζαν faciens ex ινυβέτηθηζαν. Mendoſum eſſe pronuntiavit & *H. Mercurialis*, emendare tamen non auſus eſt. De verſiculis mox, quae Archiam Hyblaeum ſpectant, nolo tibi narrare mea commenta. Emendabam tamen quos mendoſos putabam. ὃς τελὶς ἐκαρυξε τὸν ὀλυμπίαδ' αὐτὸς ἀγῶνα ἔθ' ἱππόκλπ. quaenam illa ἀναδείσματα mihi obſcurum: niſi quod in Heſychio legam exponi, ἡνίας περὶ τραχήλοις. Unde putabam innui eum non in curuli certamine victorem, qui lora non tenuerit. Sed nae tacuiſſe ſatius erat, quam de quibus mihi non liquet, narrare tamen tibi mea ſomnia. Plura jam non addo, quam ut valeas, atque ſalveas ex animi tui ſententia, id tuum Jungermanum ex animo precari, qui ſcribebat haec A. D. IV. Kal. Dec. e Wecheliano typographio. CIↃIↃCVIII.

EPISTOLA CCLXVII.

CLAUDIUS SALMASIUS

Gothofredo Jungermanno S.

Hannoviam.

LEgi nuper tuas, mi Jungermanne, quas mihi communicavit *Gruterus* noſter. Illae mentionem mei ferebant, ex quibus me nondum tua memoria excidiſſe cognovi. Sed pene memoria viventum excidi, ita me morborum peſſimus per has quatuor ſeptimanas peſſime habuit. Quam pene furvae regna Proſerpinae &c. Nunc neque melius habeo, neque melius ſpero. Deus tamen aderit, & ſalvum me praeſtabit. Hodie venae ſectionem, nunquam antea expertus, omnibus rebus quaſi deſperatis, paſſus ſum. Tuum caſum non diu ſanus cognovi, & dolui: ut ſcias quantum de viribus cum animi tum corporis diminutum ſit, has inſpice: multa quidem mira & magna minatus in hanc hyemem eram; ſed Deus ille me plane μεγὰ φρονῆντα ἐταπείνωσεν. Nunc itaque agnoſco quam multa homines ſibi fingant, quae numquam futura ſint. Vale, mi Jungermanni, tuumque Salmaſium, ut antea ſolebas, nunc etiam ama. Kal. Decembr. CIↃIↃCVIII.

EPISTOLA CCLXVIII.

GOTHOFREDUS JUNGERMANNUS

Claudio Salmaſio ſuo, utinam jam ſano & ſalvo, S. P. D.

Heidelbergam.

AMice care atque honorande. Doleo ob morbum tuum, qui profecto me non mediocri triſtitia affecit, quum primum de eo cognoſcerem e tuis, & mei *Lingelsheimii* literis. Deus te quamprimum priſtinae ſanitati reſtituat, & bonis literis atque amicis caris diu diuque conſervet. Eam ob rem vota facio, quorum ut fiam quamprimum damnas, avide ex tuis literis cognoſcere cupio. Inſomnia vero pari uſi ſumus, mi amiciſſime, uterque. Mirabilis Deus

Deus in operibus ſuis, cujus nomen ſit benedictum in ſaeculum ſaeculi. Ego te tamen vici iſto pervigilio injucundo. Ultra quatuordecim dies ſomnum oculis non vidi in mea febri, dumque ſupinus (quaſi trabali enim clavo lecto dorſum meum ob pedis cruciatum immobile figebatur) ita eodem loco jacerem, nec in alteram ſaltem, nedum utramque aurem poſſem quieſcere. Si oculos clauderem paulliſper inſolens terror, unde ſtatim pedem meum σπᾶσθαι contingebat, quod & tuſſis vigilanti quoque malum oggerebat aſſidue. Vel legi itaque vel legentem audire fui ſolitus. Et miſericors Deus ita affecto ne ullum tamen delirium vel capitis dolorem ſivit accidere. Sed ego tibi ſum moleſtus, amice doctiſſime, dum ita de me longum ſermonem inſero: pes tamen meus ad officium ſuum non redit, & deſperant medici noſtri, ut video, niſi in tempore me conferam ad thermas. Neglectim nimis chirurgus in ea re fuit. Deus clementia ſua me reſpiciat. Animus alias erat, dum ita ἐδεδῶ καθημαι per totum diem, ſuſcipere tandem in manus interpretationem Harpocrationis lexici, & ejus editionem adornare: in eamque rem confeci indicem omnium auctorum & ſcriptorum veterum, qui ab eo laudantur, ubi multa vidi corrupta, quae reſtitui non ſit difficile: multa vero quoque de quibus prorſus deſpero, niſi a te tuique ſimilibus (quos ubi quaeram?) auxilium feratur. Nolim tamen intempeſtive tibi movere jam taedia: quod tamen jam imprudens feciſſem, niſi meus morbus & diuturnus ab eo languor hactenus vetaſſent. Alias ambae officinae *Marnii* noſtri occupantur & occupatae erunt hac hieme in Medicis potiſſimum, & Theologicis. Pudet me vero tam leviter tecum fuiſſe nundinis proximis: ſed certe ſubrepens jam tum febris, & tuſſis φθισικόν τι ſubſonans, me ad omnia reddebant tardum & defeſſum. Tu operam dato, mi amice, ut quamprimum te audiam convaluiſſe. Muſis noſtris haec evangelia erunt, & mihi laetior nuncius veniet nemo. Faxit id Deus, cui te & tuam valetudinem commendo ex animo. raptim e typographio Wecheliano. Hannoviae a. d. v. Id. Dec. 1608.

EPISTOLA CCLXIX.

GOTHOFREDUS JUNGERMANNUS

Claudio Salmaſio ſuo S. P. D.

Heidelbergam.

GAudeo magnopere, amicorum eruditiſſime, te a morbo tuo tandem liberatum eſſe atque convaluiſſe: & ſummum illum γόνων καὶ ψυχῶν πατέρα precor, ut optimam tibi porro largiatur valetudinem, teque diu ſalvum & incolumem bonis literis nobiſque conſervet. Et hoc meum votum anno illo novo, in quo jam agimus, & ut feliciter tecum peragamus. Certe ſollicitum me valde habuit tua invaletudo. idque omnibus meis literis tam ad Cl. *Gruterum* noſtrum, quam ad *Lingelsbemium* meum ſum teſtatus. Intelligo enim quantum in te praeſidium reſp. literaria & totus Muſarum chorus amitteret: praeſer-

ſertim jam ubi Muſageta ille unicus, pro dolor, *Scaliger* noſter ὁ πάνυ diem obierit. Vixit quidem ille ſibi ſatis, immo & gloriam eam ſenſit vivus, quae paucos ſectatur mortuos: at nos iſto ingrato & inſolenti ſaeculo nunquam non poſſumus tales viros ex animo deſiderare, ſi vel ad Pylios annos pervenirent. Quod quum longe ſupra vota noſtra ſit, neque fieri queat, quid aliud ſolatii nobis repoſitum putas, quam ſi tales bonae & optimae frugis floſculos efflorescere videamus alios, a quibus ſimilem fructum nobis poſſumus promittere. Et id in te profecto ignorare non poſſumus, quandocunque ingenium tuum conſideramus, & quae adfecta vel parata habere nobis ipſe indicaſti, horum inquam quandocunque in mentem venit, venit autem ſaepius, nunquam non tacitum noſtrum pertentant gaudia pectus, & adprecamur tibi σηδὸν optimam & diuturnam ὑγίειαν. Nec enim ſpero, quamvis ad majora te tui vocent, tuque altiora ſtudia aggredi cupias, te non reſpecturum ſaepius ad Muſas noſtras, praeſertim illas Atticas. Sines inquam illas in partem curarum venire: nec enim tam leviter illas noſſe coepiſti, ut unquam earum obliviſci queas. Quid vero jam agis, o dulciſſime rerum & quid paras? Audivi enim laetus, te illo moleſto morbo tandem profligato, ad ſtudia rediiſſe. Ego quantum per meas operas licet, (quantulum vero iſtud?) Harpocrationi adornando ſum intentus: cui rei forte cum aeſtate, ſi noſter tum ab imprimendo ceſſabit, ut conjicere eſt, otium nactus fuero largius. At multa ſunt ibi, quae me ad te auxilii implorandi cauſſa recurrere cogent. Utinam ſaltem uno ſcripto codice juvarer: vel illum, quem ille ὃς νῦν μακάρων ἀριθμεῖται *Scaliger* noſter poſſedit, vulgatis & auctiorem & locupletiorem, poſſem nanciſci. Eo lexico abſoluto, ſi Deus porro vitam & otium conceſſerit, ad Stobaeum rectam manum admovere animus eſt. Nolim te jam quaeſtiunculis ſolitis exercere: hoc ſaltem addo, miram oppido mihi videri explicationem illam Chryſoſtomi ad Hebr. 11, 35. ἄλλοι δὲ ἐτυμπανίσθησαν, hoc verbi de capitis praeciſione interpretantis, & τετυμπανισμὸν idem eſſe quod τετακεφαλισμὸν. In eaque ſententia σύμψηφον habere audio Oecumenium. Mihi, ni tu rectius docebis, longe aliter videtur, accipioque cum aliis vel de diſtenſione tortoria, vel fuſtium ictibus, quo pacto apud Demoſthenem, ni fallor, adverti, ſemper. Sed ne diutius te teneam, quod ad meum ſtatum alias, is ad pedem ἐξαρθρωθέντα quod attinet, nondum is eſt, quem optavi: & incedere, ne titubanti quidem gradu, ἄνευ σφίγματος ἤγουν βακτηρίας, nondum poſſim ne gradum. Cogito, medicorum noſtrorum ſuaſu, in ipſis nundinis ad thermas Wisbadianas, ſi annuente Deo medelam aliquam inde ſentire poſſem. Vale, mi amiciſſime Salmaſi, & ſalve etiam. Scripſi raptim a. d. XII. Kal. Mart. anno MDCIX. Hanoviae e typographio Wecheliano.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCLXX.

GOTHOFREDUS JUNGERMANNUS

Claudio Salmaſio ſuo S. P. D.

Heidelbergam.

SPerabamus vero certe amiciſſime Salmaſi, Florum tuum cum iſto florenti vere prodituros. Fefellit nos ſpes illa, & deſiderium noſtrum fruſtratus es, niſi te tamen typographus, quod potius credam. Sed tamen, quid ita te juvat, amiciſſime mi, cauſſando noſtros in longum ducere amores: De Stephano, inquam, Callimachaeis curio, Anthologia nova, Erotico Syntagmate. Utinam tu deſideria noſtra σηηδὸν poſſes contemplari, non mei ſolius, de quo leve eſt, licet illud me hercle non leve, ſed & aliorum, quo quiquam Graecas Muſas ambit ſtudioſius. ſine tibi tandem cum Stephano perſuadere, & noli typographis hîc adverſari, ne diutius differas publica commoda; ſine illos, inquam, addere vel *Wolfii* vel alius cujuſcunque verſionem etiam ineptam ſuo cum periculo; tuum certe nullum eſt, a quo ſaltem hoc impetrare cupimus, Graecum textum emendatum & Notas in eum tuas: orator acceſſi, ſine exorator ſim. Et hinc quid vetat iterum ad Pollucem noſtrum redire, in quo non audeo dicere, te mihi adhuc debere, ita tibi immane quantum ego debeo, qui tam multis obſcuris locis mihi lucere feciſti, tam multis intricatis extricaſti: Interim mi D. a Clariſſimo *Caſaubono* noſtro accepi litteras amiciſſimas, ubi etiam ad quaedam loca reſpondet, de quibus olim & ex te quaeſiveram. Et nolim te laudare in os, auxilium a te mihi efflagitatum magis praeſens. Lubet tamen tibi & quae ipſe ſcripſit ὁ πάνυ *Caſaubonus* indicare (lib. IV. cap. 11. pro Φλιγιάδην, malim Φλιπάδην, ὥζ τὸ ὀλιτεύειν τὴν Φωνήν. Corrupta vox eſt ἡμολοκρὸν. apparet inſignis tubicinis nomen deſiderari: neſcio an ita ſcripſerit ὡσπερ ἡ Μολοκρόν. Sed putem verius τὸ Λοκρὸς a praecendentibus ſeparandum eſſe, ita ut proprium tubicinis nomen cubet in menda) Haec ille: tu Φλιγιάδην & Μολοκρὸν volebas. & in illis ἰσαίῳ ἴωλον, pro iis quid reſtituat ait ſibi non occurrere. ibi tu feliciſſime ἴσως ἴωλον. Capite ſeq. verſus duos ita ſe ait legere, ὃς τρὶς ἐκάρυξεν τ' ὀλυμπία αὐτὸς ἀγῶνα, οὐθ' ὑπαυλπίζων, ὅτ' ἀναδέγματ' ἔχων. Tu vulgatum ἀναδέγματα nobis clare jam in litteris tuis expoſuiſti: Quaeſo te, nunc porro operam dato, ſi vacat, ſique commodum eſt: alias ſi poſcam. Muſas mihi merito habeam iratas. lib. VII. cap. 2. Ἰσαῖῳ δὲ καὶ Τ'πειδὴς τ' πράτην ἴσιν ἐν τῇ κωμῳδίᾳ. ὁ πωλῶν, πράτης εἰρηται. MS. noſter inſigniter: πλὴν Ἰσαῖῳ καὶ Τ'πειδὴς, ὁ πράτης ἴσιν. καὶ ἡ κωμῳδία ὁ πώλης. ὥσπερ καὶ ὁ πρατίας. egregie πώλης, quod ex Ariſtophanis Ἱππεῦσι optime novi. Illud πρατίας vero ubi exſtet, minime, non tamen minus probum id, quam βαδισματίας quod Cratino ſupra lib. III. onomaſt. quoque MS. conſervavit, Eod. cap. inferius σεσπώλην δὲ Ἀριστοφάνης αὐτὸν εἶπε. MS. pro Ἀριστοφάνης, Ἀριστοπόλης habet. Illius tamen potius arbitror, licet locus

non mihi in promptu. Sub finem capitis: ἐν δὲ τῆς Ἀττικοῖς ψηφίσμασιν, ἃ τῆς ξένους ὅτι τι μέγα ἐγράφετο, ἔστιν ὠρεῖν εἶναι αὐτῷ καὶ οἰκείαν ὄνησιν. an ista verba, εἶναι αὐτῷ καὶ οἰκ: ὤν. sunt ex Atticis ψηφίσμασι MS. hîc nos deſtituit, qui & ſequenti carmine Phereeratis caret. τὸ παιδίον τὸ πλαγόεσσον, κἀπὶ πολλῶν θ'ηλίων, ubi extrema πολλῶν θ'ηλίων non ſat capio. cap. 4. Alexidis verba ἐν ἀμφωτίδι quoque in MS. deſunt, ἐνοκόπ@· τὰς ἀλεκτρυόνας, τῶ δὲ κεπτόντων ὄνες. ea mihi non corrupta eſſe nemo perſuaſerit, niſi tu mihi explicaveris. Noſtrae opis ſane non eſt talibus medelam conari, nec abſque MS. quid tentem. Tentare non ſolemus facile, ne cum imperitia noſtra audaciam conjungamus, & rideamur merito: ſi excidit tamen umquam quid calidi, quod viros doctos & humanos nobis ignoturos ſperare lubet. cap. 5. καὶ ἀρτοτροφῶν δὲ Αἰσχύλης λέγει. Ἀλαπλάσαι &c: egregie MS. καὶ ἀρτοτροφῶν δὲ Ἀλαπλάσαι δὲ ὡς Αἰσχύλης. egregie inquam τὸ ἀρτοτροφῶν, in quo aliqua ſignificatio toſti in veru & agitati panis, quales ὀβελίαι illi erant, ὀβελίσκοις ἐμπεπαρμένοι, unde ipſis etymon etiam dant, ἀρτοτροφῶν ſane hîc ad ἀρτοποιΐαν nihil pertinet. Paullo inferius difficilis locus nec ab *H. Stephano* potuit reſtitui, nec MS. hîc quidquam juvat, illa omittens. Sophoclea verba inquam ἕως ὅτου κελθαίοις εἶνε. Putabam ſane κελθιώσης ὄνε. Tu vero, qui rectiora habes; candidus imperti, nos cum gratia publice reddemus. Statim in verbis Ariſtophanis πτῶ (ita eſt nimirum MS.) βράττω &c. non tamen poſſum exputare, quid pice uſi fuerint in panificina. Haec jam ſufficiant, Amiciſſime Salmaſi, & per amicitiam in bonam partem interpretare hanc audaciam. Accepi alias quaedam *A Schotti* excerpta ex MS. ad eundem Pollucem & *Labbaei* veſtri codicem, mittente noſtro *Bongarſio*, in quo tamen nihil, niſi vix ſeptem primae pagellae (eſt autem editio Baſilienſis) cum MS. collatae, & rarae aliquae adnotatiunculae, neſcio an a *Labbaco* vel alio adjectae interdum. Miſit idem *Bongarſius* & editionem Aldinam Harpocrationis e bibliotheca *Vulcobaei*. Vale, mi amiciſſime Salmaſi, & ſalve, quod tibi me dicturum ſperabam interea his nundinis, quum gratiſſimum tuum adventum fruſtra exſpectarem. Utinam tu & *Gruterus* noſter (quem plurimum ſaluto) aliquando ad nos excurreretis, dum ita adhuc feriamur. Vale iterum. a. d. XIV. Kal. Maj. CIↃIↃCIX.

EPISTOLA CCLXXI.

GOTHOFREDUS JUNGERMANNUS

Claudio Salmaſio S. P. D.

Heidelbergam.

MI amiciſſime Salmaſi, quibus verbis tibi ſat magnas agam gratias, quod iterum tam multa & erudita me docere volueris, miſſis litteris jucundiſſimis, quae quo inſperatiores, eo gratiores. Nam, ita me Deus amet, prorſus male verebar, ne nimis te ſatietas mearum quaeſtiuncularum, quibus te numquam non tam impudenter adgredior, quaſi apud te certum διδασκαλεῖον conſti-

Digitized by Google

ſtitutum haberem, ad quod ἀδεῶς φοιτᾶν mihi quandocunque luberet, liceat, cepiſſet. Et mehercle ſi indignareris, & prorſus diuturno ſilentio, quae tua eſſet benignitas, ſaltem hanc impudentiam noſtram multares, non ideo mihi injuriam fieri, vel incomiter mecum agi, dicere poſſem, vel me dicturum quiſquam credat. ſed tu ultra inſignem eruditionem, quam in te unice admiror, tali praeſertim aetate, inſigniter quoque humanus atque comis es. Quid enim agis? Auctarium addis inſuper: quaſi non ſatis ſit ad ea quae propoſueram reſpondiſſe. Iterum tibi gratias ago, mi amiciſſime, & rogo ut me porro juvare velis: quod tamen cum commodo tuo fiat, quod ſine omni tua moleſtia. Aliis conditionibus abs te litteras non exſpecto: Nec addas in poſterum ullam excuſationem, ſi quando reſcribas tardius. Sed ſtatim hoc agere volo. utut Pollucem emendare difficile, tamen ſponſione velim contendere cuivis, ſi non poſt eruditum & amicum editorem adhuc gravidis mendis & praegnantibus, qui profecto alia paritura videbantur innumera, ſexcentis (parce enim dico) Pollucem liberavero, MS. Palatini opera, & Claudii mei Salmaſii opera, & ingenii mei interdum ſubclaudicantis opera. primus locus lib. VII. 6. tuum κρεάκιστρον valde ingenioſum eſt. ego male haerebam ibi, MS. nihil juvabat, niſi quod καὶ ῥάκιστρον haberet: ego me varie vertens, comminiſcebar ῥάχιστρον, quod cum κοπίδι idem putabam: quum Pollux ita vocet medium dorſi: & ῥαχίζειν pro κόπτειν. ῥαχιτείσαι pro ἀλακόψαι exponit. Sed jam meum mihi eviluit, & putem in illa corrupta voce omnino initium a κρία vel κρίω concipiendum. Quod ad ἰσχαδόπτην attinet ſane & ego ſuſpicabar ἰσχὰδ' ὄπτλων. quamvis leviter, & ἀνὰ βεβαιωτῦ. ſed mihi in mentem revocans quod l. I. c. 12. idem noſter ſcripſiſſet ἀφ' ἧς κωμῳδοὶ καὶ ἰσχάδα κοπτλὼ λέγουσιν. omnino & l. VI. putem legendum: καὶ πλάσια ἃ καὶ κεφτῶ ἰσχάδα κεπτλῶ. Sane ibi & MS. adgnoſcit illud: hoc vero lib. VI. cum aliis multis tota pagella exſecta deeſt in eo. l. ult. c. 34. tuam emendationem exoſculor in Callimacheis. Totus locus in noſtro MS. ita habet, quamvis monſtroſe: εἰπὼν π ἀναικτηπ μᾶλλον εἰδόπα μακρὸν ἀλίεσθαι unde tamen ἀλιέσθαι, propter verſum quoque, pro vulgato ἁλιεῦσθαι ſecure reponamus. ſed & quae vulgo ſequuntur ὡς τ' ἀνδικτήνοπα, εἶδος μυάγρας, MS. noſter egregie emendare monſtrat, qui habet, ὡς καὶ τ' ἀνδικτήνοπα. Ut tua enim legi ſtatim, vidi ſcribendum, ὡς καὶ τ' ἀνδίκτλω ὄντα εἶδος μυάγρας. En quo monſtra noſtrum Pollucem invaſerunt, & hîc muſcipulas ſuas corruperunt opici mures. quod tamen non credunt hodie illi critices oſores, & Graecarum litterarum contemptores. Quae addis prorſus ita leguntur in noſtro MS. Καὶ μετὰ τᾶ κεράμα ἐν τοῖς δημιοπράτοις καλυπτῆρις κορινθιαργεῖς. Et talia quaedam ex MS. etiam aliquot locis apud Pollucem memini emendare, quae ſe jam memoriae non ſiſtunt. Tale tamen l. VII. c. 22. de Sandaliis: ἐχάλκουν δ' αὐτὰ τυρρηνικαργᾶ. ſic enim ibi MS. ubi vulgo τυρρηνεργᾶ. ſic & parilia Aeliani illis, quae noſter l. I. c. 10. Segm. 13. Θώρακ ἀττικαργῆς (ita enim MS. non 16.) κράνος βοιωτιαργές. ubi bonus interpres, vulgato deceptus quoque; *Thorax Attica*. ſequens Ariſtophaneum veriſſime correxiſti: MS. noſtro conſentiente, quamvis ſine accentu μη in fine unius

versus habet, altero incipiente δίκων. Sed idem MS. noster ψηφισμάτων τι θωμός, habet. & in praecedentibus etiam, γόργαθον καὶ θωμόν. quod mihi videtur verius quoque, πταπίας mihi adhuc valde arridet, quamvis in forma ἐκ ἀναλόγως illud conceperam. Nec non reliqua bene docuisti. De ἀρπεδροφᾶν tamen ad ὀβελίας potissimum id apud Aristophanem, cujus locus in amissis comoediis forte erat, referebam: quod plerumque alias sub testa panes suos πίψας legeram, quo pacto & in Moreto placenta fit, *testisque tegens superaggerat ignes*, idque ἀρπεδροφᾶν ad circumactionen in veru transferebam. sed jam tu docuisti rectiora: & puto te respexisse ad ista Moreti: *Contrahit admistos tum forteis atque farinas. Transversa duvata manu etiamque subactum Format opus palmisque suum dilatat in orbem.* Quod ad versus Poëtarum attinet, praesertim Comicorum, quorum maxima in Polluce seges, mihi quoque plerumque aqua haeret: nam MS. fere in illis nos prodere solet. Tu nihil gratius facies, quam si ejus notae nobiscum communicare volueris. Jam profligavi caput de Talento & re nummaria lib. IX. in quo insignes locos plurimos restitui, etiam mutilos ex MS. supplevi, non paucos eximie, ut & reliquos, qui restant, tu juvato sis: egregie enim in illo capite operam locatam ducere debemus, licet forte, hoc ingrato aevo, ne ramento quidem ditiores efficiamur ideo. Sed addo quaedam loca: ne te tamen diu nimis morer. Primo loco statim egregie a me ni fallor, sed ex MS. restitutum locum adfero. Illo lib. IX. cap. 6. vulgo πῖς κεφιτοζόλαις &c. ita MS. noster: τὸ ᾗ ἐν πῖς Κράτητ@ τόλμαις, πρῶτα μὲν παλαιπαῖ@ ὅτις ἐστὶν αὐτῶν λέγε ἄδηλον, εἴτε τιμήν, εἴτε ῥοπήν, λέγει. nil verius. itaque concipio verba comici: — πρῶτα μὲν Ταλαιπαῖ@ ὅτις ἐς' αὐτῶν λέγει, quibus Pollux subjicit ἄδηλον &c. esse, pretium an pondus dicat: Et quid si eaedem Τόλμαι Cratetis apud Suidam non recte omissae sint? ait enim, Κράτης &c. δράματα αὐτῷ εἰσιν ζ'. & tantum sex enumerat. sed leguntur apud Pollucem etiam alia adhuc dramata. Ibidem: ὡς ἐν τῇ Ἱπποκράτης ᾠδῇ κατηθήκη, ὅταν γὰρ ὀιμαι λάβρος ἄνθρωπος, πυχὺς, ἀργὸς, λάβῃ δίκελλαν εἰδὼς τρυφᾶν πενταπάτηρον, γίγνεται τὸ πνεῦμα ἄνω. Versus sine dubio comicos tu nobis concinnabis. In MS. nostro tota haec particula deest. Ego tamen nomen comoediographi emendandum credo, Ζωσικράτης. Si nostro MS. fidem non abrogamus. supra enim lib. IV. c. 24. ubi eadem ita vulgo: δίκελλαν ᾗ πίνπ στατῆρον Κράτης ἐν ᾠδῇ κατηθήκῃ τ' πεντάλιτρον. ibi MS. noster clare: πενταπάτηρον Σωσικράτης. Ibidem porro. ἐν καλλαίσχρῳ ὄυφησιν εἶναι τ' ἑτέρων τὰς μέσους Σταπηλίδας; mihi tamen non placet ista concipere: MS. totum hoc commation omittit. ego ita legerim: ἐν Καλλαίχρῳ ὑ Φησὶν, εἶναι τ' ἑταιρῶν τὰς μέσους στατηλιδίας. Mox in Eupolidis χρῆσι, quae pariter deest in MS. non video quid alterum Κολάξιν ante οἶνον hic agat. Deinde Theopompi verba in MS. quoque non adparent: nec ego temere ea concinnare adgredior. postea ἀνημιωβολλαία, & sic legitur etiam in editis Aristophanis, & apud Suidam credo, & non tamen potest MS. nostri scriptura clara mihi displicere, ἀν ἡμιωβολιαῖα. praesertim quum ᾗ ἡμιωβολιαίᾳ χρῆσιν noster adferre se indicet. paulo post Philemonis χρῆσιν, quae quoque in MS. non est, ni fallor, ita recte concipio: χαλκοῦς

κὰς ὀφίλεις πέντε μοι. μέμνησ', ἐγὼ σοὶ πέντε χαλκοῦς, οὐ δὲ μοὶ τετήμοριον τὸς ἐξ ὀβολοῦ, τὰς &c. nescio tamen an ὀβολοὺς mutandum. Philemonis altera χρῆσις desperatior: nec tantillum ibi MS. Ego quidem sensum puto me adsequi, & per partes tento, ut v. 1. legamus τετήμοριον, & v. 2. forte ἕκαστος ἡμῶν ἦλθεν. εἴκοσι πόσαρας. Sed nondum mihi plana omnia, certe mox ἓξ ἑκάστῳ legendum. & pro ἀβολῶν ὄντων, forte χαλκῶν, ut & avum meum puto legisse. Sensus certe hic esse videtur: fuisse quatuor, inter quos triobolum ex aequo dividendum. id vero si obolus 8. chalcos valet, ut noster docuit, continebit 24. chalcos. Jam ex illis quatuor hominibus siquisque acceperit sex chalcos, illud aequaliter distributum erit, & habebit quisque suum, quod Philemo vocavit τετήμορον. Eadem pag. Aristophanis verba ex γεωργοῖς & emendandi & in numeros suos reponendi a te possunt: ego ubi MS. defuit, Davus soleo esse. pag. 434. v. 3, 4, 5. ex MS. ita reposui. ἐν ταῖς Αἰσχρῶντος διδύμαις ἢ πυρράυλῳ:

— ἔπειθ' ἡπάτα, καὶ νῆσίν τινα,
Προσθῆκεν ὁμαῖ, πεντίχαλκον πεσσαλοῦ.

Callimachea in eodem cap. ut & Euripidea, in quibus noster Casaubonus de Satyra, inopia melioris codicis, non se extricabat, mihi olim jam dilucide explanasti, & restituisti. Nec addo jam alia: quum & haec nimis multa sint, & charta tenuior non admittat τὸ μέλαν. egoque alteram paginam deberem invadere. Quod ad Theocritum attinet, ita se res habet. Misit quidam politiorum litterarum studiosissimus *Jo. Weitzius*, Scholae Gothanae in Thuringia prorector, cujus carmen in novam editionem Pollucis praefixum est, suas Notas in Theocritum. Eae nihil critici continent omnino. Sed saltem ἄνθη γνωμῶν καὶ νοήτηματα ἡδικά. Ne itaque *Marnius* noster spernat, quia eas solas vendi posse metuit, commentus fui aliud, nempe ut accederet Index in Theocritum a *Sebero* confectus, quem ad huc exspectamus. His tua eximia, talia enim novi, an addenda censes? mirum id editioni conduceret. Sed nescio an suadeam. Nisi tamen ita rem adgrederemur, ut tua ita accederent, ut non accessisse, sed separatim, edita viderentur. Scilicet cum novo frontispicio atque pagina ab aliorum fere dixissem quisquiliis separanda. Vale atque salve, mi amicissime Salmasi, & Jungermano tuo favere & adesse porro perge. scripsi raptim Hanoviae a. d. III. Id. Jun. e typographio Wecheliano 1609.

EPISTOLA CCLXXII.

GOTHOFREDUS JUNGERMANNUS

Claudio Salmasio suo S. P. D.

Heidelbergam.

EN incipio scribere in adversa chartae pagina, quod ista tenuior nimis transmittat alias litteras. Et id tu quidem facile ignoscas: modo & alterum, quod prolixas iterum a me accipias litteras. Quamvis enim de humanitate & fa-

facilitate tua mihi satis jam constet: tamen nunquam non me pudet postquam litteras misi, quod adeo iis, quas in te virtutes cum aliis esse dixi, abutar. Dum scribo tamen, manum de tabula numquam tollere possum. Et quas tibi sat magnas gratias agam, qui me tot tantaque docuisti? adeo in tuis litteris

Ἀγαθῶν τεσσάρων ξυνελίξῃ μοι σωρακος.

Et una vocula saltem immutem istud comici (ita enim in MS. κακῶντ@ ξυνελίξῃ μοι σωρακός) ubi tu me quid *Syracum* & Plautus dixerit vere docuisti, grates persolvere dignas non opis est nostrae. Sed si quid leviter conari contra possim, non mihi deero. Jam quaedam egregia, ad quae me ducunt tuae conjecturae, ex optimo codice Palatino tecum communicabo. Tu vero memineris, pro commodo & quando optime vacabit, rescribere Jungermanno tuo: nec ejus caussa ullis tuis, quae publico paras, accedat ἐμπόδισμάτιον. Quod itaque jam ad locum Aristophanis attinet, in tuam sententiam pedibus jam eo facile: praesertim postquam illius Scholiastae verba legi. Antea eo libro carebam, quem nuper jam accepi, quum prius comico ἄνευ σχολίων uterer. Sed si vidisti novam editionem Genevensem, quam mihi in nundinis σὺν θεῷ parare volo precio, quaeso quid illi praestiterunt boni? ego enim nondum inspexi. Quod ad ἰχάδα κοπτὴν ego nil scio. nam τύρ@ κοπτὸς credo joco tutus est: quod de altero, bis a Polluce repositio dici nequit. Et Callimachi tui ὀπτὴν non possum improbare, quî enim? nondum tamen & in Polluce audeo mutare istud ego quidem. Quae de Alexidis, Sophoclis, & Hipponactis locis talia sunt, a quibus nemo dissentiat credo, nisi qui cor non habeat: licet in illis MS. nos vel destituerit, vel non juvaverit tamen. qua re ea gratiora: quum ad ea ego nil adnotassem, nisi quod quivis possit, me haerere scilicet. lib. x. cap. 31. τοῖχοι & in MS. nostro, quod miror. Nec tamen dubito de tua conjectura. Notum mihi quam saepe in nostro MS. οι & υ errore mutent & κ in χ facile lapsu pervertatur. Firmat eam ipse Pollux ἐκ πικτῶν ἐργαλείοις supr. VII. 26. ἠδὲ σφύρα τ̃ λατόμων, καλεῖται τὸκ@. Immo quod propius, in eo sequenti capite continente οἰκοδόμων ἔργα & ἐργαλεῖα clare iidem τύκοι. In sequente Aristophanis loco MS. noster adhuc mendosius: τεῖχον μοχλίσκον καλάνειν. Tuae emendationi facile accedo. pro σπειπία in medico instrumento MS. noster σπιγγία habet, quod mihi placet valde, ut cujus usus sit clarus. in margine tamen recentiore manu σπειθία additum cum notula, ut & hoc insereretur. eodem libro c. 26. Axionici e χαλκιδικῷ jam ita restitueram, & tentaram reponere in versiculos, & gaudeo nos eodem forte tempore pari modo emendasse. Tuum facinus tamen tibi soli vendicare potes & ingenio tuo, mi humanissime & doctissime Salmasi: ego MS. nostro meum: e quo videbar & hoc melius fecisse, quod κάνθαρ@ reponebam ex MS. quod vas κιρραιεῖν fuisse e multis comicorum locis apud Athenaeum constat: alterum καυθαρὶς mihi ignotum. Et ultimum versiculi ita ex MS. scribebam; κατηρσία σοι παντὸς γεραῦ, κιρραίων. Sed quod antecedit tu ingeniose ἐξαπτρίας. nam vulgatum nemo intelligebat. Ego tamen me vere restituisse ajo lectionem MS. ἐρῆκιν ἐκ ξαντρίαις σιαχύλ@. ξάντριαι Aeschyli in catalogo ejus dramatum hodieque visuntur. ibidem

dem ϗ λύχνι῀ mutilus erat MS. & defectus. Et cap. 24. σκαμέλλαν, non videram rationem emendandi, quam tu me clare docuisti. Miror & fugisse *Scaligerum*, qui in Varronem scribit Pollucem *camellam* σκαμίλλαν adpellasse. Et me hercule σ adponere hujus voculae initio nimis eam barbare pervertere sit. Sed ibidem in χρήσει ex Alexidis σπυδοφορικῷ ego reponebam — λαρκον ἠμφισμένον τ̃ ἀνθρακηρῶν — ut magis adhuc haererem vulgatae lectioni. Et eleganter putabam dictum, sicut alia talia: & hoc quod ibidem ex MS. restituebam: ὥσπερ καὶ ἐν τῷ χήρᾳ ὁ αὐτὸς ποιητὴς εἰρήκει, κοπίδι τ̃ μαγειρικῶν λάρκας enim & alios adnotabam in Hesychio ἐν ᾧ ἰοχαδας ἐθόρυν. Sic & illud cap. 23. ἐν δὲ σκίφωνι, καὶ πλίνων λεκὶς putabam defendi posse? ita enim MS. ibi, nisi quod habebat πλήνων λ. Nescio tamen, an quum particula τ̃ non sit addita, satius tecum legere sit, πλίνη λ. Sed elegantissima ibi χρήσις ex Hipponacte mutila est, quam adscribo: ita enim MS. ὑπωνακτ῀ εἰπντ῀ καλειφαρσῖνον. ἡδὺ καὶ λεκος πυρᾷ. Quis non videt legendum? καλειφα ῥοδινὸν ἡδὺ καὶ λεκ῀ πυρᾷ: πίνακες μαζηρόι & in nostro MS. Pal: egoque initio, quod meum ingenium hebes, inops quomodo explicarem, & quos nescio absurde populos cogitabam. Jam tuis lectis, ut ἰχθυηροὶ vidi statim mihi incidebat, illas ἀπὸ τ̃ μαζης dictas. Vides, mi amicissime cum quali homine tibi res, cui ingenium mehercle nec exprompta memoria est: adeo ut si te ejus imperitiae & inscitiae taeduisset dudum, ego ipse minime mirarer. p. 475. 6. noster MS. ita habet Hipponactea: σαίζουσιν ὥσπερ ἐσχοπίον σάκ῀. Ego nihil tentabam. Jam tua conjectura factum, ut elegans versiculus reddatur auctori:

Σταίζουσιν ὥσπερ ἐς τρυγητὸν σάκ῀.

In Eupolideo cap. 17. ubi καπιχύτλᾳ reponis, MS. vulgatum καπιχυτλον retinet. Tuum magis placet. Sed in sequentibus falsus es mi amicissime, Locum tibi totum ex MS. adscribo, longe auctiorem, ut inde de integrioribus ex integro sententiam feras: ὁσις πύελον ἥκεις ἔχων, καὶ χαλκεῖον, ὥσπερ λέχως ϛρατιώτης ἐξ ἰωνιας ϗ γὰρ το χαλκιον ἐν π τ̃ λητρῶν, ὥσπερ ϗ λεβης ϗ τρίπους ρ. ubi ϗ χαλκιον, legendum esse, vel quae sequuntur, καὶ γὰρ το χαλκῖον satis firmant ρ. Et de eo χαλκίῳ in capite de talento lib. IX. cap. 6. quaedam: ubi v. 43. Aristophanis verba e γεωργοῖς in MS. omissa, a te constitui desiderant. In altero Eupolidis versiculo quidem λεχω ϛρατιῶτης facile video legendum: tu & alia, quae χρῆσιν elegantem illustrent. De ὠμολινῳ certum est. Sed lib. X. 14. MS. noster ni fallor veram lectionem conservavit: ὡς ἔχοιμίν τινα τῶ ὀνόματ῀ τῶδε ἀποϛροφῶ capiebam autem hîc simpliciter ἀποϛροφῶ, pro καταφυγέτῳ, de perfugio, ad quod quis se convertere queat, & auctorem quasi exhibere ejus nominis. Sic enim video nostrum loqui & cap. 23. v. 9. ᾐ γὰρ ἄχθομαι τὰ συνήθη τ̃ ὀνομάτων, κἀὰν ᾠδή τινι τ̃ ἤθλον κειμενον ἕυρω, ᾠδήγων εἰς χρῆσιν, ἐπειδ' ἂν ἔχω τὴν ϖρὸς τ̃ εἰπόντα ἀποϛροφήν. Philippidae χρῆσιν male torquebam, vix τόν῀ ille καινος magis fuerit, nec extorquebam quid sani. Tuis quid aliud adclamem, nisi *vere*. Sed Pherecratea cap. 23. ni fallor feliciter restitui & vere, si modo tu non negasses. MS. ita habebat: ἀλλ' ὁτι ἂν Φερεκράτης ἐν Κρεπαλλοις φῇ, μάχαιραν ἀρετινθη κάσω τι μ῎ιῷχασαι ἀμάχαιρ῀

ὑπβοεία νεφήτω κρέα. ἀνὴρ γέρων ἀνόδοντος. Crapatalli hi a noſtro ſaepe citantur. Verſiculos ita conſtituebam

Μάχαιραν ἆρ' ἐνέβηκα σοι; τί μ' εἴργασαι;
Ἀμάχαιρος ὑπβοεία νεφήτω κρεά,
Ἀνὴρ γέρων ἀνόδοντος —

Sed tecum jam in primo ſcribo: μαῖρ' ἐνέβηκα; ὅτι μ' εἴργασαι. Illam eandem χρῆσιν in mente habuit noſter, lib. 11. 4. ἀνόδοντος, ὡς Φερεκράτης, ut quidem MS. illic habet. cap. 23. Verſus Nicocharis (ita enim cum MS. ſcribo, qui Νικοχάρης. & Suidas id in Νικοχάρης firmat, pariter *Galateam* inter ejus dramata recenſens) ipſi in MS. deerant: in iis concipiendis quoque ὁμογνώμονες fuimus, niſi quod κυμινοδόκον malebam, ut in MS. praecedebat, pro κυμινοθήκη; quae nimis repetitur vulgo ſaepius. nam primum noſter Pollux κυμινόδοκον ſive κυμινόδοχον ex Nicochare firmat. tum κυμινοθήκλῳ ex Demiopratis, tandem κυμινοδόκλῳ ex Apollodoro. ita enim paullo poſt κυμινοδόκη μέταξυ τῶν λόγων δὲ τοῦτ' μοι δοκεῖ κυμινοδόκην ἢ γραμματεῖον σεσῆφθαι, quae vulgo vix dimidiata legas, videtur autem altero verſiculo legendum κυμινοδόκην, ἢ γ. σεσῆφθαι Tu tamen rectius ſtatues. Jam adderem libere quaedam, ubi plane non mihi liquet, ſed chartae ſpatium reſtat exiguum. Potius de ipſo Auctore hîc injiciam quaeſtionem mehercule difficilem. Scribit Suidas Πολοδόκης Ναυκρατίνης, τινὲς δὲ Ἀρδύεννας σοφιστὴν γράφουσι παίζοντες. πόλις δὲ . . . ἡ Ἀρδύεννα. Viri docti valde ſe fatigant, nec explicant tamen, ubi ullibi de Arduenna quid legatur. fatentur fere ſibi N. L. quidam malunt Carditin ex Herodoto reponere; quid tibi videtur? In inſcriptione veteri, quam *Caſaubonus* noſter non ita diu edidit, nuper de binis locis ſuam ſententiam ad me perſcripſit, eruditiſſimus *Hoeſchelius*, quam ego porro ad te, ſi quid forte elicuero viciſſim. Novi enim te praeclara ibi quaedam poſt *Caſaubonum* notaſſe. verſu ſexto nihil mutandum cenſet *Hoeſchelius*, ſed *a* extremae dictioni adjiciendum, ἐν ἀθανάτοις ἀλέγησθον, *inter*, ait, *immortales recenſeamini*, velut eodem utatur verbo Pindarus 11. Ad. Olymp. πύλαισι ἐν καδμεῖοις ἐν τοῖσιν ἀλέγονται quod verbi hujus ſignificatu, in Lexicis fuerit annotandum. verſu 23. itidem ſcripti lectionem exiſtimat ſervandam χλωρὰ θεῖσαν, ut in ſcuto Herculis v. 146. λευκὰ θεῖσαν legamus. Sed de Stephano iterum quaero quid ſit? A te certe duriter & immiſericorditer, ignoſce, nec tu es mitio huic faetui. Nuper Francofurti fui, quum *Marnius* inter alia, ubi Stephanus tandem maneret, rogitabat. quaeſo te emitte tandem nec invide utiliſſimo ſcriptori lucem, & utere mea opera ad praelum: omnes nervos intendam, ut me diligentem & religioſiſſimum in tuis fuiſſe dicas. Vale, & ſalve, mi amiciſſime Salmaſi. Scripſi raptim a. d. 7. Id. Jul. Hannoviae ex urbe nova. Bronchtonus jam Amſterodami eſt. is te ob literas, quibus illi reſpondiſti, apud omnes mirum in modum praedicavit, quaſi ſuae opinioni ὁμοψηφόπτην, ſi ita loqui liceat. Adeo ut e primoribus hîc quidam me rogitarint aliquoties, & in iis *Lavaterus* noſter, quid tu ſentires de ipſius ſententia ἐν τῷ περὶ τῆ Καταβαίνειν εἰς ἅδ. Tuas literas apud Praetorem noſtrum legi, ſed in iis nil niſi ſummam modeſtiam

ſtiam video, & quod potius aliis diſputare de iſta re permittas, quam praeſcribas quid ipſe. Is alias Anglus iracundior eſt; & quamvis ſaepe ab ipſo ejus mentem percipere cupierim, tamen ipſe ſemper iraſcitur, & adhuc magis, ſi quaeras, vel contradicas, adeo ut fruſtra ſemper fuerim. Et hoc te admonere volebam, ea quae occurrunt in notis *Seberi* noſtri ad Pollucem ſub nomine Sylburgii, ea omnia eſſe *H. Stephani*: ejus codicem habeo, ibique ejus manu ad oram ſuis quaeque locis notata. Inde *Sylburgius* ὁ μαχαίτης, dum apud *Stephanum* vivebat, credo, tranſcripſit, ut ſolet, ad ſui codicis oras, quem quoque modo ſum nactus. Hinc error noſtri *Seberi*.

EPISTOLA CCLXXIII.

GOTHOFREDUS JUNGERMANNUS

Claudio Salmaſio τῷ πάνυ S. P. D.

Heidelbergam.

MI eximie Salmaſi. Vix credas, quam exoſculer tuam humanitatem, atque benignitatem. Nam hoc in quibuſdam doctiſſimus viris deſidero, qui nolint ſibi tantum a re ſua otii, ut amicum doceant. Sic nuper Doctiſſimum quendam medicum, litteris Graecis haud leviter imbutum, rogabam ut opellam ſumeret in Pollucis capite, quod de morbis tractat: quum mihi videretur id corruptum valde. Sed fruſtra fui, & ille me ad *Goraei* definitiones remittit. Verum facile id condono optimo amico τῷ ἄλλα σχολᾶντι, ἃ ἴσως μᾶλλον ἐπαίγασιν. Tibi vero, mi eximie Salmaſi, qui tam promptus es in conatibus noſtris juvandis, ago immortales gratias, & nunquam non σὺν εὐφροσύναις praedicabo ingenue, per quem profeci. Illud lib. 1. cap. 1. tm. 25. ὀμπὴν vero quam prope ad litterarum ductum emendatum: quod ipſum ὀξυτόνως ſic in Etymologo inveni. Caeterum in hoc nimis ſuavis es, mi Domine, quod nos contra de tuis elegantiſſimis conjecturis ſuper obſcuriſſimo illo poëmatio judicare velis. Quid dicam? ludis? Ego non ludam, ſed vere dicam, & valeat a candore noſtro fucatus ſermo. Admiramur tua, inquam, quaecunque ſuper iſto poëmatio adfers, & gratias agimus, quod nobiſcum communicare volueris. Optamus vero, ut quamprimum publici juris fiant, bono nimirum reipublicae litterariae. Quam vero optima illi interpretes paene omnes ad illud ovum Rhodium, & caetera illa poëmatia ſubſtiterunt, nec ſunt progreſſi ultra. Nec enim, credo, quid ibi *Caſaubonus* vel *Heynſius* auſi. Unum & alterum a *Scaligero* adferunt, qui illud Ovum profecto mire verſavit, & forte, ut ex te cognoſco, tenellum illud laeſit gravius. doctiſſimus *Brodaeus* veſter caetera poëmatia illuſtrare conatus, Ovum & Fiſtulam non attigit, ſi recte novi. De Pitii, cujus ἐρωμένης & Longus meus meminit, argutiſſima tua expoſitio, mirum quam placuit, quum praeſertim nil verius ea mihi videatur. Lectionis illius ἀντίπαιστος etiam Graeculus ἐξηγητὴς meminit. Illud ὅλον in Panis nomine etiam ſagaciter inveniſti. De Planude tecum facile ſentio, licet

in rem praesentem non venerim, illum praesertim impotenti libidine quaecunque libidinosa putaret amoviſſe. Sed nuperorum Graecorum θηριακλήματα cjuſmodi arbitror plura. Stephanum quod attinet, fatum ſcriptoris doleo, ſi iterum noſtra ſpes fallatur. Nonne ſatis fuit *Caſaubonum* per tot annos noſtra vota fruſtratum. Quid enim? vix audeo tamen contra tam magnos viros hiſcere. Sed profecto hoc aevo inſaniendum eſt cum vulgo, & libidini typographorum obſequendum. Illud emere non curat, ſi Latina non addantur: hi vendere tamen omnia volunt, quaecunque cudunt, immo niſi ſat lucri illis obtingat, queruntur ſtatim de damno. Putabam etiam multa hiſtorica in Stephano, quamquam auctoris copiam habere numquam potui, quae interpretem merentur. Sed, ut dixi, nil audeo contra tantos viros. De Eroticorum miſſione ita nos deluſos, male me habet. Tali tamen qui non diligentius, quam ſi ſua res ageretur, haec curet, tradere ſane nolim. Et ipſe noſti raritatem horum codicum, & periculum, ſi pervenirent in alienas manus. alias jam compacti & in farcinam conjecti ſunt, mittenturque primum ac a vobis occaſio indicetur mittendi, vel per me inveniatur, de qua ſecurus ἐπ' ἀμφότερα τὰ ὦτα καθεύδειν poſſim. Nunc quum chartae aliquid reſtet, placet tuam ſententiam ſuper Pollucis locis iterum rogare, nec dubito quidquid tu cenſueris, idem fore ac ſi a ſenatu critico reſponſum tuliſſem. Nec aliter fiet poſthac a me: ſed Aetolus hic tam diu ſibi ſuperveniet, donec te negaveris eſſe velle amplius Dorienſem: quod, ſi quam nullum meum meritum contra in te exſtet vel extare forte poſſit conſideraveris, facile potes facere. Ego tamen cum bona fortuna iterum tentabo. Bis in MS. Poll. haec nota ϛ occurrit, quam alias ſemper ως ſignificare adverti ex paucis, quos Heidelbergae evolverim. In hoc MS. tamen ita ponitur lib. 1. cap. 2. ϖρὸς τῷ μὴ βεβαδύνοντϛ εἰς, ἔρχα, ἧς, τῷ πηχέως. putavi ἧγεν ſignificari; nec incidit aliud. eſt etiam ab alia manu, quam quae contextu exaravit. Sed hoc nihili ſane. Et forte illa non penſiora, quae jam indicabo. l. 1. c. 4. Pollucis venatione punica purpurarum in MS. λείπει. bina tamen ibi loca ab ingenio conabar emendare in vulgatis. 1. ubi de κυψέλαις ſtructis a piſcatoribus. τὰ γὰρ τῶν σπάρτων ἢ τῶν ϛοίνων πίλη, ϖρὸς τοῖς ϛόμασι τῶν κυψελῶν ἐξεπίτηδες ἀνέχειν ἐῶσιν, ὡς τῷ μὲν purpurae παρόντι ῥᾳδίως ἥκειν καὶ ἁλίσκεσθαι. ἀναχώρησιν δὲ εἰς τὸ ἔμπαλιν, μηδὲ ἀναστροφὴν τῷ παρελθόντι ἐκδιδόναι, Pro ἥκειν reponebam ἄκειν. Mox de coctura purpurae. τὸ δὲ ἅλμα, ἐπειδάν πως ἐμλήσῃ, χεῖταί τι, καὶ ἐξαυθεῖ pro χεῖται emendabam ζεῖται. cap. 5. ὀποχειροβίωτοι, ἀπειρίβιοι δημιεργοί. Quaeſo te quinam illi medii? corrigebam itaque ὀποχειρίβιοι ex Heſychio & Suida. c. 7. ἀπινιαυτίσαι δὲ, τὸ φυγεῖν ἐτϛ, ἢ πίνεσθαί τινϛ ἐπ' ἐνιαυτόν. MS. noſter clare ἀπινιαυτῆσαι. ut & Suida, apud quem tamen *Meurſius* emendare nos jubet ἀπινιαυτίσαι. Sed & alia talia ſub duplici forma, ni fallor, dives illa lingua profert. unde etiam alias eſſet ἀπινιαύτησις; MS. forte & haec rectius habet. φυγεῖν εἰς ἔτϛ nimirum, c. 8. ἔπνις δ' ἂν τὸ πρέσυλον τόπον &c: κατὰ τὰς ἀτμωὰς πρέσυον. ϛραὶ δὲ καλεῖ (H: Steph: κάλει emendat) τὸ μέρϛ αὐτῶ: ϛρὰ γὰρ τὸ πλευρὸν καλεῖται. ἡ μέντοι χρῆσις καὶ ὅτι τὰ ἑαυτὸν πτερύγια. Haec ultima non capio. & primum forte πτέρυγα ſu-

Digitized by Google

ſuſpicabar legendum. MS. hîc λείπει. Caeterum illa ἐπὶ τὲ ἐσαυτία non capio. tamen incidebat ἐπὶ τιμεῖα. Legeram enim & τιμεῖα ϛυὰς ſignificare apud Heſych. Tu rectius me docebis, mi eximie Salmaſi. Ibid. non longe poſt: εἶτα ὀπτανεῖον, τὸ μαγειρεῖον, ἱρεισός, ἀποθῆκαι, τιμεῖα, ϑησαυροὶ, φυλακτήρια. ἱρεισὸς quid eſt quaeſo? Lexicographi tacent prorſus: in MS. deficit hoc totum c. 8. In eo ſtatim ſine dubio & haec medicinam expetunt. Ξενοφῶν δὲ καὶ ϛιγανὰ, καὶ ϛίγιν ὠνόμασεν, ὥϛως εἶπὼν. ὅσα δ' ἂν ἐν δικαλίνῳ μεγαλοϛίγει. καὶ πάλιν. ϛίγανα, ψυχεινὰ, καὶ ἀλεεινά. Nec enim ϛίγιν nominare hic Xenophontem videas. An itaque Pollux ſcripſit καὶ ϛίγον (& mox utitur etiam genitivo τῦ ϛίγυς) & in Xenophonteis legendum μεγάλῳ ϛίγει. δικάλινον ϛίγον ut δικάλινον εἶκον. Verum exſpecto a te aliquid rectius. Talia enim plerunque mea, quae ipſe non ſatis probem mihi, nedum aliis. c. 9. de re nautica initio fere, ἐπακτρίδες ἐπακτροκέλητες βαρεῖς, πρθμεῖον. Quid ſi? ἐπακτροκέλητες βάρεις. Mox ϛρατηγὰ puto omnino emendandum ϛρατηγὶς, uti & infra nominat. Sed libet ſaltu facto pauſam facere. C. 12. inter legumina enumerantur ἰρίβινθον, ῥύϛραχοι, ἀερίκη. ῥύϛραχοι quid fuerint nullus invenio. Quid tibi videtur, eximie juvenum, nonne χάλκια, ni vix ſint ὀϛρακά πινα, remiſi tibi, χρύϛια qui dederas. Non aliter fit amice, pro opibus quiſque ſtruit moenia. Vale atque ſalve, mi eximie Domine, & tuo Jungermano, quum loci non magna intercapedo id nobis commodi faciat, nectar litterarum tuarum, nil magis ſitienti, crebro propina. Ita diu felix ſis, & ex animi tui ſententia vivas. Cl. *Gruterum* noſtrum ſaluto officioſe, & reſcribam proxime: jam hercle non vacabat. Vale iterum atque iterum, raptim e typographio Wecheliano A. D. xv. Kal. Aug. CIↃIↃCIX.

EPISTOLA CCLXXIV.

GOTHOFREDUS JUNGERMANNUS

Claudio Salmaſio τῷ πάνυ S. P. D.

Heidelbergam.

SAgax ingenium nobis non eſt, mi eximie amice, τί γὰρ ἂν ἄλλως κἀγὼ μὲ ϑεῶν ἐρανίδια δῶρα. Nec, ingenue fatear, me ſi rupiſſem, expediiſſem ex illis tricis, quas tu profligaſti facile, & feciſti, ut Pollux tibi aeternum debeat, & per eum bonae litterae. Evileſcunt mihi jam aliorum oracula, in quibus adeundis fruſtratus fui ſaepius. Tuum μαϛεῖον me non fallit. Caeterum quod ad illud ἀερίκη attinet, putabam tantum eſſe qui apud Heſychium ἄερκοι. ἀϑήρη enim mox tm. ſequenti ſequitur, ubi MS. ἀϑάρη. ὁπ καχρυδίᾳ. πυρίτη. Alia tua valde placent, praeſertim tam recondita de illo compoſito non compoſito μεγαλοϛίγη. Jubes inſuper & alia non minus grata exſpectare. Pro quibus omnibus gratias ſatis dignas tibi agere infacundia mea me prohibet. Spero ſane, ſi ego non mereor tantam benignitatem, tamen in litterarum gratiam porro noſtros conatus juvare perges. Pergo itaque adnotare & alia tuae

opis indiga. c. 9. tm. 2. de re navali περὶ ναυπηγῶν. quae desunt in MS. vulgo ita: Φιλοτιμότερον ἢ καὶ νεωργοὶ, νεώτεροι, νεωτικοὶ &c. sub illo νεώτεροι aliquid latere puto, quod paria cum caeteris significet. nec placet cum viris doctis accipere pro recentioribus scriptoribus, quasi illi usurpassent νεωτικοὶ. quid tibi videtur? Eodem tm. τὸ ἢ εἰς τὰ καταστευὴν χρήσιμα, σανίδες, σίδηρος, ἧλοι, πετταία, πίσσα &c. & haec in MS. desunt. Caeterum an scribendum πί[τ]τάνια; & an eadem cum πιτύρους vel σανίσι. Tm. 3. MS. ita: ἑπτὰ ἢ (vulgo ἕπεται) ἴνιοις ἀνίσσεται ἡ τελείης (vulgo tantum ἀνίσανται) ὧν ἕκαστος κατὰ τάξιν καλεῖται πρῶτος βόλος, καὶ δεύτερος, καὶ ἑφεξῆς. Illud βόλος mihi rectius vulgato βῶλος videtur. Verum & aliud quid latet sine dubio hîc, quod tu, sagaciſſime juvenum, facile eruas, & ni fallor deliteſcit menda in cubili ἴνιοις. Facit, hoc ut ſuſpicer, Heſychius, qui: ἔννιον, κώπης μέρος· τὸ ὅπῃ τῷ σκάλμῳ ἔνδον ἐν τῇ νηΐ — C. 10. tm. 18. fine ἱερεῖα ἐθύσαντο, ἐσφαγίσαντο, ἐσφαγιάσαντο. MS. illud medium ἐσφαγίσαντο non habet: & neſcio quid ſignificet in hac quidem re ſacrificiorum. Tm. 19. ἐμετάλλευσαν, ἐπατάλλευσαν. alterum illud MS. non habet, & quaeſo quid eſt verbi? an forte legendum ἐπατ[τ]άλλευσαν? πατ[τ]αλεῦσαι lego in Suida, πεσσπῆξαι, quod de machinis forte non inepte dicatur. an tanquam ex priore male repetitum, delendum? emendare tamen placet. Sed ut quidque ſub manu ita quaedam addam, quum occaſio de ſubito ad vos litteras mittendi offeratur. cap. 14. περὶ ἀμάξης. locus ibi ita in Ms. ὑποπίπτει ἢ αὐτοῖς ξύλα, ἃ θάραια (ſine accentu) ὀνομάζεται. Certe vulgatum καὶ ποθαραῖαι neſcio quid corruptionis innuat. l. 11. ſub finem, ubi vocabula, quae a δίεις deducuntur, recenſet, ea habet omnia MS. praeter unicum πεισφὶς. quod profecto neſcio quid ſit rei. L. 111. c. 2. περὶ θείων &c. & hunc locum corruptum puto, qui ſic in vulgatis. Καλλίας ἢ, δυαδιλφίδῃ πυτῷ μυχῷ: in MS. ea deſunt, & itaque inde nihil opis. c. 3. tm. 2. περὶ πεμψηρίας. initio ſtatim MS. ita: Σικελιῶται ἢ αὐτὰς (πεμψηρίας) καλοῦσι πεμυθικτρίας. an forte id rectius, quam quod *H. Stephano* placet, πεμηθητρίας. Sed addo quaedam deſperatiora, ubi divinum ingenium tuum exerceas potius, L. 1x. c. 6. (Baſ. edit. p. 483. vſ. 20.) ita MS. auctius: Αἰσχύλος ἢ ἐν ἀναγύρῳ λέγων, τῦτ' αὐτὸ πρατ[τ]ῶ δυσβόλῳ, καὶ σύμβολον ὑποτωπιλιτρώμων τὶς αὐτὸ ἀνείλετο. an? ὑπὸ τ' ἐπιλίτρῳ ὤν: Sed haec tu rectius. Statim Callimachi verſus ita in MS. ὁπ τ' ὀκεβκινοκολλύβα πιπρήσκουσιν. Quae vero paullo poſt ſequuntur Euripidis, ea corrupta eſſe patet, non ut reſtituenda. narrabo ut in MS. habentur: caetera tuae erunt διηγήσεως. Τάχα δ' ἂν εἴη πόρη, ὡς ἐυριπίδης ὠνόμασε παρθένον ἐν Σκίρωνι, λέγων περὶ τ' ἑταιρισσῶν ἐν Κορίνθῳ. Καὶ τὰς μὲν ἄξη πῶλον ἂν δίδως ἑταπα ἢ ξυνωρίδα. αἱδὲ χ' ἐπ' πτ[τ]άρων φοιτῶσιν ἵππων ἀργυρῶν. Φιλοῦσι ἢ τὰς ἐξ Ἀθηνῶν παρθένους, ἔτ' ἂν φέρῃ πολλὰς &c. vulgata ſunt in edit. Baſil. p. 454. vſ. 18. &c. Mi eximie Dn. Salmaſi, amice ſuaviſſime ignoſce impudentiae: & perſcribe ad iſta tantum quae θαυμάσιον ingenium tuum ex tempore jubet. nolim enim mea cauſſa ullo pacto te fatigari, vel tempus inſumere, quod praeripias aliis tuis meditationibus. Vale, atque ſalve, mi domine. Scripſi raptim e typographio Wecheliano a. d. vi. Id. Aug. CIↃIↃCIX.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCLXXV.

GOTHOFREDUS JUNGERMANNUS

Claudio Salmaſio S. P. D.

Heidelbergam.

MAxima laetitia me affeciſti, amiciſſime Salmaſi, quod litterarium noſtrum colloquium renovaveris. Ego enim amplius ſcribere vix audebam, quum neſcirem ſilentii tui cauſſas. De amore quidem dubitare ne leviter quidem volui, nec ulla tua vel diuturniora ſilentia, (quae tamen deprecor) id ut faciam, efficient, quam diu certe in mente vel manibus tuas amiciſſimas & eruditiſſimas litteras verſo (verſo autem ſaepius) in quibus certe non amoris ἐ'αδίως λυθῆναι δυναμένας ſigna, ſed conſtantis & minime interituri. Facile autem tibi credo, quaeque de tuo taedio perhibes, & ego novi meo malo, καὶ γάρ τι ἐκ ἀνόμοιον ἔπαθον. Senex quidam Metenſis, famoſus, medicaſter tamen, tumens τυμπάνου δίκην genu in priſtinam ἐυμέλειαν reſtituere aggreſſus fuit. Et admiſi hominem virorum graviſſimorum hic conſilio inductus, qui & adduxerant. At ille medicatis ſuis potionibus, (praeter quas admittebat nullam) ita ventriculum meum afflixit (inepte curam internarum, quae non egebant, partium inſtituens) ut prae taedio & nauſea quoque nemini amicorum reſponderem quidquam, ἀχαριτώς μάλ' ἔχων, ſi typographicas occupationes, quibus perpetuo diſtineor, poſſem quotidie profligare. Sane ille medicaſter tantum non me enecavit, abiitque re deſperata cum mala gratia. Jam paulatim benigniſſimus Deus Jungermannum tuum erigit, ita ut ſperet ſe reſumere ſerio tandem poſſe Harprocrationem hac aeſtate. Paullulum modo ſummus ille Deus valetudinem confirmet, videbo ut tandem moleſto me illo negotio liberem. Si non poſſum multa millia mendarum a me ejecta gloriari, certe tamen bona fide dixero, quot voculae explicentur, tot quoque σφάλματα, in quibus multa inſignia, me liberaſſe iſtud Lexicon. Deus modo largiatur valetudinem aliquanto minus incommodam. Dulce vero fuit de tua recuperata valetudine cognoſcere: Deoque ideo ago maximas gratias, & porro eum precor, votaque ipſi facio, diu nobis ſalvus vivas & ſuperſtes ſis. Quam gratum vero fuiſſe mihi putas, quod iterum ipſe tuum mihi μαυτῶιον tam humaniter aperias. ὦ ἀφρονες Μυσῶν θύεται. Noſti quid aliquando querebar. viros doctos plerumque ad talia ζητήματα tacere: idque ipſum te ajebas expertum fuiſſe. Certe ad Harpocrationis Lexicon illud, quod tamen innumerae mendae poſſident, ubique loci aliquot mutili & deſperate corrupti, ſymbolam hactenus contulit nemo mihi. Tu facies, mi amiciſſime Salmaſi, vel in mei gratiam, immo boni publici cauſſa, cui noſtra ſtudia inſerviunt. Sed ad rem ipſam, ubi ſtatim initio rogo, ſi plura propoſuero, ubi me expedio minus, ne id gravatim feras, quum enim tuis litteris eruditiſſimus tamdiu caruerim, vellem mihi has dapes repetere (cum tua tamen venia) largius: & ipſe ita jubes, ad tuaſ-

tuasque litteras audacter provoco. Age sis igitur ὦ φιλῶτε. In λεὶ mirus locus: ἀντὶ δ, ἕως exponit, itaque inveniri in Antiphontis Samothracica. quibus addit: πολλὴ ἡ χρῆσις αὐτοῦ. καὶ Θουκυδίδης ἐν τῷ προοιμίῳ ὕστως ἤρξατο. οὕτως μὲν ἅπαντες δεινὰ τείνει λόγους. prorsum vorsum istud prooemium perlegi, nil inveni tale. Locus sine dubio insigni vitio inquinatus, ubi ego nil nisi me haerere fatear. In Ἀξιοῖ, ita laudatur Antipho: Ἀντιφῶν ὑπὲρ τοῦ εἰς τὸ ἐλεύθερον παῖδα. titulus orationis sine dubio corruptus. Versus Eupolidis in Ἀπόκρισις. ὡς ὑμῖν ἐγὼ πάντως ἀποκεκινύμαι πρὸς τὰ κατηγορούμενα. & statim in Ἀπολαχεῖν Aristophanis: οὐ μὴν ὅγε σὸς ἀδελφὸς ἔ ἀπελάγχανε. tuo quoque judicio subjicio, cujus in ejusmodi restituendis felicitatem ex Pollucaeis locis abunde didici. Quae in Ἀπομάττων mythologumena refert, videndum Etymologicum magnum in voce δελφοὶ καὶ δελφὸς ἀνὴρ. ὡς ἄρα οἱ τιθέντες τὸ Διόνυσον ἐλυμήναντο, γύψῳ καταπλασάμενοι, ὅθεν τῷ μὴ γνώριμος γενέσθαι. quaeso si ea alibi legeris indica. ita enim illustriora mihi & aliis reddam. In Ἀπρότων. Dinarchi haec: ἐμπεπηδηκόταν τῶν ῥητόρων, ὥσπερ Ἀπρότων εἰς τὸ ἐμπόριον: addit, nisi sit γραφικὸν ἁμάρτημα, καὶ δεῖ γράφειν, ὥσπερ Ἀλησίππων. Vaticanus cod. habet ἀλητίσων. Utrum rectius judicare non possum: neutrum enim intelligo. In Ἀρχαίως iterum locus Thucydidis memoratur: Θουκυδίδης, ait, ἐν τῇ πρώτῃ τῶν ἱστοριῶν τρόπον τινὰ ἐξηγήσατο. φησὶ γὰρ τὸν ἀρχαίων πραγμάτων τὰς νεωτερους &c. Nec enim ista in Thucycide quaerens invenio. In Ἄττα, ἰνιαχῶ ἢ παρελκῇ τὸ ἄτλα. χιονίπτα, πυθὼ χελιδὼν πήνιπ' ἄτλα φαίνεται. Putavi rescribendum: χιονίδης πτ. Πύθω χελ. π. α. φ. Chionides in Heroibus & apud Pollucem laudatur. In Ἀτλικοῖς γράμμασι. Θεόπομπος δ' ἐν τῇ π. ε. τῶν φιλιππικῶν ἐσκευωρῆσθαι λέγει τὰς πρὸς τὸ βάρβαρον συνθήκας, ἃ τοῖς Ἀτλικοῖς γράμμασιν ἄλλα τοῖς τῶν Ἰώνων. Vatic. habet ἃ ἐν Ἀτλικοῖς γε ἱστηλίτευται, ἀλλ' Ἰώνων. Sic & Pithaei variae lect. nisi quod οἷς ἐν Ατ. An forte illud ἐσκευωρῆσθαι delendum & scribendum ἐστηλιτεῦσθαι, ut illud fuerit hujus glossema. Statim locus qui me magis torquet in Ἀνθέντης ὁ αὐτοχειρ, ἢ ὁ αὐτ' αἱρεῶν. διὸ παρ' Ἰσοκράτει, ἀνθέντες. Torsit & *H. Stephanum*, qui certe exemplum ex Isocrate afferre non potuit, ubi αὐτοχειρ ita usurpetur: nec ego in iis, quae exstant, reperio. Et quis ubique immorari velit? In Ἀυτολήκυθοι locus dignior, cui medicina & lux fiat: ὅλη ἢ εἶχον ἐν ταῖς ληκύθοις ἀργύριον. ἐνίοτε ἢ φίλον ἀποβάτην. Vatic. & Pith. habent ἀργύρεα, ἐνίοτε δ' φίλον ἀπ. Tu medere mi Salmasi. In Ἀφ' ἑσίας ὠπότης οἰκίας. καὶ ἀφ' ἑσίας μυείσθαι. Ἰσαῖος ἐν τῷ πρὸς καλυδῶνα. Ὁ ἀφ' ἑσίας μυούμενος Ἀθηναῖος ἦν πάντως. καὶ ὁρῶ ἢ λάκκον ἐμυεῖτο. Locus defectus: qui a me quidem frustra exspectat opem. Nolim ad βῆμα progredi: nam haec satis multa: quibus si nil responderis pro imprudentia dignam sane fero mercedem. Sed tuae litterae me fidentiorem reddidere. Quid vero, mi amicissime Salmasi, de tuis ita taces, Stephano, inquam, Callimacho, aliis praeclari illius ingenii tui (ἄνευ κολακείας dico. τὰ δὲ θεῦ, ἐγκύδεα δῶρα namque laudanda sunt) monumentis, quid illis fit inquam? Θεραπόντας certe μισῶν φθονερὸς esse minime decet. cur itaque premis tamdiu, & caussando nostros in longum ducis amores, qui πόθῳ isto tantum non γηράσκομεν. Et Eroticorum syntagma ego quoque nonnullo jure urgeo, certe

ita

ita olim promittebas, quum hanc lampada tibi cederem lubens. Catalogum nuper vidi: ſperabam in iis & ad te quid. Sed fruſtra. praeterea, ſi tituli me non fallunt, nil fere τῶ παλαιῶ κόμματος. Saeculum hoc ſcilicet ita novitatis avidum. Juſſi mihi tamen adferri *Meurſii* Gloſſarium, & *Heinſii* Horatium. Veſtri libri nimis caro Francofurti, ut noſti, venduntur. Suetonium alias *Caſauboni* veſtri deſiderabam. Sed vix obtinetur, ut audio, ſeptem florenis. Et nondum mihi conſtat, an illius magni viri Animadverſiones exauctae acceſſerint. Nec enim in rem praeſentem ire poſſum: quum hîc lectulo meo affixus tenear, Deo meo ita volente, cui ὅτι φίλον, καὶ ἐμὲι κεχαρισμένον εἶναι χρή. *Caſauboni* veſtri amorem erga me inſignem, & qualem minime mereor, ex multis litteris jam cognovi, ut ex proximis etiam, quae mihi his nundinis redditae. Cujus commentarium in Polybium an mox habituri ſimus, aveo ſcire. Sed in primis de te & tuis, mi Salmaſi: vellemque adhuc ante mortem meam hoc frui gaudio, ut tua in publico viderem. Jam nuncius advolat, *Claudium Marnium* eſſe mortuum. ipſius haeredes & Aubriani ante nundinas paullo rem librariam diviſerunt: & utriuſque jam officinae catalogum ad ampliſſimum *Bongarſium* miſi: alias novi nihil apud nos quidem prodiit: quo te impertire potuiſſem. Vale, mi amiciſſime Salmaſi, & longas has litteras in bonam partem interpretare, impolitiemque meo languori diuturno condona. raptim e lectulo meo, Hanoviae in typographio Thomae Willier hoſpitis mei in urbe nova. 1610. ipſis Non. April.

EPISTOLA CCLXXVI.

GOTHOFREDUS JUNGERMANNUS

Claudio Salmaſio ſuo amiciſſimo S. P. D.

Heidelbergam.

QUid agis, mi ſuaviſſime Salmaſi? Perpetuone ita Sigalioni ſacra voviſti? Nec tamen credo te oblitum eſſe Jungermani tui, quamvis id nulla re ſe mereri novit, quapropter ita volueris antea eſſe tuum: quod ſolum poteſt, te & eruditionem tuam veneratur, & venerabitur, quamdiu vitam habebit. Spero vero te ex diuturnis morbi tui reliquiis tandem evaſiſſe, certe ita velim, utque ita ſit, Deum ſummopere precor, & diu ſervet ſanum & incolumem. Deſiderat hoc bonarum litterarum, quod videtur inſtare, ſenium, quae immane quantum detrimentum fecerunt in obitu *Scaligeri* noſtri. Ne porro faciant, tibi profecto, tuiſque ſimilibus (quorum tamen quotus quiſque eſt?) providendum eſt, nobis inferioris ſubſellii precandum, ut Deus ideo vos ſervet. Quid multi hodie agant, vides: nil praeter calumniarum & quidem ἀμαίξας plenas evomunt in optimos quoſque, quaſi in nulla re alia ſtylum vertere poſſint vel debeant. Vidiſtin' quam aniliter convitiatus nuper fuerit *Gretſerus Molino* veſtro & τῷ πάνυ *Caſaubono*, ob editas ab utroque Nyſſeni epiſtolas & Notas. Sane ſi tu in Nilum & Barlaamum paullo liberius commen-

tatus fuisses, statim idem fatum te manssisset. Sed quo prolabor? Hoc potius, quod tamen timide facio, te consulere super aliquot corruptis Harpocrationis locis, in quo auctore adornando adhuc serio pergo, quantum per valetudinem licet infirmissimam, quantumque dolores pedis ϑ μάλ' εὖ δυσκαπεχθήτης subinde recurrentes, & me quotidie lecto affligentes sinunt. Hac conditione, si convalueris, si tibi vacat, si obiter incidet, quod ideo ad me perscribas: alias nolim, potiusque illas non scriptas velim. Ex festinata quamvis collatione Demosthenis, Isocratis, aliorum, qui exstant, rhetorum lacunas quasdam desperatas sanavi, & alia loca innumera, certe putavi me non potuisse incidere in corruptiorem auctorem. Sed restant adhuc, unde me nemo extricabit, nisi vel tu, vel liber MS. plenior. In ἀτλᾶ: ἐναχῶ ἢ περίλκει τὸ ἀτλᾶ. χιωνίπα πύθα χιλιδὼν πήνικ' ἀτλᾶ φαίνεται. Chionidem quidem comicum novi, ejus etiam heroas Suidas laudat: at loco huic nescio, inde quid medelae: χιωνίδης πα. . . . . πύθα χιλίδων πήνικ' ἀτλᾶ φαίνεται. Sic tentabam. In Ἀλφῆσαι ἀντὶ δ' Ἀλφεσάξαι, καὶ ἴσον ἀδύνατον πῆσαι. Μέναιδρος: χηραιβοῶν πιείτω τλὼ πόλιν Ἀλφεσιτῶν. Putabam. Μεναιδρος: χήρᾳ βοῶν, & videbatur mihi in eo dramate citari apud Suidam in ἀνάδοχον. Sed non tamen constituo versiculum. Nec plura: vereor enim, ne hisce peccarim. Quod si a me factum, amicus amico amice condona, & vale atque salve, mi amicissime Salmasi. raptim a. d. 16. Kal. Hanoviae in urbe nova ex aedibus hospitis mei Thomae Williari. 1609.

EPISTOLA CCLXXVII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Nobilissimo & Clarissimo Viro

CLAUDIO SALMASIO

in Academia Lugduno-Batava Professori Honorario, de omni Antiquitate optime merito, Domino meo.

Leidam.

SI quis est in natione nostra, qui, ubi illam famam rumores distulerunt, ex animo favit seu Academiae Lugduno-Batavae felicitati, cui tua praesentia illustrari concessum, seu tuo honori, qui soli virtuti tuae imputari se patitur, seu denique ipsi Germaniae, quae viciniore fruitur Litterario sole, eum me esse ajo, atque tibi ut persuadeas, oro, Nobilissime & Clarissime *Salmasi*. In religiosum enim nominis tui cultum rapuerunt me veluti limphatum tua in eruditionem omnem merita, omnem aestimationis gloriam, & judicii aleam supergressa: quibus tanta sum doctus, indoctus alias & rudis, quanta per vitam doceri posse vix speraveram. Itaque non potui, istius admirationis molem mente non capiente, moderari amplius libidini meae, aut verecundiae fi-

nes

nes non migrare, ut non fronte commaſculata devotionis meae apud te indicium profiterer, & referri in numeros cuperem eorum, quos cultores tuos noſti, & aliqua benevolentiae ſtrictura remuneras. Plures enim quam ſcire potes, ubique a ſole exoriente utque ad Maeotis paludes admiratores peperit tibi incomparabilis illa quamlibet doctos erudiendi felicitas: nec ſingulorum mentes hanc audaciam praetumunt, ſuae humilitati faſtidium veriti, ut innoteſcere cupiant iis, quos in tantam ſublimitatem fama evexit. A quo metu immunem non facit me ulla meae dignitatis, ſed tuae humanitatis opinio, quam praecipue ex familiari colloquio magni amici tui *Hug. Grotii* nuper Hamburgi didici, & tum quoque timidi voti murmure, operam daturum, ut experirer ipſe, me obligavi. Eaque religione nunc me ſolvo, per communia muſarum ſacra, in quibus te ſummum antiſtitem veneramur, nobis placentes, ſi myſtis eſſe liceat, orans; ut gratam tibi eſſe hanc ſcriptionem hominemque velis, temeritatemque, ſi quae eſt mea, ſtudio rem litterariam promovendi, & te ſubmiſſe colendi, condonare. utque hanc ſpem res aliqua mihi affirmet, patere, quaeſo, me nec fruſtra expectare edecumatam cenſionem tuam ſuper his paucis in Martialis quaedam loca, quem docto ſeculo in auguſtis tuis ad hiſt. Auguſtam notis promiſſum a tua lima avide deſideramus. Lib. XI. Epigram. 9.

Laſſa quod heſterni ſpirant opobalſama drauci;
Ultima quod curvo quae cadit aura croco;

Valde dubito de hac lectione, obſcaeni enim hominis unguenta quis non abhorreat? tum *laſſa opobalſama*? Itaque ſuſpicor rectius legi in MSC. Norico, quique jactat *T. Gennadium* recenſitorem, ac Palatinis:

Lapſa quod externis ſpirant opobalſama truncis

Sic Tragicus Herc. Oct. 792. *quod Phoebum colens Dives Sabaeis colligit truncis Arabs.* eodem XI. Lib. Epigram. 44. turpi quidem verbis, ſed quod mores probos non inquinat:

Parce tuis igitur dare maſcula nomina rebus:
Teque puta cunnos, uxor, habere duos.

MSC. *Uxor hiare duos.* Horatius: Ep. VIII. *hietque turpis inter avidas nates podex* Lib. XII. Epigr. 32.

Portabat uxor rufa crinibus ſeptem.

MSC. *Uxor capta* quod non intelligo, niſi emendandum *capra*, quod in convitiis obvium: ſane Lib. VII. Epigram. 86. pro *Catellae*, *Capellae* invenio. Errat *Joſ. Scaliger*, qui percrines ſeptem intelligit ſeptem ſertas, vittae & crinibus ipſis implexas, ad Feſtum. Innuit Martialis foeminam fuiſſe calvam, ut ſummum formae dedecus indicaret. ut hoc Libro Epig. 7. *Toto vertice quot gerit capillos; Annos ſi tot habet, Ligia, trima eſt.* Et VI. 74. *calvam, trifilem.* Et Lib. III. Epigr. 93. *Et tres Capilli, quatuorque ſint dentes.* Lib. XII. Epigr. 57.

Dicet, quot aera verberent manus urbis
Cum ſecta Colcho Luna vapulat rhombo.

Ambigo, an sit *septa* scribendum. Ovid. 1. Amor. Eleg. 8.

Quid torto concita rhombo Licia.

Et familiaris confusio harum litterarum. Invenio, *Salipto*, *Copta*. Et Lib. x. Epigr. 48. *septa*, pro *saluto*, *cocta* & *secta*: Ibidem:

Nos transeuntis visus excitat turbae.

Forte, *nisus*, scribendum. ut innuat motum agitantis & densentis se turbae. In Xeniorum Libro. post Ep. LXVII. inveni in MSC. distichon quod abest a vulgatis quos vidi: inscriptio: Phasiani duo:

Quas Argoa prius transvexit Phase carina,
Oris avis sapidi foemina virque sumus.

De quo uti & de caeteris omnibus tu quid sentias, vir maxime, magnopere scire & ingenii mei plausum cognoscere haveo. Salve, & vale publico bono, meque amare incipe qui devotissimus Excellentiae tuae cultor. scripsi Bremae IV. Kal. Decemb. Julian. Christi CIↃ IↃ CXXXIII.

Has summi viri *Gronovii* ad *Salmasium* epistolas debemus viris egregiis & humanissimis *Francisco Sevino* & *Claudio Sallierio*, qui ex Bibliotheca Regia Lutetiae descriptas ad me transmiserunt, hic & illic vero voces quaedam, quas ille, cui describendi partes mandaverant, non bene assecutus erat, excidisse, vel perperam expressas esse animadverti, quare aliquando conjectura fuit utendum, in qua si aberravero, divinanti ignoscet lector, denique unam aut alteram etiam deesse Epistolam ex argumentis reliquarum deprehendet lector. Respondit ad hanc *Salmasius* Epist. XLIV.

EPISTOLA CCLXXVIII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

[1] *Claudio Salmasio.*

Leidam.

NObilissime Domine, Admirationem tui auxit maxime mihi illa felicitas, quae semel iterumque, cum Lugdunum vestrum praeterirem potius, quam intrarem, colloquium tuum participare permisit. Etsi enim praeclara illa ac diu reperta, quibus litteras sine pari demeruisti, quemvis facile inducant, ut nihil nisi maximum de te concipiatur, tamen omnia fidelius committuntur oculis, & praesens intuitus diutius haesuras imagines animo commendat. Ne dicam, quod recedere non licet ab aedibus tuis, nisi ingenti litterarum flumine inundatum, humanitatis tuae prothymia plane obrutum. Unde mihi amabili isthac, sive opinione, sive errore blandior, non vulgarem esse affectum, quo religionem mei erga te cultus remuneravis; nec ingratum fore auribus tuis, si de vitae genere, cui libertatem meam transcripsi, aliquid familiariter narrem atque in sinum tanti fautoris fortunae meae aestus expectorem. Fuerant amici, qui comitis Nassovii *Guilelmi*, Administratoris Zelandiae, filio *Mauricio* adjungere me volebant. Sed iidem cum de toto negocio ad D. *Altingii* consilium me remitterent, dissuadenti huic, ne hanc provinciam susciperem, quod non paulo feliciori sorti reservarer, manus dedi. Itaque

[1] Respondet *Salmasius* Ep. XLVIII.

que poſt aliquot ſeptimanarum decurſum parui jubenti me citato Noviomagum ire, quaſi rem factam habiturus, & in vacuam poſſeſſionem invaſurus apud Lansbergenſem Principem, fretus ipſius promiſſione, fore ut ſtatim poſt abitum per litteras illuſtriſſimae matri commendarer. Devoro incommoda itineris, & ſumptus illos animoſe profundo: ſed cum eo veniſſem, alia inveni omnia, & ultra tres, ut minimum, menſes expectationes meas differendas audivi. Porro quaſi non ſit ſatis in iſta itineris, ſumptuum, temporis improbe deperditi damna, velut in ſagenam me eſſe conjectum, ubi redeo Amſtelodamum, affertur mihi nuncius horribilis, κήρυξ ἀχέων, alii cuidam, ſerius hanc ſpartam ambienti, auctorem fuiſſe D. *Altingium*, ut ſe ſuaque quacunque ratione commendaret, eſſe enim rem integram: ſic ferre cogimur mortales judiciorum ludibria, & ab iis ad nitendum petere alas, quibus magis in deliciis eſt, pinnas, ſi quas habemus incidere, quàm quas non habemus, addere. Itaque cum viderem ſimplicitatem meam malis artibus deludi, mihi cum iſtoc altero, cui *Altingius* magis factum vellet, in ambiguam litem deſcendendum, favore, non virtute ambiendum, non ſuſtinui diutius videre tam inique paria componi, & ludus eſſe jocantibus damno noſtro, a quibus nihil tale meruëramus. Jamque abjecta omni ſpe in eo eram, ut aptis ſarcinulis & expeditis Groningam reverterer, meoque modulo me includerem, cum vir in hac Republica ampliſſimus *Michael Pavius* me vocavit, & ſermonibus ultro citroque habitis, ſi ſui fratriſque filii ſtudia ordinare vellem, praeter convictum, habitationem, aliaque, quae ad horum commoditatem neceſſaria, ſtipendium C. Imperialium humaniſſime promiſit. Ego, qui cogitabam rem certam incertae quamvis amplae ſpei praeferendam, hic plus dapis & minus rixae atque invidiae me habiturum, tum ſtudiis quietem aptiorem in privato, quam aulicas inter turbas fore, conditionem accepi, ac ventos & inania captare deſii. Hoc meum infidorum amicorum experimentum cum cataſtrophe, quae ſcilicet tanti erat otioſe hîc narrare, ut tibi, Vir maxime, odium eſſem, & graviores occupationes nugarum longis ambagibus morarer. Ignoſce nimiae fiduciae, quae talis eſt, ut vel ſic habere me, quod caelo imputem, credam, cum etſi quotidie adeſſe negatum, tamen propius abeſſe licet, & quod non ab nectareo tuo ore pendenti per litteras citius ſubinde doceri. Quam in rem ecce tibi vitrea fracta, id eſt emendationum Lucretii, ad quas Domini *Voſſii* liber MSC. me manu duxit, guſtum: quae valde vereor ne plurimum traxerint ab languenti animo & ad meditandum plus quam inepto. Patere, quaeſo, me hunc fructum ferre ſinceriſſimae meae erga immortale nomen tuum obſervantiae, ut cenſionem tuam accommodes & diviniores meditationes tuas ſuper iiſdem locis mecum communices. Secus, damnabo ſtudium meum, & ipſe operae pretium me feciſſe non putabo. Dominus *Sixtinus*, qui te utique pro meritis tuis aeſtimat, attinetur neſcio quibus negociis, ut interea non niſi ſemel mihi cum ipſo colloquium fuerit. Etſi verbis ſatis magnifice promittit, & ſalivam theſaurorum ſuorum audientibus movet, tamen videtur eorum eſſe plus nimio retinentior, & cum haereditate librorum *Gruteri*, ſimul ejuſdem optimi viri

certe hac in parte invidentiam creviſſe. Incluſam Schedam ni grave eſt, cum tuis remitte quas deſtinabis Amſtelodamum rectaque mittes ad eum, qui navicularíam exercet, ne iterum morae nobis ſit, ut antea oſcitantis Bibliopolae, apud quem per tot menſes tuae delituerant. Vale, vir & Fautor incomparabilis cum omni familia. Scripſi Amſtelredami Prid. Eid. Aug. Juliani Anno Chriſti CIↃIↃCXXXIV.

a Deeſt ſchedula, quae emendationes Lucretianas continebat ſed ex *Salmaſii* reſponſo patet de quibus egerit.

EPISTOLA CCLXXIX.

JOH. FRED. GRONOVIUS

[1] *Claudio Salmaſio Salutem & obſervantiam.*

Leidam.

Libero fidem meam, vir maxime, quam appellas, & Catalogum fibularum theſauri, ut eum a [2] Paſtore Noviomagenſi accepi, tranſmitto. Qui ſi alicui tibi futurus eſt uſui, habeo quod gaudeam: ſin, conſtabit tamen memorem me promiſſi paruiſſe juſſis tuis. Vir bonus, & ſupra captum maximae partis ſui generis hominum eruditus, captavit occaſionis articulum in alloquio tui, cui ſiquid reſpondebis, ad me delatum tuto curabitur. Nos autem cum deſiderio expectamus Ἰτῶν ἐξοδια δωεα, tuum, inquam de re veſtiaria libellum, tum Arnobianas notas. Hic enim tam variae doctrinae ſcriptor, tantus Varronianorum ſcriniorum compilator, tot cruces, quoties legimus, nobis deſtituit, quot eximere interpretum antehac conniſus ſatis eſt nemo, te ab ſtirpe excidiſſe ſpes eſt, aut omnes aut plurimas. Suſpicio judicium magni *Grotii* noſtri, quem recordor, quum de loco difficili conſuluiſſem, etſi alias promptiſſimus in reſpondendo eſt, ad te digitum intendiſſe, tuaque ut expectarem, juſſiſſe hoc Catone contentus. Quid autem dicam de iiſis in Lucretium, quibus me nuper beaſti?

Nectar & Ambroſiam latices epulaſque Deorum

guſtaſſe ſum viſus. Atque hae quo plus ſunt potae, plus ſitiuntur, ut non ignoras. Itaque plura nunc quoque miſiſſem quibus eandem vicem referri peterem, niſi vererer transgredi verecundiae fines, & nimium mihi rapere ocii tui, cum & de incluſa diſſertatiuncula quid ſentias, ſcire haveam. Paucula tamen, quae in MSC. reperi, & dubito num carbonem pro theſauro hic ponam, uti diſcam, poſſitne inde aliquid ad lineam extricari an rejicula ſint & purgamentis librariorum deputanda. Lib. I. in princip. de Memmiada: *omnibus ornatum voluiſti excellere rebus*, MSC. *ora latum*. Lib. III. in querulis quaſi praeficarum vocibus: vſ. 907. *At non jam domus accipiet te Laeta*. MSC. *Vim* non *jam*. vſ 934. *aeternum per nos ſic eſſe ſoporem*. Monſtrum Lectionis in MSC. *per nos ſic eſſe praemo*. vide, magne Pontifex noſter, quomodo expiari poſſit. Lib. IV. vſ.

1 Reſpondet *Salmaſius* Epiſt. L. & LI.
2 *Johanne Smithio*.

Digitized by Google

vſ. 1202. *cum ſemen forte virile, Faemina immulſit.* MSC. *cum ſemine forte virili Faemina vi mulcit.* Lib. v. vſ. 678. *Conſequa natura eſt jam verum ex ordine certo.* MSC. *Conſequiae quoque rerum ex ordine certo.* Damno verſus. Editio Florentina, cui variantes aſſcripſerat quidam *Carolus Strotius*, olim *Joſephi Scaligeri*, e manu iſtius in margine exhibebat: *Conſequitur naturae eſt jam ſeries.* videtur aliquid latere. Lib. vi. vſ. 641. *neque enim media de clade coorta.* MSC. *neque enim media greciade coorta.* Edit. florentina: *media de glande.* Illud *volventes frigora fontes.* quod eleganter explicas, confirmatur quoque alio loco lib. iv. vſ. 260. *Ventus enim quoque paulatim cum verberat, & cum Aere ferit frigus.* MSC. *Aere fluit frigus.* ſic Lib. vi. vſ. 925. *Perpetuo certis fluant ab rebus odores, Frigus ut a fluviis, calor a ſole, aeſtus ab undis Aequoris.* Idemque ingerunt quae habentur Lib. iv. vſ. 225. De his omnibus quid ſentias ſi contingat mihi ex tuis cognoſcere, ſummo me beneficio affectum putabo. Et ſi enim plura debeam, quam quae tam arcto & grato nexui unquam me exſolvi patieris; at nihil gravius accidere mihi poſſit, quam ſi ex eo aere me dimiſſum velis, & cum eo rem tibi eſſe putabis, qui quamdiu vivet, & quicquid poſteris relinquet, magnam ponat in ea confeſſione gloriam, quo doctore profecerit. Tu vale, & me fovere perge. Amſtelredami vii. Kal. Septemb. Juliani ciɔiɔcxxxiv. qui quod te cognoviſſe, vidiſſe, tam prothymo uſum eſſe conceſſit, aeterna mihi in memoria.

EPISTOLA CCLXXX.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio Salutem & cultum.

Leidam.

ETſi ſerio exoptarim, non hac ſtaturam ſalutationem tui praeſentis, cum in aedibus *Voſſii* a me convenirere, tamen reputans a pluribus te adiri, quam vel ipſe velles, & hanc litterarum viam mihi ſervans, indecorum putavi undam ſalutatorum augere, & partem recreationis, quam huc excurrendo quaeſiveras, perdere. Nihil in aetate gratius contingere mihi potuiſſet, nihil quo ante obitum beatus fuiſſe videar, certius quam perpetuo guſtare vel audire Nectareos ſermones tuos, qui nec breviſſimi me dimiſerunt, ni aliqua eruditiorem. Sed ſic ſemper fui φιλομαθὴς, ut potiorem modeſtiae rationem duxerim, caverimque omni modo, ne in eorum cenſum referri mererer, quos modeſtos dixere veteres, quibus debetur illud, *Nimium timis.* Ideo, Vir maxime, ne, infrequens ſi in officio fuiſſe exiſtimer, minimam culpam imputes aut negligentiae aut moroſitati, ſed ſi ulla eſt, ſtudio potius meo, ne nimis familiariter odio tibi eſſem, alias ille, quo nemo mortalium virtutum tuarum agit reverentior, quoque vel vicem mediaſtini (tantam obligationem ultro profiteor) uti potes. Schedas meas a *Scriverio* tandem recepi, ut eas paululum interpolatas typographo, ſi cujuſquam notitia mihi eſſet, darem. Spe-

ro

ro *Boxhornium* amici officio hic functurum, Incluſas miſit ad me ante paucos dies *Smithus* noſter, ut videbis, priores meas redeuntem inveniſſe puto, flagitoque amice reſponſum. Aveo quoque audire judicium tuum de difficillimo, ut vides loco Lib. VI. Lucretii vſ. 954. *Undique qua circum caeli lorica coercet*, Ubi neque MSC. qui *denique qua circum caeli*, neque interpretes mihi ſatisfaciunt. A te expectamus ea quae alias docere nos queat nemo. Salve, heros incomparabilis, & vale cum omni familia. Scripſi Amſtelredami Prid. Non. Octob. Ad CIↃ IↃCXXXIV.

Reſpondet *Salmaſius* Epiſt. LI. & LII.

EPISTOLA CCLXXXI.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio S.

Leidam.

UT ſcias nondum deſultoriae iſti vitae me ἱρῶσθαι dixiſſe, tranſtuli Hagam Comitis frivola mea in aedes *Regnerii Pavii* Senatoris. Ita placuit noſtris, qui pecori imperitant. Fateor prope fore, ut ſi me ἀμαξόβιον quis vocet, agnoſcere cogar convitium, & advocationem non mediter. In muſarum tamen viretis nunquam erimus peregrini. Itaque incredibile gaudium meum, quod concivit feliciſſima enodatio tuae ſortis verae Delphicae, apud Lucret. VI. 747. *apud, acri ſulpore montes.* Neque caetera aliter me afficiunt. Calpurnii, tamen Declam. II. *naturaliter fuſcos artus umbra cogit albeſcere*, nondum ſatis capio, *Fuſci*, credo, erunt, qui ut Perſius loquitur, *fixerunt in cute ſolem*, & poſtea ab illo inſolationis exercitio abhorrentes domi ſe continere, ut in umbra palleſcere caeperunt. Sed videtur ἰμφαπτῶς prolatum, *naturaliter fuſcos.* Et videtur in hoc vis argumenti declamatoris eſſe, ſi tempori tantum licet in naturam, quid naturae in ſeipſam & ſui munera. In Arnobio *carnem* fateor a ſono vulgatae diſtare, at non a litterarum apicibus; fuerit vetus ſcriptura, *carem* quam facile *v* pro *a*, *a* pro *e* ſupponitur. Nempe in Lucretio quoque *ecris* pro *acris. In valetudinem vertere* explicatur ſequentibus. *prandia inde & caenas conficere.* Neque aliud intelligit Lucretius, cum ait *pecudes verti in noſtra corpora.* Alimentum puta in id, quod alitur. Sic apud Tragicum, Herc. Furente . . . *igniferas trabes hinc inde traxit, nimia quas flamma occupat, totaſque in ignem vertit.* Scilicet materia eſt alimentum ignis, & generatio unius corruptio alterius; ſed nugae hae ſunt. A tua Cortina Arnobiana veritatem expectabimus. Laetatus ſum, cum cognovi ex *Voſſio* ipſum illum ſcriptum codicem inſpectione tua te dignatum eſſe. Nec dubito deſperatiſſima quaeque, ubi adhuc viri docti in tenebris micarunt, tibi ſe debitura. Illud per Genium tuum te rogo, ut pergas me adhibere menſis iſtis. In Lib. III. vſ. 966.

At

At qui obitum lamentetur miſer amplius aequo
Non merito inclamet magis, & voce increpet acri:
Auſer abhinc lacrymas, barathre, & compeſce querelas
Grandior hic vero ſi jam ſeniorque queratur
Omnia per fructus vitai praemia marces;

Non videntur haec cohaerere & verſus quartus ponendus in locum ſecundi. Sed quid illud *Barathre*? quod ſervent MSC. an *Balathro* qua voce uteretur ex lege allegoriae. ut vſ. 951. *plenus vitae conviva*, & vſ. 973. *Satur ac plenus rerum*. Certe talis figura impedivit Librarios, ut corrumperent locum in Lib. 1. Auguſtini de Civitate Dei. c. 30. *Eaque ipſa Libido Dominandi, quae inter alia vitia generis humani immoderatior inerat univerſo populo Romano.* Ita vulgo: At membranae Noricae, quas inſpexi, exhibent, *meracior*, pro *immoderatior*, quod ſervat in margine optima omnium Editio Pariſina. Plane apparet vulgatum eſſe alterius interpretamentum. Livius Lib. xxxix. *nimis avide meram haurientes libertatem.* Arnobius: *o meraco ſapientiae tincti & ſaturi potu.* Ipſeque Auguſtinus hoc lib. c. 32. *mens tam diu potatis erroribus ebria.* Et utitur ſimili allegoria Plato Lib. viii. de Rep. ubi de ὀχλοκρατία agit, ſed liber non eſt ad manum. haec eo lubentius, quia MSC. Scriverianum etiam penes te eſſe puto. Lib. iv. vſ. 166.

Quandoquidem ſpeculum, quodcunque obvertimus oris,
Res tibi reſpondent ſimili forma atque colore.

Mire hîc ſe torquet *Gifanius*, *Turnebus* quoque & alii. At legam ex MSC. *quocunque oris*, ab *ora* quae notat extremitatem rei, circumtexturam, vel circumcaeſuram ut Lucretius appellat. *Quocunque ergo obvertimus oris*, ſeu extremitati rerum *ſpeculum*, ſimili colore res eae reſpondent in ſpeculo, ut eſt in extremitatibus. Patet hoc ex vſ. 156.

Et quamvis ſubito, quovis in tempore, quamque
Rem contra ſpeculum ponas, apparet imago,
Perpetuo fluere ut noſcas e corpore ſummo
Texturas rerum tenues, tenueſque figuras.

Lib. v. vſ. 583. *Ut eſt oris extremis cunque locata.* *Orae* ſunt corpora ſumma, cum quo quia immediate cohaerent tenues texturae, quas vocat Lucretius, pro his illae ſumuntur nonnunquam: ut Lib. iv. vſ. 179.

Nunc age quam celeri motu ſimulacra ferantur,
Et quae mobilitas ollis tranantibus auras
Reddita ſit, longo ut ſpatio brevis hora feratur.

Legendum eſt: *brevis ora feratur.* Quod poſtremum verbum eſt in o. MSS. *Brevis ora* eſt textura tenuis. difficillimum ſenſum mira hypallage fingebat *Gifanius*, ſed haec omnia aut tibi placeant, aut dicta nolo. Vale, prima gloria litterarum, & me ama. ad *Smithum* quum ſcripſeris, litteras ad me mitte; diligentiſſime curabuntur. Hágae Comitis xi. Kal. Novemb. Juliani Ad CIↃ IↃ CXXXIV.

EPISTOLA CCLXXXII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

[1] *Claudio Salmaſio Salutem & obſervantiam.*

Leidam.

Silentium tuum, Nobiliſſime Domine, dubitare me facit an ultimae meae, quas per ordinarios aurigas miſi tibi redditae ſint. Quod tamen magno velim ego, qui in iſtis omnem a me ſuſpicionem Lucretii cauſa candide fueram amolitus. Repeto eam mihi mentem eſſe, ut quicquid aggrederer, ſi viderem ſtrenuiorem athletam Iſthmia deluctari velle, lubentiſſime manum ſub togam retraherem: Nedum, te, o temporum noſtrorum gloria, cui uni neminem inter eruditos comparo. Repeto etiam nihil a te poſſe fieri, quod me offendat, niſi ſi amare deſinas. Quod ut extremi ſupplicii mihi inſtar eſſet, ita nunquam tam malis moribus ero, ut merear. Certe ſi quid in eum ſcriptorem cogitarem, non praecipitarem & male cocta promerem, ritu illorum, qui proponunt famam, antequam naſcatur. Premerem profecto in annum, nec te unquam dimitterem aut copias tuas. [2] Qui ultimus Lucretium editum cum magnifico praeconio optimo *Voſſio* noſtro dedicavit, ſi vidiſti, quid praeſtitit, quaeſo, niſi quod librariorum ſcrinia Voluſianis chartis exuberantiora fecerit? Mallem alterutrum ex doctis commentatoribus ſive *Lambinum*, ſive *Gifanium*, curaſſet excudi. Stulti indices, qui typographorum etiam errata fideliter exhibent, plerumque a paedagogianis pueris collecti, quid habent ſimile ad *Gifanianum* iſtum? Quae nos faciunt non omnino viribus noſtris indubitare, etſi alias ſemper eſſe malim, ut ille ait, obtrectator mei. Sed ut dixi, inter ὁ μαθὼν eſſe volo prae quam cito ineptus videri oſtentator. Tuas ad *Smithum* diligenter curavi. Adjeceram prioribus meis rejiculam quamdam in Tertulliani de Pallio locum conjecturam, cujus jacturam, ſi illae periere, leviſſime fero: ſin, etiam nigrum theta tuum lubens praefigi patiar. Quaeſiveram etiam quid in Feſto & Macrobio intelligeres per *mundum patere*. Doce me, quaeſo ſis, ſi lubet. Illuſtriſſimae principi Landsbergenſi inſcius & praeter ſpem commendatus placui: ſed obſtat communibus votis Dominorum meorum moroſitas, qui obligatum ad certum tempus dimittere nolunt. Ac etſi autoramentum nullum acceperim, neſcio tamen qua verecundia vi nexum rumpere non ſuſtineo. Laboratur tamen etiamnum in ea re a nonnullis, quamvis ambiguo eventu. Poſt octiduum revertendum mihi eſt Amſterodamum in aedes *Michaëlis Pavii*. Itaque ſi ante reſcribendi ocium non fuerit, tuae me ſequentur. *Iſacius Pontanus* miſit ad me MSC. codicem Cypriani, bonae, ut ſpondet, notae. Facturus ne operae praetium ſum, ſi excuſſero? Germania noſtra extrema patitur. Hodie litterae Noriberga nunciant mihi a Kalend. Auguſti uſque ad Cal. Novemb. unum & viginti millia hominum peſte in ea urbe

1 Reſpondet *Salmaſius* Epiſt. LVIII.
2 *Danielem Pareum* intelligit, qui Francof. 1631. edidit, & *Voſſio* inſcripſit Lucretium.

urbe periiſſe. Vale, primarium aevi decus. Hagae Kal. Decemb. Juliani Ad CIↃ IↃCXXXIV.

EPISTOLA CCLXXXIII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio S.

Leidam.

MAxime Virorum. Non ſine admiratione, *Smithum* nondum reſpondiſſe, accepi. Cum enim comitatem ipſius & promptitudinem noſſem, putaram alia via eum in ſuis curandis uſum, & recta Lugdunum eas deſtinaſſe. Itaque ſubiraſcebar illud officium mihi eripi. Recipio autem tibi, nobiliſſime Domine, fideliter tuas ordinariis tabellionibus commendatas. Statimque, ut poſtremas legi, ſcripſi *Smitho*, & lentitudinem ipſius admonui. Sed ne nunc quidem ullus mihi apex inde: ut verear, ne optimus vir cauſa ſontica & noſtris & ſuis deſideriis excludatur. Sed avertat Deus omen. In me, ſi quid accepero, nihil erit morae. Merito ridiculum *ἀναχρόνισμα* quorumdam nimio affectu Pontificiorum, ſed dolerem ex MSC. Codicibus nihil opis a me adferri, niſi ipſa ſe veritas facile probaret. Ne nihil agam, mitto indiculum opuſculorum quae in illo leguntur, ne ſimiliter in poſterum fruſtrer. I. Epiſt. ad Donatum: *Bene admones.* II. de habitu virginum. *Diſciplina cuſtos.* III. de Lapſis: *Pax ecce.* IV. de Eccleſiae Catholicae unitate. *Commoneat Dominus.* V. de orat. Dominica. *Euangelica praecepta.* VI. de opere & Eleemoſinis. *multa & magna.* VII. de Mortalitate. *Etſi apud plurimos.* VIII. ad Demetrianum. *oblatrantem te.* IX. de bono Patientiae. X. de Zelo & Livore. XI. Epiſt. ad martyres & confeſſores. *Exſulto Lactus.* XII. Epiſt. ad Moſen & Maximum Presb. *Gloriam fidei.* XIII. Eiſdem. *Et cunctos nos par.* XIV. Presbit. & Dd. Frr. *Quanquam ſciam, fratres cariſſimi.* XV. Presbiteris & Diaconis, item plebi. XVI. Eiſdem. *agnoſcenda & amplectenda.* XVII. Cornelio fratri. *Cognovimus.* XVIII. Epiſt. Multorum ad Corn. Fr. *Statueramus quidem.* XIX. Cornelio. *Legi Litteras tuas.* XX. Eidem. *Et cum diligentia & d.* XXI. *Et religioſum & neceſſarium.* XXII. Eidem. *Quod Dei ſervis & maxime.* XXIII. Eidem. *Venerunt ad nos.* XXIV. *Et egiſſe nos & agere.* Eidem. XXV. Cyprianus cum Colleg. Lucio F. *Nuper quidem tibi.* XXVI. Maximo & Nicoſtrato. *Cum frequenter Cariſſimi.* XXVII. Pr. & Collega Lucio. *Exſultantibus nobis.* XXVIII. Rogatiano presbitero & confeſſori. *Et jam pridem.* XXIX. Plebi univerſae. *Quanquam fratres Cariſſimi, Virtus.* XXX. Nemeſiano, Lucio &c. *Gloria quidem veſtra.* XXXI. Cypriano fr. Nemeſianus. *Cum ſemper magnis.* XXXII. Quod Idoli Dii non ſint. Haec ſunt, quae in codice illo continentur; unde ſi quid ſcrutari me tibi velis . . . . *& hoc & omne militabitur Bellum in tuae ſpem gratiae.* memini cum primum litteris Brema datis, favorem tuum ſollicitaſſem adſcripſiſſe me epigrammation Martialis *Phaſiani duo*: quod inveneram in

MSC. Cod. *Pirckheimeri*, proximo bonitate poſt Palatinum *Gruteri*. Idque tibi vehementer probatum. Poſt id tempus nefaria manus ſpoliavit me omnibus chartis, tam quae excerpta ex MSC. quam quae conjectanea ſervabant. Concluſeram in vidulo, & ad iter ſubitaneum eram compoſitus, ea ſcilicet cauſa, ut hujuſmodi luctus mihi indiceretur. itaque miſcellanea, quae vidiſti, nihil aliud erant, quam obſervata, ex fuga retracta paucarum horarum ſpatio, ut vos ſalutaturus non omnem ſpem veſtram minuerem, nec plane a Muſis incomitatus eſſem. Et forte abſque hac honeſta ambitione fuiſſet, ejuraſſem omnem bonam copiam, & nuncium remiſiſſem tam infeliciter tentatis Litteris. Nunc etiam gratias incentivo iſti ago, & quotidie memoria, quae amiseram, recolligit. Sed haec ideo ne mireris, quod peto illud diſtichon mihi deſcriptum mitti de Phaſianis duobus. tale erat:

Quas Argoa tranſvexit Phaſe carina
Oris avis ſapidi faemina virque ſumus.

Sed quocunque me vertam, tertiam vocem recipere nequeo. Vale Nobiliſſime Domine, & Libertati meae ignoſce. *H. Grotium* cum Legatione Lutetiam miſſum, & una cum uxore perveniſſe indicavit mihi nuper *Voſſius*. Iterum Vale. Amſtelodami VI. Eid. Febr. Anno Chriſti CIↃ IↃCXXXV.

Reſpondet *Salmaſius* Epiſt. LXIX. ſed ex Epiſt. LXV. unam *Gronovii* intercidiſſe, ſuſpicari licet.

EPISTOLA CCLXXXIV.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

MAxime Virorum. &c. Jamdudum manifeſto rubore ſuffundor, quod toties inſuavi alloquio graviſſimas occupationes tuas moror. Eſt is honor homini pudico meminiſſe officium ſuum; moleſtiam autem exhibere iis, quorum incommoda publicum bonum participat, mos eſt impudenter ocioſorum. In quem cenſum ut referar grande quidem periculum eſt: fas tamen, me in priori quaſi innocentiae patrocinium quaerere. Unus es, Nobiliſſime Domine, cui ego parem faciam neminem: unus, cui me meaque probare, timidiſſimo voto exoptem. Itaque cum ſaepius Religionem meam teſtari deſiderem, fieri non poteſt, ut non aliquam culpam officioſae injuriae in me admittam. Beatus ego ſi, uti adhuc factum, tuo affectui hanc condones. Illam (quamvis & abſque hoc foret, aeternum meritis tuis debeatur) amoebaeis velut facula animare pergas. Mihi quidem nihil antiquius, quam operam ſumere, ne te unquam tui de hoc homine judicii paeniteat. A *Smitho* tandem aliquid Litterarum, omnia ſalva nunciantium, accepi. Culpam dilati reſponſi confert in pictores, quibus fibulas nonnullas rariores delineandas dedit. Ectypa ad te deſtinat, & cum litteris, ubi illa fuerint parata, propediem mihi ſubmiſſurum ſe ſpopondit. Cum Lucretium nuper *Giſanii* volverem, ſubiit conjectura.

Digitized by Google

ra ad Ovidii Locum, de qua judicium tuum audire haveo. Notat ille *contingere* antiquis dictum pro inducere, illinere, a *tango*, non *tingo*. Inter alia exempla recenſet verba Naſonis Lib. XIV. Metamorph. vſ. 345. de Pico:

Phaeniceam fulvo chlamydem contactus ab auro.

Sic enim emendare ſe ait, ex MSC. cum vulgo legatur *comprenſus*. Et ſecutus ipſius judicium *Hercules Ciofanus*: Sed veriorem puto ſcriptionem, quam & ipſe in MSC. qui penes me eſt, & illi in aliis inveniſſe teſtantur: *contractus*, ut intelligatur fibula, qua chlamys connectebatur circa collum ſic enim Naſo infra:

Purpureum chlamydis pennae traxere colorem,
Fibula quod fuerat, veſtemque momorderat aurum,
Pluma fit, & fulvo cervix praecingitur auro.

Nempe illud aurum, quod momorderat chlamydem, eandem contraxerat. Vale, Vir maxime, & me ama obſervantiſſimum tui. Amſtelodami VI. Kal. Mart. Anno Chriſti CIↃ IↃCXXXV.

Reſpondet *Salmaſius* Epiſt. LXIX.

EPISTOLA CCLXXXV.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio S.

Leidam.

MAxime Virorum &c. *Smithi* noſtri litterae tandem vadimonio ſe ſiterunt, ac nunc politiſſimis manibus tuis gaudent contrectari. Si explebunt ſitim tuam, partem abſens lactitiae capiam. Denuo ſaliva mota eſt mihi tui illius de re veſtiaria Commentarii. Vix fero deſiderium, &, ſi licet tamen, audeo familiarius poſcere, ut properes inſigni hac occaſione tua in publicum merita augere. Quae cum ſumma ſint, a te ſolo ſumma eſſe negantur, cum majoribus in dies revincuntur. Miſcellanea mea, multimodis & in aliam plane formam, quibuſdam deſectis, plurimis additis recocta edendi fervor jam intepuit. Senium merum fuere & fecere mihi typographi, qui, quotquot allocutus ſum, quaſi de compacto rem agere, captare lucrum: ita dum illi ſperant, a me illis manus adita eſt. Triumphum impudentiae abſtulit, cujus humanitatem ad invidiam mihi, & mea, ut ajebat, ipſi commendaverat *Boxbornius*, auſus ſtipulari, ut centum florenorum praetio exemplaria ipſe praeſtinarem, quantum ipſi in integrum opus vix ſumendum eſſet. Equidem nulla ambitio, ut ejuſmodi vota mihi proponerem, mentem dedit: ſed affectus in bonas litteras, & quia oſtendenda erat aliqua diligentia iis, quibus innotuiſſe rebus Germaniae noſtrae affectiſſimis, forte e re noſtra erat. Quod tamen ſi hac via prohibebitur, aliam munient tempora mea, quae opperiar, hoc Catone contentus. Interim non adeo iſta amo, ut nolim in decimum annum premere, ut omnibus juvenilis fervoris notis ipſa mora obſoleſactis puriora ali-

quando benigniores homines nactus, ſi numen volet, prodam, aut omnia junctim cum porcis cum fiſcina, ut ille jocatur, conſumi ſinam. In Cypriani libro de habitu Virginum. c. VIII. *Patrimonium tuum Deo faenera, Chriſtum ciba* &c. MSC. *Patrimonio tuo Deum faenera.* Quod & alicubi *Pamelius* invenit, ſed improbat. Et quam ille vulgatum citet, *Patrimonia tua*, eo aurigatur. mihi perelegans videtur Lectio MSC. Et ſic Martialis: lib. I. Epig. 77. *haec omnes faenerat una Deos.* Sed & idem *Pamelius* Epiſt. ad Donatum: *impletur in ſuccum cibis fortioribus corpus, & arvinae toris membrorum moles robuſte pingueſcit* &c. *toros* pro cibis gladiatorum accipit. Quo mihi nihil videtur ineptius, aut valde fallor. *Tori* enim gladiatorum ſunt, non cibi. Seneca epiſt. XV. *Cum tibi feliciter ſagina ceſſerit, & tori creverint &c.* Toties apud poëtas, *Herculei tori.* Sed de habitu Virginum, cap. 12. *Impugnatio eſt iſta divini operis.* MSC. *Indignatio.* Quaſi dehoneſtationem ea vox notet. non ſuccurrit tamen exemplum ejus ſignificationis. Tu videbis, Vir maxime, & me tui. obſervantiſſimum amore ſolito proſequeris. Vale & bene age. Amſtelodami prid. Eid. Mart. Anno CIↃ IↃ CXXXV.

Reſpondet *Salmaſius* Epiſt. LXXI.

EPISTOLA CCLXXXVI.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio S.

Leidam.

MAxime Virorum. Qui has ad te defert, Domine, *Theodorus Graswinckelius* JCtus, Vir eruditiſſimus eſt, quod plerique Gentis veſtrae peculiare habent, feliciſſimo cinno amaenitates Muſarum cum Jurisprudentia conjunxit. Adderem cultorem juxta ac mecum, id eſt ſi quiſquam mortalium vivit ſummorum tuorum meritorum devotiſſimus, ſi dubitarem, quemquam cui vera Eruditio & non mentita humanitas cordi eſt, talem eſſe velle: oſtende ei, quod me docere non dedignatus es, poſſe te verae obſervantiae amorem infucatum refundere. Quod cum ipſius virtutibus dabis, tum meae quoque ſubmiſſae petitioni, qui de affectu iſtius viri non ſine cauſa maxima mihi ſpondeo. Poſtremae tuae multum nubis mihi deterſerunt. Heros maxime, aut ſi quod nomen eſt omni veneratione majus, crede mihi, (ſine dolo dico) me unum tuum judicium opponere omnibus hujus ſeculi affaniis, quod non capit niſi ſpecie inanium validos. Nunquam ita frontem perfricuiſſem ut tantum exemplum Comitatis tuae peterem, quantum ultro me, ſi res ferret, experiri voluiſti. Et nunc quoque ut timeo a te poſcere, ut ita leves nugas typographo commendes: ita contra tamen nemini lubentius famae primordia, quam tibi debere velim. Itaque niſi jam cum hominibus majoris fidei rem omnem tranſegiſti, cum bona pace tua, ſufflamen injicio voluntati tuae, poſtquam me inſcio, qui curam mei egerunt, ante paucos dies ſuſpenſum & bonae

Digitized by Google

nae ſpei plenum me fecerunt. De quibus proximis clarius, & continuatam diligentiam meam probabo in Cypriano. Interim Vale, prima ſeculi gloria, & bene age. Vovet, qui reverentiſſimus tui, Amſtelodami XVIII. Kal. Majas CIↃIↃCXXXV.

Reſpondet *Salmaſius* Epiſt. LXXIII.

EPISTOLA CCLXXXVII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Lugdun.

IS, qui nuper veneres ſuas probare potuit tibi, *Graswinckelius* noſter, cum heri negocii cauſa huc adveniſſet, indicium fecit eorum, quae ſe inter & typographum tranſacta eſſent. Diſtuliſſe ajebat omnem rem ad cenſuram tuam, atque ita abſtuliſſe chartas meas, ut non improbatas tibi ſine mora evulgandas promiſerit. A te, Nobiliſſime Domine, quid earum vilitas mereatur, quid rurſum tuus erga hunc hominem affectus promittat, utrumque ſcio, & ſic lancem deliberationis hujus libro, ut huc fere propendeat. Interim egerit ne ille, quod prae ſe tulit, & quibus ſtudiis cognoſcere haveam. Una hac vice multa opus mihi placabilitate tua, ne aegre ferat ob nugales ineptias toties interpellari. Noſti utendum eſſe iſtorum hominum calore, & dum ferrum in igne eſt urgendum opus. Porro in illis meis, ſi quid ob oculos venerit quod meae tenuitatis & inſcitiae meae prodigum ſit, ut plurima fugere te non potuiſſe ne addubito quidem, ſerio rogo, ut ſevere moneas, dum res integra eſt. Pleraque omnia vulgaria ſunt, & conatus potius, quam res ſeriae, ſed beatus ſum, ſi vel iſto titulo cenſeantur. de caetero quae nonnunquam in viris magnis minuta deprehendo errata, in iis libertatem & modeſtiam me miſcere operam dedi. *Vincentius Fabricius* Nuperis ſuis juſſit ſalutationem & officia ſua religioſe tibi deferre, & quaerere, an quae ante dies aliquot ad te deſtinaviſſet eſſent perlata. Duobus verbis docere me ne graveris, aut ſi quid Literarum ad eum cogitas, quandocunque commodum fuerit, mihi credere tuto potes, qui hanc operam amico debeo. Tuae ad *Smithum* bene ſunt curatae. Vale, Vir ſumme, & me obſervantiſſimum tui ſolito amore dignare. Amſtelodami raptim. Nonis Jun. Anno CIↃIↃCXXXV.

Reſpondet *Salmaſius* Ep. LXXIX.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCLXXXVIII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

LUcretium recte accepi, & magnas ago gratias. Quam primum pinguius paullo otium nactus fuero, majori cura cum aggrediar. De nova Editione Apologiae Apulejanae bonum factum, quod me mones, & ut verum fatear nimium quantum videre haveo. Illud praecipue quaererem, quid de aliquot palmariis tuis emendationibus cenſuerit autor, quales: hic labratae, &, ut partim Ocenſium dicunt: quae quidem meo judicio adeo divinae ſunt, ut continuo in textum migrare illis liceat. Et ſunt iſti loci adeo inſigniti, ut nemo fere praetergreſſus ſit, qui non alia forma ſtigma inuſſerit. In eadem leviſſima mutatione unum locum emendare viſus ſum pag. 281. Edit. Elmenhorſtiana: (*Quippe ejus* (caelitis Veneris) *amorem non amaenum & laſcivum, ſed contra incomptum & ſerium pulchritudine honeſtatis virtutis amatoribus ſuis conciliare*: *& ſi quando decora corpora commendet, a contumelia eorum procul abſterrere.* Caſaubonus voluit, *incorruptum.* item: *virtutis amorem amatoribusque ſuis con.* Flor. *virtutes* & ſic editum ibi. Non recte ut puto, aut ſaltem nimis obſcure, cum de amore puerorum (ἄρρενος μόνου) (Caeleſtem Venerem eſſe ait Plato) agatur. Velim unica littera mutata: *pulchritudine honeſtatos virtutis amatoribus ſuis conciliare. Incomptum* autem utique retineri debet. Eſt enim comere generale verbum omnem corporis ornatum indicans, itaque amaeno opponitur, ut ſerio laſcivum. Sed hoc non eſt tanti. Lib. IV. Metamorph. locus eſt valde ſuſpectus mihi. p. 152. *Ego vero quanquam alias ordeum tunſum minutatim & diutina refectione virulentum ſemper eſerim* &c. Ubi quidam codices pro *refectione cogitatione jurulentum.* Et certo ſcio latere aliquid, quod exputare non poſſum. Te nobiliſſime Domine, libens cum hoc monſtro commiſero, & petam ut me doceas quomodo iſta concinnanda ſint. Litterae ad *Fabricium* curatae ſunt. Bene vale, vir incomparabilis, & me ama. Hagae. V. Kal. Jul.

EPISTOLA CCLXXXIX.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

IMmenſum quantum exhilararunt me cordatiſſimae litterae tuae, quae tam rara tam certa tam elegantia me docuerunt. Nihil ibi eſt, quod non, quo magis lego, hoc magis placeat. Atque vel citius hoc ſcire volueram, ne qua vel minimo momento ſub eorum cenſu me eſſe ſuſpicarere, qui cum ipſi odoriſequae naris ad veſtigandam occultam veritatem non ſint, adeo imbecilles ſunt

Digitized by Google

ſunt judicio, ut nec ab aliis productam agnoſcere valeant. Quae in pleriſque magna profecto infelicitas, in plurimis etiam invidia eſt. Miſeri! qui neſciunt hac βαλανηφαγία poſt fruges repertas ſibi maxime ſe moleſtos eſſe. Cupio tamen videre librum illum ſaltem quia novus eſt, & cum bene commodum fuerit mitti peto. *Illud Tragoedi Syrmate, hiſtrionis crocota, mimicentunculo* memini jam olim te propoſuiſſe ad Pallium Tertulliani, memini etiam ſtatim me margini Apuleji mei appinxiſſe & probaſſe. Et ſunt ſane reliqua aſſcitia ex gloſſa magiſtelli alicujus, nil niſi cupreſſum pingere & appingere docti. De illa emendatione in Lib. IV. *Ego vero nunquam alias hordeo cibatus cum minutatum & diutina coquitatione jurulentum ſemper eſerim*: Non poſſum tam magnifice dicere quam ſentio. Plane ita Lucium ſcripſiſſe quovis pignore contendere paratus ſum. Velim ſcire an publicaveris alicubi. Eſt Locus in miſcellis meis, ubi illa verba alleganda ſunt, eaque de cauſa praecipue, ut ea conſiderares, petieram. Si edita eſt, remittam Lectorem: ſin, ego quod primus produxerim, ſeculo Litterato eam imputabo additis ab uberiorem Lucem, quaecunque ex te hauſi cum honorifica (ut ſaepiſſime ad partes vocandus es) mentione autoris mei. *Salie* ſic γνήσιον Apuleji eſt, etſi viveret, ut excidiſſe ſibi gemmulam iſtam doleret, ita repertam denuo gratularetur. In Septimio *in exitum ptiſanae* magis laudarem, niſi dicendum eſſet, & credenti forte, idem mihi quoque ante in mentem veniſſe. Notaveram ſignatum hoc & exquaeſitum verbum eſſe. Apud Martialem: Lib. XI. Ep. 32. *hinc exit varium coco minutal.* Sed & idem verbum de exactis operibus mechanicis frequenter dici animadverteram. Cicero in paradoxis: *ut ex eadem officina exiiſſe appareat.* Horat: *cur urceus exit.* Tali ſenſu apud Auguſtinum de Civitate divina. Lib. VII. c. 4. *Ridemus quidem, cum eos videmus figmentis humanarum opinionum partitis inter ſe operibus diſtributos, tanquam minuſcularios vectigalium conductores, vel tanquam opifices in vico argentario, ubi unum vaſculum ut perfectum exeat, per multos opifices tranſit &c.* Quo in loco de *minuſculariis vectigalium conductoribus* mira fecerunt *Lud. Vives* & *Gruterus* Lib. II. Suſpic. c. VII: Sed omnium facetiſſimus *Euſ. Swartius*, qui ex Servii loco, ubi de minuſculis Quinquatribus, lucem an novas tenebras Auguſtino faeneratur? Poterant autem hoc aeſtu ſuperſedere, ſi meminiſſent quae ſcribuntur Lib. 3. Cod. Theodoſiani de indulgentiis debitorum, quae quaſi data opera Auguſtinum interpretantur; certe ſatis indicat per illud, quod Auguſtinus alluſit. Sed haec extra oleas. Vide autem quo proceſſerit forte non felix temeritas mea. *Exeundi* verbum hoc ſenſu reſtitui volebam Arnobio tuo Lib. II. *Vidit enim Heraclitus res ignium converſionibus fieri? Concretione aquarum Thales? Pythagoras numero exire?* ſcil. res. Ubi vulgo: *numero ſcire.* Legitur. De vicibus autem iſtarum Litterarum *S.* & *X.* nihil attinet dicere: adeo celebres ſunt; haec duo *ſpectare* & *exſpectare* id teſtantur, quae ubique fere in Libb. antiquis confuſa. Nec perſuadent mihi, qui ſaepe annotarunt mutuas eaſdemque verborum horum ſignificationes: Ut enim credam, *ſpectare* non nunquam ea notione accipi, qua *expectare*, ita contra *expectare* idem quandoque eſſe, quod *ſpectare*, vi-

dere, aſpicere nondum credo. Sic *exire* in *ſcire* corruptum. *Heraldus* & *Fulvius numeros coire* voluerunt. Rides, Nobiliſſime Domine, an doles ſcruta haec & pannuceas theſauris tuis rependi? Sed nulli tam nota domus ſua, quam mihi tua acquitas, qui haec talia etiam in acceptum referre ſoles. Ego autem ideo propono, ut de omnibus me certius quid doceas. Quod ſcio a nemine eruditorum ſaeculi noſtri, ſive habeant illi famam tantum, ſive etiam mereantur, quam a te (ſine adulatione & coelo teſte dicam) certius me expectare poſſe. Neſcio quomodo abreptus paene praeterieram ultimum tuum, *frena rodebam*. De quo Pyrrhon nec ipſe dubitabit, & quantula quaeſo mutatio eſt *faena frena*? Ipſos faenum eſſe jubeo, qui lautiſſimum Lucium in aſinina facie commorantem faenum commeſſe volent in poſterum. De Apulejanis tuis rogo ne intermittas, quoties ocium eſt, etiam non rogante me aliquid litteris tuis adjicere. Non invenies appetentiorem ſtomachum ad has delicias. Nec deero mihi frequenter ſciſcitando, qui & diligenter illum ſcriptorem evolvi, & in plurimis haereo. Nec nunc quidem abſtinuiſſem, niſi excreviſſet loquax haec epiſtola, adeoque etiam nigellae hae Cadmi filiae rubore ſuffundi viderentur, & quod tam familiariter paene odio futurae ſint, metuerent. Bene vale, o primarium decus aevi & noſter eſto. Hagae VII. Eid. Julias Anno CIↃ IↃCXXXV.

Reſponſio ad *Salmaſii* Epiſt. LXXX.

EPISTOLA CCXC.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

NObiliſſime Domine. Novos honores, quibus Patria nuper tantum civem ornavit, meditata oratione gratularer tibi, niſi acceptum haberem, nullos honores conferri in te poſſe tantos, quos non virtus tua & merita infinitis paraſangis excedant. Nunc hactenus, ut & feliciter eveniſſe tibi eos ex animo precer, & gaudeam, nactum te eſſe, quod, illis, qui adventitio illo ſplendore magis quam ſolidis propriiſque bonis gloriantur, opponas. Jamdudum hîc te expectavi, ut amplecterer aut adorarem potius: tum ut diatriben meam, quatenus nondum ab operis tenetur, emendari peterem. Sed uſque adhuc ſpes meas fruſtratam eſſe valetudinem tuam maeſtiſſimus intellexi. Precor Deum immortalem ſupplicibus votis, ut illam quamprimum commodiſſimam reciperes, atque in Neſtoreos annos haud dubiam teneas. Utinam piaculare pro te dare hoc poſſem caput, aut annos meos, qui mihi inglorii otioſique peribunt, tibi tranſcribere. Sed adeo res rediit, ut non tantum non niſi precibus tibi prodeſſe queam, ſed ultro etiam augere imperitis quaeſtiunculis moleſtias tuas cogar. Quas adhuc tamen ita circumcidi, ut ubicunque mihi aliqua ſpes, quae puſilla ſane nimis, ingenioli ſupereſſet, ibi te fatigare pu-

pudori haberem. Quare, noli, quaeſo, iraſci, quod de locis tantummodo deploratis conſultum ad te venio, utpote quibus te unum ſuppetias venire poſſe certum habeam. Ubi minus equidem fero quod modeſtiam tuam mihi allegas, cum inexhauſtam doctrinam poſſis; aut illudis mihi, quod ea placere mihi teſter, quibus tu ipſe nihil precii tribuis. Ego vero ita a natura comparatus ſum, ut tecum errare malim, quam mihi ipſi in veris, quibus tamen indubito, credere. Nec exigit a nobis aliud fortuna noſtra, qui in ea ſtatione locati ſumus, ut abunde ſpartam ornaverimus noſtram, ſi per captum ſenſus hebetis ſane & frigidi diſcere tantum atque intelligere poſſumus divina illa, quae a te pauciſſimiſque tui ſimilibus proferuntur. MSC. Cyprianum & poëmation *Fabricii*, quae praeſenti in manus tradere ſperaveram poſſe, mitto. Advolaſſem jam pridem Leidam, ſi hinc abeſſe me pateretur editio libelli mei, cujus correctura ipſe fungor. Praeterita hebdomade ſontica quaedam negocia Amſterodamum me evocarant. Interea cum amico meas vices commendaſſem, duo folia, quae excuſa ſunt, tot ſunt conſpurcata mendis, ut totius negotii ſuſcepti me paeniteat. Locum Apuleji in floridis: *Religioſis viantium moris eſt, cum aliquis locus ſanctus, aut lucus in via oblatus eſt, votum poſtulare, portum apponere* quomodo concilies, ſcire velim, obiter eum allegare neceſſe habeo, ſed nec ipſe quomodo ſanem, invenio, nec cuiquam interpretum qui tentarunt, aſſentiri poſſum. Hoc ſi res tuae patientur, quamprimum diſcere haveo. Hac enim hebdomade pagina illa typis dabitur. Nec minus exercent nos illa in Epicedio in patrem Statii: *Et quibus Arcadia carmen teſtudine menſis Cyda labor nomenque fuit.* Nam τὸ *Cida* purum putum figmentum *Domitii* eſt. MS. Flor. *Cicla liben.* Et Domitius: *Libem* reperiiſſe ſe fatetur, unde fecerit *labor.* hoc ex *lyrae* depravatum videtur. Pro *Cida* quid olim fuerit neſcio, niſi forte *Cura*, Ut ſcripſerit Papirius. *Et quibus Arcadia carmen teſtudine menſis Cura Lyrae nomenque fuit.* Teſtudo pars Lyrae, non pro integra ipſa accipienda eſſet. *Quibus cura & nomen Lyrae fuit*, eſſet, quibus amor lyrae fuit, & qui inde nomen apti ſunt, ut Lyrici dicerentur. hoc ſomnium noſtrum. habeo aliorum conjecturas mecum primum communicatas, quae cum ipſis placeant, mihi nec coelum, nec terram tangere videntur. Sed a te, vir maxime, certius aliquid expecto, quo magis quam iſtis noſtraque lector ſatietur. Quod ne graveris me docere, etiam atque etiam rogo. Vale, primarium decus noſtrum & hujus ſaeculi. Hagae VII. Kal. Mart. Anno CIↃIↃCXXXVI.

Reſpondet *Salmaſius* Ep. LXXXVII. ſed ſequentis anni gerit notam, aut hic aut ibi ſcribae peccarunt. Certe in Salmaſianis ordo turbatus eſt, nam Epiſt. LXXXVIII. praeponi debet priori: praeterea deeſſe puto *Gronovii* Epiſtolam, quae in Silio emendationes continebat, cui reſpondit *Salmaſius* Ep. LXXXV.

EPISTOLA CCXCI.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

ETſi ſemper, Nobiliſſime Domine, antehac ad te magis fiducia tuae comitatis, quam mearum virium litteras dederim, tamen nunc maxime vereor, ne nimis prodam infantiam meam. Praeterquam enim quod ſolemnis illa mihi, contagionis aliquid adhaeſiſſe mihi ſentio a rure, in quod per hebdomadas tres quatuorve ſecedere me ratio haec vitae meae coegit. Neque tamen morari debui aut expectationem tuam, aut officio optimi noſtri *Smithi* deeſſe: neque etiam amicum, quem latorem offerebat occaſio, & ipſius ſtudium, abſtinere nolui, quominus hac conteſtatione ſui cultus penes te defungeretur. Ultimas meas, puto, obtulit tibi *Graswinckelius* noſter, quae aeque importune, atque hae mihi exciderunt. Tibi tamen, uti conſtat de ſinceriſſima obſervantia mea, ita unius ſcriptionis infelicitas, atque impolitia, quae ſubinde properantes deprehendit, non excuſſerit amorem mei. Vir ille eximius ſuſcepit adeo fidelem nugarum mearum curam, ut nunc demum ſperem, nihil citius fore quam ut publicum tentare incipiant. Quod nunc eo acrius deſidero, quo certius ſcio te quoque ſpei noſtrae favere. Cum iterum ad *Smithum* ſcribes, habes me, qui tuis me ſervitiis devovi. Perendie Amſterodamum ad conſuetas ſedes revertemur. Bene vale & bene age, Vir ſumme, meque ama, qui tui obſervantiſſimus. v. Eid. Maji. Anno. CIↃ IↃ CXXXVI.

Et hanc Epiſtolam loco motam puto. hoc enim tempore in Gallia erat *Salmaſius*, nec *Graswinckelius* ei tradere epiſtolam potuit. credo Ann. 1635. ſcriptas & collocari debere poſt; ſed nolui Ordinem mutare.

EPISTOLA CCXCII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

NObiliſſime Domine. Incredibili laetitia affectus ſum ut ad Penates tuos, ſalvum te ſoſpitemque, ſalvis claritatibus tuis, ſalva etiam re, reverſum audivi. Cognoveram ex parte quibuſcum excetris conflictatus eſſes, antequam Gallia decedere tibi liceret. Sciebam, quanta incommoda & pericula a difficultate itineris & tempeſtate dubia tibi inſtarent. Cruciabar tam diu a Bibliotheca tua & ſtudiorum ocio te ſeparari, cum certum habeam, quicquid temporis extra tui ſtudiorumque tuorum curam tibi perit, id ex viſceribus (ut ita dicam) literarum & ſanctiſſimo eruditionis cenſu expendi & derui. Denique Academiae veſtrae bene volebam, cui ex ferali ſqualore caput erigenti, ſo-

ſolum decus tuum ad perfectiſſimam lucem (quam vel ſolus dare poſſes) deerat. Ex quibus omnibus unum naſcebatur votum: quod cum Deus Opt. Max. nunc tandem ſecundaverit, ipſi quidem laudes grateſque ago, tibi vero ex animo gratulor vovcoque, ut poſthac Neſtoreos annos in optata ſacrae & divinae tuae mentis tranquillitate exigas, omnemque laborem, qui ſive a fortuna, ſive ab improbis hominibus impendere queat, duriſſimis itineris malis expiaveris. Ego, ſi nondum excidimus tibi, & pateris noſtrae fortunae audire vices, ad hoc uſque bene me habeo, ſit gratia Numini: ex aedibus nobilium iſtorum hominum, ubi me agere ſciebas, cum bona eorum gratia diſceſſi, ut totus meus eſſem. Itaque nunc quidem virtute mea involutus pro opibus maenia munio. Sed praevertendum eo eſt, quod cum tot communes mihi cum optimo quoque cauſſae eſſent, quare praeſentem te aut ſaltem propinquum vellem, inteſtinum propriumque quiddam jam pridem habuerim, quod deſiderium tui acerrime ſtimularet. Narro tibi, nacti ſumus tandem, qui nugarum noſtrarum miſereretur, & permoveri potuit, ut aliquid earum edere non recuſaret. Itaque Diatribe in Statii Silvas foras jam ſpectat, quam ſine cenſione tua, ſine ſymbolis publicare extremae mihi infelicitatis videbatur. Plurima enim loca miſere nos exercuerunt, in quibus exploratum mihi eſt, neminem niſi te & nos & antiquitatem juvare poſſe: plurima haud dubie nos Homericis oculis tranſmiſimus, quae ſagacitatem tuam fugere non potuerunt. Quare venio ad te, Vir incomparabilis, & per inaeſtimabilia merita tua, per denique affectum, quem obſervantia non quidem meritus ſubii, ſed ab humanitate tua abſtuli, te oro atque obteſtor, ut ne faſtidire ruditatem noſtram, ſed ζητηϑίδια noſtra comiter excipere velis, deinde ultro, quae olim ad illos libros notaſti, benigne nobiſcum communicare. Integrum libellum miſiſſem tibi, ut lituras & obelos & miniatulas tuas pateretur, ut omne in eum jus haberes, niſi vererer me occupato in domo ordinanda & refocillandis viribus, curandoque corpore, ſi tetricis iſtis nugis negocium faceſcerem, graviſſimam noxam meriturum. Et ſpero propediem tibi me adfore, cum de manu in manum tradere licebit. Interim ne nullum meae adverſum te audentiae nunc exemplum edam, de duobus tantum locis te rogabo. Lib. II. Silv. in epicedio Pileti: *vitae modo carmen adultae, Nectere tentabat juvenum pulcherrimus ille, Cum tribus Eleis unam trieterida luſtris.* Quid *vitae modo carmen adultae*? Lib. III. in lacrimis Hetruſci: *hibernos citius numeraveris imbres, Silvarumque comas vigilis te animique ſagacis Exitus evolvit.* Quid, *exitus animi ſagacis*? & quomodo cum ſequentibus haec cohaerent? Interpretes ad unum omnes, ſtupori legentium confiſi, ceu clara haec & facilia tranſeunt, cum nihil in toto Poëta difficilius mihi viſum, nihil, in quo minus mihi ex mea arte ſpei ſit. habeo quidem in promptu conjecturas, ſed quas apud te promere non ſuſtineo: cui, quae mihi ipſi non ſatisfaciunt, minus multo probaturum me opinor. Quare malo ignorantiam meam fateri, & tuum auxilium implorare. Illud nunc iterum te rogo, ut ſimul primum res tuae patientur, petitioni meae facilis, quemadmodum ſoles, reſpondeas. Hac hebdomade incipient nobis laborare opera, & magna res eſt, cur ego quoque

feſtinem, quod praeſenti, ſi Deus volet, exponam. Ego, σιβασμιώτατε Salmaſi, cum ea ex te Scriptisque tuis didicerim, quorum odorem extremum ad me perventurum nunquam ſperaram, ita ſtatuo, quae a nemine mortalium, ab te uno expectari debere, & ſi regnum in Eruditione inſtituendum eſſet, in tua uniuſque verba jurarem. Haec non adulatio, quae longe a moribus noſtris abeſt, ſed verus amor ſimpliciter, & ſic ut credi velim, ita dignus ſim qui literas tractem, poſt longiſſimam taedioſiſſimamque, ſive litterarii commercii, ſive colloquii intercapedinem, mihi exprimit. Vale & ſalve cum tuis, prima ſeculi gloria. Hagae. a. d. IV. Non. Februar. A°. CIↃIↃCXXXVII.

Scis puto *Caſauboni* Epiſtolas virum & amicum tuum ſummum *A. Rivetum* mihi edendas commendaſſe, & jam nunc eduntur. Ni fallor audivi ex ipſo te aliquot, quarum apographa nondum haberemus, in Gallia nactum eſſe. Ejuſce quid ſit, indica, quaeſo. Si vacabit reſcribere, uti cupio & rogo, deſtinabis tuas, in de Wageſtraete allernaeſt de drie goude merſen. Ibi enim habitationem conduxi.

Reſpondet *Salmaſius* Epiſt. LXXXVI.

EPISTOLA CCXCIII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

[1] *Claudio Salmaſio.*

Leidam.

NObiliſſime Domine; Quemadmodum reditus ad nos tuus immenſa me laetitia affecit, ita primus quoque fructus ejus longe mihi gratiſſimus fuit: literas tuas dico. quas nudius tertius accepi. Eaece multa egregia me docuerunt, magnis teſtimoniis affectus tui, quem nullo auro, nullis gemmis contra carum aeſtimo, pectus mihi pertentarunt. Pro utriſque immenſas ago gratias, & hoc quidem in ſinu gaudebo, tantoque ſtimulo ad excitanda ſtudia noſtra prudenter utar, illis vero, ceu purpureo limbo, centonem meum & vere pannuceas commendabiles faciam. De Siliano loco prorſus tibi aſſentior, & tum eruditionem, tum ſagacitatem divinae conjecturae tuae prorſus ſtupeo. Statianus uterque ut depravatiſſimus antea erat, ita nihil antehac reperi, in quo facilius acquieſcere poſſem. Interpunctionem in priore mutandam, quod veriſſime mones, ipſe quoque notaveram. Sed & iſtud: *gnara malorum infelix invidia*, quamquam vero *infelix* eleganti Graeciſmo pro ſceleſta poſitum eſſe videri poſſet, vehementer diſplicebat. Itaque τὸ *infelix* accipiebam ut appellationem Viri, quem alloquitur poëta in vocandi caſu ſcribebam denique: *Sed gnara dolorum invidia, infelix animi vitalia vidit, laedendiſque vias in te (modo carmen) adulte.* Ut apoſtrophe ad Piletum eſſet. *Modo carmen*, ut apud Silium: *nunc Ardea nomen.* & Horatium: *fabulaeque manesque*: *Adultus* pro adoleſcente. quomodo Ammianus & ejus generis ſcriptores ſaepe loquuntur. Quare

1 Reſponſio ad *Salmaſii* Epiſt. LXXXVIII.

Digitized by Google

re hîc maxime dubitabam an Papinius ita ſcribere auſus eſſet. Libentiſſime igitur tuo illo hoc expungam. Nunc rogandum habeo quomodo conciliandum putes vexatiſſimum locum in Propemptico Metii Celeris. *Sint quibus exploret rupes gravis arte molorchus.* Nam ultimum illud de molorcho urinatore quidem, ſtipula levius. Vellem tam facile mihi eſſet aliquid aliud reperire, quam hoc arguere, utcunque docti viri in eo ſibi placeant. Excerpta MS. Cod. Florentini, (quae tranſmiſit Hamburgo mihi *Fr. Lindenbrogius*) habent: *primo gravis arte molorchos.* Ego niſi tu quid movebis, ab hac ſcabie abſtinebo ungues. Kal. Decembribus: *Jam bellaria adorta pluebant*; Non haeſitarem hîc, ſi ullibi alias hac licentia producendi brevem ſyllabam uſus eſſet, & non dubitare juberent MSC. Cod. Quorum Senenſis, quem excerpſit *Scaliger. velaria linea.* Florentinus: *velaria Borea.* Protreptico Criſpini in Lib. v. *Sic Phryges attoniti quamquam Nemaea viderent arma &c.* hoc a *Domitio* eſt, cum in MSC. inveniſſet, ut ipſe teſtatur; *quamquam vectita.* Et ita prorſus Flor. Etiam Politianus illud *Nemaea* ſe non probare ait in Epiſtola illa, quae *Domitii* Commentarium ſub cenſuram revocat: ſed quid verius ſibi videretur, non apponit. Scire etiam velim, quo tempore vixiſſe putes Meleagrum iſtum, cujus epigrammata aliquot in Anthologia extant. Ego nihil hactenus inveni, unde de aetate ejus argumentari poſſim. Et eſt hujus mihi rei uſus, ne ſimili imperitia me prodam, qua ille [2] Q. R. conditor, qui auſus eſt ſcribere Catullum dixiſſe hoc modo, ut imitaretur Martialem, & hic nobis ſacra & profana eruit. Sed valeat Carcinoma ſeculi noſtri, quandoquidem ſtupore vulgi nobilis factus eſt. Tu de iſtis, Vir maxime, haud gravatim erudire nos dignabere. Epiſtolam *Caſauboni* ſuo loco inſeri lubens curabo. Meminiſti me aliquando ad Cyprianum obſervata non nulla ex MSC. membranis ad te mittere. Eum codicem adhuc penes me habeo, ſed repoſcitur nunc a Domino *Iſaco Pontano.* Quod ſi inſpiciendi cum lubido tibi & ocium eſt, tranſmittam, & dum ad ſatietatem uſus fueris, penes me magna cauſſa adhuc detineri reſcribam; Neque enim totum conferre potui, quod aliis avocarer & ille, cujus edito Cypriani exemplari utebar, librum ſuum utique ſibi volebat reddi. haec incommoda ſunt deſultoriae vitae & ſtudiorum, quae ab aliena bibliotheca pendent. Sed ego ſatis magnum pretium habuero, ſi mea opera tibi iſte liber ſit profuturus. heri primum folium Diatribae noſtrae excuſum eſt. Et minantur operae intra ſex hebdomadas hoc munere defungi. Quare etſi

2 Manifeſtum eſt intelligi *Boxhornium*, qui Quaeſtiones Romanas edidit, ſimul cum Plutarchi. Problematibus: Vix credibile tamen videri poſſet, virum non ineruditum & qui publice literas humaniores profitebatur, tam craſſum potuiſſe errorem committere, niſi publice in Cap. 35. Quaeſt. Roman. exſtaret. Ubi tamen *Boxhornius* agens de loco vexatiſſimo Catulli, in quo Minerva *patrona virgo* dicitur ait *Joh. Pontanum* in literis ad ſe, correxiſſe *paterna virgo* & expreſſiſſe haec Catullum ex Martialis VIII. Ep. 72. ubi *narbo paterna* dicitur. Sed ſi jam *Pontani*, epiſtolam feſtinantis, ea fuiſſet hallucinatio, certe *Boxhornii*, librum publice edendum meditantis, partes erant, eam emendare aut arguere: ſed ſtupor hic fuit *Boxhornii:* nam *Pontanus* ſcripſerat *deinde, quia imitatus hic Catullum Martialis illo, quod legitur lib.* VIII. *etc.* & cum legiſſet illa in *Boxhornii* edito libro, eum graviter objurgavit alia epiſtola, quae nunc legitur in Analect. *A. Matthaei* Tom. x. p. 517. ubi cum haec ſcriberet *madida Boxhornium memoria* fuiſſe dicit.

etſi nunc minus ſum ocioſus (nam & Epiſtolae *Caſauboni* procedunt) tamen videre velim Anglum illum, quem narrabas aliquando in Apuleji apologiam ſcripſiſſe, ſed hoc ſi tibi commodum fuerit. Vale, Vir incomparabilis, & ruditatem noſtram ita patere, ut doctrina tua expellas. Hagae poſtrid. Non. Febr. A°. CIↃIↃCXXXVII. raptim. *Vincentius Fabricius* poëmation quoddam Hamburgi excuſum tibi dedicavit. Miſit ad me exemplaria aliquot, ſed ignarus te ad nos rediiſſe, non juſſit ut tibi ſive unum ſive pluria redderem. Puto jam in Galliis id viſum tibi, ſin, exemplar faxo habeas.

EPISTOLA CCXCIV.

JOH. FRID. GRONOVIUS

[1] *Claudio Salmaſio.*

Leidam.

CUm praeſtantiſſimus *Colvius* diceret ſe ad vos ire, ut te ſalutaret, Nobiliſſime Domine, non potui quin raptim hoc quicquid eſt exararem: praeſertim quia nondum ſperato abitu tuo ultimum colloquium mihi miſcendi tecum deſtinatio intercepta eſt. In excerptis Livianis nihil inveni, quod juvare te poſſet. Locus puto ille eſt Lib. VIII. c. 7. & 8. ex editione *Gruteri*. Non variant MSC. niſi in his levibus: *a prima acie ad triarios ſenſim referebantur*. Duo MSC. *ad triarios retro ſe referebant. Extemplo compreſſis ordinibus velut claudebant vias.* iidem: *complexis ordinibus. in hoſtem incedebant.* Unus *concidebant.* Supraſcripto in ſec. *incidibant.* Nihil praeterea notatu dignum. *Lipſii* conjecturas immiſcuerat modo ſuis excerptis collector. Sed ipſum librum ſi jubes, mittam: Rogo quod tamen commodo tuo fiat, memor ſis promiſſi de excerptis & tuis notis Ovidianis. A *Scriverio* nuper iterum accepi libellum (non enim epiſtolam) emendationum ad Silvas. Quid quaeris? ὑγιὴς ἐδὲν, noſti caetera. Aut ille prorſus de ingenio meo deſperat, & ſimilem me putat, *patrio ſubſidere Belgae, qui famam primaevo flore juventae Solis ab occaſu ſolis metitur ad ortum.* Aut ille quotidiano ejus convictu ſcabiem contraxit, ipſique ſimilis factus eſt. A filio quoque [2] *Heinſii* unas habui poſt diſceſſum tuum, in quibus haec leguntur: *Vide quam impudens ſim, qui petere auſus a te, ut me magno illi Salmaſio commendares hominem nihili. Sed hoc amori erga literas meo imputabis. Ipſe enim licet nihil ad hanc rem aut eruditione aut ingenio conferre poſſim, affectu tamen, quod licet, proſequor eos, qui principatum in his ſacris tenent. Inter quos qui Claudium Salmaſium vel primarium eſſe negant, ne illi plane aſini & ſtipites ſunt.* Et majorem propoſitionem aſſume & vera ſit concluſio. De Pervigilio Veneris quid fit? fac ſciam quaeſo. *Caſauboni* ad te epiſtolae jam deſcriptae ſunt typis. Itaque ſi vis, autographa reſtituere tibi poſſum. Non expectas ut iterum offeram tibi operam meam in tuis ad *Lindenbrogium* curandis & *Fabricium*, qui ſcis beneficium me grande habiturum, ſi quid, quod facere

1 Reſpondet *Salmaſius* Epiſt. LXXXIX. ad hanc & ſequentem.
2 Vid. Epiſt. *Gronovii* ad *Heinſium* XII.

cere me velis, mihi jure tuo imperaris. Oblitus pene fueram quaerere de loco Statii in Lib. IX. Theb. 696. de Parthenopaeo.

— — — *tereti juvat aurea morſu*
Fibula pendentes circum latera aſpera cinctus
Vaginaeque ſonum, tremulaeque audire pharetrae
Murmur & a cono miſſas in terga catenas.

Schottus in Obſerv. Human. lib. II. 29. ex MS. emendat *ligat* pro *juvat*. Et ita in membranaceo cod. reperi. Sed parum videtur intereſſe, cum *juvat* ſit ſuſtinet. Verum ille verſus: *Vaginaeque ſonum*: & qui ſequitur prorſus non video quomodo priori connectatur, aut a quo verbo regatur illud *audire*. An deeſt verſus? an *juvat* bis conſtruendum diverſis ſignificationibus: *juvat fibula cinctus* & *juvat audire ſonum vaginae &c.* hoc profecto duriſſimum & indignum Statio. Quid denique *miſſae in terga catenae*? Vidi quid notet Lactantius, ſed de eo nihil memini legere. An καταξηνας eſt, & *catenam* dicit flexum illum criſtae quem alibi ſic deſcribit. *Capiti tremit aerea caſſis Ter nivea ſcandente juba*? Haereo & a te cupio doceri. Vale. Vir maxime, & me ama. Hagae raptim. ad IX. Kal. Apriles A°. CIↃ IↃCXXXVII.

EPISTOLA CCXCV.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

NObiliſſime Domine. Etſi pudori habeam tot moleſtis meis ſalutationibus faſtidio tibi eſſe, tamen ut nunc quoque verecundiam iſtam inſuper haberem, officii ratio a me exegit. Vides epiſtolam *Fabricii*, quam ut nunc ipſum Hamburgo accepi. mitto, ut videas quam egregia aperiat ſe occaſio, ſi quid petes, ex iſtis oris accipiendi. Unas meas expectare ſe poſſe dicit, antequam itineri, quod per Belgium inſtituet, ſe committat. Non fideliorem latorem optare poteras, aut cui ſecurius committat *Lindenbrogius*, quae huc velit deſtinare. Quare ſi vacat nunc tibi ad utrumque ſcribere, recte facies, ſi ad me ante diem martis inſtantis hebdomadis, qui erit pridie Kal. April. tuas mittes. De loco Statii quam nuper deſignavi, doceri abs te opto. In Abaſcantii Poëmate vide an legi poſſit: *quis centum valeat frenare maniplos Intermiſſus eques. Eques frenans centum*, hypallage frequentiſſima eſt, pro frenans centum equites, quod antea tibi quoque videbatur. *Miſſus* autem idem eſt quod mandatus. Ut *mandata ſigna*, *mandata caſtra* alibi dixit. Pro juſſus conſiſtere inter maniplos, & centum equites ducere. Graeci quoque στέλλειν uſurpant pro jubere, quod tibi notiſſimum. Plura nunc nolo, & vel ſic deprecor importunitatem meam. Vale, vir incomparabilis & me ama. Hagae a. d. VI. Kal. April. Anno CIↃ IↃCXXXVII.

EPISTOLA CCXCVI.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

NObiliſſime Domine, Fateor peccaſſe me largiter quod non citius gratiſſimis tuis litteris reſpondi, & pro excerptis Ovidianis, quae mittebas, gratias egi. Sed illas differo, dum uſus pro libidine ſchedis fuero tuis & remiſero eas: iſtud quominus facerem inhibuit me negociorum turba, quae velut ruina quaedam ſubito incidentia mihi, licet parva dictu, multitudine tamen magna necdum ſatis me juris mei eſſe ſinunt. Epiſtolas ſtatim curavi, & ſi omnia recte ſe habent, jam redditae ſunt iis, ad quos deſtinabantur. Excerptis quantum properata perluſtratione fieri potuit, mirifice delectatus ſum. Inveni ſtatim non pauca, quae lectiones MS. Codicis, quo in Noricis uſus ſum, confirmarunt. Ut illud Lib. 1. Amor. Eleg. VI. *Aſpice, &, ut videas, immitia clauſtra relaxa.* Et Lib. 1. de Arte: *jacturas poma myricas.* Ubi vulgo, *laturas.* Quod muniveram Prudentii loco hymno III. Cathemer. *Arbor onus tremefacta ſuum deciduo gravis imbre pluit. Purpureoſque jacit cumulos.* Item illa: *Palliolum nitidis*; &: *Venerem Cois poſuiſſet Apelles.* quae jam olim in ſcriptis tuis monuiſti. quae & plura talia ego, ſi mei arbitrii res eſſet, ſtatim quidem in textum admitterem. Ignoſce autem ſtultitiae meae, quod veriſſimae conjecturae tuae in Pietate Abaſcantii indubitavi. Scilicet deerat hoc unum mihi, ut elegantiſſima Epiſtola tua omnia illa in memoriam mihi revocaret quae dixeras, & clara luce oculos ipſos feriret. Nec τὸ *equos* muto amplius. Nam & Ovidius *regere centum* dixit Centurionem in Lib. 1. de arte, ut Statius *frenare centum* praefectum equitum. Hodie excuſa eſt pagina illa, ubi iſtam purpuram tuam centonibus noſtris attexuimus. Videbis quam ingenue feſſus ſim, cujus doctrinae & humanitati & iſta & plurima alia debeam. Quamquam hoc mihi non eſt fateri. Sed profecto, ſi verum licet dicere, gloriari. Hic multa animus dictat mihi, a quibus vix abſtineret calamus, niſi caſtigationem vererer, & ſcirem etiam quae ſerio & ſincere dicuntur, ſi propius blanditias ſint, tibi odioſa eſſe. Fabii locus eſt Lib. XII. Inſtit. Or. c. VIII. *Denique linum ruptum, aut turbata cera, aut ſine agnitione ſigna frequenter invenies.* Eum locum qui emendaſſe viſus ſum, inſerueram poſtremis ſchedis meis. Corrigebam autem, *aut turbata cera, aut ima* (ſc. cera) *agnati erroris ſigna.* ut diceretur nihil quidem in textu correctum, ſed in ima cera aliquid additum, unde appareret agnitum eſſe errorem quemdam in ſcriptis commiſſum. Probasne? aut juvat MS. Codex quem contuliſſe te narrabas? Fac ſciam, amabo; & expecto, ut a tuo judicio aut ſtet aut cadat hoc conjectaneum. Laetatus ſum cum legi quae addidiſti de probitate & vero animo *Scriverii.* Ergo omnia illa quae ad te delata ſunt, & quae ipſe his auribus hauſi, fuerunt peſſimorum hominum vota & Sabinorum ſomnia. Equidem non dubitavi, quin hoc velut

ſigno

ſigno dato arriperent illi occaſionem, & qua poſſent oleum affundere camino: ſed verebar ne & ipſe ſuetus ſemper audire eos, qui verba tollunt cadentia, ve itatis eſſet impatiens. Nunc de conſtantia ejus prudentiaque tibi mihique gratulor. De excerptis Statianis dicis, ut res eſt: idemque monuerat me, antequam mitteret *Lindenbrogius*. ſed cum inſtarem & qualiacunque videre cuperem, tranſmiſit ut erant. Quia alia non habuimus, neceſſarium fuit, ut iſto Catone eſſemus contenti. Et tamen paucula inde hauſi, quae utinam tibi probare poſſem? Sed confido, neque enim amare me potes, niſi ut multa ignoſcas. Atque illud facis ſpero: atque aeternum facias, obſecro te & obteſtor, ſiquidem id bonae mentis ſtudio, tuique obſervantia mereor. Ita vale & ſalve cum omnibus tuis, Princeps eruditorum. Hagae. III. Eid. Apr. Anno. CIↃ IↃ CXXXVII.

Reſponſio eſt ad *Salmaſii* Epiſt. XC. & reſpondet ille Epiſt. XCI. & XCII.

EPISTOLA CCXCVII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio ſalutem & obſervantiam.

Leidam.

FUiſſe ad guſtum tuum excerpta Urbiciana non tu magis, nobiliſſime domine, quam ego laetor: optoque ut fideles invenias manus, quae integrum illum tibi perſiſtant. Video enim quantum in eo momenti ponas ad conſummandum illuſtre illud opus, quod tibi in manibus. Si tamen per Phaenicem noſtrum te dignum eſt veteres libros MSS. inſpicere. nam hoc ille nuper cum apud magnatem quendam, potentem virum & fama doctum, una pranderemus, aperte dicebat Actum Mechanicum eſſe, ſeque nunquam eo perveniſſe ſtultitiae gloriabatur. De Patricio, erravi, non erat ille amicus hic, ſed Amſterodami, homo nempe iſte moroſiſſimus, quem non ſemel tibi deformavi, interim curabo ut eum quoque *Lindenbrogius* mittat. Quam difficultatem aliis crearet imperfecta linguae Italicae cognitio, eam procul dubio omnem peritia materiae facile tibi explicabit. Intra menſem hoc quoque effectum dari poterit, ut librum iſtum Hamburgo habeamus. Tu modo quas ad ipſum ſcripturus, fac primo quoque die habeam. Quae ad locum Fabianum illuſtrandum de ratione obſignandi tabulas aut literas addidiſti, tam grata mihi fuerunt, ut cum plura ſuppeditarent, quae me doceri erat aequum, te abrupiſſe doleam. Sane cum multa de cera & lino legerim, notaverim, fateor tamen me nunquam ritum illum ſatis intellexiſſe. Tibi vero hoc διδαγμα in ſolidum debeo. Locus poſterior Julii Pauli egregius eſt ad emendationem tuam cuivis paulum modo attendenti probandam. Martialis verſus de Livio didiceram explicare ex notis ad H. A. tuis. *Gevartius* lib. IV. Pap. Lection. cap. III. inſultat interpretibus Martialis, cujus acumen neſcio an magis paſtoritia fiſtu-

la dignus ſit, quam omnia, quae caeteri attulerunt. Et ſcio tamen fuiſſe, aut eſſe potius, cui nunc quoque commentum placet. De Metio veriſſime correctum vel invitis MSS. Nullis fidiculis inde extorqueatur ſenſus, qui ad aliam hiſtoriam alludat. Subtilitas illa diſtinguentis inter *in contraria verſi*, *& in diverſa acti*, eum decet, qui quid *agere*, quid *vertere*, quid *diverſum* ſit ignorat. *Paucaque fortunae* plane inſulſum & fatuum mihi videtur. *Parca* ut vere explicas, ita profecto ſumma cum gratia & notabili proprietate accipitur. Sed illud ſcito ſic tenere patrem, ſic filium ab eo didiciſſe, ut quo quid ſit ſimplicius & apertius, eo magis ducant eſſe Ovidianum. Quomodo bene eos dicere puta, ſed quod bene dicunt male intelligere. Neque enim ſimplicitatem iſtam ex genio Naſonis, ſed ex ſui opinione, dimetiuntur. Vidiſti opinor, optimi *Gruteri* ad Salluſtium notas. In eis eandem rationem ſiſtit. Cum enim brevitas Salluſtiana omnibus in ore ſit, vix vero centēſimus quiſque eam meo judicio capiat, quodcunque vocabulum ſalvo ſenſu abeſſe poſſe credebat, cenſet ſuperfluum, aut certe ſententiam veterum de Salluſtiana brevitate tacite oppugnat. Eodem videbis modo hos quicquid exquiſitum, nec obvium impolitis auribus, ſi otium hoc ſumere velint, ut iterum notas ſcribant, una litura exſtirpare, & quae monachi deliraverunt, aut ipſis male feriatis venerunt in ſolum, Naſoni impingere. In Epiſt. Hypermneſtae: *Et queritur*, *factum ſanguinis eſſe parum.* negabant latine dici aliquando. Subſerviebant qui aderant, alter pervigilii, alter Plutarchi editor & corrigebant *tractum* vel *jactum* vel *tactum.* Nec potuiſſem ulterius contra niti, quicquid dicerem, niſi objeciſſem eis Livii locum ex lib. II. 30. *plusque ibi ſanguinis promiſcua omnium generum caede*, *quam in ipſa dimicatione factum.* Alibi: *Perfide quo pretio*, *qua nece dignus eras.* Emendat Scaliger: *Perfidiae pretio qua nece*, ſine dubio ex libro MS. Et tua excerpta ita habent, ſed non vacat nunc requirere, certus autem ſum me legiſſe. Quid verius, quid elegantius? ille noſter hoc inſuper habito nuper ſcribendum me monuit, neſcio ex quo libro *Perfide qua paena qua nece.* Neſciebat *precium* & *mercedem* in malam quoque partem accipi, ſed hoc ajebat eſſe ſimpliciſſimum. Omitto alia, ne ſenio ſim tibi. Hoc ergo magis miror, quomodo *tutet* auſus fuerit reponere: quod cum ineptiſſimum revera ſit, ſpeciem tamen habet rarioris verbi. Suaviſſima vero & frequens Poetae iſta repetitio eſt. Veriſſimum τὸ ET in VT debere mutari. *Ingenuae vires*, ſi placebit, retineam. Ut enim liberi homines animum a ſapientia, ita ſervi corpus a robore & injuriarum patientia habent aut habere credebantur inſtructius. Cujus rei rationem meminiſti dare Ariſtotelem lib. I. Pol. Et habent illud Berſmanni, Pal. & Pirchaimeri codex. Et ſimiliter Martialis: *Vires ingenuae*, *ſalubre corpus.* Item: *Invalidum eſt nobis ingenuumque latus.* Ovidius alibi indignum cenſet: *Ingenuum dura ponere corpus humo.* Valeat tamen hoc, ſi tu probabis. Caetera omnia vehementer mihi placuerunt. Illud imprimis elegans: *Quae mimis prodeſt*, *ſcena*: Illud eruditum de authore, *qui mollem Achillem fecit*: ubi confoſſiorem ſoricina naenia iſtius notam feciſti. Et haec tamen, ceu neſcio unde ex abdito petita, cum ſimilibus quam maxime vulgus admiratur. Vellem, vir maxime,

hoc

hoc impetrare a te poſſem, ut quoties a gravioribus ſtudiis quieſcere & velut interjungere velis, digrediaris in notas illas, & ut cepiſti excutias infelix lolium, cujus plena meſſis eſt, non quidem ut ſingula denotes, & minuta quaevis, quaeque etiam nobis patere poſſe putes. Non adeo abuti otio tuo volo, aut operam a majoribus detractam in hunc ludum damnare. Sed illa minus apparentia & ſpeciem atque perſonam quandam abſtruſae doctrinae praetendentia. Neſcio enim quomodo hoc ille peculiare habet, ut cum maxime nugatur, maxime exſultet, & hac gloriatione incauto lectori aſſenſum extorqueat, quod plurimis in locis obſervavi & quoſdam hic aſſcriberem, niſi omnia illa jam obelis tuis deſignata certum haberem. Sed ſimulatque Statium depoſuero, haec cura erit mea, ne, ſi illi denuo Naſonem conſpurcaverint, vindex ei deſit. Epiſtola, quam plus millies ad me ſcripturum promiſit pater de Statii aliquot locis controverſis, in ſpongiam credo incubuit, aut certe, ſi nondum caepta eſt, non ſcribetur. Nec ego valde ſollicitus ea de re ſum. immo ſapere eum puto prae duobus ſodalibus, qui tot vulnera a ſe bono poetae meo inflicta per me publicari ſperant. Sed nae illi vehementer ſe falſos deprehendent, poſt tres, ut multum, Hebdomadas. Quae de prima Syllaba vocis *athletes*, notaſti, adjeci in Chartula, quae jam in manibus eſt operarum. Fuerat autem diſputatio illius, quem ſignificabam, honeſti & non ineruditi, viri mecum non proprie de poſitione Syllabam eam producente: non dubitabamus ambiguas illas eſſe, quae ante liquidam conſonantem haberent. Sed cum ἀθλεῖν ab ἄθλ☉ deſcendat, ἄθλος vero contractione ex ἄεθλ☉ factum eſſet, poſſetne ſyllaba, quam contractio longam feciſſet, & in diſſyllabis poſteriore correpta circumflexo notaſſet, corripi. Nam in ἄτλητον, ἄκλυτος ἄχρης☉, α privativum eſt, non poſſunt ergo haec, niſi quoad poſitionem, cum τῷ ἀθλητὴς comparari. Ad hoc ego reſpondebam, quod in prioribus ſcripſi, nempe Latinos in Graecis vocabulis interdum ſuo jure uti. Quod non ſic intelligebam, quaſi Graecas ſyllabas pro lubitu ſuo producerent corriperentque, quod omnino falſiſſimum: ſed quod in Graecis vocabulis ſuas regulas, ceu Latinae eae eſſent, adhiberent. Ut in *Coo*, *pliada*, *romphia* factum: quippe vocalis ante vocalem corripitur. Ut in *Hector ubi eſt?* quia in R definentia brevia ſunt communiter. ſic in *Athletes*, quia α Graecis eſſet ex communibus, poſitio autem illa etiam ambiguam ſyllabam faceret, nullo reſpectu contractionis habito, primam a Statio correptam dicebam. Ut ut ſit, veriſſime a te emendatum eſt, & ſtupidum eſſe oportet, qui de eo dubitare velit. Tuas ad Reverendum & Cl. Dn. *Rivetum* ſtatim detuli. Vale, maxime virorum, & de ſtudiis meis, quod facis, optime mereri perge a. d. IV. Kal. Majas Anno. CIↃIↃCXXXVII.

Excerpta tua Ovidiana penes me eſſe ſciant illi, & legant; ut oculi illis doleant, ego nunquam theſaurum illum communem faciam in talibus, qui nihil ſe aliud inveniſſe putarent, aut videri vellent, quam calvus ſi pectinem, quam Gallus Gallinaceus, ſi pretioſum lapidem.

Reſponſio eſt ad *Salmaſii* Ep. XCIII.

EPISTOLA CCXCVIII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

[1] *Claudio Salmaſio.*

Leidam.

NObiliſſime Domine, Jamdudum ex ſcriptis tuis cognoveram, quanto intervallo in originibus Graecae & Latinae linguae eruendis omnes veteres recentioreſque ſuperaſſes, quam latum dediſſes limitem aliis, ſi quis ſecretiori aliqua eruditione imbutus veſtigia tua perlegat. Ejus rei certiſſimam quamvis, etiam abſque his foret, fidem poſtremae duae, quas a te accepi, mihi confirmarunt. Unde ut multos graveſque Grammaticorum errores condemnavi, ita ſic in omnibus ſatisfactum mihi eſſe fateor, ut nihil ſit, quod aut non cum rationibus tuis conveniat, aut ſi diſconvenire videatur, non ipſe facile ſolvere poſſim. De ipſa quidem emendatione Statiani loci nunquam dubitavi: Et pridem quae ibi in diatribe notavimus, edita ſunt. Spectat enim ad finem libellus meus, & praeter indices & Praefationem omnia ſunt perfecta. Non poteram autem ſatis removere, quod unum de quantitate mihi objiciebatur dubium. Itaque quod ad haec laevia te ſubmiſiſti, & de omnibus accurate me docuiſti, immenſas tibi gratias ago. *Internas aras* in Ovidio Epiſt. VII. 113. nunc ferre poſſum. Illud *Horceas*, quod hariolationem vocas, ſi incidiſſet illis hominibus, qui ſe amant ſine rivali, non jactarent, ſe non albis quadrigis invehi meritos arbitrarentur? Hujus ergo ut ingenium laudari meretur; ita alteram conjecturam in Epiſt. XIII. 113. *quibus arſa relucent, ut ſolet a ſuſo*, non poſſunt improbrare niſi illi, qui omne eruditum, voceſque a plebe ſummotas ex Naſone exterminant. Si quid video, haec ipſa veritas eſt, & multum tibi debeo, quod mecum eam communicaveris, Quod in prioribus de illa ſubindicaveras, non intellexeram, & erat animus cum ſcriptionem ordiebar, rogare, ut loquereris apertius. Sed neſcio quomodo id oblitum ſenſi non priuſquam meas manu emiſiſſem. Nunc etiam vere puto reprehendi a te audaciam tranſpoſitionis in Epiſt. Penelopes: & ad ſervandum ordinem qui vulgo eſt, recte explicari *ne hoc faciunt*: Nec diſplicet, *tu ſolum imitaris*. Incidi his diebus in locum Lib. XIV. Metam. vſ. 656. de Vertumno; *cuſtoſque intravit in hortos Pomaque mirata eſt*: *tantoque potentior*, *inquit*; Inſerunt olim vulgatae poſt ultima verba duos verſus, quos citat homo noſter. ubi cum multa eſſet nugatus, concludit tandem non dubitare ſe, quin aliquid deſit. Ego ſic accipio haec verba, formulam illam loquendi, *tanto potentior*, non ceperunt & ipſe & alii, qui locum illum vitiarunt: quae mihi eodem modo dicta videtur, ut apud Comicos, Senecam, Phaedrum: *tanto melior*; *tanto felicior*. Quo quis valet, eo *potens* eſt & dicitur ſaepe Ovidio. Sic *nobilitate potens*, ſic *generis natiſque potens*. Opes autem Pomonae erant poma: Cenſus profecto nobilis heroïco aevo: Unde Polyphemus Galatheam dicit, *nobi-*

1 Reſponſio videtur ad *Salmaſii* Epiſt. XCIV. qui reſpondet Epiſt. XCVI.

Digitized by Google

biliorem pomis. Viſo ergo Pomonae hoc cenſu, *tanto potentior* inquit Vertumnus. De hoc ſcribe mihi quid ſentias. Pertinacem inſcitiam novantiquorum poëmatum [a] conſtipatoris, hercle, miror. Nam illa quidem quae ponis *in armis*, item, *vere natus* (hoc prius ſciſſe vellem ſic a te defendi) tam aperta ſunt, ut ſtuporis meri ſit non aſſentiri; ſupponere autem *armatus*, & *ver renatus annus* confidentiſſimae & incivilis audaciae. Nimirum hoc habet, qui cogitur admirari tua ſcripta, cum alia legit, ubi te ſecum comparat, hoc eſt in locum incidit, quem uterque tentaſtis, ita ſe amat, ut non poſſit non te poſt habere, & uſque ſuam palpare ſcabiem. Equidem Gentis vitium eſt, omnes alios prae ſe faſtidire & contemnere, in qua ſcias quanti ſe facere oporteat eum, qui ἐνδόμυχον ſuae ſapientiae ante caeteros opinionem geſtat tot adulantium ac ſymbolorum larga humanitate auctam in majus. haec ſano officiunt ſatis judicio: quid ſi accedat invidia, & quos aperte appetere non audet, ignavo ac imbelli dente ſic admordeat clanculum, atque libidini ſuae obſequatur. Diſputationem aliquando cum eo habui ſuper Juvenalis loco: Qui *Lacedaemonium pityſmate lubricat orbem*: dicebam te nihil ibi dubii reliquiſſe: meque ipſum, qui *Scaligeri* ſententiam antea prae caeterorum commentis probarem, ſimul legiſſem tua, nihil feciſſe citius, quam ut aſſenſum darem. Et eram forte recens tum ab iterata lectione, rationeſque tuas omnes clare exponebam.. Ille tamen pertendebat ſcribendum: *Qui Lacedaemonium per cruſmata lubricat orbem*, quia *Baetica cruſmata* in Martiale ſuo legerat. Et videbis cum prodierit, qui nunc commentator eſſe Juvenalis minatur, radiare hanc ibi conjecturam. Nam hic verus utrique Subballio eſt: Ille vero etiam ineptiſſimorum ſomniorum adeo tenax, ut ſive vera ſive falſa eſſe putet, ſuſque deque habeat, dum nomen ſuum in ſcripta aliorum inſulciet. Hinc illa Ilias vaniſſimorum commentorum, quibus ſperavit ſe omnes paginas in mea Diatribe poſſe facere. Sed mirum quantum ſe opinionis falſum videbit: quamvis & pudeat me, ſervandi moris & fucatae amicitiae cauſa, laudari toties illa nomina ibi, quoties facere id coactus ſum, & tibi quoque non dubitem improbatum iri. Sed vides quae fortuna ſit mea, ut leviſſimae etiam invidiae ferendae impar: Quam tamen hactenus cedendo omnibus, praeferendoque omnes mihi vix vitare potui. quid me fieret, ſi inſpexiſſe illos propius & propemodum intelligere me faterer? Quare non commovebunt te iſta, vir maxime, quae vereor ne manifeſtae vanitatis reum faciant factum illum: & de animo meo judicabis ex hac litterarum ſimplicitate, cum qua ut fidem ſerves, facile ſuſpicaris, quanti mea interſit. Equidem verum & ingenuum erga me amorem ut apud illos excitem, pridem deſperavi, ex quo noſſe illos, immo nationem caepi: ſufficit, ſi non inimici ſint profeſſi, & quia ſuorum miratorem me putant, non male velint mihi, aut noceant: Ea enim noſtrarum rerum nunc incertitudo eſt, ut abs quivis metuere & neminem offendere nobis curae ſit. Interim non diſſimulo, me aliqua apud te, ſi tamen; gratia pollere, & crebras tecum alternare litteras: ſed ubi de ambitione ſua quid injiciunt,

[a] *Scriveri.*

ciunt, dico me ista nec scire nec curare; id agere, ut aliquid discam, hîc subinde me in loco lubrico servat Apollo. N finus Dordrechto redux nudius tertius cum transiret, horam fere unam apud me garriebat. Strenue in Ovidio ajebat pergere: excerptorum mentio nulla: unde conjicio, postquam audivit ex te *Scriverius*, illa penes me esse, nondum cum eo esse locutum. Sed forte non petet, quia non magis aliquid volet tibi debere, quam nos ad indignas manus thesaurum istum pervenire. In loco Livii lib. VII. c. 15. nihil variant excerpta. Nos foenus tuum anxie expectamus: aliud quod epistolari die (liceat sic loqui) pensum, ut mihi scribis, laetissimus semper accipiam. *Fabricium* Leidae audio fuisse, & vide quam parum ipsi simus curae, qui tot epistolis spem fecerat mihi videndi sui, & sibi fuerat eo nomine gratulatus? cum Amstelodami tot dies exegerit, tot Leidae, me insalutato transiit. Quid dixit, quaeso, quid prae se tulit? nisi illis mortalibus, qui pessimo rumore hîc famam ejus laeserant, cum quibus bacchari assueverat, similior, quam verorum amicorum amantior est. Vale, Nobilissime Domine; Hagae. v. Eid. Maji Anno. CIↃIↃCXXXVII.

Quid sentis de loco illo in Soteriis Rutilii. vs. 13. *Nosterque ex ordine collis confremat.* Ita enim se restituisse ait Domitius, cum MSC. haberent. an latet aliquod nomen regionis, urbis? cogita quaeso.

EPISTOLA CCXCIX.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmasio.

Leidam.

NObilissime Domine, quas ultimas a te accepi, non fefellerunt expectationem, quam semper de tuis habere soleo. Ita doctrinae & humanitatis tuae nectare non dico irrigarunt me, sed inebriarunt. Quid vero est quod liberam mihi potestatem facis tua reprehendendi? ποῖον σε ἔπω; Non ego adeo sum fatuus, ut cum illis, qui soli sapere sibi videntur, certem; ut hoc mihi attribuam aut petam. Ego vero tum aliquid profeciisse mihi videor, cum tuis assentiri possum, facilioribus quidem sine mora, secretioribus vero illis post quandam ingenii contentionem. Si dubito, non argumenta quaero, quibus meae opinioni adsim, sed in agnitionem imbecillitatis meae reducor & laboro in hebetudine sensus mei corrigenda. Quod etsi subinde molestum est, non aegre fero tamen: quia haec velut modestiae retinendae admonitio est. Illud vero quo contingit saepius, eo impensius laetor, & vel pro pusillo hoc quod accepi, quodque assecutus sum Deo doctorique meo gratissimas gratias ago. Si vero cum millia multa me docueris, semel forte, dum inter gravissimas occupationes mihi tamen vacare non desinis, aliud agentis calamus praeceperit mentem, & in minutiis non alta cum dignis, vacillaverit; utar ea libertate, cujus copiam fecisti; non ut erroris alicubi te convincam, (crede mihi ex animo

mo loquenti, vanam ambitionem & typhum, quo neſcio quomodo litterae noſtrae jejunos quoſdam & mei ſimiles inflant, peſſime odi; ſed ut accuratius mihi cupiam monſtrari, & clarius explicari, in quibus haeſito. Quae de epentheſi Jonica notaſti, veriſſima ſunt, & magnam erroris nubem oculis meis exterſerunt. Nec de antiquitate & praerogativa temporis in Attico Alphabeto dubitare poſſunt, qui non Graecae hiſtoriae prorſus ignari ſunt. Sed quid dicis de voce ἀεχὲς, quae omni Grammaticorum vulgo pro αἰεχὲς facta putatur. Nec epentheſis hîc locum videtur poſſe habere, cum origo, ut illi volunt, ſit τὸ ἴεχον. ſed ἄδω, ſi non ex ἀοιδω factum, cur alpha habet jota ſubſcriptum: aut quae differentia inter ἄδω *ſatio*, & ἀδω *cano*? Hoc ergo explica mihi. In Ovidii loco Epiſt. XI. 46. *Denaque Luciferos Luna premebat equos.* omnino ferri illud *dena* non poteſt, ob rationem quam addis: quicquid ille philoſopheter. Hoc verum eſt librum poſſe conſcribi locis illis, ubi tam decimi quam noni menſis mentionem faciunt in hac re veteres. Sed hoc non dicit *dena*. Vide autem an ſcribendum ſit, *Plenaque*? Et videtur hoc probari per τὸ *premebat*. Quod etſi in genere de aurigis dicitur, tamen proprie competit properantibus ad finem & metam ſui curſus. Nec *Luciferi equi* aliter excuſari videntur poſſe, quam per Hypallagen, ut equis datum ſit Epitheton, quod ipſi Lunae debebat addi: II Art. Amat. 660. *Male viva*, certiſſimum, elegantiſſimum, & proprium, & ſignatum eſt: nec aliter legendum eſſe credidi, ex quo Pallium tuum Tertulliani legi, & ita quoque Palatinus, & ille, quem ego in Germania contuli. Habui ſuper hoc ipſo loco acerrimam contentionem adverſus N. quid quaeris? perſuadere non potui. ſi omnino βαλανηφαγεῖν neceſſe eſſet inventa fruge, malim equidem quod *Gevartius male viſa* probat alio loco, ubi *male conſpectus*: quam illud ridiculum & exſibilandum eſt, *mala viſa*? ſed aliud ſane eſt *conſpectus* hoc uſu, aliud *viſus*. Epiſt. XIII. 137. *Heroiſin* & *Troaſin* non dubito quin vera ſint, & ipſius Naſonis. *Infernae arae*, ut placere ſane non poſſunt, ita neſcio quomodo nec *internae* illae ſatis ſunt ad guſtum. Si *infectas* aut tale quid poſſet ſupponi, amarem magis. Itaque te oro, ut per ὄcium aliquando de iſto loco cogites. Si tamen in MSC. *Herculeas* legitur, quid opus cunctari? Unde autem tanta mutatio? Lib. VI. Livii c. 36. ita invenio in duobus MSC. legi: *ni potius quam ſorte creditum ſolvat.* in tertio: *an placeret faenore circumventam plebem potius quam ſortem creditam ſolvat, corpus in nexum ac ſupplicia dare*? Ad Lib. XXXV. nihil habeo. non enim ultra XXX. excerpta noſtra porriguntur. Ultimam illam partem nullis blanditiis ab Dracone illo heſperio extorquere potui. Sed quando theſauro iſto nos beabis? ſalve & vale cum tuis, unicum decus meum. Hagae a. d. IV. Eid. Majas A°. CIↃIↃCXXXVII.

Lib. V. Silv. piet. Abas: Laudavi palmariam tuam emendationem: *nullaque famoſa ſignatur lancea pinna.* Itaque locum ex ſcholiaſte Juvenalis: *Antea ſi quid conſules.* Neſcio quid ſibi velit τὸ *Antea*, an ſcribendum *anxia*. Ut ſit prima vox verſus quam explicat. Inſpice, quaeſo, Scholiaſten. Nam mihi ille ad manus non eſt.

Reſponſio ad *Salmaſii* Epiſt. XCVI. ipſe reſpondet Epiſt. XCVII.

EPISTOLA CCC.

JOH. FRID. GRONOVIUS

[1] *Claudio Salmaſio.*

Leidam.

NObiliſſime Domine. Lapſam hebdomadem miris modis eripuerunt mihi certi homines maleferiati : etiam unum diem urbe abeſſe coactus ſum. Ea cauſa eſt, quod gratiſſimis litteris reſpondere ſtatim non potui. Illud, *Foeneris accedat merces* omnino alicubi me legiſſe puto: ſed ad ipſum repraeſentandum aeque me deſeruit memoria. Manilii eſſe initio ſuſpicabar; ſed cum integrum percurriſſem, non inveni. Ipſa obſervatio tua adeo mihi placuit, ut continuo non paucos locos ad eam exegerim, & deprehenderim veriſſimam. Itaque quod hoc quoque nos docuiſti, immenſas tibi gratias, ingentem ſitim iſtius operis mihi excitaſti. Quod quia admonuit, ſcribam nunc rem invitiſſimus, quam tu cum riſu leges. Eruditus quidam juvenis Belga, quia ex me audiverat propediem id typis datum iri, dicebat nuper habere ſe librum MSC. JCti cujuſdam Hiſpani, maritimum ſpolium, de Uſuris. Eum juſſit offerrem tibi, ſi uti velles. Reſpondi ejuſmodi adjutoribus te non egere: deinde procul dubio tractari ibi forenſes quaeſtiones & naenias ex recentibus JC. millies repetitas: quod genus toto coelo a tuo ſcribendi more differre. Noſti *Φιλαυτίαν* gentis. non perſuaſi ut urgere deſiſteret. Itaque liber penes me eſt, & expectat quid juſſurus ſis. Eſt autem talis qualem fueram ſuſpicatus. Prima quaeſtio eſt: *Uſurane ſit mutuum dare cum pacto, ut mutuarius teneatur partem mutui in mercibus accipere aut ſolvere in alio loco?* ſecunda: *Utrum uſura ſit mutuare aliquid, ut tantumdem reddatur, quando plus valebit?* &c. Ego mandatum perſecutus ſum: tibi ridere, vel ad haec non reſpondere licet. In Statio: *Septenusque ordine collis*, utinam non tam longe a vet. Lectione abiret. Vix me contineo, quin euge acclamem. adeo nihil convenientius ſenſui fingi poſſet. *Semusque ex ordine collis* nimis videtur eruditum. Malo tamen quam interpretum *Φλαεΐας*. Locum Scholiaſtae Hephaeſtionis valde velim habere deſcriptum, nec enim is ſcriptor in mea librariola eſt. Veriſſime reprehendis imperitiam corrigentis in Ovidio: *Quo mihi ſit genitor*. In lib. VI. Faſt. vſ. 435. *autor in incerto eſt, res eſt Romana. tuetur Veſta, quod aſſiduo lumine cuncta videt.* Mira hîc affertur *Scaligeri* emendatio, ſed an non ſcribendum, *juncta*. *Quod* pronomen eſt, non conjunctio. Erant autem iiſdem in penetralibus Veſtalis ignis & *τὸ διοπτὲς* Palladium. Citavi hunc locum in Diatribe: ſed corrigere oblitus ſum. Ea perfecta fuiſſet, niſi deficerent litterae, ut loquuntur, Capitales ad indices adornandos. illae dum funduntur, opuſculum non exit. *Bodecherus* cum [2] lituo hujus expeditionis, nuper hîc quatuor integros ſubſedit dies, ut haberet occaſionem caedendi *Fr. Voſſii*: & fecit in via celeberrima media luce.

1 Reſponſio ad *Salmaſii* Epiſt. XCIX & CI. Reſpondet vero *Salmaſius* Epiſt. CII.
2 Vid. Gronov. Epiſt. ad Heinſ. XX.

luce. vide otium & dignitatem Profeſſoriam: Rumuſculos quod non niſi contemptu dignos aeſtimas vehementer laetor. Et profecto jam dudum eo profecit tua virtus, ut poſſis ὑπὸ σίγῃ πυκνὰς ἀκῆσαι ψυχάδας ἰυδνοῃ φρενὶ Litteras ad *Lindenbrogium* curavi. Epithalamion illud, in quo ſic ἰσυχοφαοπηθης ob certas cauſas habere me vellem: &, ſi fieri poſſet, editum cum lituris tuis. Vale, maxime vir, & me ſolito favore complectere. Hagae III. Kal. Jan. A°. CIↃIↃCXXXVII.

Hanc epiſtolam nudius tertius ſera nocte ſcripſeram, ut altero die ſummo mane deferrem ad aurigas. Ecce adſunt *Voſſii*, & totum iſtum diem Genialem cum ipſis in ſuaviſſimis ſermonibus habui, quorum praecipuum argumentum tu fuiſti. Nunc etiam nunciatur te auctum eſſe liberis. quod ex animo gaudeo, eamque rem tibi, puerperae atque ei quod natum eſt, bene evenire Deum precor.

EPISTOLA CCCI.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

MAxime Virorum. Quid promerueram de te, Nobiliſſime Domine, ut me fraudares palmaria illa Ovidiani loci correctione, niſi Deus quiſpiam bene advocatus me ſuſpicari de ea coegiſſet? Certe enim talis primo intuitu mihi viſa eſt: nec dubitare poſſunt niſi Acriſii & Acriſiorum filii. Vere dicis multa eſſe, quibus probare eam poſſis. Puto & Prudentii loco, qui mihi incidebat Lib. II. in Hymn. *Ut Tragicus Cantor ligno tegit ora cavato Grande aliquod cujus per hiatum crimen anhelet.* Veriſſimum etiam τὸ *praetexit*. Ille N. quaeſierat hîc nuper per epiſtolam ex JC. quid eſſet lib. IV. de Ponto. el. XV. *Teque meae cauſſam ſervatoremque ſalutis, Meque tuum libra novit & aere magis.* Ita enim habet iſta Editio. Veniebat ille ad mè & petebat Ulpianum & Theophilum, ut deſcriberet loca illa, ubi mentio facta teſtamenti per aes & libram. Dicebam de ritu illo ſatis multos notaſſe: Inter caeteros *Briſſonium*: ſed hunc quoque errare, quod *magis*, non *minus* legeret, cum illud a ſaevis correctoribus eſſet. Inſanire videbar homini, quod tam ſanam lectionem loco movere vellem. Silui ergo & mihi ſapui, ſi tamen ſapui, quod tu judicabis. Habent enim optimi quique MSC. *minus*, non *magis*. Et errori illos implicuit quod dicendi illud genus non intellexerant: *tuam libra & aere minas.* quod elegantiſſimum eſt. Et ſimili fere ſenſu Galba apud Ciceronem filios ſuos parvos tutelae Populi Romani commendat, ac ſe ait *tanquam in procinctu teſtamentum facere, ſine libra atque tabulis populum Romanum tutorem inſtituere illorum orbitati.* Niſi quod Ovidius non ad teſtamenta, ſed mancipationem in genere alludit. Sic Manilius: *Tarquinioque minas Reges.* id eſt, praeter Tarquinium. Statius: *Pallados armiſonae, pharetrataeque ora Dianae Aequa ferunt, terrore mi-*

nus. Auſonius in periochis: *amiſſis una minus caeteris navibus.* Tuum ergo inquit, mancipium ſum, ſola libra & aere minus? ſola haec mancipationi meae defuere. Per aes enim & libram Dominum mutabant mancipatione, quae res mancipi erant, & nexu abalienabantur, ut eſt apud Boëtium. ſic hunc locum tractaveram dudum in miſcellaneis meis. Tui de foenore in dies mihi ſitis creſcit: etiam *Lindenbrogio* noſtro, qui me ſtatim, ut editum fuerit, ſibi comparare juſſit. Is ſalutat te plurimum. Acronem & Porphyrium non habeo, nec nanciſci poſſum. Cruquianus commentator ita: *hic Fufidius capiti a ſumma capitali quinas enim exſecat. id eſt quinas centeſimas de ſorte deducit in ſingulos menſes, quas aut accipit aut tabulis notat.* Cruquius ipſe: exſecat *ſcriptum eſt in o. c. quinas autem centeſimas exſecare, eſt, de ſorte ſeu capitali ſumma (ut fertur) foenus exigere, eſt quod Flandricè dicitur. vyve ten hondert. Quod quidem exiguum eſt in annos at in menſes ſingulos intolerabile. Quod ne fieret apud Romanos Cenſoribus negotium datum erat.* Laev. Torrentius: *caput vocat ſortem ipſam; mercedem vero ſortis fructum, quod proprie vel foenus vel uſuram dicimus. foenus tanquam fetum quendam ſortis, uſuram quod uſu detur. Merces vero proprie in locatione appellatur, ut in emptione praetium: Horatius igitur κατ᾽ ἐξοχήν, ut paulo ante conductos nummos vocat foenori acceptos, ſic nunc mercedem quae pro eis penditur. &c. Fufidius iſte quinas in ſingulos menſes capiti mercedes exſecabat, hoc eſt quinos quot menſibus aureos pro centum numero datis tanquam vi quadam in ſumma indigentium neceſſitate auferebat, non toto biennio ſortem aequans.* Sic illi. De loco Martialis & Epithalamio ſis memor, quod commodo tuo fiat. Epiſtolae *Caſauboni* ſunt ſub praelo: ſed tardius procedebant operae, dum iidem inter meam Diatribam & illas laborem partirentur. Quod nunc deſierunt facere: & proximis diebus mei libri exemplum habebis. quem utinam oculis tuis ſubducere honeſte poſſem! Sed tanti eſt erraſſe, tanti plurima jejune & inepte dixiſſe, ut veriora & certiora a te docear. Salve & vale, primarium literarum ac meum decus. Raptim. Hagae a. d. XIII. Kal. Jul. Anno CIↃ IↃ CXXXVII.

EPISTOLA CCCII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

[1] *Claudio Salmaſio.*

Leidam.

Mitto ad te tandem, Nobiliſſime Domine, infelicem foetum noſtrum ſeu abortum verius Diatribes in Silvas Papinii, pro quo etſi ſemper metui, tamen cum maxime diſcrucior animi cogitando, quis ſenſus futurus ſit tuus, quae de nobis exiſtimatio, cum tantum cumulum inſcitiae λογοδαιδαλοίας & inanilogae inſcitiae ſub conſpectu & uno quaſi oculi ictu es habiturus. Utinam paucae modo paginae, immo lineae probarentur tibi! Utinam invenires aliquid, propter quod caeteris ignoſceres! Quicquid ſit, hoc etiam te oro, ut per-

[1] Reſpondet *Salmaſius* Epiſt. CVII.

perdere digneris horas nonnullas vacuas, & idem ſumere in illa jus, quod in Naſonimaſtiges, caprimulgos [2] P. V. & Q. R. editores, & per Epiſtolam quamvis longam apud ipſum me plectere abnormem illam Minervam. Non dabis beneficium invito, & hoc certe intererit, ut & caſtigationem utcunque acerbam aequiſſimo animo feret, etſi vel totus liber una deleatur litura, ſpem tamen habet autor ſe imprudentia ſua atque ἀμαθίᾳ, non perditurum affectum tuum, quem ut nulla doctrinae opinione, ſolo cultu erga nomen tuum, acquiſivit, ita eadem arte ut deſint caetera omnia, ſe ſervaturum, ſi quid in rebus humanis certi eſt, certum exploratumque habet. Miſi ad te ipſum exemplar, quo, dum ſub operarum manu liber eſt, ipſe uſus ſum: cum nondum haberem paratum, quod tibi proprium deſtinavi, & perire mallem non diutius tortus. Eum ipſum licet tibi obelis tuis diſtinguere aut configere: ſed ut remittas poſtea, cum exemplum purum, quod retineas, ad te curavero. Nondum enim dedi cui inſcripſi, nec aliis, quorum quidam ea ambitione ſunt, ut ſiniſtre interpretarentur, ſi ultimi tam Levidenſe donum acciperent. De loco Varronis quando ſic illudere mihi voluiſti, ut ſententiam meam quaereres, ludibrium debere tibi pergam. Puto ergo falli Varronem, non tantum in ridicula illa origine τῦ *nexi*, ſed & quod ceu diverſas ponit ſententias Manilii & Scaevolae, quarum utraque vera eſt, nec inter ſe pugnant. ſane & Cicero diſtinguit ea, quae tenentur *jure nexi*, & *jure mancipii*. Nempe quae habeo jure mancipii, eorum ſum Dominus: quae jure nexi, in ea habeo obligationem. Ita non contradicunt ſibi Manilius & Scaevola. Nam Manilius requirit, ut quae nexa ſint, eadem quoque ſint mancipi, hoc eſt talia, quorum commercium ſit, & quae mancipari poſſint: Scaevola dicit nexum eſſe, quod per aes & libram geritur, praeterquam quae dantur mancipio. Et haec enim per aes & libram geruntur, ſed plus dant juris, quam nexa. Non negat igitur Scaevola neceſſe eſſe, ut aliquid, quod per aes & libram geritur, ſit nexum, id eſſe rem mancipi: ſed dicit aliud eſſe tenere aliquid jure nexi, aliud jure mancipii, quamvis utrumque per aes & libram geratur. ſeu omne id nexum eſſe, quod per aes & libram geritur, ſi non mancipio detur. ita negatione unius ſpecici, definit alteram, quod non negat Manilius. Quod mancipio datur, ejus fio dominus: quod nexum eſt, ejus proprie non ſum dominus, ſed habeo tantum in id obligationem. Et ita *nexus* quoque differt a *ſervo*, etſi obligatus eſt, ad ſerviles operas praeſtandas. Nexum habeo jure nexi, non jure mancipii; at ſervos habeo jure mancipii. Sic quod mihi pignoris loco datum eſt habeo jure nexi: illud etiam etſi penes me ſit, non tamen eſt meum. Logica haec Etymologia eſt, non Grammatica, videntur omnia quidem mancipia etiam eſſe generali vocis notione nexa, aut quae habeo jure mancipii, eadem me habere jure nexi: ſed non contra aut reciproce. Ita Cicero cum dicit *abalienationem eſſe traditionem alteri nexu*, ſine dubio generaliter vocem accipit, ut etiam quae mancipio dantur, comprehendat. Sed ad utrumque requiritur, ut ſint res illae, quae ſive jure nexi, ſive jure mancipii tenentur, res mancipi. Quod

2 Pervigilii Veneris *Scriverium* ſcilicet, & Quaeſtionum Romanarum *Rexhernium*.

volebat Manilius. Nec adverſatur quod liber homo, qui non eſt mancipi, obaeratus poteſt nexus fieri. Revera enim liberi hominis commercium non eſt, ideoque non poteſt eſſe mancipi: ſed ut fiat nexus, fit ex diſpoſitione legis, quae obaeratos necti juſſit, & ad refrenandam indiligentiam quorumdam patrumfamilias, hoc introduxit. Ita etiamſi liberi hominis commercium non ſit, idque leges ſciverint, homo tamen major viginti annis, cum ad pretium participandum venundari ſe patitur, fit mancipi & ſervus, etiam diſpoſitione legis, quae unicuique favori pro ſe introducto renunciari licere, & hoc modo laſciviam fraudatorum coercere voluit. Fateor tamen omnia iſta non tralaticia obſcuritate involuta mihi videri, & neſcio an recte ſingula intellexerim. Tu judicabis, & ſi erravi, me in viam reduces. Habebam in Miſcellaneis meis duo capita de nexis debitoribus, ubi Livii, Senecaeque loca non nulla explicantur. ſed poſtquam intellexi te de foenore ſcripturum cancellare ea conſtitui. Non enim tam ineptus ſum, ut non te de his omnibus veriora firmioraque prolaturum crederem. Vale, vir maxime, nec in mentem veniat tibi, ut ob tenuem immo nullam cognitionem meam ſive doctrinam mores meos & animum odiſſe velis. Hagae. a. d. VIII. Kal. Jul. A. CIↃIↃCXXXVII.

Illud etiam rogare te volui, & paene fueram oblitus, ſi in aliqua libelli mei incides, quae videntur ambitum ſapere & laudationes praeferent hominum, de quibus quid ſecreto ſentiam, noſti, ne iraſcare. Crede mihi, non tam te, quam me ipſum talium pudet pigetque, & tamen moderata haec erunt, praeut alii graſſantur. Aliqua etiam mutis inſaniendum fuit. Iterum vale.

EPISTOLA CCCIII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

QUibus inceſſerim laetitiis lecta epiſtola tua, Nobiliſſime Domine, deſcribere tibi non poſſum, ſic ut credas, quia non vidiſti. Unus es, quem reveteor, quem timeo, quoties calamum manui applico, cujus ὀξυδερκίστερος oculos nihil fugere puto, quod Homericis ſcriptum eſt. Qualia multa cum haud dubie in libello ſint noſtro, tamen meliora penes te valuiſſe tantum, ut his illa condonares, & totum opuſculum laudares, hoc vero mihi omnia ambitioſorum hominum vota tranſcendere videtur. Tibi enim probari exiſtimo idem, quod omnibus doctis & bonis probari. Atque etſi illud magis ex affectu profectum arbitrer, quam ſevero ſtrictoque judicio, tamen ipſe affectus mihi judicium eſt, quod neminem eo uſque adames, quem non elegeris. Plauſu igitur illo tuo ſic erectus ſum, ut de ſtudiis meis animum nequaquam deſpondeam, & hoc amabili mihi ſomnio mihi blandiar, non omnino perditum eſſe oleum, quod lucubrationibus noſtris impenſum eſt. Interim refrigerata congratulatione illa recenti, non abſtineo petere, uti quae condonaſti etiam notes, & emen-

emendare me ſinas naevos, qui ſpecie rectiorum absconduntur. Sunt enim non pauca, quibus ipſe diffidam, & ideo propoſui, ut certiora diſcam. Sunt quaedam jejune dicta, ut exactius ab aliis tradantur. In quibus eſt locus ille, ubi defendi in Tiburt. Manlii contra Gevartium, *Satiram turbare.* Si hîc fuiſſes cum illa notarem, aut facilior copia mihi foret per literas te conſulendi, petiiſſem, ut quod de Satira tractavit Danaes pater examinare me doceres. Bella namque occaſio erat materiam illam ſub incudem revocandi. Licet enim ſcirem te & alios doctiſſimos viros ſententiam *Caſauboni* magis probare: tamen inveniebam ibi quaedam, quae quomodo ſeponenda eſſent, ſatis decernere non poteram. Itaque nec illi aſſentiri volui propter veſtram dubitationem: nec ſententiam ejus tangere, quod rationes, quibus confutarem, ſatis explicatas non haberem. Inprimis ſpecioſus eſt ille Heſychii locus: σατύραι σκαφαὶ βοτρύων ἀπὸ Λάκωνες, cum enim pro ſe adducit ut *ſatiram* Graecum eſſe verbum, & *ſatiras* Graecae inventionis eſſes probet. De hoc & aliis, quae eodem ducunt, quid ſentias perſcribere te nimio velim, & ſic repetes ſolemne ſcribendi genus, quo adverſum me pridem uſus es, & uſurum te ſpopondiſti. Quod obelum obelo transfigis, non aliter expectaveram, & omnino recte factum judico. Homo quidam tibi non ignotus, ut primum id legerat, monebat ὄβελον ὀβελίσκον Graecos dicere conſueviſſe. Ei objiciebatur autoritas Phaen. qui ſemper media longa eam vocem pronunciaret. Ille cum videret gratius fore, ſi defenderetur aut excuſaretur quod ſemel placuerat, tantoque Catone niti diceretur aut fingeretur, capiebat vorſoriam, & Graecos ajebat interdum brevem vocalem ante liquidam producere. quomodo, ni fallor, apud Homerum: ἥως δ' ἐκ μέλαθρα &c. hoc ingenti plauſu exceptum, & *obelus* ille infelix ſubito felix judicatur, in qua poſſeſſione ſua manere juſſus eſt. Quanti vero hoc argumentum ſit, vides, nec ille ignorabat. ſed de pluribus verum eſt, quod de Domitio Afro dicebat Tiberius: eos nempe ſuo jure diſertos & Poëtas eſſe. De curſoria pellectione libri non tam mole, quam ſolida & omnigena doctrina ingentis, verum de uno eſt, puero nempe. Ille enim egregium hoc facinus moleſtiſſimus tum mihi praeſtitit. Ego vero magno me hoc ſpectaculum, etſi tum aegerrime tolerarem, non vidiſſe nollem. Inde didici quae iſtorum hominum perpetua ratio ſtudendi ſit. Certus ſum nihil cum aliqua ſaltem ingenii contentione tractare, niſi forte magnas nugas; Ita ignavia, & quia omnia facilia ſibi credunt, omnia difficilia Subterfugientes, aut contemnentes torpent, ſatis arbitrati, ſi ſtupore vulgi famam nacti ſint, & verba ſaeculo dederint: adeo rurſum ſecuri, immo ſtupidi, ut famam apud imperitos nacti opinionis faſtum propriam conſcientiam circumveniant. Tales ut te intelligant unquam aut anteponant fruſtra ſperamus. Ut vero propter eos rationem ſcribendi tuam improbes, indigniſſime fiat. Quam ipſis majorem optabis paenam, quam ut ſibi ſint ſimiles, id eſt, neque ex tuis neque ex cujuſquam ſcriptis aliquid diſcant. Vale, Vir maxime, cum tuis. Hagae. Non. Jul. Anno Chriſti CIↃIↃCXXXVII.

Reſponſio ad *Salmaſii* Epiſt. CVII.

EPI-

EPISTOLA CCCIV.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

NObiliſſime Domine. multis modis animum meum delectarunt poſtremae tuae, quibus quaedam mea reprehendis, & quae petieram accurate me doces. Nunquam venit mihi in mentem adeo eſſe fatuum, ut ſaepe lapſum me eſſe & dormitaſſe non opinarer, aut δεκησιφορον, ut veritatem diſcere nollem. Quare ad omnia illa ne hiſcere quidem audeo. De *ripa ſtagnata* memini te, cum hîc eſſes, paucis me monuiſſe. Ne vero putes me pertinacem fuiſſe in tenenda ſententia mea non dico (jam enim id folium excuſum erat) ſed cum monitus eſſem non corrigenda, quod inter omiſſa commode fieri potuiſſet, rationes meas allegabo, cur non plene tum tibi aſſenſerim. Inveniebam tot locis, quorum partem citavi, verbum *ſtagnare*, ut Statium id aliter uſurpaſſe non putarem niſi quod ſuo more uſus *ſtagnare ripam* dixiſſet, pro ſtagnando facere ripam: ut alibi *turbare ſatiram* & quae ſimilia iſtiuſmodi ſunt. Nec vocem *ripae* accipiebam in individuo, ut loquuntur, pro iſta vel hac ripa, quae facta eſt, ſed in ſpecie, quae ſubinde aggeritur. Nec enim omne illud, quod advexit, tollit Nilus. Cur enim *donata rura* dicerentur? cur *foſſae oblimatae*. Deinde cum *ſtagnare* in hoc uſu apud nullum ſcriptorem antiquiorem Juſtino repericbam: cui inter caetera iſtius aevi hoc condonandum eſſet. Nec ſane tam *ſtagnare* quam *ſtannare* ſcripſiſſe illi videntur: ut ἀπὸ τῦ στγνοῦ aut στγνώσαι *ſtannum*, a *ſtanno ſtannare* dicatur; Illud vero G. quod inſertum eſt, illis reſcribatur mortalibus, qui *columpna*, *dampnum* & ſimilia in veteres libros monſtra invexerunt. Sic igitur *ſtagnata* non componebam cum *Cecropio luto*, ſed *ſtagnatam ripam*, id eſt a Nilo ipſo factam, coërcere undas Cecropio luto, ſeu hirundineo opere, ſed haec non repeto, quaſi nunc quoque explicatio tua diſpliceat (placet vero, & meam ea redemptam vellem) ſed ut ſcias me non pertinacia, verum ratione, quamvis perverſa, meum illud reliquiſſe: vellem enim ut pluria talia, pro affectu docendi me, notares. Nunquam enim fiet, ſi vel totum librum una litura deleas, ut ego plus ſtolidae charitati erga infelicem faetum, quam rectiſſimo judicio tuo tribuam. De *Satira* omnia nunc mihi expedita, & miror ipſe, quomodo nomen aut exiſtimatio hominis oculos mihi praeſtrinxerit, ut hoc praejudicio veluti glaucomate mihi objecto deceptus verum pervidere non potuerim. Quamquam & ipſe non pauca in iſtis libellis notaveram, quae ſolitam ipſius feſtinationem redolerent. Quale eſt quod reprehendit in Juvenale: *Dominae femur exclamare coegit*. Quaſi non Statius *portae mugitum exclamare* dixerit? Quaſi non alii *rumorem* pro murmure, immo *vocem* pro ſonitu. Item *figi in cute ſolem* in Perſio. Quod mihi ſi tamen veram rationem video, eleganter dictum videtur: De ſolis enim lumine, ut liquido plerumque loquuntur veteres, & *nubem ſole colorari* dixit Seneca, & alii innumerabiles aliter.

Jam

Digitized by Google

Jam insolatione non ad valetudinem tantum aut depilationem, sed & ad fuscum & virilem colorem cuti inducendum utebantur. A quo praecipue fine *figi in cute solem* dixit Persius, cum reliquam forte mollitiem etiam reprehenderet. *Figendi* verbum in colorum applicatione usurpat Petronius: *nec vestem atramento adhaesuram, quod frequenter etiam non accersito ferrumine infigitur.* Nec diverse Juvenalis: *nitidis rebus maculam figere. figere ergo in cute solem* dicetur, cujus cutis vernum solem bibit, Juvenalis Phrasi, & verno sole coloratur. Plinio *alligari* dicitur color, qui constanter haeret, nec eluitur facile aut evanescit, ut Graecis καταχίεσθαι, quod tu nos docuisti in Plinianis exercitationibus. Qui *colorem alligari*, *infigi*, qui rursum *cutem sole tingi*, *colorari* dicit, quare non *solem in cute figere* diceret. Haec ante octo fere dies scripseram, cum interpellatus sepolui chartam, & continenter postea tot negociolis distractus fui, ut vix cogitatio ejus mentem subierit. Quare oro atque obsecro, ne sinistre accipias silentium meum aut ignaviam moramve imitere. Posthac diligentior ero. Notum est post divisionem Augusti, qui in provincias publicas cum imperio mitterentur, sive Consulares sive Praetorios, *Proconsules* dictos. Cur ergo Strabo. Lib. XII. p. 166. Ed. Casaub. ἡ μὲν Βιθυνικὴ περέχεται τῷ δήμῳ καὶ πίμπταις ἐπ' αὐτὴν στρατηγὸς ἔχων παμίαστε καὶ πρεσβευτήν. Etsi hoc in Strabone ferendum, cur dubitant in I Annalium Taciti docti viri, an non vitiosa scriptura sit, ubi *Praetorem* Bithyniae Granium appellat? Pudet omissam esse in libello meo egregiam emendationem tuam in Saturnalitio ad Plotium: *Alvorum, calicum, atque caccaborum.* Nuper adeo id recordatus sum. Nam semper, ex quo primum cognovi, pro verissima haberi, cum Varro & Columella perpetuo *alvos* dicant. Et destinaveram ei locum ab Lib. III. Sil. L. ubi obiter de corruptione τῦ *B.* in *V*, & *V.* in *B.* monui. Nescio quae menti caligo objecta fuerit, aut quomodo sic pocula lethes traxerim, ut oblivisceret. Si quando textum edemus, videbis sine ullo metu hanc lectionem Statio assignaturos: Nec dubitare possunt, nisi putidi & inepti. Vale, Vir maxime, & me ama. a. d. VIII. Kal. Sextil. Anno CIↃIↃCXXXVII. Hagae.

Foenori tuo quid fit? Nisi forte idem quod Epistolis *Casauboni.* Nam dum avaritia & lucri odor hominem meum impellit, quaevis opera, ex quibus sperat aliquid proventurum suscipere, suscepta inceptaque necessario cogitur, dum absolvat unum aut duo, caetera differre. Iterum vale, & bene rem gere.

Responsio ad *Salmasii* Epist. CVIII.

EPISTOLA CCCV.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmasio.

Leidam.

ERgone irascerer, quod errores aliquot meos benevole correxisti? nunquam faciam cuiquam, qui modo aliqua specie judicii mecum aget: nedum ti-

bi, quem unum omnibus oculatiorem aeſtimo, cui uni ſtudia mea approbare cupio, apud quem unum aperta fronte dicere licet mihi quid ſentiam, & quid ſentiendum ſit audire. Nam caeteri maxima pars, ut ipſi ſunt, vana reſpiciunt, atque inutili ambitu plerumque judicia corrumpunt, ſic ut etiam cum exuerunt ſimulationem, fidem non inveniant. Serio immo iraſcor occupationibus meis, vel mihi potius ipſi, qui non omnia poſthabui, ut aut ſuſpicionem tuam officio anteverterem aut caverem ſaltim, ne tot dies mihi ſuſtinere eam neceſſum eſſet. In quo video & cognoſco negligentiam inaeſtimabili me fructu privaſſe tuarum epiſtolarum, ex quibus plura addidici, quam ex aliorum glorioſorum hominum vaſtis commentariis. Igitur poſthac cavebo, ne ſimilis noxa committatur. Ita tamen ut tuarum quoque occupationum rationem eliciam. Exilui prae gaudio, ubi legi certiſſimam conjecturam tuam de Heſichii loco. Quam ego felix eſſem, ſi hac purpura centones meos adornare potuiſſem! ſed veniet, ſpero, dies, cum emendare illud opuſculum potero, & omnia iſta, quae ambitionem & juventutem ſapiunt, (quorum quidem me paenitet & paenitebit quamdiu non correxero) ſpongiis effingere, ſubſtitutis aliis, quae & verum animum meum, & quae ex te didicerim, praeferant. Sed ad conjecturam tuam, quae, credo, ipſum Suffenum noſtrum eo adigeret, ut fateretur ſe autorem illum ſuum incomparabilem negligenter & imperite, hoc eſt ſuis oculis inſpexiſſe. Neque enim vocum praecedentium ſubſequentiumque ſeries aliam ſcriptionem admittit: & eruditiſſime ſagaciſſimeque Laconica illa vox a te ſcruta eſt. Σατ[illegible]αι vel Σατ[illegible]αι pro Θη[illegible]αι, ſtatim ſubibant illa Σιας pro θιασω; πτορ pro πθω; σῆν pro θῆν; μαχάτας pro μαχητης; & ejuſmodi innumerae. Nec geminatio illa litterarum ignorari poteſt, quae omnibus vocibus communis. De Epigrammate valde amo te, quo quidem purius, elegantius, ingenioſius, quod in rotundius Κεντρον, quae peculiaris illi generi laus eſt, deſinat, diu nihil legi. Neque aliter judicare poſſunt niſi homines ἐμβρόν[illegible]ηοι, αυ[illegible]δεῖοι, ὑπερφανοι, verbo mali, quibus nihil placet, praeter quod ipſis ſatis interdum infeliciter excidit. Humane vero facis, cum ad excutiendas Horatianas palcas ultro offers operam, quam ego etiam libens precibus ambire vellem. Nec dedignor partes a te mihi impoſitas: hac tamen conditione ut cum in arctum contruſus fuero, nec effugium habeam, non accerſendus ſit mihi θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, nec ſuſceptum meum deſerendo praevaricer, ſed aperte rejecta parmula malam cauſam omittere poſſim. ſane in ipſo limine mallem *tetram nivem* Riphaeis montibus reliquiſſet. *Jove non probante*, placet fere prae commentis interpretum, niſi tu quid novi habes. ſed de *imminente Luna*, & *undique decerpta fronde*, ubi ſe tantopere jactat, quid judicas? nam poſteriore quidem loco veram lectionem aſſeruiſſe paene perſuaſus ſum. Expectabo tamen ſententiam tuam. Vidiſtine librum *Galilaei* de Syſtemate mundi quem *Berneggerius* noſter vertit? Et legiſti ſine ſtomacho encomium illud nugaciſſimi hominis, certe hujus ſtudii ignariſſimi: *Florentiſſimus in Batavorum Academia doctor, quem Heinſius, quem Salmaſius gloriae ſuae ſuccreſcentem ſibi gratulantur*? Equidem non patiar virum optimum diutius in tanto judicii errore

re

Digitized by Google

re verſari: ſed ſimul primum ad eum ſcripſero, hoc glaucoma oculis ejus detergebo, & monebo ne in poſterum, ſi quid turbida A. illa elevet, ſtatim accedat. me quidem vehementer haec res commovit, doleoque librum alias, ut periti judicant, multae bonae frugis faediſſimo hoc ſtigmate ipſa in fronte inuſtum eſſe. Ad poſteriorem partem meae prioris reſponſionem tuam expecto. Epigrammatio etiam illo, quod miſiſti, non niſi cum ſummo honore tuo utar. Vale, Vir maxime, & me fingere perge facilem obſequentemque materiam. Hagae VI. Id. Sextiles Anno CIↃIↃCXXXVII.

EPISTOLA CCCVI.

JOH. FRID. GRONOVIUS

[1] *Claudio Salmaſio.*

Leidam.

CUm heri Leida diſcederem, abſtuli mecum commodatum a filio hoſpitis mei Dionyſium περὶ ὕψους λόγου Oxonii editum cum notis cujuſdam Angli, nec viſi antehac mihi, nec nomine cogniti. Perlegi aliquot pagellas in via, quantum quidem ſuccuſſio rhedae pateretur, vidique tandem recte eum vidiſſe quod magnos quoſdam viros fugeret, cur [2] *Salamis vera* diceretur. Ita enim notat: *Salamis Inſula ad quam navali pugna Athenienſes Themiſtocle duce Xerxis copias fuderunt. Salamini Atticae aliam in Cypro cognominem extruxit Teucer, cum a Telamone patre non reciperetur, ut qui Ajacem fratrem* αὐτόχειρα *non impediiſſet. Atque hinc Salaminem Atticam veram appellant ſcriptores.* Senecae: *Nunquid Ajacis Salamina veram?* Lucanus: *Treſque petunt veram credi Salamina carinae.* Manilius: *Vera Syracuſis Salamis non merget Athenas. ubi aqua haeret magno Scaligero.* De eadem re ego latius in miſcellis meis jamdudum notaram, ut teſtis eſſe mihi poteſt *Iſaacus Voſſius*, apud quem jam ante biennium Amſterodami (cum *Sam. Petiti* miſcellanea nobis in manu eſſent) & poſtea hîc non ſemel ſuper ea ſermones habueram. Itaque partem illorum ſtatim domum reverſus ad te, Nobiliſſime Domine, miſi, tum ut olim, ſi forte arguerer, te teſtem citare poſſem, me nihil alieni involaſſe, tum ut haec ipſa, & quae propterea adjecta ſunt perlegeres, & ſicubi ſum lapſus corrigeres. Conſtitui enim per otium hoc modo ex ſchedis meis ſelectum librum adornare & velut nova incude diſtinguere: cujus ut aliquid perfectum fuerit, ſtatim tuis oculis cenſendum ſubjiciam, nec ullum ibi apicem tolerabo, quem tum improbaveris. Cupioque ut unicus Καινὸν ſis poſthac ſcriptorum meorum, niſi grave hoc tibi eſt. Nunc accipe hunc guſtum, & quando tentaveris, cum cenſura tua remitte. Proxime de eo, de quo inter nos convenit. Vale, Princeps Eruditorum, & me ama. Hagae. raptim ad D. XV. Kal. Septemb. A°. CIↃIↃCXXXVII.

1 Reſpondet *Salmaſius* Epiſt. CX. ex Epiſtolis *Salmaſii* apparet deeſſe quaſdam *Gronovii.*
2 Vide *Gronovii* I. Obſ. 3.

Digitized by Google

EPISTOLA CCCVII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

JAmdudum ſiti tuarum me conficis, Nobiliſſime Domine, Ambiguum etiam acceperis nec ne poſtremas meas, quibus epiſtolam praeſtantiſſimi e Germania Viri incluſeram. Eam tamen periiſſe nollem, nec reſpondere potui, antequam tuas reciperem. Equidem nunquam ita fui inſullus, ut meis quibuſcunque deſideriis graviſſimas occupationes tuas non praeverterem. Quare nec nunc moleſte rogo, ut quamprimum tuis me digneris, ſed commodorum tuorum primam rationem putare te cupio, ſic tamen, ut paulo otioſior noſtri recorderis. Mitto hìc pagellas quaſdam miſcellanorum, non ea mente ut onerem curas tuas. Itaque potes eas cum lubitum fuerit perlegere, atque exigere ad obruſſam, quaeque diſpliceant, libere notare. Parata mihi ſpongia eſt, in quam omnia, quibus juſte notam appinxeris, ultro incumbant. Duas paginas libelli mei non ita pridem cum in Galliam deſtinanda exemplaria eſſent, mutavi. Eas hìc quoque mitto ut tuo inſeras. Scito me priora illa ſcripſiſſe procinctum ad iter Amſterodamenſe, ſtantem pede in uno, quae etiam cauſſa eſt, ut totum illud folium turpiſſimis mendis depravaretur. Eram tum recens a lectione ſcripti magni viri quem aeſtimo caetera, ſed imprudenter interdum amo meos, & indigne ferebam dentem ubique repetitum in vulnus [1] popularis mei, qui aliquibus certe meritis redemit meliorem famam. Nunc iſte fervor refrixit, & me ſerio paenitet. Quare pudori non duxi apud amicos fateri ἀνόησιν meam, praeſertim cum me quoque non in re quidem, quod ſciam, ſed circa reum erraſſe agnoſcerem. Tu igitur ignoſce confitenti & ſe deferenti reo, & ſit haec inter caetera quae aetati, & improvido conatui condonas. Vale, Vir maxime, & me ama. Hagae. a. d. v. Non. Octob. Anno CIↃIↃCXXXVII.

1 *Joannis Wouwerii.* vide *Gronovii* Epiſt. ad *Heinſium* Ep. XXX. alterum, qui *Wouwerio* obtrectabat, fuiſſe *Elmenhorſtium* colligi poteſt ex Epiſtola *Gronovii* & altera ad *Heinſium* LXII.

EPISTOLA CCCVIII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

NObiliſſime Domine. Quod excuſas tarditatem tuarum, exoſculor comitatem tuam, id vero mei potius quam tui reor eſſe officii. Nam ego quidem facile graviſſimas curas tuas metior, atque illis ignoſco, ſi quid praeter

ter cupiditatem meam evenit: Tu vero meum negotioſum ocium neſcis. atque ideo ſemper vereor, ne quod negligentior ſum interdum, ſecius interpretere, ac putes me χρησιτητα ac facilitatem tuam, cujus ad participandos immenſae tuae doctrinae fructus tam grande ſaepe pretium tuli, non ſatis agnoſcere & venerari, in petendo identidem quam tu in dando tardiorem; ſed ſi rationem vitae meae cognitam haberes (& plane cognitam facere non poſſum) eſſem ſemper tibi purgatiſſimus: & teſtor Deum immortalem, non id fieri unquam minore cura aut tui aut dulciſſimarum literarum, ſed occupationum mole, quas non ipſe onero, ſed fiducia mihi imponit illorum, qui aliquod jus in me habere ſe putant, & me ut mulo Mariano utuntur. Cum te poſtremum viderem, Leidam excurreram vocatu avunculi mei, Conſiliarii Ducis Brunſwicenſis & Luneburgenſis, qui ad Comites Oldenburgicum & Friſium legatus hucuſque perrexerat ad viſendam famoſiſſimam obſidionem urbis Bredae. Reverſus ille ex caſtris ſignificaverat mihi vix fore, ut Hagam adiret denuo: ſi quae haberem domum mandata, aut per litteras explicarem aut venirem Leydam. Poſtero die cum omnino ſcribere ad te conſtituiſſem, ecce totam urbem pervagatur nuntius, obſeſſos pactos eſſe deditionis leges, & raptus ſum a familiaribus quibuſdam, quibus hoc promiſeram, impranſus imparatus in caſtra comes. Ex quo vero relatus ſum in nidulum meum, ita fui diſtractus totos dies, ſaepe etiam medias noctes, ut de ſtudiis meis vix cogitare poſſem. Ita compenſanda mihi paucorum dierum voluptas, ſi voluptas fuit totos dies currere per caſtra, mille homines alloqui, fame & ſiti oculorum redimere paſtum, noctes ſemisomnes in ſcamno aut terra nuda cubare. Nunc ubi paullulum reſpiravi, & me ex iſtis evolvi tricis, nihil habui antiquius, quam ad ſolitum reverti ſcribendi munus. Igitur in prioribus quidem tuis, quae diſputas de *inhibendo* κρεισσῶς & ἀναγκαίως πρύμνην vehementer mihi placent: nec dubito aut ineptire Scholiaſten Ariſtophanis, aut ibi eſſe mutilum. Unum tamen atque alterum eſt, in quo nondum ſatisfacio mihi: ſed cum illud, quod opponam tibi, nondum concoxerim ſatis, proximis aut certe poſt proximas videbis. Interea ad cogitandum ſpatium mihi dabis. Quod vero pagellas, quas miſeram, perluſtrare atque perpendere dignatus es, ob id maximas tibi gratias ago. Utinam quod ſpero telam hanc te arbitro vel exactore detexere mihi liceat. Ita demum ſtudioſis profuturum aliqua laborem noſtrum non deſperarem. Nam tuum, Vir maxime, unius judicium mihi famae inſtar eſt. Nec pugnabo tecum in Senecae loco. Arguit enim Antitheſis in illo: *Salebroſa exilienſque oratio*: *pedem ſervare* eſſe nihil aliud, quam eodem tenore delabi & quaſi defluere. quod convenit orationi velut in plano incedenti: hoc igitur mutabo. Horatianum vero interpretem nequaquam deponere ſuadeo, antequam promiſſum tuum totum mihi repreſentaveris. Veriſſima ſunt omnia quae notaſti: in primis moverunt ſalivam duo illa loca, quibus demonſtras quid ſit πνεῦμα ἔχειν ἀνω. Itaque non expecto, ſed δίψῶ caetera. In lib. IV. Od. II. potuimus obſervare (& puerile eſt non obſervari) nihil minus eum, quam ſenſum eſſe aſſecutum in illis: *Tuque dum procedis, Io triumphe,*

non ſemel dicemus, Io triumphe. Ubi cum de *Lipſio* triumphaſſet, certiſſimum ait eſſe ſcriptum fuiſſe olim: *Duque.* quod ſit *Duxque.* ſi certiſſimum eſt, cur non pugnaturum ſe dicit ei, qui vulgatum ad ſolem referat? Et id tamen falſiſſimum eſt. Nunquam vel puer intellexi haec aliter quam ut apoſtrophe ſit ad ipſum triumphum. *Et dum tu, triumphe, procedis non ſemel dicemus, Io Io triumphe;* Ut in Epo. IX. *Io triumphe, tu moraris aureos &c.* & Ovidius:

Tempora Phoebaea laurum cingentur, Ioque
Miles, Io, magna voce, triumphe canet.

Extra ordinem unum rogabo, quid intelligas, per *Vectigales*, apud Salluſtium Jugurtha cap. XCIX. ex diſtinctione *Gruteri*, ubi deſcribit pugnam poſt captum oppidum Capſam inter Jugurthinos & Marianos: *defeſſis jam hoſtibus ac ſomno captis de improviſo vectigales item cohortium, turmarum, legionum tubicines, ſimul omnes ſigna canere.* Et dignum hoc in militia tua doceri. Vale, Vir maxime, & me ama Hagae a. d. IV. Kal. Novemb. A°. CIↃIↃCXXXVII.

Cum claudere has vellem, commodum intervenit, qui has tradet tibi, juvenis modeſtus καὶ σὸς ἄμυστος *Berneggeri* quondam amanuenſis. Is una opera humanitatem alloquii honoremque deſiderat, quem haud gravatim impartieris.

Reſponſio ad *Salmaſii* Ep. CXIV. & CXVI. qui reſpondet Ep. CXVIII.

EPISTOLA CCCIX.

JOH. FRID. GRONOVIUS

[1] *Claudio Salmaſio.*

Leidam.

NObiliſſime Domine. Niſi affectum tuum ex meo animo metirer, & occupationes tuas noſſem, non aegre modo ferrem ſilentium tuum, ſed & male de eo ſuſpicarer. Sed quia narravit elegantiſſimus *Voſſius* mihi Foenus tuum ad diem & colophonem ſpectare, & rerum tuarum aliarum haud dubie ſatagis, publicis tuisque commodis privatum meum libenter damnum compenſo. Interim cum totum tribueris potioribus, id etiam atque etiam oro te & obteſtor, ut exiguum dare non deſinas memoriae amiculi tui, vel potius μαθητῦ, qui nunquam ſperat emenſurum craſſiſſimam ignorantiae noctem, niſi tuae identiden litterae facem ei extollant. Si nihil aliud, ſaltem rationem te habere velim promiſſi tui & detexere telam ad Horatianum interpretem inſtitutam. Nunquam puto deprehendiſſe in me faſtidium aliquod hujus gratiae tuae, quin ſemper immanem ſitim & guſtum quoque pulcherrimarum tuarum obſervationum. Quas *Berneggeri* amanuenſi dederam, ultimas meas, non dubito redditas eſſe tibi. Quaeſiveram ibi de loco Salluſtii, & id nunc repeto. Habeo alia, in quibus ſimile officium deſidero: ſed nunc onerare te nolo, dum pergamus in Horatianis. Mitto autem idoneum fidumque hunc latorem nactus librum Epiſtolarum *Caſauboni*, ut in Arabicis per Hebraicas litteras exprimendis, quem-

1 Reſpondet *Salmaſius* Epiſt. CXVIII.

Digitized by Google

quemadmodum recepiſti, nos juves. Tres ex acerrimis obtrectatoribus tuis [2] V. C. H. hîc exeunte priore hebdomade fuerunt. Multa cum primatibus colloquia, & haud dubie aliquid ſunt moliti, quod opto in ipſorum recidat caput. Nos perſonam noſtram ludere pergimus. Illi quidem μεμνήσκονται ἀπιστεῖν, ſed unus homo eſt, qui cum ſemper magni me facere penes eos teſtetur, huic vero blandiantur illi, & carere eo nolint, nec niſi amorem noſtri ſimulare audent. Itaque mihi ineptas in Statium conjecturas eorum refutare licuit; nec de hac libertate verbum: a te vero (credo fortioribus plagis) in de uſuris ſaepe vapulare N. narrabat aut querebatur mihi N. Vale, Vir maxime, & vince malevolorum conatus. Hagae a. d. XVI. Kal. Decembris Anno CIↃIↃCXXXVII.

Quid ſibi vult quod in nonnullis litteris *Caſauboni* ad *Thuanum* additum eſt nomen *Emerii*? quibuſdam etiam in apographis adſcriptum eſſet manu ſecunda cancellatum? an nomen igitur illuſtriſſimi ejus viri fuit: *Jacobo Auguſto Emerio Thuano*? Rogo ut ipſum quomodo praeſcribi Epiſtolae primae ad illum optime cenſeas (idem enim eidem praeponitur caeteris) mihi ſignifices.

2 *Vorſtius Cunaeus & Heinſius.*

EPISTOLA CCCX.

JOH. FRID. GRONOVIUS

[1] *Claudio Salmaſio.*

Lugdun.

NObiliſſime Domine. Quod reſponſum eo uſque traxi, donec te monitore opus haberem, fecit exemplum humanae fragilitatis, quod his diebus communis naturae me admonuit in juvene magnas ſpes promittente, majoresque fovente, *Franciſco Levio*, cujus erat liber ille MS. de Uſuris, quem aliquando ad te miſi. Is ante octo dies cum menſem tabe correptus jacuiſſet, ante oculos miſerae matris turbato mortalitatis ordine extractus eſt. Ego qui ſummam cum eo neceſſitudinem coluiſſem, & multa humanitatis officia ab ea domo accepiſſem, non potui non & adſidere identidem morituro, & poſtea orbatae matri adeſſe frequens, ut aliquot fere integros dies Delphis, ubi habitabant, agerem. Quod Arabica illa Characteribus expreſſiſti Hebraicis, & hanc amicam nobis operam commodaſti, magnas ago grarias. Etſi enim utriuſque linguae juxta cum ignariſſimis ſim peritus, tamen litteras Hebraicas novi & pingere poſſum, quodque caput eſt, Arabicis typis deſtitutus eſt typographus noſter. In iſta quidem olim, quae ad Grammaticam pertinent, mediocriter addidiceram: ſed cum pene puer ad Cauſſidicinam vocarer, hominum barbarorum impulſus conſiliis id ſtudii, quod nunc paenitet, & ſerum eſt, inſuper habui. Poſtea mei arbitrii factus magno animo ad Graecas tamen Latinasque

1 Reſponſio ad *Salmaſii* Epiſt. CXIX.
2 Vid. Gronovium ad Heinſ. Epiſt. XXXII.

Digitized by Google

que Litteras relatus ſum: in quibus etſi nihil labore meo dignum aſſequi potuerim, nunquam tamen deſperavi, aut abjeci diſcendi cupidinem. Quam magis magisque tu ſtimulas doctiſſimis epiſtolis tuis. Vel in hac proxima dubium mirerne magis eruditionem an τὴν ἀκριβειαν ſingularem in illis excutiendis, quae milleſimus quisque tranſit. Itaque noli quaerere, nihil ſcripſiſti, quod non ſtatim mihi totum placeret, quod minimam dubitandi anſam relinqueret. Mirifice vero movit ſalivam illud *Vepres inhorruit*: Certe oportet omni ſenſu carere Germanae Critices, qui in hac emendatione haeſitaret. In Virgilii loco ſaepe haeſi in illo Hemiſtichio: *Celſis caput urbibus exit.* Quid hîc *caput*, a quo *domus* diſtinguitur? Sed & in Heſychio probasne illud παιδωναξης. nam de eo non monuiſti. Vere etiam in poſteriore duobus notas verbis de Praeſente divo. Vide autem (fateor enim ἐχων αἰκουλα θυμῶ) negligentiam meam, qui futilem illam obſervatiunculam nunquam attente legeram. Credo quia Φαινεσθαι apparere eſt, voluit docere nos pro imperio ſuo Φανεσθαι, eſſe apparens & ſic praeſens. De legibus Atticis, verum eſt in bibliotheca eas aſſervari, & ipſe habui in manibus. Quod vero meo vis officio uti, gaudeo, & libens illud repraeſentabo tibi, ſi paucorum dierum ferre moram potes. Expectant me quothoris Leidae, ubi poſt plurimas invitationes hodie me adfore promiſi. ſed intervenerunt negotia, ut ante ineuntem ſequentem hebdomadem venire nequeam. Quod ſi nunc librum illum peterem, aut putarent me promiſſum fallere & ſpem adventus mei perdere, aut me juberent adeſſe & auferre quo opus haberem librum. Vides juſtiſſimam cauſſam hujus dilationis. Ubi autem Leidae cum bono Deo ero, nihil obſtabit quo minus ſtatim poſcam, & etiam cum tibi in manus tradam, idque inſciis ipſis. Vale, Vir maxime, & me ama, etiam ſi fieri poteſt, paulisper ſuſtine. Hagae a. d. XVIII. Kal. Januar. Anno CIↃIↃCXXXVIII. Cujus feliciſſimum exordium, feliciſſimum decurſum cum omni domo tua tibi ex intimo affectu precor.

EPISTOLA CCCXI.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

HEri tandem abſolverunt me moleſti illi tricones, qui codicillum quem dixeram, expedire debuerant. Sero itaque in conductum reverſus uno die coactus ſum expectationem tuam fruſtrari. Ut potui nihil fuit mihi antiquius quam promiſſum luere, hoc eſt, ſi neſcis, mittere ad te legum Atticarum collectanea. quae, tibi curae erit, ne oculos mordeant illorum, qui prodere nos poſſent. De loco Flori geſtio cognoſcere judicium tuum, quo conjectura mea ſtabit cadetve. Illud *ſicut erat ad nuncium* indicat feſtinationem Caeſaris intenti, ſi quisquam olim ducum, ad occaſiones & articulum temporum. Ob quod, ni fallor, a Cicerone ad Atticum alicubi πέρας nuncupatur.

tur. Ad *nuncium*, ut alibi *ad famam*. pro ſimulatque nuntius allatus eſt. Sed haec facile deſpicies; addidi tamen, ut ego quomodo intelligerem, ſcires. Proxime pluribus, nunc morari te nolo. Vale, Nobiliſſime Domine, & me ama. Hagae a. d. Non. Januar. A. CIↃ IↃCXXXVIII.

Velim ut quam primum commodum fuerit tibi, commentario hoc utare, & mihi, antequam reſtituatur, pervolutandi copia ſit.

Reſponſio ad *Salmaſii* CXX. qui reſpondet Ep. CXXII.

EPISTOLA CCCXII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

[1] *Claudio Salmaſio.*

Leidam.

NObiliſſime Domine. reverſum me excepit, ut ſolet, maxima negotiorum moles, quae inhibuit ne citius reſponderem ad tuam χρυσῆν ἀντίξιαν Epiſtolam. Nec enim reſpondere volebam, quin una mitterem hanc putidam fortaſſis Diatribam de [2] A. D. in qua deſcribenda decies ſum interpellatus. ut vides ex inaequali ſcriptura. Ocium autem ea res requirebat, ut ſingula componerem ex Schedis, in quas prout nata erant: facile enim apparet non uno die neque tenore uno haec nobis expedita. Expecto igitur ut ad Lydium lapidem & examines, & ubi viſum fuerit reprehendas. Neque enim reprehendere potes quemquam, quin doceas, & limpidiſſima elegantiſſimarum tuarum obſervationum ξένισματα effundas. Mihi non taedio erit aliquot impendiſſe horas etiam ubi falſus fui, ſi erroribus meis veritatem ex te elicui. De MS. Gloſſa *cupa* indubitata conjectura tua eſt. Vere lutulentus fluit noſter ille, dum in lutulento Lucilii apud Horatium fluxu Graecitatem ſuam oſtentat. Et correctiuncula tua & explicatio loci Ariſtophanis mihi plane perplacuit, nec dubitare de iis poteſt, niſi omnium imperitiſſimus. *Cupa potare magiſtra*, omnino probo, & reminiſcor dicti quod referunt de juvene, qui cum Dioniſium inter vinum maledictis proſcidiſſet, interrogatus a tyranno, reſpondit: imo niſi lagena defeciſſet, occidiſſemus te. Vereor ne inſcitum aut adulatorium videatur tibi toties me tantum aſſentiri. Sed teſtor fidem meam, ex animi ſententia loquor: & Φορτικὸς imo Φορτικώτατος eſſet mihi, qui in talibus peteret advocationem. *Verſus Enni gravitate minores.* Nondum ſatis intelligo quid velis: & licebat utique Horatio & Satirico ridere quod alii probarent. De hoc ergo, quando placebit tibi, ſilentium caſte & juratus ſervabo. Vale, quam optime, cum tuis, o unicum ϑαῦμα meum, & me ama. Hagae. a. d. XVIII. Kal. Febr. A. CIↃ IↃCXXXVIII.

Memineris, cum in Galliam ſcribes, petere epiſtolas *Caſauboni* ad *Rigaltium*, niſi grave eſt.

1 Reſpondet *Salmaſius* Epiſt. CXXIV.
2 *Ante Diem.*

EPISTOLA CCCXIII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

ME vero incredibili voluptate affecit doctiſſima & Accurata epiſtola tua, Nobiliſſime Domine, qua & meam conjecturam diſcutere, & tuam proponere dignatus es. Lecta tamen illa, viſus ſum mihi invertere poſſe verum verbum tuum: hoc eſt viſus es elegantius & fortius tuam muniviſſe opinionem, quam meam confutaſſe. Non igitur illam culpabo; ſed (quod fiat ſine offenſione magni animi tui, quem ſi cujusquam mortalium ſemper mihi adjunctiſſimum cupio ut qui maxime) quibus mea redarguis, ea paucis aggrediar. Ita ſentiebam: *Ante diem* III. *Kal. Jan.* conciſum eſſe pro *die ante diem tertium ab hoc, quo ſunt Kalendae Januarii.* Reprehendis, quod dixeram, *Kalendas* adjungi ad *tertium diem* per Adpoſitionem. Nam quae ita dicuntur caſus etiam ſequi in omnibus ejus vocis, cui adponuntur. Sic vero dici quidem *ante diem tertium Kalendas*: ſed & *dies tertio Kalendas.* Quidni etiam *dies tertius Kalendas*? ita ponis pro principio eandem eſſe rationem illius, *a. d.* III. *Kal. Jan*: & illius, *die* III°. *Kalendas Jan.* quae ego toto genere differre puto, etſi idem ſignificent. *Die tertio Kalendas* ſine adpoſitione dicitur & per Ellipſin τῦ *ante*, quae Ellipſis locum non habet in altero. A *die tertio Kalendas* recte etiam dicitur *dies tertius Kalendas* in Nominativo, eadem Ellipſi: at *ante diem* III. ſi pro Nominativo debeat poni, eadem terminatione manet. Nam qui dies eſt tertius Kalendas vel ante Kalendas, idem eſt *ante diem tertium Kal.* ſine ulla variatione. Quaeris quomodo nunc in hac, quam dixi, adpoſitione adpoſitum ſequatur caſum verbi, cui adponitur? nihil demonſtratu facilius: Nam & *tertius dies Kalendae* poteſt dici, & *tertiae diei Kalendarum*, & ſic deinceps. At ecce puta me pro pridie Kal. Februarias ſcribere: *hodie Amſterodami manebo, cras Leidae: dies tertius Kalendae reducet me Hagam.* Sic in Genitivo: *Primo actionis die, hoc* III. *Kal. Febr. negocium bene proceſſit*; item altero, tertiae diei Kalendarum Febr. ſemper meminero, ita alia tum omnia atque putarent evenerunt. Et ſic per omnes caſus. At in ablativo, cum adpoſitio eſt, *tertio die Kalendis*, ipſe Kalendarum dies ſignificatur: cum vero dicitur, *tertio die Kalendas*, intelligitur tertius ante Kalendas. Denique in illo: *ante diem tertium Kalendas*, prout ego explico, primus dies hujus numeri intelligitur ipſe, qui ſic vocatur, tertius vero ipſae Kalendae: at in illo *die tertio Kal.* incipit numeratio a die Kalendarum, isque primus eſt, qui ſic dicitur, tertius. Negas dein ſubaudiri poſſe *die*: idque confirmas, quod ſic etiam ſubaudiendum eſſet verbum *die* in illo *die tertio Kal.* diceretur que integrum ridicule: *die die tertio Kal.* Ad hanc ἔνστασιν ſimilis reſponſio eſt, nempe duas illas locutiones habere quidem voces quaſdam & ſignificationem communem, ſed ratio-

tione esse diversissimas. Jam vero subaudiri debere τὸ *die* argumento, ut adhuc exiltimo, apodictico vincam. Scis multas esse orationes infinitas, quae quia unam vocem, seu partem cui accedit casus, ut loquuntur technographi, circumscribunt, in omni casu fere quem adjunctum verbum requirit, sine variatione ponuntur. Qualia sunt: *a pedibus*, *ab Epistolis*, *ad Cyathos*, *pro Praetore*, *supra velarios*, *unde petitur*. Et innumera ejusmodi. Sub hanc seriem pertinet illud: *ante diem tertium Kal.* quod non dico in omni casu, sed certe in Nominativo, Accusativo, Ablativo reperitur. Non enim negabis latine dici: *duplici clade insignis dies est a. d.* XV. *Kal. Sextiles.* Hic nominativus est. In accusativo ut apud Gellium: *ante d.* IV. *Kalend. vitant*, *ut ominalem.* In ablativo: *accepi tuas a. d.* III. *Kal.* diceretur enim alias. *die tertio Kal.* Si mihi potes ullum exemplum dare orationis istiusmodi, in qua non intelligatur casus nominis, vel saltem articuli (hujus enim defectus obscuritatem gignit: quae apud Graecos non est, nam hi articulum omisso nomine praeponunt) viceris. Nam cum dico, *a pedibus*, *ad Cyathos*, subaudio, *servus*, aut simile. *Pro Praetore*, *pro Consule*, intelligo, *praefectus* vel *regens pro Praetore*, *pro Consule. Unde petitur*, scilicet, *reus* vel *pars litigans.* Cum ergo *ante diem* III. *Kal.* Nominativi vi ponitur, subintelligendum est τὸ *dies*; ut *Dies a. d.* XV. *Kal. est dies insignis duplici clade.* Cum Accusativi, τὸ *diem*, *ut diem a. d.* IV. *Kal. vitant ut diem ominalem.* Cum in ablativo τὸ *die*, ut ubique. Jam alterum argumentum accipe. Dixeram, male viros doctos una voce legere *inante diem* III. *Kalend.* Idque ideo, quod inter *in* & *ante* alia vox, nempe *diem* subaudienda sit. Tu conclusionem largiris mihi, argumentum, quo concludebam, tollis, falsumque ais esse. Nunc ergo ex conclusione argumentabor ad assertionem antecedentis; adeo haec duo mihi cohaerere videntur. *In ante diem* III. *Kal.* idem est quod *in diem tertium Kal.* & *ex ante diem tert. Kal.* est idem quod *ex die tertio Kal.* Potesne vero ullum exemplum dare mihi orationis, in qua praepositiones duae conjunguntur, & se mutuo videantur regere, ut non subintelligatur intermedium nomen? Ego certe nullum memini. Dicis hujus locutionis eandem rationem esse debere, quam in *pridie* & *postridie Kalendas.* Ego vero haec non subterfugio: sed imo ut dicitur *dies tertius Kalendas*, ita ubi haec vox non exprimitur, ibi intelligitur, quasi scriptum esset: *dies pridie Kalendas* & *die tertio Kalend.* ita integre accipio: *die pridie Kalend.* Cum enim Cicero dicit: *Exspectabo te in Formiano duntaxat ad pridie Nonas*: an inter *ad* & *pridie* non subaudies *diem*? Ego certe, nec hoc mihi quisquam eripiet: nisi qui ostenderit praepositionem vel particulam ab alia praepositione regi sine subintellecto casu nominis. Denique ais, *nunquam diem tertium post Kalendas ipsis Kalendis nominarunt post tertium diem Kalendas*, sed semper *ante diem tertium Nonas.* Atqui si *diem ante d.* XIX. *Kal. Febr.* licuit dicere: *post diem tertium Idus Jan.* cur non illud: *post diem* III. *Kalend.* Dein expressum ejus rei exemplum est in l. 233. §. 1. D. de V. S. ubi sic ait JC. *Post Kalendas Januarias die tertio pro salute principis vota suscipiuntur.* Notum vero id esse factum *a. d.* III. *Nonas.* Velim te haec ad obrussam applicare: hactenus enim aeque

dubius ſum, licet alias minime pertinax in ſomniis meis defendendis. Quare & iſta ut dubia accipere te cupio, quae me exercent, non ut argumenta tuae ſententiae refutandae. Nec hanc libertatem uſurparem, niſi juſſu tuo. In Epigrammate riſi ſatis. Utinam migrare poſſes morem tuum, & hoc ſaltem concederes pullatae plebis, in quo ordine me ipſum trado, conſuetudini! Vides enim non deeſſe ſalem qui multorum oculos urat. Duo tamen poſtrema diſticha non intellexiſſe me fateor. Vale, Vir maxime, & me ama qui te ſine pari veneror. Hagae a. d. VI. Kal. Febr. A. CIↃIↃCXXXVIII.

Reſpondet *Salmaſius* Epiſt. CXXV. quae ultima eſt ex editis.

EPISTOLA CCCXIV.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

NObiliſſime Domine. Quod paulo occupatior hos aliquot dies eſſem, ſerius ad gratiſſimas tuas reſpondeo. Neſcio vero quid in prioribus exciderit mihi, ut ſuſpicarere offenſum me libertate obelorum tuorum. Non ſum offenſus, non per fidem: quamvis ſententiam tibi meam probari initio maluiſſem. Neque enim adeo γελωτὶς aut αὐθάδης ſum, ut omnia perſuadere velim omnibus; ne dum tibi oculatiori, quam ut fucum facere audeam tibi vel in minutiſſimis. Quod & ſcio & confiteor, & in laudibus tuis ferre apud amicos ſoleo. Egone igitur iraſcerer tibi? cui? quis? cur vero tandem? an quod docere me & quarumdam vanarum, ut exiſtimabas, opinionum ſentes evellere pectore meo, quod meliore fruge conſereres, fueras conatus? Non ita obliviſcar mei, non abſurda adeo geſtabit pectora cliens tuus. Si tenax meorum errorum defenſor eſſem, & revincerer, ſuccenſerem fortaſſis, & ſine arte aut lege luctae repugnarem, nec concederem more illorum, quos pudet homines deprehendi. His vero quomodo poteram ſimilis eſſe, quamdiu eſſe putarem abunde mihi, quod tuis objectionibus reſponderem? Nec enim convictus tantisper, ſed confirmatior redditus forem. Ego vero facilis & Φιλαυτος non amo qui vincit, ſed qui ſuccumbere nolit: diſputavi autem non quaſi brachiis niterer contra torrentem, & indignatus a te in viam reduci (teſtor iterum fidem) ſed quod ita crederem & ſentire verum me arbitrarer. Atque erravi in hoc fortaſſe: judicium enim modo requirebam tuum: idque ſufficere mihi debuerat, etſi ejus nonnulla non caperem, forte iterata lectio & volvenda dies id mihi approbaſſet. Quare libens herbam porrigo tibi & deludia poſco prior, ut ex his tricis & argutiis exeamus. Tu quidem, niſi grave eſt, repete Horatianum penſum: ego vero alia alias, nunc quaſdam conjecturas ad Thebaïda Statii mei apud te proferam, non alia expectatione, quam ut liberrimi monitoris hic quoque mihi officium praeſtes. Lib. IV. vſ. 49.

Jun-

1 Hinc deficiunt *Salmaſii* Epiſtolae, quibus reſpondit Gronovianis, quas obtinere non potui ab illis, quos eas poſſidere noveram.

Junguntur memores tranſmiſſi ab origine reges,
Qui Drepani ſcopulos & oliviferae Sicyonis
Culta ſerunt.

Ita omnes Edit. & Scripti Codices. Qui vero *reges* illi? puto legendum eſſe *regis* id eſt Adraſti, quem Achaia & ſingulariter Sicyon Argis dederant. Lib. II. *Quis te ſolio Sicyonis avitae Excitum in fraenos compeſcere legibus Argos Neſciat?* Lib. IV. vſ. 57.

Seu Thracum vertere domos, ſeu tecta Myceuis
Impia Cadmaeumve Larem.

Scribendum puto *Mycenes* pro Mycenarum. Ita enim Homerus, Statius, Silius, alii. vſ. 167 *erepta Juvencis terga.* perſpicuum mendum eſſe puto pro *derepta.* vſ. 176. *galeaeque coruſca prominet arce gigas.* An *galeae arcem* legiſti? Ego non memini, & interim ſcribam: *galeaeque coruſco prominet aere gigas.* Ut ſupra de alio: *capiti tremit aerea caſſis.* vſ. 183.

—— —— hic fretus doctas anteire canendo
Aonidas, multos Thamiris damnatus in annos,
Ore ſimul citharaque (quis obvia numina temnat?)
Conticuit.

Scribendum: *mutos.* Sic eleganter dixit vitam ſine cantu. In ea voce & olim Apuleïum correximus in Floridis, ubi *multorum animalium ſonores* pro *mutorum* & Valerium Catonem: *muta prius fuerit, quam non mea libera Muſa.* Quod tamen vix perſuaſiſſem Satiricorum minorum editori, niſi ille, qui te nuper cecinit, ita ſibi quoque ante probatum affirmaſſet. Vale, primarium decus meum, & me ama Hagae. a. d. IV. Non. Februar. A. CIↃIↃCXXXVIII. Miror in *Caſaubonianis* Epiſtolis nullas comparere ad τὸν πάππον, Socerum tuum. Rogo, ut ſi illarum nanciſcendarum ulla ſit copia, hanc utrique operam naves, quo eae ad nos veniant. Nec de illis ad *Nic. Rigaltium* velim te obliviſci.

EPISTOLA CCCXV.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

NObiliſſime Domine. Ingenti me pudore ſuffudit Reverendus Dominus *Rivetus*, poſtquam epiſtolam tuam a me delatam legerat. Narrabat enim nuncianti invaletudinem ſuam eo te non credidiſſe, quod ego in meis de illa nihil ſcripſiſſem. At ego laevus, qui tot nugis ſaepe onerare te ſoleo, de periculo amiciſſimi tibi capitis monere neglexeram: ſive quia in remiſſione erat morbus, ſive quia ab ipſo ſub primum tenorem edoctum te de ea re eſſe cogitabam. Quare ſero quid officii fuiſſet mei recordatus, non deſtiti petere a venerando viro, priuſquam ſtatim ſe reſponſurum ad tuas promitteret mihi, idque ipſum reſponſum ad me miſſurum. Quod hîc habes, ſic ut opus non

ſit me quicquam addere, niſi quod in dies major ſpes appareat, quando & febricula emanſit, ut aures defluxu catharri obturati paullatim uſum recipiunt. Congreſſum veſtrum illum miror. Iſte nihil ſcire in Politicis, neque vertiſſe Ariſtotelem, neque minari regnum (ut loquitur) poſſe ſuum in examinando *Balſaci* principe ſe putaret, niſi tam pulchris involucris nigrum celare didiciſſet animum. ſed quid ſi metus homini injectus eſſet, & parcere in poſterum conſtituiſſet tibi, ut tu ſcripta ejus omitteres? Non audeo tamen hoc ſuſpicari, cum cogito quantum quiſque de ſe ſentiat, quantum ſe ſcire opinetur qui multa neſcire profiteatur, quantum denique famae incumbat. Vellem tamen fieri poſſe ut ad ſanitatem rediret, nec ſemper lateat anguis in herba. De Theocrito poſt Flaccum placet omnino conditio, nec omittam te quin promiſſa, quod tamen commodo fiat tuo, ut repraeſententur, appellem. De Epiſtolis *Caſauboni*, gratum eſt quod dubitationem mihi ſuſtuliſti. Nunc morari te non audeo, qui ſcio abſolutum fortaſſis nunc ipſum (quod abſolutum ex animo tibi & Reipublicae gratulor literariae) opus tuum vindicare tempora tua. Vale, vir maxime, & me ama. Hagae a. d. VIII. Id. Febr. Anno CIↃ IↃ CXXXVIII.

EPISTOLA CCCXVI.

JOH. FRID. GRONOVIUS

[1] *Claudio Salmaſio.*

Leidam.

NObiliſſime Domine. Quia Heuſdanus ille morabatur reſponſum, aliam ingreſſus ſum viam, ſcripſi ad amiculum quendam, Ultrajecti commorantem, ut quacunque ratione manum illius ſibi compararet. Is continuo album ſuum ad τ δεῖνα detulit, quod hac ipſa hora mihi redditum ad te mitto, poteriſque eo ad ſatietatem uti. Quo magis ſcripturam illam inſpicio, eo magis admiror εὐτυχίαν tuam, vir maxime, quae non tantum in literis aut quocunque doctrinae genere omnia δυσχερέστατα tibi facit pervia, ſed & tantum adjumentum eſt ad vitae prudentiam & diſtinguendum amicorum nomen. Si quippiam reminiſcor, plane hi ſunt iſti apices, quales in inſcriptione comparent. Mihi vero & nuper admodum alia ſuſpicandi anſa praebita eſt. Quaeſivi ex *Heilerſichio* praeceptore principis, cui nihil ſolet habere ſecretum amicus ille tuus; numquid vidiſſet epiſtolam iſtam. Reſpondit ſe non vidiſſe: ſed de ea ex ſermonibus ejus cognoviſſe. ſilui illico, & cogitavi nihil aliud cauſſae eſſe, quam quod ille juvenis aliquandiu haeſit Ultrajecti, & *Voetium* familiariter novit. Quod cum ſciret ille, veritus ne fraudem deprehenderet, oſtendendo abſtinuit. Multum tibi debeo, quod enarraſti mihi declamatiunculam jejuni ſenecionis & hiſtoriam ſimul conflictus tui cum illo, quem ut unicum Eccleſiaſticae Antiquitatis ταμεῖον nunc ibi miratur vulgus. miſeret me in-

1 Vide Infr. Epiſt. cccxx.

infelicitatis ſaeculi, quod adverſus apertam veritatem tam pertinaciter oculos claudit. Sed hoc eſt illud, quod ſemper magni viri ſunt conqueſti, nec tibi adeo novum accidit. Spero tamen, ubi deferbuerit paululum recens haec tempeſtas, pudorem eos habituros, praeſertim ſi conquieſcent flabra illa, quae in ſuis latebris tam ſagaciter deprehendis. De loco Auſonii cognoſce quid mihi evenit. Eopſe die quo ad te ſcripſeram venit ad me *Graswinckelius*, & affert miſſas ad ſe a *Scriverio* [2] paginas, quae erant excuſae ut illas inſpiceret, patereturque ſuo nomini eum librum inſcribi. Percurri avide, incidi in locum illum, & paenituit me conjicere eſſe auſum. Tantum vero abeſt, ut ille in veriſſima emendatione tua conquieverit, ut non modo ſuas aliquot nugaciſſimas conjecturas protulerit: verum etiam auſus ſit *Boxhornii* quandam addita ingenii laude cum hac tua comparare, recenſere certe. Itaque non mentitus eſt ille, qui narraverat mihi diſputatum inter illos eo de loco fuiſſe. Sed de tota illa ſcriptione expecto judicium tuum, ubi prodierit: O miſerum ſenem vel miſerum potius ocium, quod ſic excruciatur. Scripſeram tibi monuiſſe me virum illum optimum, quod librum Galilaei ſtigmate nominis *Queriani* inuſſit. Id quomodo ille acceperit, agnoſces, ſi manum agnoſcis, ex incluſa ſchedula: quam niſi grave eſt, cum reſcribes, incluſam tuae remittes. Vale, unicum Θαῦμα meum, & ſapientis ſaeculi, & me ama. Scripſi raptiſſime, ne tuos oculos morarer, Hagae prid. Non. Maji A°. CIↃIↃCXXXVIII.

2 Intelligit *Baudii* amores, qui inſcripti ſunt *Th. Graswinckelio*: & ubi in notis *Scriverii* ad Auſonii Cupidinem p. 492. *Boxhornii* acerrimi conjectura feſtiva poſt Salmaſianam proponitur, quo reſpicere hîc *Gronovium* puto.

EPISTOLA CCCXVII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

NObiliſſime Domine; Dum quot diebus hîc affuturum te ſperamus, ſcriptionem diſtuli, quandoquidem ipſe in extrema epiſtola tua quaedam ad ſermones ϛόμα πρὸς ϛόμα rejeceras: tandem laeſiſſe te neſcio quo caſu pedem, & Muſeo alligari. Precor Deum immortalem, ut non animi modo vires tibi conſervet integras, ſed & tanti hoſpitis ξενῶνα corpus ſanum & ſalvum in Neſtoreos annos tibi largiatur, hoc etiam quicquid moleſtiae eſt ſine cicatrice deleat, quo utroque ad ipſius gloriam & Reip. Literariae grande incrementum commodiſſime & diutiſſime utaris. De libro tuo, miror, unde tam laeva mens cuiquam mortalium, nedum iſtius profeſſionis, & quem tanto merito devinxeris (inaudivi enim aliquid) ut ultro ſine mercede malus & ingratus eſſe cupiat. Certe ipſi hoſtes tui, quorum oculos malignos & nigrum pectus & decora tua, & quod nihili eos te facere oſtendis, ſauciant exaſperantque, res ipſas ſolidas & copioſiſſimam doctrinam ingratiis, ſi non depraedicant, tamen

men fatentur. Nam prolixitatem, ut appellant, carpere ignavorum partim ventoſorumque ingeniorum eſt, quae laborem lectionemque multam aſpernantur, fere autem ex indicibus ſapiunt, cujuſmodi multos hîc novi, partim illorum, qui uber illud & fructu refertiſſimum ſcribendi genus, quo aſpirare potuerunt, nunquam improbant: ſed concerptis hinc inde notularum fruſtis (ut ita loquar) ad ſingulas periodos aucupantur plauſum. Mihi quidem nihil tuorum ſatis eſt longum, qui certus ſum, quo plures implebis paginas, eo docturum plura: Nec inficiabimur hanc laudem tibi omnes boni & diſcendi cupidi, ut quae imitari per tenuitatem noſtram moremve inſitum (nam de aliis judicium ferre non eſt meum) neſcimus, ea in te admirari & amare nolimus. Quae ſequuntur in epiſtola tua, mirifice animum mihi commoverunt. Nemini jurato id credidiſſem: tibi experto credo invitus, quia ſic eſſe nollem, & demiror unde tanta prudentiae fama aut quomodo vivere in tali domo & potuerit olim & nunc poſſit. Tibi vero gratias ago, qui tanti arcani me feciſti participem. Cautior ero in poſterum, & uti hoc tu fidei meae commiſiſti, ſancte id ſervaturum polliceor. Cum otii paululum erit tibi, velim abſolvere pergas Horatium & progredi ad alia ejuſmodi, Theocritum primo, quando liberaliter ſatis cupido & memori ita promiſiſti. Addam leviſſimum unum, ut exprimam meliora tua. lib. I. ſat. VI. vſ. 53. *felicem dicere non hoc me poſſum caſu.* paratragaediatur in hoc loco & magni quid ſe praeſtare putat, quod ſcribit, *non hic.* Puerile eſt non videre, τὸ *hoc* minime conjungendum eſſe cum τῷ *caſu. felicem hoc, quod te ſortitus ſum amicum, non poſſum caſu me dicere.* Sic ſupra: *hoc tibi Paullus & Meſſala videris.* Vale, vir maxime & me ama. a. d. III. Eid. Mart. A. CIↃ IↃCXXXVIII. Hagae.

EPISTOLA CCCXVIII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

CUm praeter opinionem longius detinuiſſet me prolixa humanitas magni & optimi viri, res exigit, ut poſtquam gratiſſimis vinculis ſum exſolutus, continuato itinere ad gurguſtiolum meum redirem. In quo nihil magis dividiae mihi fuit, quam quod videre te, vir maxime, ac ſervire tibi in perferendis libellis conceſſum mihi non fuit. Quod potui tamen ſummis precibus ab *Iſaaco* contendi, ut expectationem tuam ne moraretur Ac fortaſſis ille jam miſit, ſin, ſcito Stobaeum MSC. cujus quandam contulerat *Dionyſius ὁ μαχαιρίτης* cum diu quaeſtioni fuiſſet, reperiri nequiviſſe. Aderat tamen Epictetus, *Scaligeri* olim κτῆμα, & ἐκλογαὶ quaedam Stobaei, quibus poſſe te uti opinabamur. Dum ibi haeſi, obiter inſpexi Codinum, qui libro Anglicano, quem *Iſaaco* utendum dederas, erat inſertus. Miratus ſum integras in eo paginas haberi, quae in edito non comparerent, praecipue vero, quod longe

alius

alius libri ipſius eſſet, & auctior finis, ſi inſpexiſti, aveo ſcire judicium tuum: ſin: rogo, ubi receperis, tantum ocii graviſſimis detrahas occupationibus tuis, ut recognoſcere & me deſiderii compotire digneris. *Graswinckelius* noſter te ſalutat plurimum, & magnopere ſibi in affectu tuo gratulatur. Librum, quem vides, dedit mihi ut ad te curarem, ſi forte uſui eſſe poſſet tibi in illa materia, quam nunc verſas. Ait ſe communicaſſe tecum conſilium ſuum ſcribendi de protectione: enarraſſe etiam deſcriptionem operis, ut animo illam conceperit: petitque ut quid videatur tibi, quae conferre ad hoc inſtitutum velis, ſignificare ne graveris. Audiviſſe ſe ex Clariſſimo *Rivetio*, difficilem tibi, quando Bibliotheca publica velis uti, eſſe ejus praefectum, teque majoris eſſe animi, quam ut eas moleſtias perferre poſſis. Rogat ergo, ſicubi ſit quod ex ea deſideres, velis id vel mihi vel ipſi indicare. ſe curaturum, ut ſine ulla mora aut ſuſpicione nanciſcamur, & ad te deſtinemus. Prorſus eſt vir animi in amicos proni, & qui nullis officiis, quae grata eſſe noverit, parcat. Hoc in aurem dicam tibi, Vir maxime, quando ſoli ſumus: famae paullo cupidior eſt, & dum omnibus patet, multa facit obiter, ac eſt diſſolutus. Loquor ut ſoliti veteres, negligens volui dicere, ſi ſic ſatis ea vox exprimitur, (ocioſus enim nunquam eſt) & non ſatis diſtinguit ordines officiorum. Quem vero perfectum invenias, aut cui non aliquid adſit vanitatis? Ego quum parum in publico vixi, & rerum humanarum peritus ſum, facile hoc vitii condonare poſſum; modo malignitas abſit & arrogantia intolerabilis. Cum ad hanc partem reſpondebis, velim, niſi grave eſt, ſtilum ſic temperes, ut praelegere eam illi poſſim. Quando revertemur ad Horatium? Ego certe, ſi moraberis, mox ipſe eum reſumam; & obtundam te nugis, ſi alio pretio verum elicere non poſſum. Vale, Unicum decus noſtrum & me ama. Hagae IV. Non. April. A°. CIↃ IↃ CXXXVIII.

EPISTOLA CCCXIX.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

NObiliſſime Domine, *Graswinckelius*, etſi maluiſſet ſubſidiis tuis conatus ſuos adjuvari; tamen & in judicio tuo triumphat, & graviſſimas occupationes tuas libens reveretur. Rogat, ne ulla in re operae ejus aut officiis parcas: Et ipſe recipio tibi ſinceriſſimo cum animo facere quicquid tibi offert. Vellet ſi memoriae etiamnum ſunt tibi ſermones tunc inter vos habiti, ſignificare te, quid de ipſo ordine & deſcriptione operis, quam enarravit tibi, ſentias. Vidi (& haud dubio turba vidit) epiſtolam furoris plenam ſcriptam a Satageò Ultrajectino ad amicum tuum. Miratus ſum ſingularem temeritatem hominis prorſus infruniti, qui tanto cum ſupercilio audet de opere, ut ipſe fatetur, inviſo pronunciare ineptiſſimum judicium. Et allegat authoritatem

collegae ſui, qui quidem ſummos plauſus in dies de Cathedra inter cirratos excitat. Caeterum novi nihil ſapere ſupra ſcholam, & ne minimam quidem partem admirandi illius ſcripti capere. Ei ſacrilegium committit, qui dicit Tribonianum alicubi in compilatione juris erraſſe. Ex uno diſce omnia. Nam hoc etiam lepidum, quod iſte Ardelio allegat theſes ſuas magnis plauſibus (at quorum?) exceptas. Itaque expectabam an juberet te inter adoleſcentes auditores ſuos conſidere, & ea ſcribere, quae tantus magiſter dictaret. Miſeror vicem tuam, Vir maxime, ſi cum ejuſmodi mortalibus res futura tibi eſt. Nam quos hactenus adverſarios habuiſti, etſi maligniſſimi eſſent, non tamen adeo erant ſtupidi, ut cum in paucis habere ſe putarent, quo tibi inſultarent, de pluribus tamen non concederent, & ſilentio aut tranſcurſu convictos ſe fatercntur. Crede mihi, iſti hoc facient nunquam, ſi mappa miſſa fuerit. Nihil intelligent, nihil intactum praetermittent, immanibuſque voluminibus bibliopolia implebunt, tempora tua, quae melius collocari poterant, miſere excruciabunt. Itaque etſi conſilio meo non indigeas, & profecto ne deceat quidem me conſilium tibi dare; tamen κέλευαί με θυμὸς, optem ita te ſtilum temperare in poſteriore parte, ne omnino eos contemnere videare. Ignoſce, vir maxime, ſollicitudini meae: pecco ſciens & invitus: ſed jubet inſita καὶ ἐμφύτευμένη mea erga te obſervantia, quam ſimul cum ſpiritum dimittam, non ante: ita ſit mihi mens ſana in corpore ſano. Nec enim levis haec res eſt, aut quam oculis connivis tranſeant alii inimici tui. Adde quod non unum aut alterum habebis, qui occentabunt tibi, ſed greges advolabunt & pecora imperitiſſima, & quicunque volent ſe commendare magiſtris ad famelicam aliquam ſtationem in illo ordine nanciſcendam, quaeſtionem iſtam agitabunt. Talis iſta Natio, iſta ſecta eſt. ſed de hoc tu videbis, vir divine, & mihi inſolitam hanc libertatem condonabis. Haec ſcribentem interpellavit [1] cognatus & popularis meus, juvenis pereruditus, quîcum fortaſſis propediem coram te ſalutavero. Is a longo tempore non viſus mihi, dum Baſileae, Genevae, Aureliae aliiſque in Galliarum urbibus peregrinatur & nunc ex patria urbe recens, varia, quorum avidiſſimus eram, narrando integrum hoc biduum vacivas aures meas tenuit, & nunc vix ſinit ad hoc intermiſſum officium reverti. Quae ad Horatium notas, pepo ſim, ſi verbum in iis ullum mihi diſplicuerit. Nec dubito quin geminum germanum ſit, [2] *ſplendide*. Quae mox laudat in Torquato, ſunt ea ipſa, quibus ut plurimum ſplendor a Latinis tribuitur, ut λαμπρότης a Graecis. Prorſus nihil eſt, cur huic indubitandum, aut locus ullus relinquendus *ſplendidis illis arbitriis*. Itaque hoc quoque nomine gratias tibi ago, & hoc novo guſtu ſitim meam denuo accenſam fateor. Vale, primarium ſeculi decus & me ama, qui te ſine pari obſervo aeternumque obſervabo. Hagae. a. d. xv. Kal. Majas. Anno CIↃ IↃ CXXXVIII.

1 Vide Epiſtol. *Gronov.* ad *Heinſ.* XLVI. intelligi vero credo *Joachimum Hagmejerum*, de quo ad *Gronovii* Ep. LXII. actum.

2 Quod legiſſe *Salmaſium* hinc diſcimus in Horatium IV. Od. VII. 21.

EPI-

EPISTOLA CCCXX.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

NObiliſſime Domine. Speraveram facilius fore mihi invenire manum illius [1] terrae filii ac nunc re ipſa experior. Omnes excuſſi angulos, omnes adii, quos ex ſermonibus antehac cognoveram unice illum admirari. Nihil reperi quod tibi ſatisfacere poſſet. Una ſpes reſtat, quam tentavi, cujus propediem videro effectum. Eſt Heuſdae rector ſcholae homo Germanus, nomine *Theodorus Simon*. Is non ita pridem hîc fuit, meque ut popularem noſſe concupivit. Oſtendebat autem librum Theologicum ſcriptum, & nunc Leidae operas fatigantem contra *Janſenium* Epiſcopum ni fallor. Quem librum cum iſti aliiſque Theologis dedicaverit, non dubito litteras aliquas penes illum eſſe. Scripſi ad eum per ordinarias vecturas die Lunae praeterito, & nunc exſpecto in dies reſponſum. Audi nunc aliam fabellam lepidam. Eramus in convivio nuper apud magnatem quendam: N. & alii. Ille cum multa magnifica de opere quod ſub manu habet praedicaret & elevaret autoritatem magni [2] Editoris Genevenſis, audiebat ex quodam: Quid vero ſi mox idem eveniat tibi, quod tu nunc facis illi: & praeſto ſit, qui commentationes tuas refutet? ſuſcipiebat ille: ego de hoc ſum ſecurus, & neminem metuo: nam qui id maxime eſt minatus, eo redigitur cum maxime ut liber ejus de uſuris factus ſit fabula e ſuggeſtu concionantium. N. poſtea narrabat mihi cauſam huic reſponſo dediſſe virum alias manſuetiſſimum & a litigiis intempeſtivis averſum P. Item narrabat nuper apud *Boxhornium* praeſente ſe actum a *Scriverio* eſſe de verbis Auſonii in cupidine crucifixo:

Fulmineos Semele decepta puerpera partus
Deflet, & ambuſtas lacerans per inania cunas,
Ventilat ignavum ſimulati fulminis ignem.

Varieque illos conjeciſſe. Dicebam dudum viſum mihi ſcribendum: *jactans per inania cunas*. hoc enim requirit *ventilat*. tibi quid videtur? ſed in Moſella vſ. 32. *& bivio reſluus munimine pontus*. Quid illud *bivium munimen*? neque enim intelligo, nec aliud excogitare poſſum quod placeat. In aliquot Epiſtolis *Caſauboni* ad *Scaligerum* mentio Pſeudogorionidae, qui neſcio ubi quaedam

1 *Giſbertum Voetium* intelligi puto, qui contra *Salmaſium* inſurrexit, propter rem foenebrem & trapeziticam. ille vero cum Heuſdae olim paſtorem egiſſet, ejus Autographum & manum hac via conſequi voluit *Gronovius*. liber vero *Simonis* titulum praefert de *ſtatu & religione protria contra Janſenium* Leidae hoc anno editus in 8°. Quis qualisve fuerit hic *Simon* ignoro, niſi quod ex libro, qui ſub ejuſdem nomine laudatur a *Lypenio* videatur a Lutheranis transiiſſe ad Pontificios, & deinde rediiſſe ad priorem ſectam. nam titulus eſt *Th. Simonis retractatio cauſſarum propter quas a Pontificiis ad Lutheranos iterum* (vel *denuo*) *transiit* A. 1630. ſi vero idem ſit, a Lutheranis ad noſtros tranſfugiſſe debuit, & Heuſdanae ſcholae praefecturam obtinuiſſe.

2 *Th. Bezae.*

Digitized by Google

ex Callisthene de Vita Alexandri alleget. Quis ille sit, nostin? simul responsum habuero Heusda, faciam te ut scias. Vale, Vir maxime, & me ama. Hagae prid. Kal. Majas. A. CIↃ IↃ CXXXVIII.

EPISTOLA CCCXXI.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmasio.

Leidam.

NE vero assem posce tibi pro tam lepida ac inaudita fabella, Vir Nobilissime, sed aureum, sed mercedem quantam vis. Quamquam me magis etiam duplex Πημύθιον delectat: habet enim exemplum confirmatae tuae ac certissimae opinionis de utroque prorsus palpabile. O facinora! o flagitia! Quid illo laudatore sui ineptius? quando tanta vanitas luculentius patuit? quid est herbam parietariam non fieri aut arte quadam moliri ut fias, sed ultro se facere & palam luce clara, si hoc non est? De ambitione hominis profunda atque insatiabili nunquam dubitavi: sed tam ἀφελῶς καὶ ἀκαίρως eam publicare nescio sitne incuriae ac stolidae fiduciae, quod neminem inquisiturum ipsumque authorem mussaturum credidit, an roboratae ac summae κακόπηπς, quae ad extremum infamia ac turpitudine gaudet, an denique δηλάτῳ πρὸς μανίας, quae artificia quibus famam & opiniones hominum invasit, sic sero punire debuit. Quid autem de monitore illo dicam, qui toties ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehensus nondum bona fide poenitentiam toties professus emendat? Et tamen ut saepe succensui, cum secreta tua prodita agnoscerem; ita jam nimio libens ei ignosco, efficienti ut sentiret alter patere vulnera sua, manifestiusque teneatur, & extricando acrius se irretiret. Ago itaque maximas tibi gratias, quod & historiam istam communicasti mecum adeo raram & chartam ista parte aureis conscribellandam litteris. Erit hoc apud me duraturum monumentum candoris, modestiae, sapientiae ejus, qui nihil in vita excusandum habet. Proximas ad te meas recte curatas opinor. Magno sum in metu, quoties apud te, Vir maxime, prisca libertate ex animi sententia garrio. Nullo enim praetio vellem Schedion aliquando tale meum in sceleстas incidere manus. Qui ista audent, quomodo familiari epistolae parcerent? signum immo curarent tantum, quantum aut numerum Lupus, aut discursus Editor oculos autoris: Et prope est, cum eorum indigebo gratia, quando eis paucas tempestates ibi doctorale birretum petere constitui. Quod me paene apud te profiteri pudet, qui me credo, juris peritum malles, quam doctorem, qualia nunc corpora producunt Academiae. Ipseque aversissimus sum a stultitia illorum, qui istiusmodi titulis dignitatem suam metiuntur. sed Hamburgenses mei, supra quos sapere mihi non licet, nisi infeliciter nato, hoc postulant, flagitant: me revocant, & videre dedignantur, nisi cum isto candidato nomine. Itaque jam dudum in tricis apinisque molestissimis exerceor. Nam cordate jus civile tra-

cta-

Digitized by Google

ctare, quod decebat & pro captu meo inſtitueram, non permittit nunc mihi brevitas temporis: ne dicam nulli uſui fore mihi apud magiſtros, ſi quid ſciam praeter caeteros, cum ipſis quiſque eo doctior, quo magis communium opinionum: Igitur de eo alias cogitabo. De Epiſtola Advocati Hagienſis nihil dum potui ſubodorare. Quin erat amicus, qui rogatus ſuper ea re, quomodo poteſt, ajebat, ex omni grege noſtro vix tres novi, qui theoriae ſeriam operam impenderunt, ii vero aut amici tui ſunt, aut certe, etiam familiariter non noti obſervantes. Nec ὁ ἰωτὸς noſter ὁ νυκτῷος interea hîc fuit, ſaltem me non vidit: ut cognoſcerem quod monſtrum in libro tuo e lectulo ſuo fuiſſet ſpeculatus. Etſi vero nunc non tam legum, quam legulejorum aenigmata evolvam, vaco tamen Horatianis tuis. An placet illud lib. 1. od. VI. *praelia virginum ſectis in juvenes unguibus acrium*: Qui dicunt, ſectos ungues eſſe acriores, eos alium ſenſum habere oportet ac me. Neque allubeſcit acumen eorum, qui volunt ideo *ſectis*, quia pugnent non laeſurae, tanquam quae vincere nolint. Notum eſt enim ex amatoriis ſcriptoribus, luctas iſtiuſmodi iraſque amantium veras notas impreſſiſſe. Quare an non potius: *ſectos in juvenes*: Neſcio cur noſter ille lib. 1. ſat. 11. *Sententia dia Catonis*, *ſententiam* mentem ac rationem interpretetur. Quin ſimpliciter, ut ſententiam rogari & dicere & ferre dicimus, Catonis, inquit, ſententia etiam laudabatur ille, qui in lupanar deſcendiſſet. Taciti verba ſunt lib. XVI. ann. c. 24. *Eos codicillos Nero properanter accepit, ſpe exterritum Thraſeam ſenſiſſe, per quae claritudinem principis extolleret, ſuamque famam dehoneſtaret.* Ita legebatur olim. Lipſius pro *ſenſiſſe* conjecit *ſcripſiſſe*. Id in textum recepit, & ſecutus eum optimus noſter *Berneggerus*, meo judicio peſſime. *Sententiae*, *ſenſus* propria ſunt Rhetorum verba, & proinde omnium, qui orationem componunt. Sic Tacitus lib. XV. *ipſa retuli verba, quia non ut Senecae vulgata erant. Nec minus noſci decebat militaris viri ſenſus incomptos ſed validos.* Quaſi ergo diceret, exterritum Thraſeam ejuſmodi ſenſibus codicillos adornaſſe & compoſuiſſe, τὸ *ſenſiſſe* accipiendum. Saepe ita Cicero. & quis non? Igitur illi quidem in re levi errarunt, ſed tu non eras mihi in re tam levi detinendus, Vir maxime; Vale igitur, & fac promiſſa appareant. Hagae a. d. VIII. Eid. Jul. A. CIↃIↃCXXXVIII.

EPISTOLA CCCXXII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

DUm uni alterive amicorum operam do, effluxerunt aliquot dies mihi & caeterorum & mei incuria. Acceſſerat optimus *Peiraredus*, in quo cum alia ſum miratus; tum quod ſua poëmata & obſervationes criticas legendo, ſi patientes nanciſceretur aures, totum diem non delaſſaretur. Is nuper in caſtra abiit, ſed ne tu, Nobiliſſime Domine, putes vacivas tibi aures eum etiam ab-

ſentem relinquere, tradidit hoc mihi carmen, quod ad te mitterem. Impoſuit etiam hoc negotii, ut epigramma, quod libro ejus praefigendum ipſi promiſeras, ſi vacares forte, te poſcerem. Sperat enim impenſiorem fore illum laudationibus, quam ſupplementis Virgilianis, emblematis & hujuſmodi caeteris. Atque hoc quando expedivi, ingenue fateor tibi & inſolens & dividiae mihi eſſe, quod tantum temporis ſine venula aliqua ex humanitatis doctrinaeque tuae uberrimo fonte in me derivata abire paſſus ſum. Recte aeſtimanti id omne periit, niſi tu morae hujus gratuitam uſuram debere velis. In poſtrema tua merito riſiſti illud: Horat. II. Ep. II. 70. *intervalla vides, humane, commoda.* quod perfecto incommodum & inhumanum eſt. Ea occaſione tum ſtatim ad lectas tuas caepi expendere tranſpoſitionem tot verſuum ejuſdem Epiſtolae, in qua tot verbis paratragaediare, eamque deprehendi ineptiſſimam eſſe. Omnia enim bene cohaerent, ut vulgata ſunt, & obſervatum jam interpretibus ibi, *Frater erat Romae*: incipere novum argumentum, quo Poëſeos excuſat omiſſionem. Nimirum ne neceſſe ſit ſibi, ſi ipſe probari ſuos verſus velit, aliorum malos laudare. Aliquot vero hujuſmodi partes per hiſtoriolam orditur, ut de Luculli milite & ſtatim in principio de Mangone. Sed haec ipſa tu jam vidiſti melius, ut longo mihi eſſe hîc non liceat. *πόλεμον ἀκ εὐμενείας* indubitatum eſt. Quid enim *εὐμένεια πολέμων* ſed & caetera aptiſſime a te ordinata, neſcio tamen quo tibicine. Nam duo verſus apud ipſum:

Ἄσκει καὶ ἄσκει ὀπίσθιν δόξεις φρονεῖν

&,

Τοιαῦτ' ἄειδε δόξεις φρονεῖν μέγα.

Non video quomodo in unum coeant: *ἄσκει τοιαῦτα δ' ὀπίσθιν δόξεις φρονεῖν.* niſi apparet hoc ex ipſius Platonis verbis, qui ad manum mihi nunc non eſt: aut ille, quo jure alibi in Ariſtotelem, eodem hîc in Platonem liberalis fuit, & addidit quae nec decuit, nec debuit. ſed & hoc volebam quaerere in Iſocratis πρὸς Νικοκλέα paucis poſt principium: *ταυτῆς δὲ τῆς ἀνωμαλίας καὶ τῆς μεταχῆς αὐτῶν ἐστιν, ὅτι τὴν βασιλείαν ὥσπερ ἱερωσύνην παντὸς ἀνδρὸς εἶναι νομίζουσιν. ὃ τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων μέγιστον ἐστιν καὶ πλείστου πονηρίας δόμενον* [1] Quid ſit *ἱερωσύνη παντὸς ἀνδρὸς* nunquam intellexi, & nuper adeo id me torſit, ut ad te appellandum cogitarem. Niſi vererer me *Peiraredo* ſimilem fore praeter iſtud carmen mitterem ad te elegantiſſimum Jambum vindemialem nuper ad me ſcriptum, in quo ſatis lepide in iſtum, quem dicebas aliquando oecumenicum Criticum, luſit *Fabricius* noſter. Si tamen ſalivam movi tibi, mittam proxime. Vale, Vir maxime, & me ama. Hagae a. d. IV. Non. Jun. Anno CIↃ IↃCXXXVIII.

Quid agunt belli cenſores uſurarum; quia enim his proximis hebdomadibus nemo Leida venit, nihil eorum reſciſco.

1 Vid. ad *Nic. Heinſium* Epiſt. XLV.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCXXIII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

QUod poſterior tua me occupavit, antequam priori reſponderem, eſt quidem, ita uti ſcribis: minima pars temporis mei mea eſt, & id quod meum eſt, per varia ac diſtracta ſtudia ita conſumitur, ut vero aeſtimatori nihil ad ociandum ſuperſit: nunquam tamen vel aliis vel animo meo ſic parebo, ut in officiis erga te, nobiliſſime Domine, omiſſior queam reperiri. Quid ergo cauſae eſt, inquis? nempe quod primum a *Graſwinckelio*, cui perquam jucunda comitas tua fuit, etſi vix putabat ulteriori inquiſitione opus eſſe, cum tu breviter quidem, ſed vere in fine rem decidiſſes, (dedi tum ei partem iſtam epiſtolae tuae deſcriptam, & ſe cogitaturum dixit) reſponſum expectarem: dein quoniam ille morabatur, Ultrajectum perpaucos dies ad viſendum *Fabricium* noſtrum, qui eo advenit, excurreram. Unde reverſus hodie offendi alteram tuam, juxta gratam mihi cum priore, niſi qua narrabant homines improbos & maleferiatos ſuae calumniandi libidini nondum fibulam impoſuiſſe, non quaſi nolim partiri te mecum curas tuas (quo ut ſum indignus, ita nihil glorioſius contingere mihi fateor, nec facio quicquam lubentius, quam ut tua cauſſa corruptiſſimis moribus ſuccenſeam) ſed quod aegre feram adeo ingratos eſſe adverſum te, qui tuis muneribus toties profecerunt, aut niſi ſtupor livorve obſtitiſſet, proficere certe potuerunt. Si vere dixit Tacitus, conſilium fuiſſe Neroni in Thraſea non Senatorem & Philoſophum, ſed ipſam virtutem exſcindere: Nemo eripiet mihi quin vere dixerim tot conſcelerata capita in infamiam juraſſe, non magni & ſingularis viri, ſed ipſius eruditionis, quam unus mortalium poſſediſti. Atque hoc non auribus tuis dare me, ſed proferre ex animi ſententia fidem meam teſtor, & norunt communes amici, quoties ſuper his, ut ſaepiſſime, ſermo incidit. Itaque nullo modo nullius affectus humani praetextu excuſare malitiam poſſunt, tot argumentis convicti, tot exemplis certiſſimae & ſpectatiſſimae virtutis tuae in ſua ipſorum conſcientia confutati. Anni complures exceſſerunt, ex quo ipſi eorumque γεννήματα pudendis chartis Librarias oppleverunt: & videtur omnes impudenti inſcitia ſuperare voluiſſe ille [2] Quaeſtionum editor, cui ipſum quaerere, non modo reſpondere, prohiberi publice intererat. Nemo verbum prolocutus eſt, nemo nutu ſignificavit haec ludibria an flagitia, ſibi diſplicere. Poſtquam tandem unus proceſſit, qui brevi charta plura docuerat, quam ſciri a quoquam iſti δοκησισοφοι cogitarant, convolare omnes undique fuci & muſcae, & in eum figere aculeos hac ſolum de cauſſa, quod ſimilis ipſis non eſt. Hoc me cruciat

ſae-

1 Hic adhiberi debet & inſeri Epiſtola *Gronovii* ad *Salmaſium* ſcripta prid. Eid. Jun. hujus anni, quam exhibui inter Gudianas CCLVIII.

2 *Boxhornius*, qui *quaeſtiones Romanas* Plutarchi edidit.

ſaepe, hoc cor meum exedit. Nec tamen eſt quicquam, quod tanto cordolio opponam, niſi ut tu conſtantiam, ſic ego patientiam: teque, vir maxime, ſi licet, ut ultimorum unus horter oremque pergas gnaviter, ut hactenus, bene rem gerendo prodeſſe bonis, oculos eorum urere, & ſtimulos contemptus hebetare. Quod a me requiris, ne dubita ſumma opum vi anniſurum, ut effectum tibi reddam; ſi potero. Verum quod de epiſtola nunc primum ex te reſcivi, vellem ſi nomen iſtius μορμὼς ad te pervenit id non ſiluiſſe te, aut cum reſcribes non celare. Quod ubi novero, recipio nihil fore facilius, quam rem totam veſtigare: nec ignoras nuſquam ita apertos eſſe hoc natorum genus, ac ubi gloriationes ſuas ac pugnas umbratiles publicari rogentur. Interim cras ſimul prodiero, captabo omnes rumuſculos ſubbaſilicanos, ſi quid odorari de autore & epiſtola poſſim. Nec χειροκίρως ille abibit ἀπείρατος; quamquam verear ne adverſus me obſcurior ſit, quem quaſi per ludum Salmaſianum vocare ſolet. Ego ex diverſorum ſermonibus nihil admodum hujuſmodi audivi, quod referri ad te dignum eſſet. Erat non nemo, qui tot autoritatibus convictus libenter manum daret iis, quae diſputas de differentia foenoris & uſurae: putabat tamen obſtare Leg. 4. princ. de Nautico faenore ibi: *utrobique igitur majus legitima uſura foenus non debebitur*. Reſpondi non negare te foenus quandoque pro uſura accipi. Immo diſerte id notaſſe pag. 12. tamen nec id proprie foenus eſſe, nec in plurimis aliis locis, quos allegaſſes, ita poſſe accipi. Nec tanti igitur hoc fuerat, quod referretur? Sed fortaſſe & aliud quid annotaſti in lege illa, quae *Cujacium* occupatum habuit. Quod ſi ita eſt, ſcire velim illius, qui audit alpha leguleiorum, ἀπὸ σκυθῶν ἥκων. De homine ignoto, & juvene & ejus nationis minus miror. Sed hoc faſtidium nemo melius ulciſcetur, quam qui ſe diligentiorem, immo curionem, in eorum ſcriptis fuiſſe oſtenderit: hoc enim prohibere non poſſunt. Decies ab illo petii, quas ad ſe ſe ſcriptas ſervare ajebat *Caſauboni* Epiſtolas. Reſpondebat primum Religioni ſibi eſſe publicare eas, quae non ea fine ad ſe datae eſſent. ut nimirum plus ſapere videretur tot bonis & praeſtantibus viris, qui ſine fraude manes ſummi viri hac editione ornatum iri putaſtis. His exemplis cum eum urgerem, miſſurum ſe promiſit. Quid facturus ſit neſcio: ante duas hebdomades admodum humaniter eas petenti, quia ſeries admonebat, nihil reſpondit. Nec operas moratus ſum. In loco Iſocratis veriſſima interpretatio tua & elegantiſſima, quam frigidi ſenſus antea putabam: Statim cum legerem tuas, veniebant in mentem quae de Sacerdotibus illis notare ſolent, JCti noſtri. Poſtea incidi in verba Iſocratis ἐν τῷ περὶ ἀντιδόσεως λόγῳ τῷ Νικόκλει μηδ' ὥσπερ ἰσοσύνην ἰλληφότα τὴν Βασιλείων ἀμελῶς ἔτω τὴν γνώμην ἔχειν. In lepidiſſima Parodia Catulliana & riſi & ingemui. Vale, vir maxime & me ama. Hagae a. d. prid. Kal. Jul. A°. CIↃIↃCXXXVIII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCXXIV.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

EN tibi iterum aliquot paginas nugarum noſtrarum. Appello generoſum & ſimplicem animum tuum, vir maxime, ut qua comitate ſolitus es, errores meos redarguere velis. Etſi enim conjectanea haec ſint, tamen ſcopum praefixum habent veritatem: & optem felicius conjicere; quam ratiocinatur noſter Cauſſarius. Ingenii & doctrinae laudem non adfecto: ſufficit ſi ad intelligendos veteres nonnihil contulerim, idque in levibus, quae tu tuique ſimiles, cum non ignoretis, praeteritis & mediocribus relinquites. Nam a literis renatis vix quidem quatuor aut quinque tellus tulit, qui tecum vere docti exſtitere: plures mimum illorum ingenio egerunt, ſic tamen ut tandem deprehenderentur. Ac mihi praecipuus ſtudiorum fructus eſt, non quod doctus ſim, quod nunquam efficiam, ſed quod cognoſcere queam, quam longe ab illa meta abſim, & ſcriptorum genium diſtinguere. In quo quantum divina monumenta tua, quantum amicitia me juverit, aeſtimare magis poſſum, quam fateri. Hic tamen animus ſatis erit tibi, ſi recte novi *τὴν ἐυγένειαν τὴν σὴν*, ut diſcipulum *ἐρωμένον πρὸς τὴν σὴν διδαχὴν* ne ſpernas. Meminiſti datas tibi a *Voſſio Caſauboni* quaſdam ad [1] *Neranum* epiſtolas, quae operi noſtro inſererentur. Eas ego accepiſſe me a *Riveto* putavi, & in utraque ſecurus ſcilicet dormiebam, donec tempus eſſet eas operis dandi. Cum vero inter Schedas editioni paratas non reperirentur mihi, excuſſi omnes angulos gurguſtioli mei: & ne ſic quidem inventis, triſtis paſſus ſum, abſolvique volumen hac acceſſione fraudatum. Idque excuſavi nuper *Gerhardo Voſſio*, cum ante paucos dies hîc eſſet, ne forte illi conſulto conſilio omiſſa crederent: Ille nudius tertius ſignificavit mihi per litteras fruſtra me operam quaerendi inſumpſiſſe, cum tu dudum illas *Elichmanno*, *Elichmannus Nerano* reddiderit. Obſtupui ſane ad tuum nuncium, & miror, ſi unquam illas habui (nam haeſitat hîc memoria mea) quomodo ad te pervenerint, aut quomodo nos apographas ſervare putaveris. Nam *Riveto* quidem quoties hac de re ſum conqueſtus, nihil ille aliud reſpondit, quam ut me diligentius inquirere juberet. Cum ultimas ad te darem, oblitus eram *Carrionem* & *Giffanium* inſpicere, hic quoque fallaci memoriae confiſus. At poſt inſpectis illis deprehendi, *nox Durica*, quae emendatio Politiani, non explicatio veteris lectionis eſt. ſed plane *Dorica* in omnibus MS. repertum eſſe. Amicus tuus hodie apud me gloriabatur redditam ſibi a te A. ſuam cum eximio elogio. Simplicius ad *Graswinckelium* & me miſſus eſt.

1 Editae ſunt tres ad *Naeranum* Epiſtolae in ultima editione, ſed quae nihil continent, propter quod minus edi vellent aemuli; niſi quod de *Arminio* aequius cenſeat *Cauſaubonus* in ultima n. DCLXXVII.

Digitized by Google

Vale, Vir maxime, & me ama: ſcripſi dormituriens ſera nocte Kalend. Octob. Anno CIↃIↃCXXXVIII.

Hodie ultima manus Ep. *Caſauboni* impoſita eſt, a quo moleſtiſſimo labore me liberatum admodum laetor. Si eris occupatior, non eſt quod nimis feſtines affanias meas recognoſcere. ſatis tempori recepero, ſi intra ſextum diem. Credo ſcire te Notas Heinſii ad Novum Teſtamentum abſolutas eſſe, neque reſtare quicquam, niſi ut adjiciatur *Ariſtarchus*. Iterum Vale.

EPISTOLA CCCXXV.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

CEras tuas miniatulas accepi, Vir maxime, quas equidem malo prae inſanis aliorum plauſibus, laudantium quod aut non intelligunt, aut non legerunt: tantum abeſt, ut ingratae illae fuerint mihi. Videbis ipſo opere, quam earum rationem habuerim. Scripſiſſem etiam citius, niſi ſperaſſem eadem via folia aliquot ſequentia me poſſe a te cenſenda mittere, ſed moratur me ille, cui deſcribenda dedi, Itaque has praemiſi, ne ſuſpicionem gignerem tibi, quaſi ſimplicitas tua mihi diſplicuiſſet. Serio enim confirmo tibi nunquam adeo me inſubidum aut mei amantem fore. De loco Valerii Flacci ita ſe res habet. In MSC. legebatur: *manet immotis nox Durica luſtris.* Id retinere voluit *Politianus*, eo ſenſu quo tum *Duria*. Sed oppoſuit ſe illi *Giffanius* in Indice Lucretiano, duobus niſus argumentis, altero quidem, quod *Duricus* Graecum non eſſet: altero quod ſi eſſet Graecum, Latine ſonaret *Ligneus.* Quem vero dicturum illam noctem *ligneam*? Itaque emendavit, *Nox Dorica.* Idque dictum putabat, ut *dies Allienſis*, & ſimilia. Idque confirmavit *Gevartius* ad Tiburtinum Vopiſci, & ego alicubi pluribus exemplis in Diatribe, quum *Gevartium* autorem ejus lectionis crederem. Nam quod tu affers ex Heſychio, ſane Equus ille dicebatur κατ' ἐξοχήν, δόρκων ἵππων. Non mirum igitur ſi ejus effigies aerea quoque ſic dicta fuerit, cum tranſlatitium ſit ſigno attribui rei ſignatae vocabula. Velim igitur denuo hoc conſideres. De Maniliano loco lib. v. 263. quid dicam? Utinam eam conjecturam perſuaderem tibi. Neſcio quomodo jam ab aliquot annis factum eſt, ut cuicunque eam narraverim, facile in eam ſententiam induxerim. ſed tuum judicium magis vereor, magis ambio, qvam caeterorum omnium. Unum tamen repetam. dicis στεφανοπλόκον non poſſe dici effingere *ſuum*, ſimiles flores, ſed potius eum, qui acu aut penicillo eos pingit, ſi *ſuum* pro Nativo ſumatur. Et vere dicis, neque ita loquitur Manilius, aut ego ſic loquentem intelligerem. Nempe ſemper omittis Epitheton illud, *varios*, quod non poteſt nec debet in hoc filo orationis omitti. Varios flores nectendo & ſertis locando effingit ſimiles *ſuum*, id eſt unius naturae, quaſi non arte nexi, ſed ſic nati eſſent. Profecto non poſ-

poſſum videre hîc ullam abſurditatem. ſed ſemel rogavi te, ut in hoc uno ſtupiditati meae ignoſceres: nec tu gravatim id feciſti, quae humanitas tua eſt. Quare ſi aliter fieri non poteſt, liceat ſemel nunc diſſentire, & concede mihi, uti quidem toto pectore, ſed tamen liber, te amem & venerer. Quod certe facio & facturus ſum, quandiu mihi ſana mens. At ſcin! quomodo? ſic quidem, ut a nemine mortalium magis id fieri tu ipſe expoſceres. Vale, Vir maxime, καὶ ὦ διάγε ut inimici tui doleant. Hagae a. d. VII. Kal. Octobr. A°. CIↃ IↃCXXXVIII.

EPISTOLA CCCXXVI.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

RIſi ſane, quum legi quem ſequeſtrum & medium vir optimus, haud dubie id facere occulte juſſus & monitus, vobis commendaret. Ille vero per δυσφημίαν ſuam de homine, quem nulla magis, quam piae prudentiae laude pollere exiſtimat, iſta nequaquam crederet, quae nos ſcimus, & eſt aliquando incautior. Narro tibi, Vir maxime, cum ante menſem fere Leidae eſſem, venit ad me N. gratias agit, ſic quaſi expoſtulando, quod adeo ſimpliciter, honeſte tamen de virtutibus vitiiſque ſuis apud *Voſſium* eſſem locutus. Ego quum quicquam ſcire me negarem, ſubjiciebat, ut noſcas verba tua: quaeſivit ex te *Voſſius* an etiam eſſem maledicus? tum tu reſpondiſti nondum: ſed vereor ut a vicino adverſo ſuo, quo nimis utitur familiariter, corrumpatur. Neſcio ſane utrum mea fuerint verba iſta, an *Voſſii* ipſius, cum ego indolem ejus cautus & tutus laudarem. Sed quicunque ſic ſenſit, nimium vere veritus eſt, quod eventus comprobat in dies. Interim inficiabar ego, ut profecto incertus ſum. Ille ſe didiciſſe haec ajebat ex viro optimo & clariſſimo. Cum ante paucos dies ſe, ut frequens adeſſet vicino illi, unde multum proficere poſſet (vide judicium optimi & clariſſimi viri: ſic enim iſte hunc appellabat) ſerio adhortatus eſſet: non diu poſt ceciniſſe palinodiam, idemque vehementer dehortatum fuiſſe, quod ita *Voſſius*, ita ego cenſuiſſemus. Scripſi illico Amſterodamum, rogavi, ne fidendo nimium amicis ambiguis me in invidiae, quam hactenus vix cavi, flammam conjiceret. Illorum hominum iras eſſe redintegrationem ſceleſti amoris, qui plerumque concilietur per commune bonorum odium. Ille reſpondit, quod facere ſolet rariſſime: negat tale quid ex ore ſuo profectum: audiviſſe alios ita de iſto juvene judicantes, imprimis quoſdam nunc in oras profectos exteras (*Bodecherum* intelligit) etſi ex me idem cognoviſſet, conſueſſe ſe aut ſilere, quae crederentur, aut ſaltem authores celare. haud dubie id ipſos inter ſe commentos, ut me callide explorarent. Equidem paſſus ſum ita mihi ſatisfieri: non credo tamen merum id figmentum eſſe. cum igitur denuo ſcriberem ad illum, adjeci de Epiſtolis *Caſauboni* ad N. quae

ex te didiceram, & rogavi ut *Gerhardo* ſuo id negotium daret, quamprimum reſpondendi. Nihil factum eſt. Scripſi bis poſtea ad *Gerhardum*, ne verbulo reddidit vicem. Rogavi maximum natu *Franciſcum*, qui interea Amſterodami fuerat. Ait ſe nihil ea de re nec ex parente, nec ex fratribus cognoviſſe. Plane ita eſt, ut ſuſpicamur: deprehenderunt machinam & volunt diſſimulare artificem. Cum nuper ad te ſcriberem, oblitus ſum gratias agere tibi de duobus Senecae locis. In priore quidem, Cyrneae puto, neſcio quomodo manus mea erravit, nam mens idem, quod tu monueras, voluerat. Me ſane poenitet in arcto ocio rem tanti negocii ſuſcepiſſe. Sed vel ſic probabimus, quam male ocio ſuo abutantur, qui, cum id largum habeant & pingue, tantaſque occaſiones bene de antiquis authoribus merendi, malunt nomine ſuo inſcripto fallere emptorem, quam ſerio bonum publicum juvare. In tua enim ſolius correctione fiducia mihi, & erratis meis emendatio. Vidi codicem Graecum Novi Foederis, quem Egregius *Elichmannus* tibi procuravit. Scire cupiam cujus ille ſit aetatis & notae, tantum ut diſcam indolem ſcripturae antiquae noſcere, & uberiorem habeam materiam expectationis amicorum de notis tuis ad N. T. accendendae. De *Nexis* quod obſervaſti, plane mihi novum, & geſtio accuratiſſimam haud dubie illam obſervationem diſcere. Rogo quaecunque in Seneca refinges, de iis me moneas, nec docendo reprehenſioni parcas, uti & in his poſtremis foliis libelli noſtri. Aegre eſt, quod nondum exemplar Epiſtolarum *Caſauboni* ad te miſſum eſt, ſed teſtor fidem nondum me ei, cui inſcripſi, dediſſe. Tali cum non bibliopola & typographo, ſed Hydra nobis colluctandum fuit. Vult autem amicus tuus gratiam hujus doni inire. Quem tamen hodie monebo, ut feſtinet. Vale, Vir maxime, & haec ubi perlegeris, remitte. Hagae. a. d. IV. Kal. Novemb. Anno CIↃIↃCXXXVIII.

Audiſti puto Ultrajecti denuo ſceleſtum & maledicentiſſimum librum prodiiſſe [1] *G. V.* ſuballione, cujus nullum eſt aliud argumentum quam ut doctos bonosque viros impie traduceret. Imprimis magnum *Grotium*, de cujus haereſibus author integrum volumen minatur. Ipſis qui ex magiſtratu (nam cum uno locutus ſum) cenſura ſua licentiam publicandi dederunt, vehementer diſplicuit: ſed non auſi ſunt nec potuerunt obſiſtere ambitioni & ſtudiis Demagogorum. Et haec eſt via ad honores graſſandi. Nam author poſt editum illum partum ſtatim Daventriam ad Profeſſoratum vocatus eſt. Agnoſce miſeriam ſaeculi & iterum vale.

1 *M. Schoockio*, qui pro *Gisberto Voetio* calamum ſtrinxit, & in fine hujus anni vocatus ad Profeſſionem Hiſtoriarum & Eloquentiae fuit.

EPISTOLA CCCXXVII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

SI librum illum, quem petieras, Vir Nobiliſſime, undecunque potuiſſem nanciſci, dudum ad te ſcripſiſſem poſt acceptas poſtremas. ſed me ſcrutantem ami-

amicorum bibliothecas ſpes illa & fruſtrata eſt, & tardius tibi fecit reſpondere. *Graswinckelius* te ſalutat humaniſſime. *Muretum* non habet: habet vero *Lambinum* in Eth. & Pol. Ariſtotelis cum *Zwingeri* & *Canteri* nonnullis; eſt editio illa, quam haud dubie vidiſti: Hoc volumen ſi inſpicere cupis, verbo impera & mittemus. Authorem technae illius, de qua ex J. V. litteris, ſane feliciter per te indagatum tenemus: in miniſtro aqua haeret. Nam illius, quem ſuſpicamini, confirmare poſſum ibi nullas partes fuiſſe. Ipſi ſeptem menſes ſunt & ultra, quod ille *Voſſium* Amſterodami vidit: & fallitur in deſignatione temporis *Iſaacus*. Ego eum intus & in cute novi, nec apud me quicquam ſecreti habet. Putes in duobus corporibus unum animum eſſe diviſum. Nec igitur hoc me celaſſet, nec celaret nunc, ſi ipſe interveniſſet huic negocio. Illum etiam ſui muneris authorem habet optime cognitum; ſed qua probitate & prudentia eſt, vitia ejus diſſimulat, ne ingratus videatur. Narrabat iſte nuper mihi te non poſſe concoquere, quod illae litterae *Voſſio* redditae eſſent, antequam aut excuderentur aut apographa earum apud nos manerent. ſe vero omnino putare, me inſcium libro ad *Voſſium* miſſo eas incluſiſſe. Hoc ipſi placebat commentum falſiſſimum, cum integro anno nullum eo librum deſtinaverim, praeter Juſtinum in minuta forma, quem *Piraredus* apud me depoſuerat. Is liber cum admodum ſit parvus, ut dixi, non potuerunt ei imprudente me quatuor folia includi. Non tamen ego valde repugnabam, ne viderer aliquid aut ſcire aut ſuſpicari. Vidi nuper apud *Petrum Grotium* epiſtolam parentis ex Gallia, in qua honeſtiſſime loquebatur de uſuris tuis, & deſiderium partium ſequentium ſignificabat. In primis laudat opinionem Ariſtotelis ſolidiſſimis a te rationibus confutatam. ſe olim eadem de re cogitaſſe: nunc gaudere quod a te potiſſimum illa provincia eſſet occupata. Si commode fieri poteſt, cupiam inſpicere Anglum illum in Apologiam Appuleji, teque rogem, ut in unum biduum ejus uſuram mihi concedas. Vale, Vir maxime, & me ama. Hagae a. d. VI. Eid. Novemb. A°. CIↃ IↃ CXXXVIII.

Nobiliſſime Domine, hanc heri ſcripſeram circa meridiem. Intervenit *Scriverius*, ita hanc aliaſque chartas ſepoſui. Cumque garriviſſemus aliquandiu, inſtaretque hora prandii, ad quod *Graswinckelio* promiſeram, cum *Scriverio* domo exivi, nec ante ſerum redii. Ita heri non potui hanc mittere. *Scriverius* ajebat habere ſe *Muretum*, & ad te miſſurum. Habeo etiam pretium morae. Reverſus enim reperi has a [1] profeſſore juris Altorphino, clariſſimi & optimi viri filio litteras. Quas cum ob alia tibi offerendas putavi, tum ut recognoſceres, qua cum obſervantia de te apud populares meos loquar. Quod non imputo tibi: nec enim id facio ut tibi placeam, ſed quia ſic ſentio. Ita ſalvus ſim, & tu ſalveas. Incluſam ad *Fabricium* rogo ut per famulum cures deferendam ad nautas. Intereſt ejus ut illam habeat. hinc vero ante diem Jovis nulli nautae Ultrajectum proficiſcantur.

1 *Nicolao Cunradi* filio *Rittershuſio* Vid: *Heinſii* ad *Gronovium* Epiſt. XXII.

EPISTOLA CCCXXVIII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

L*Ambinum* ante dies paucos accepiſſe te puto. Nunc en promiſſam partem miſcellorum, quae utinam placeat palato tuo, & praelis digna videatur. Hoc biduum jam moror flagitantem typographum. Itaque juſſi ut ſub veſperam chartas a te accipiat. Ea tamen conditione, niſi inſit, quod omnino debeat corrigi. Tum redire illas prius ad me velim, & unum adhuc diem feriatum operis dabo. Brevior hîc ſum, quia tot quaſi paginis tecum loquor, & tum tibi, credo, tum mihi plus defit temporis, quam ſupereſt. Vale, vir maxime, & quae non approbabo tibi, de illis ſententiam tuam ne me, quaeſo, celes. Hagae. a. d. IX. Kal. Decembr. A. CIↃ IↃCXXXVIII.

EPISTOLA CCCXXIX.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

LIbenter legi, quae de ſtudiis tuis ſcribis, Vir nobiliſſime. Equidem quoties de te cogito, tacite apud me gratias ago ſupremo Numini, quod te hoc potiſſimum ſeculo natci voluerit in exemplum quouſque humanum pertingere poſſit ingenium, & quid ſit vere eſſe doctum. Nam id nomen cum vindicent omnes, rem habent pauciſſimi. Precor tibi annos longiſſimos, ut tot nobilia incepta, quae a nemine expectari poſſunt, jucunde & cum tranquillitate animi tui fructuque tantorum meritorum perficias. Si tantum licet tibi per occupationes ingentes, velim paucis ſignifices quomodo Romani togam amicirent. Legi quae de ea *Aldus Manutius* in quaeſitis per epiſtolam: quae tu accuratiſſime ad Pallium Tertulliani: adhibui etiam Quintiliani locum; nec dum tamen ſatis me explico, cum dicis rotundam fuiſſe togam & undique clauſam, an putas nec in pectore apertam habuiſſe? an veterrimo veſtiendi more clauſiſſe convolutum undique corpus? Sinus vero an fuit lacinia extrema dexterae partis aperta? an vero clauſa? an vero undique attexta vel aſſuta fimbria? Si clauſa undique fuit, quomodo dextrum brachium ex ea exſeri potuit? & an etiam habuit ſinum non exſerto brachio? Non opus, ut teſtimoniis authorum utare, ſi id late oſtendere non permittent aliae curae tibi, ſententiam modo tuam indica. Habes etiam hîc particulam nugarum noſtrarum. Cap. XI. an recte intellexi Plinium? Nam *Dalecampius* de marmore coloribus picto interpretatur, quod diſplicere tibi alias me docuiſti. Ut dubitem, facit,

cit, quod Claudianus alicubi dicat, *purpureis Synnada venis.* Hae ſi naturales ſunt, non opus de porphyretico interſerto ſuſpicari: cum vero Plinius ait: *qualiter naſci illos optarent deliciae*: Satis indicat ſynnadicum purpura diſtinctum non naſci. *Graswinckelio* gratiſſima fuit ſalutatio tua. Is ſalutat viciſſim te, & omnes opes ſuas cupit eſſe tuas. Vale, vir maxime; & te bene gere. Hagae III. Kal. Decemb. A. CIↃ IↃ CXXXVIII.

EPISTOLA CCCXXX.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

NObiliſſime Domine. Seculum videtur eſſe mihi, quod litterarum tuarum melle deficior. Et tamen omnem fateor in mea ignavia eſſe culpam. Primum quidem dum Alcinoum requiro, quod juſſeras, mente ſcriptionem eouſque diſtuli, dum eum tibi mitterem. Fruſtra fui vero, & ſic aliquot elapſis diebus partim a variis negotiis direptus, partim ſegnitie langueſcens, ſilentium continuavi. Nunc vero alium accipe librum, qui ex Germania ad me miſſus eſt, ut munus traderetur tibi. Author vir optimus tuique obſervantiſſimus Conſiliarius ille Noricus, cujus litteras aliquando ad te miſeram, excuſat ſane apud me tenuitatem ſcripti oculis indigni tuis, idemque ſuo nomine penes te conteſtari me jubet: Sperat tamen devoti animi hoc teſtimonium acceptum tibi fore. Meus ſequenti puto hebdomade ab operis abſolvetur. Tuae vero uſurae quid agunt? quid diſſertationes ad Simplicium? Cum poſtremo Leidae eſſem, hoc eſt cum te vidiſſem, in Muſeo [1] τῷ κρίτῃ interrogabar, quid jam in publicum molireris. Reſpondebam melius hoc ipſos ſcire, qui in urbe eſſent, in quam ego venirem peregrinus, & typographia quotidie viſitarent. Itaque incipiebat iſte numerare, Uſuras, Achillem Tatium: & nihil ne praeterea? ſubjiciebam: id me ex vobis rogare opportebat. Immo inquit fieri poterat, ut inter Sermones aliquid de caeteris curis ſuis tibi enuntiaret. Atqui, ajebam, cum ego video *Salmaſium*, ea temporis auguſtia concludimur, ut otioſis confabulationibus vacare minime liceat. Sufficit mihi, ſi quaeſtiunculis meis impetrem reſponſum. Ita finiebantur iſtae inſidiae. Nihil enim agebat aliud, quam ut aut me detegeret, aut ipſe occaſionem haberet judicandi de Simplicianis, praeſente editoris filio. Tuus ille ἀέρων librum his diebus edidit contra hiſtrionales ludos. Quidam inter ἀγύρτας eruditulus, & noſtram Religionem profeſſus parat apologiam, jamque multis oſtendit, nec dubitavit publicare. En par bene compoſitum! Legiſtine *Petiti* conjecturam de loco Statii in Soteriis Rutilii:

—— —— Legesque urbesque ubicunque togatae,
Quae tua longinquis implorant jura querelis.

Pu-

1 *Boxhornii.*

Putat hoc nimis dictum generaliter: & emendat: *urbisque ubicunque togati.* Per togatos urbis Senatores intelligit, quod vix mihi perſuadet. Immo non. Tibi quid videtur? Vale, maxime virorum, & me ama. Hagae poſtridie Eid. Januar. A°. CIↃIↃCXXXIX. quem auſpicatiſſimum tibi tuisque ex animo precor.

EPISTOLA CCCXXXI.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

NObiliſſime Domine. Fateor ingenue culpam, & ut in reliquis amicitiae noſtrae partibus impar duco jugum, ita hac quoque comitate tua me multum ſuperari. Etſi autem ſilentium meum non minus habeat Religionis, qua te ac tua in me merita veneror: tamen in poſterum operam dabo ne me majorem aut tui aut mei otii, quam officii rationem habere exiſtimes. Subnatum tibi novum, quod debelles, Hydrae caput, neſcio utrum doleam potius an laeter. Nollem ſane hujuſmodi luctis, non propter veritatem, ſed hominum pertinaciam tibi laborioſis, te inhiberi, quominus aliis tuis curis nobiſcum, qui doceri cupimus, communicandis vaces. Gaudeo tamen, ſiquidem ille ad interdictum veniet, occaſionem tibi praebitam abſtergendae calumniae. Nam illa quidem publica cantilena eſt, mirifice de Saccharo erraſſe *Salmaſium*, & memini cum in Belgium primo venirem, ubi eſſet exemplum dandum magnos viros interdum dormitare, te & hanc opinionem in theatrum produci. Meminit & olim audiviſſe id ſe *Fabricius* noſter, qui nunc mecum eſt, & hîc aliquot exiget gratiſſimo mihi conſortio hebdomades, donec in Galliam tranſfretet. Haud dubie ſubjiciet facem ille, qui in alium verti plagas tuas cuperet, ut ipſe vapularet minus. Quamquam hoc conſilium parum ei profuturum putem. Utinam ſervaſſes exemplum epiſtolae ad amicum ſcriptae, aut hactenus recipere eam poſſes, ut legendi facultatem nobis concederes! Hoc ego rogarem, & amicus ille noſter, qui ſerio triumphat, quod tam gratum tibi fuerit tenue ſuum, ut ipſe ait, officium. Legimus & relegimus ſumma voluptate quae ſcripſiſti, cum Ventidium elegantiſſimo dicto ageres. Quid ſi priorem editionem vidiſſes, ubi [1] *caeli induperator*, ubi *Hecate*, & *Jupiter Infernalis* erant invocati? Libel-

1 Haec ſpectant *Boxhornium*, qui in funere *Petri Cunaei* carmina, quae *Lacrimas* inſcripſerat, fecit, in quibus haec occurrebant, quae ſecunda editione correxit. leguntur ea poſt *Varſtii* Orationem funebrem, nunc editam, & inter Poëmata p. 34. Mittit eas Lachrimas *Adriano Hoffero* Epiſtola pag. 122. de illis *Nic. Heinſius* in Epiſtola ad *Gronovium*, poſt editas Tomo III. a me reperta, ita ſcribit: *Heroïs noſtri, ſcis quem putem, Lacrimae ex ſecunda nunc prodiere editione. Primam ſi habes, inter Theſauros tuos reponatur. Eam enim pro genuina amicus noſter agnoſcit.* Coeli induperator, & Jupiter infernalis *a Theologorum ſupercilio mire vapalarunt. Ita ut quidquid hoc eſſet nugarum, totum delere fuerit coactus, niſi primum inter Crocodyli lacrimas, quas* Voetius *, niſi fallor, nuper edidit, locum vindicare ſibi maluiſſet. Veniet poſt annos fortaſſis centum antiquarius aliquis, qui Epigramma hoc Ennio vel Andronico vindicabit. & profecto audivi magno cum applauſu a* Delmanhortio *fuiſſe id approbatum. Malim tacere potuiſſes heros diſertus. Sed ne ego quoque illo morbo carere me confiteor.*

bellus meus ante triduum absolutus est. Dedi in mandatis *Comelino*, ut unum in augustiore charta ligari faceret, ac tibi tradi. Quod forte cras aut perendie fiet. Quod si faceres cum tanti, ut ceu errorem tuum, aut fugitivum, aut plagio subreptum tibi vindicares, nihil, credo, fieret propius, quam ut addictus duceretur tibi. Sane enim dum perficitur, & numeris suis componitur, multa ei membra accessisse e thesauris tuis constat, aut saltem accessura non fuisse, nisi tutas scrutari faviillas, in ἀδιλφαῖς tuarum incidissemus observationes. Postquam vero a mea manu exiit, tu lambendo & fovendo plurimis locis sanum ei colorem addidisti, naevis mille, quibus insignem eum reliqueram, liberasti. Compositio tamen & descriptio tota mea est etiam te fatente, hoc est, majestate illa genii tui, ac beatissima sine exemplo ubertate, notis peculiaribus scriptorum tuorum, deficitur. Hoc quoque meum est, ubi censuras tuas vident probantque, stultitia mea & φιλαυτίᾳ in ineptiarum mearum labore mihi placui, quod tamen pauciissimis locis evenit. Si mitius agere velis mecum (tantus quippe doctrinae oceanus manipulum ex te, aut urnam aquae limpidae hauriri non sentis) nec defugere possum hanc confessionem, nec defugiam unquam, & honori mihi duco, καὶ αὐτὸ τῦτο ὑπερηφανέομαι. Si quid profeci in litteris, si sub ullo magistro judicium formavi, & de cujusquam pollice artificem duxi vultum, tu is es unus, tuorum scriptorum lectio, rigidumque inceptorum meorum ad hanc rectissimam amussim examen. Quare oro te atque obsecro per omnia tua in me merita, ne spernas tuum opus, etsi propter materiae ἀνεπιτηδειότητα saepe non appareat digitus tuus: & hoc munusculum, quod dandi facultatem dedisti nobis, accipias tantisper animi grati mnemosinon, donec quod toties in litteris apud te, id publice ad te & de te profitendi potestas nobis fiat. O videam ego illum diem, cum omnia alia nomina ignorare mihi atque abjurare liceat, totoque orbe videar ingratus, ut *Salmasio* uni gratus appearem? ac ne me quicquam auribus tuis dare putes, male peream si quicquam tecum ago simulate. Schedam ex scriptore Gallico, ut eam mihi amicus dedit, hîc vides, quam ubi rescribes, velim remitti. Has quoque duas ad *Dumaeum* epistolas, quas *Riveto* me tradidisse putaram, nuper inter chartas meas inveni, & quia eas aliquando reposcere te memini, hîc inclusi. Vale, Vir maxime, & me ama. Hagae a. d. XIII. Kal. Februar. A. CIↃIↃCXXXIX.

EPISTOLA CCCXXXII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmasio.

Leidam.

NObilissime Domine. Heri cum brevis tua mihi redderetur, eram in eo, ut ad te scriberem, & sententiam tuam de nonnullis apud Senecam dubiis requirerem. Fieri potest, ut *Vincentio* nostro comes in Gallias eam. Nondum plane constitui: scripsi tamen de eo consilio ad cognatos, & omnino

futurum arbitror, ut eam. Gaudebo quidem ab tot nequiſſimis ac fatue ambitioſis hominibus me ſeparari: a te vero remotum fore longius id mihi erit inſtar mortis. Nunc igitur quibus poſſum modis itineri me paro, & praeter caetera, quia Senecam corrigendum ſuſcepi, id ago, ut ſi non totum, certe maximam partem operum ejus, antequam vaſa collegero, perlegiſſe queam. Secrevi aliquot locos ſtigmatis, de quibus, niſi tu ſuppetias veneris, nihil mihi ſupereſt ſpei. Dum iſta mecum repetita meditatione expendo, ecce redditur mihi tua brevis, & iſtam tetricam Muſam diſcuſſit. Mire narras; me adverſariis tuis tela ſuggerere, atque ex libris tuis venena colligere, quae illis in tuam invidiam ſubminiſtrem. Mentiar ego, immo impoſtor omnium ſim maximus, niſi mentiuntur Nebulones, qui hoc confinxerunt. Nam qui ad te retulerunt, fortaſſe ſunt homines minime mali. In me vero nihil magis apud iſtos odio fuit, quam hoc ipſum, cum illi e ſcriptis tuis commotius dicta excerpſiſſent & jactarent, quod omnia ego benigne interpretarer, & concedendum hoc magnis viris dicerem, quorum vehementiores eſſent motus, ſi vitium omnino vellent eſſe, at non malitiae, ſed ingenii eſſe calidioris, at infinitis immenſisque meritis compenſari, aliaque ejuſmodi: denique *Scaligeri*, quem laudavi ſemper, at te minus, ipſis exemplum objicerem. Sic memini narraſſe mihi N, monſtratum a *Boxhornio* N. locum e Solinianis tuis, ubi refutas de pulla myrto, quod ipſe & nolle ſe factum ajebat, & ego deteſtatus ſum, nequiſſimeque factum videri, non diſſimulavi. Ne dicam millies contentiones mihi cum illis fuiſſe acerrimas, cum obſervationes tuas, quas non aſſequebantur, inepte & inimice exagitarent. In quo fuit, quod apud Ovidium, *tenenda*, *male viva*, *perfidiae pretio nece*, apud Arnobium *Colium*, apud Petronium *Cociores Cociaria* reſtituiſti, & innumera talia, quae nunc non incidunt. Jam de [1] *terrenis beſtiis*, poſſem negare, ſi ſimulate agere vellem tecum, quando id ipſe credere non fateris. Non inficiabor tamen aliquando dixiſſe me, *Junium* ejus opinionis eſſe, quam terrenis beſtiis adſcribis: joco qui tam facile pennae volanti excidit, quam malitioſe ab iſtis traducitur. Cognoſce autem quid rei ſit. Mortua ac ſepulta illi revocant, omniaque miſcent, ut aut hoſtes acquirant tibi, aut quos amicos habes, eos in ſuſpicionem apud te adducant, eaque te cura inquietent. Id manifeſtiſſime ex hoc crimine apparet. Jam quadriennium pene eſt, cum illud de *terrena beſtia*, N. (neque quiſquam alius mortalium, quod ſciam,) ex ore meo audivit. Tu in Gallia eras, nos una Leidae. Ille accuſare tuam δοκησισοφίαν, ſolum te putare aliquid ſcire, in opinionibus tuis defendendis eſſe pertinaciſſimum, nec omnino pati, ut quis tibi contradicat: Omnia denique quae in unum magis hominem, quem ille bene novit, quam aut in te aut quemvis alium convenirent. Ego multa contra & inter caetera (ſi male, Deum teſtor,) ſine fraude ſubitoque & inter conflictum dum argumenta peto, quaecunque incidunt, hoc jeci: exemplum eſſe me ſimplicitatis & candoris tui, qui cum conjecturam meam in Tertulliano timide ad te perſcripſiſſem, cum alia tua publice extaret, meam laudavi

[1] Vid. *Gronovii* ad *N. Heinſium* Epiſt. LXXVII.

laudaviſſe. Cupiit videre locum: prolatus eſt liber ex editione tua: legimus verba authoris, & pleraque tua ex commentariis. Cum ille legiſſet: *Qui Vadium intelligunt plane terrenae beſtiae ſunt*; Arridens, quis hîc deſignatur, ait. Ego nihil ſuſpicans aut cogitans mali, neſcio, ajebam, ſed hanc opinionem apud *Junium* legiſſe memini. Hoc tantum abeſt, ut ille in calumniam rapuerit tunc, ut oſtenderit ex occaſione mihi Junianam editionem, qua *Scaliger* uſus eſt, obelis ejus confixam, ubi *Pecoritas*, *Aſinitas*, *Beſtia*, *Cujon*, & iſtis acerbiora per totum librum marginibus apparebant allita. Nunc id reducunt, nunc apud amicos tuos narrant, me interprete *Salmaſium* tale ſcomma *Junio* impegiſſe. Fateor quidem ſummae cautionis fuiſſe futurum, ſi tale quid mihi non excidiſſet: ſed vides tamen, vir maxime, quam innocenter fuerim nocens, & ſimplex, ac ſine ulla ſuſpicione invidiae poſt tot annos ſecuturae prolatum dictum doloſiſſimo captatori objecerim. ſed agnoſco artificium, poſtquam me fruſtra aggreſſi ſunt, nec ſive blanditiis, ſive beneficiis a tui obſervantia averterunt, ac in partes trahere nequiverunt, te tentant, ac ſuſpectum ſaltem fieri me cupiunt tibi. Itaque non dubito, quin ab hoc principio profecti ejuſmodi plura aut commenturi, aut a me dicta in alium longiſſime ſenſum fraudulentiſſime contra me interpretaturi, eademque per eos, quos credunt tibi non adverſos, ad te delaturi ſint. Equidem quantum in me erit, operam dabo, ut huic ſceleratae molitioni fibulam imponam: ſcribam de eodem oleo ad N. cumque eo hanc injuriam ſerio expoſtulabo, quia nemo eſt, nemo, apud quem iſta protuleram, alius. Caeterum ſi ille ingenio utetur ſuo, & magis poſtquam ego digreſſus fuero, ſi deo placebit, te oro atque obteſtor, vir σεβασμιώτατε, ne illis potius, quos ſcis omnia conari ac turbare, ut te vel leviter commoveant, quam tibi de animo meo credas. Conteſtatus ſum toties tibi, & conteſtor etiam nunc, & Deo teſte dico, me animum apud te ſemper in labris geſſiſſe, atque promptum apertumque habuiſſe, nec unquam aliter de te, ac tua in literas meque merita, ac amicitiae noſtrae poſtulabat ſanctitas, aut re aut ore ſenſiſſe, quod non illi modo non ignorant, apud quos eſſe libero licet mihi, quique judicia mea ſecretiora norunt, ſed ipſos quoque iſtos, qui nunc frigus inter nos contractum vellent, ſua docet conſcientia. Facile tu quidem amico tali carere potes. Quid enim ſum ego? aut quid in me tantum, cur unquam meum tibi cultum imputare potuerim? aut ornamento tibi magis quam oneri fuerim. Certe novi me, & ſcio, quam illa benevolentia, qua ad hoc uſque me proſecutus es, ſim indignus, ut poſtremiſſimus omnium, qui per te profeciſſe confitentur. Noli tamen ſpernere atque abjicere hominem, qui uti amari abs te ſe exiſtimat, ita id totum ſoli atque uni bonitati adſcribit tuae: neque unquam commiſſurus eſt, ut, quum nullo merito affectum tuum pigneret, ſua culpa, ſcelere immo ac flagitio ſuo, tanto ſe bono privarit. Haec raptim ad tuas heſternas. Pulcherrimum epitaphium tuum nemo vidit intellexitque, qui non veſtra ſatis laudavit. Sunt qui id petierint, ut deſcribi liceret ſibi, nec negare potui. Vale, maxime virorum, nec ſi qua re aggredientur illi porro mihi apud te frigidam ſuffundere, ne me caelatum

habe, aut certe ne id ad animum tuum demitte. Hagae a. d. v. Eid Feb. A. CIↃ IↃCXXXIX. Nunc recordor, quia ſcripturum me ad N. dixi, fortaſſe id tibi non placiturum, quia illum, qui id retulit tibi, prodi nolis. Si id periculum non times, & is ſermo per plurium manavit ora, verbulo fac ſciam.

EPISTOLA CCCXXXIII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

NObiliſſime Domine. Vellem quidem parcis verbis majorem fiduciam in conſcientia mea tuaque prudentia contra impuniſſimorum iſtorum ἀλαβολὰς nuper oſtendiſſe me: ſed commotiorem non adeo res ipſa, quam exemplum rei reddiderat. Prorſus ex fraudibus & dolis conſuti ſunt homines iſti, ut nec ubi velint maxime, nihilque intereſt, verum poſſint dicere. Ego & *Vincentius* quotidie conferendo, quae ad utrumque & ſingulos dicta ſunt, innumera mendacia detegimus, ridentes quaedam, alia deteſtati. Nam quod de ſubditicia epiſtola ſcribis, eſſet id quidem facinus palmarium, niſi in turba tot falſorum lateret. Geſtio tamen, ubi illuc venero, (ſiquidem penes te exemplum eſt, ut eſſe opinor) id quicquid eſt lepidi ſcripti videre, & ſycophantae inſciti totieſque deprehenſi miſereri. Conſilium meum viſendi Gallias ſtabile eſt. Quod probari tibi laetor, ſed admiratus profecto ſum inſignem comitatem tuam, qui quod ego precibus a te contendere non faſtidirem, id ultro promittis. Accipio vero avido ſinu conditionem, tuiſque hortationibus quam cujuſquam mortalium, acceſſum ad tot inſignia hujus aevi decora, quibus omnes terrarum oras hodie vincit Gallia, libentius debebo. Eo namque redactus ſum, ut infinitis tuis in me beneficiis, non aliter quam oblata etiam ambiendo & accipiendo, atque aeſtimando reſpondere queam. Fui per hos dies in Seneca diligentior: deprehendi minuta quaedam, in quibus editores conniverunt, plura quibus nec ab ipſis nec a me ullam remedii ſpem invenio. Ex quo numero eſt quod legitur de vita beata c. 11. *Vulgum autem tam chlamydatos quam coronam voco.* MSC. Pall. & Eraſmi Edit. *coronatos.* Praeterea ex MSC. unus: *clamidatos.* unus: *Clamitatos.* Lipſius: *tam candidatos quam coloratos.* Probat Gruterus *coloratos*, quod etiam extare ait in antiquiſſima editione Veneta: *Chlamydatos* retinet: non explicat tamen, ſed relegat nos ad ſuas ſuſpiciones. Conjungendum ex eodem libro c. xxv. *Malo quid mihi ſit oſtendere praetextatus & candidatus, quam ſcapulis nudis ac faetentibus.* Ubi etiam MSC. *praetaxatus* & *catus*, *camiſatus*, *cauſatus*, *gauſapatus*, *chlamydatus*, *cauſeatus.* Muretus: *Camiſinatus.* Lipſius dubitat an pro *praetextatus* debeat ſcribi *pexatus.* Sed & *faetentibus* non eſt in pluribus MSC. In quibus: *Scapulis aut ſententiis omnes mihi ex voto decidant: aut aſſentientes omnis. mihi ex voto diſcedat: ſcapulis aut funi. Omnis mihi ex noto decidant.* Portenta ſunt iſta. Nihil video, nihil ſa-

ſapio, nihil ſentio. Niſi tu ſuppetias veneris locis aegerrimis, actum eſt, ilicet ad tibicines mittemus. Narrabat heri mihi nobiliſſimus *Boswellus* neſcio quem Salluſtium de mundo, ſcriptorem bonum & frugi, Roma ad te miſſum, ejuſque editionem parare *Elzevirios*: id ſe accepiſſe ex amico tuo, qui tuarum curarum nihil obſcurum ſinit. Poſſumne bona cum tua venia id requirere, quid rei ſit? *Grotius* Advocatus me rogavit ut liceret ſibi Epicedion tuum ad fratrem mittere. Deſcriptum mea manu ipſi dedi. Fatuus forem, ſi id, quod mones, accepiſſem aliter, quam feſtinationis indicium. *Vincentius Fabricius* & ego eruditiſſimam tuam ad eum epiſtolam libenter legimus? Is te ſalutat obſervantiſſime, & ſcripturum ait propediem. Vale, unicum decus noſtrum. Hagae. a. d. v. Kal. Mart. Anno CIↃ IↃ CXXXIX.

EPISTOLA CCCXXXIV.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

NObiliſſime Domine. Et initium epiſtolae tuae non mediocrem mihi attulit dolorem, & clauſula inopinatum riſum movit. Precor Deum ut ſoſpitet te, ac iſta corpuſculi ſtipendia remittat, vireſque ſufficiat ad praeclara animi tui cogitata non abrumpenda. Sed illud pugilis os validi antagoniſtae manus merebatur, niſi quia τ' αὐτόματοι ipſi melius conſuluit, malimus vel ſic habere eum, quod tibi imputet. Ante triduum ſermo iterum fuit mihi cum nobiliſſimo *Boſwello*. ajebat vidiſſe ſe ſcriptum *Petavii* contra libellum de Caena Domini: audiſſeque in animo eſſe tibi progredi in campum iſtum, & illud refutare. Itaque multis rationibus agebat mecum, ut perſuaderem tibi atque hoc conſilium darem, ne id negotium capeſceres. Tu noſti eas melius, quare narrandis ſuperſedeo. Mirabar unde is rumor: cumque ſuſpicarer facile, quaerebam an mihi copia fieri poſſet ſcripti Petaviani inſpiciundi. Reſpondebat jam reddidiſſe ei, a quo acceperat, nempe qui textis maternis menſas ſternit. Videram penes eundem ante menſem tuas unas, quibus ſcriberes mitti tibi illud opuſculum; jamque Caletum eſſe perlatum: promittebas etiam nihil magni tibi de authore, & niſi fallor, narrabas, te primum monuiſſe amicos de fraude Tertulliano facta. Scis autem non poſſe illius ordinis hominibus placere ſententiam prioris tractatus, praeſertim in poſteriori parte: qui etſi totum illud privilegium, quod ſacrificuli vindicant ſibi, non approbant, tantum tamen, quantum ipſis doctores noſtri & vulgatus mos Eccleſiarum permiſit, retinent mordicus. Cui ne tu aliquomodo intercederes, veritus, rumorem illum ſeminando apud optimum ac tui amantiſſimum virum, ejus authoritate & conſilio deſtinationem tuam frangere ſe poſſe credidit. ſed haec ego ex ſuſpicione: qui nec de inſtituto tuo quicquam ſcio, nec mandatum ejus omnino inſuper habere debui. Repetebat etiam ſermonem de Salluſtio

tuo, & (eramus una matutino tempore, cum tuae nondum fuiſſent mihi redditae, neſciremuſque adeo editionem jam ſpectare ad umbilicum) putabat commode ei poſſe adjungi Ocelli Lucani libellum, qui jam rarius reperiretur in bibliopoliis, nolletque id opuſculum perire. Denique tradebat mihi literas ab illo juvene, cui tuas ad *Patr. Junium* in Angliam eunti commendaveras, *Berneggeri* diſcipulo, in quibus nuntiare tibi jubet, prima quaque occaſione habiturum te aliquot authores de re militari cum excerptis ex Nicephori Cod. MSC. haec hactenus. De Senecae locis gratias ago maximas. Plane ſatisfeciſti mihi: nec commodius quicquam explicatione prioris loci, nec emendatione poſterioris veriſimilius: *ſemitectis*, dico, *pexatus* (id enim malo) *& gauſapatus*. praeſertim cum poſtremum totidem apicibus in uno *Gruteri*, quem Colonienſem vocant, deprehenſum ſit, & non ſemel illum praeſtare aliis animadverterim. Nunc quaeſo liceat mihi redire, ut in proverbio eſt, ad armillum. De tranquillitate animi c. 11. *multos ex his, quos forum, curia, ſermo mecum contraxerat, nox abſtulit, & vinctas ad ſodalitium manus copulatas intercidit.* Videtur hic quoque parum adjumenti eſſe ex MSS. & *victas ad ſodalium manus copulatas interſcidit. e vincas ad ſodalium. & vinctos ad ſodaliam. & junctas ſodalium manus copulataſque.* Poſtremum quidem ſolum tolerabilem ſenſum habet. Tentabam tamen: *& juncta ad ſodalitium manus copulam intercidit.* Ut de Societate datis dextris contracta intelligeret. Ut lib. III. de ira c. 8. *difficile erat illi in copulam conjecto rixam ejus, cum quo haerebat, effugere.* Hic quoque de ſodalibus coenae agitur, ut & ſimpliciter, non de ſocietate, ſed ſodalitio poſſit illud accipi. De vita beata c. 6. *Non video quomodo iſta tam diverſa in eamdem copulam conjiciantur.* Haereo tamen & ſententiam tuam expecto. lib. I. de Clementia. c. 5. *magnam fortunam magnus animus decet. qui niſi ſe ad illam extulit, & altior ſtetit, illam quoque infra terram deducit.* Quid eſt infra terram deducere? cap. 11. *Haec eſt in maxima poteſtate veriſſima animi temperantia & humani generis incomprehenſibilis amor non temeritate aliqua incendi, non priorum principum exemplis corruptum, quantum in cives ſuos liceat, experiendo tentare, ſed hebetare aciem imperii ſui. MSS.* tres: *& humani generis comprehendit te ſibi amor.* Optimus ille Nazar. *comprandit te ſibi mor.* Latet aliquid. Editum eſt a conjectura Agricolae: ante cum vulgo, *comprehenſibilis.* Fabricius te ſalutat obſervantiſſime, & reſpondebit propediem. Uſuras tuas quando expectabimus? Vale, maxime virorum, & me ama. Hagae. Non. Mart. A°. CIↃ IↃ CXXXIX.

EPISTOLA CCCXXXV.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

NObiliſſime Domine. Poſtremas tuas accepi. Nunc raptim narro tibi veniſſe ad me heri *Vorſtium.* Ajebat ſe accepiſſe ex certis hominibus, commu-

munibus amicis, esse penes me Epicedium tuum. Id cupere se videre & rogare pro amicitia, ut ostendere vellem. Cum praetexerem, jacere inter chartas & difficili nunc quaestioni fore; non dimissurum me ajebat, antequam id legisset. Vidit, laudavit. Postea mirari se dixit, mihi potius, quam sibi id missum esse. Respondebam causae me ignarum, nisi quod significasses in tuis, cum postquam rogasset, ad te postea non accessisse. Petebat exemplum: ut videbat me cunctari, non id futurum apud se, nisi cum honore tuo pollicebatur sancte. Vos omnino amicos esse, seque, ex quo primum in Hollandiam venisset, magnopere te coluisse. Esse sane quasdam opiniones, in quibus abiretis ab invicem diversi: caeterum amicitiam eas non dissuere. Cogitavi, quoniam Senatori *Schotto*, *Grotio*, aliisque indulsissem, si huic negarem, posse eum facile id ab istis nancisci: & me totius vestrae controversiae nescium gerebam. Descriptum ergo tradidi, id conferre ipse voluit cum autographo tuo, & ita sollicite, immo pueriliter, singulos apices meos cum tuis comparabat, ut monstrasse, nedum tradidisse exemplum, me illi poenituerit. Praeferebat id facere, ut de accentibus, spiritu, distinctionibus recte a te positis testimonium perhibere posset. Epistolam non inspexit, neque passus sum manui meae autographum tuum unquam extorqueri. Mox non ita obscurus, ut ante, sine circuitione quaesivit, nunquid de litigio vestro resciissem: & quia negabam, caepit ingentes oras evolvere belli. multa καυχήματα Thrasonica. Provocatum utique a te esse. Causam dedisse nullam, nisi quod interdum non probari sibi sententiam tuam apud amicos non siluisset. Id homini libero non posse eripi. Alias neminem laborasse magis, ut te & Aristarchum conciliaret. Esse domi suae folium usurarii operis, ubi ἀσόφως aliquid ab Aristarcho proditum, qualia infinita in illis exercitationibus, esse scribas. Id constituisse tecum agere communis pacis causa, ut diffingi cures. Quamquam hîc dudum sit mos tuus, nec uni id te facere, sed omnibus. fore ergo tandem, ut totus mundus tecum consistat. Ideo se infelicitatem tuam miserari. Animadvertisse etiam nescio quid frigoris inter te & [1] R. scribunt inter se literis mordacibus, ajebat. Cum hîc demum credere id me posse, negarem, addebat. hoc quoque argumento esse sibi, quod roganti aliquando, num quid ad eum velles, ne salutationem quidem translatitiam commendasses. (vereor autem ne quaerelas suas illi conjunxerint, & alter nimis jam gravetur secretis illis continendis.) haec provenire bonam partem ex ingenio tuo suspicaci, partim quod veros amicos, qui recte consultum cuperent tibi, ipsum nempe & collegas, sperneres; aliis deterioribus semper obsequerere, inter quos jactabat se aperte quondam te monuisse, quomodo reputare posses [2] eum, cujus in socerum olim sic lusisses. Ego mirari omnia, nihil istorum scire: doctrinam tuam immensam & affectum erga me, quae sola comperta haberem, extollere: caetera, quae inter ipsos interveniissent, si qua eorum cognoscerem, non nisi ex incertis rumoribus didicisse. Itaque nec scire me illa, neque ut sciam laborare. Tandem de

1 *Rivetum* credo.

2 Credo *Gr. Vossium* intelligi, cujus Socer *Fr. Junius*, quem terrenam bestiam *Salmasius* vocaverat.

de inſtituto ſuo orſus, etſi conſuetis aculeis in epiſtola ipſum tetigiſſes, non tamen jure pari acturum tecum: nec directe contra te ſcripturum. ſed in animo eſſe ſibi integrum opus de Saccharo commentari. in eo ſane unum caput oppoſitum iri tibi, ſed ſic, ut cum maximo viro diſceptationem ſibi eſſe meminerit. Nec feſtinaturum ſe, quoniam omnia cupiat quam exactiſſima eſſe, & ſic ut potius rei ipſius, quam veſtrae diſſentionis cauſſa ad ſcribendum actus videri poſſit. Itaque ex ultima uſque Hiſpania per amicum Amſtelodamenſem petere pictas dulcis arundinis formas, & mandaſſe ne in ea re quam ſubtiliſſime perficienda ſumptui ulli parcerent. Ita lente perfectum iri ſuum opus, ſe Hollandum eſſe, nec fervore nec impetu Gallicano impelli. Et, ſi revinceretur, libenter herbam tibi porrecturum. Haec fere obſervavi, quae ad te deferrem ex ſermone odioſiſſimo, quo dum ille *μακρὰν ἰλιάδα* continuat, nec morantis mei rationem habent ſodales, parte prandii pene carui. quae tamen ex me reſciviſſe te aut omnino reſciviſſe, niſi anſa aliunde data fuerit, pro prudentia tua, ac amore in me celabis. Ut purgatus eſſem tibi, ſi forte de congreſſu noſtro inaudires alibi, & carmen tuum, quod haud dubie facient cercopes illi, illudant, neque aliter facere omnibus, quae a te publice vel privatim exeunt, jurarunt. Illudant ſane dum refutare argumentis nihil poſſint, ipſique omnibus occaſionibus vapulent. Vale, maxime virorum, & me ama. Hagae a. d. III. Eid. Mart. A. CIↃIↃCXXXIX.

EPISTOLA CCCXXXVI.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

NObiliſſime Domine. Pauculas horas, quas nuper in regreſſu Leidae exegi, ita vindicarunt ſibi, apud quos diverſari ſoleo, ut nullam elabendi, tuique conveniendi copiam haberem. Id etſi dividiae mihi eſſet, ferebam tamen patienter, quod & ante valere tibi dixeram, nec hunc tranſitum ſiniſtre te interpretaturum verebar. At poſtquam nudius quintus ex *Elichmanno* diſcurſanti mihi obvio intellexi de litteris, quas Lutetia a Puteano accepiſti, & miris novis, vehementiſſime condolui & ſuccenſui mihi, qui ab iſto conſortio non ingratiis ipſorum tantiſper me divelli, dum nuntiis jucundis bibulas aures opplerem. Et cogitabam ſtatim ad te ſcribere ac rogare, ut quae per tranſennam ex amico illo optimo addidiceram, de iis accurate me edoceres. Sed direptus undique & circumlatus quamdiu Hagae fui, aut ſolus eſſe aut ſedere, niſi forte in prandio vel caena, non potui. Nunc ſedemus ſatis, & ventos occaſioneſque elabi patimur, juſſi per nimiam formidinem eorum, qui arbitrium habent itineris noſtri, non conſcendere prius, quam Ammiralius claſſem ad Duynkerkam advexerit. Itaque cupidus cognoſcendi quaecunque ſint ea, magnopere oro, ut, ſi commode fieri poſſit, cras unas a te accipiam, in quibus

bus horrendum carmen de [1] antagoniſta meo celatum me non habeas, & ſi in promtu ſint cuicuimodi excerpta illa Statiana mittas. Nihil fieri poteſt nunc mihi gratius, & deſiderio contabeſcam, dum tuas videro. Proximo triduo nondum puto nos ſoluturos. Vale, vir maxime, & importunas preces meas fer benigne. Rotterodami a. d. x. Kal. Majas. A. CIↃIↃCXXXIX.

1 *Em. Crucq.*

EPISTOLA CCCXXXVII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

QUas e Navi ad te dedi, Nobiliſſime Domine, ad ipſum Oceani oſtium fixis anchoris ſpero diligenter ad te curatas. VI. Non. Majas nauſeae plenus & ſatur mari multam dixi ſalutem, & attigi tandem toto diviſos orbe Britannos, poſt diem tertium ingentem & regiam Londinum intravi. Aliquantum temporis abſumptum in ſpectandis & audiendis illis, quibus peregrinantium curioſum otium ſolet occupari, parum mihi profuturis, ideoque comitum potius, quam animi mei gratia admiſſis. Reſpirare viſus ſum mihi, poſtquam denique libros & doctos viros ſalutavi. Quos quidem reperi effuſiſſima humanitate, ac neminem illorum, ſive clari eſſet, ſive nullius nominis, qui de te ſcriptiſque tuis non ſumma cum reverentia loqueretur, & me loquentem hilari & benevola attentione audiret. Non excipiam nebulonem frondatorem, (ei enim frequens quoque adfui partim in mari, etſi altera eſſet nauſea, partim hîc) Nam illum in numero doctorum habere non poſſum. Nulla in eo lectio veterum, judicium nullum aut peritia litteras tractandi, malitia & fatuitas inſignis, ut miror quomodo adhuc tam Grammaticè loquatur. Crucior abeſſe me a libellis meis, praeſertim exemplari Diatribes, quod variis locis auxi, interpolavi. Conſtitui autem ſimul venero Oxonium, ubi bibliotheca in promtu erit, fatuo ſecundum ſtultitiam ſuam reſpondere: non tamen ita, ut ſolum ipſum confutem, quod eſſet chartam maculare & imperitis ſcribere: ſed ut ſubinde alias quaſdam obſervatiunculas meas intermiſceam, & iſti Elencho textum ſilvarum adjungam recenſitum, quod plurimis locis fieri poſſe ſine periculo ſatis noſti. *Patritius Junius* Tacticos omnes, qui in bibliotheca Bodleiana adſervantur, aut ipſe deſcripſit, aut aliorum opera deſcriptos habet. Egi cum eo ſtrenue ut illos tecum communicaret. Et promiſit haud gravatim, eſt enim vir humaniſſimus & candidiſſimus. Eſt etiam penes illum Achilles Tatius cum duobus, ni fallor, aut tribus MSS. collatus, ac multis locis auctior. quem ſi deſiderabis, habebis quoque. Ipſe totus eſt in conferendo antiquiſſimo exemplari LXX. Interpretum, quod a Patriarcha *Cyrillo* in Angliam miſſum eſt. Et vulgaris opinio obtinet, ut ipſe Pa-

1 Hae defuerunt nobis literae.

triarcha ὁμακαρίτης in prima pagina notatum reliquit, ſcriptum manu Teclae. Eadem manu adjunctum habet novum foedus. Arbitrare quid faciendum tibi ſit. Nam *Fabricio* ultro obtulit *Junius*, quoniam *Grotius* ſuas notas adornaret, ſe variantes lectiones, ſi peteret eas *Grotius*, libenter ipſi tranſmiſſurum. Si tu praeveneris, certus ſum nihil tibi negaturum. De iis, quae jam cum ſeptuaginta Interpretum verſione vulgata collata ſunt, affirmare poſſum quod vidi, nullam lineam aliqua varietate vacare. De ſpecimine linguae Aegyptiacae, quod hîc proxime Anglus quidam publicavit, nihil addo, quoniam amicus librum ipſum ad Cl. *Elichmannum* miſit. Uſuras tuas expecto impatienter ſi abſolutae ſunt; ſin, literas, quas tuto ad Nobiliſſimum *Borwellum* deſtinabis. Eidem etiam liber committi poteſt, perſolvit enim annuum ſtipendium curatoribus literarum, ut perinde ſit ipſi, litteras mittat, an ingentes faſciculos. Vale, vir maxime, & me ama. Londini. a. d. XVII. Kal. Jul. Julian. A. CIↃIↃCXXXIX.

EPISTOLA CCCXXXVIII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

QUas Londino ad te dedi, Nobiliſſime virorum, recte exiſtimo curatas. Reſponſum *Patricius Junius* egoque avidiſſime expectamus. Scito illo viro non reperiri humaniorem, aut qui ſincerius ſtudia literarum juvare cupiat, aut qui magnitudinem tuam intelligat. Ille & duo praeterea forſan ſunt, non certe plures, quare pedem intuliſſe his terris non paeniteat. Nam quid ego narrem tibi, quam vana ſpe lactati fuerimus. Quid tu mandabas mihi, ut in Tacitis quaerendis tui meminiſſem? Qui in decantata illa bibliotheca Bodleiana, ne Martialem quidem, aut Statium aut vulgatiſſimam quamque chartam MSC. inſpicere poſſum. Prorſus hîc peregrini ſunt, ut vocantur a vulgo, *Frencs dogs*, id eſt, Gallici canes. Statutum habent, ne cuiquam peregrino uti ullo MSC. Codice liceat, niſi adſtante magiſtro aut Baccalaureo artium. Ubi reperiam ego homines, qui ita male perdere tempus velint, ut mihi per tres quatuor horas conferenti adſideant, & ungues meos obſervent? Fruſtra igitur huc veni. Bene ſit Comiti *Arondellio*, cujus libros MSC. licet optimo *Fr. Junio* commodare etiam extra domum amicis. Itaque niſi *Patricius* ex bibliothecis collegiorum, quarum tamen MSS. ita ſunt obſerati, ut ne ſociis quidem ad eos liber acceſſus pateat, per amicos nanciſceretur, quod mihi furtim utendum daret, merus hic eſſem Tantalus inter undas. Mirum genus: ipſi theſaurorum ſuorum pretium ignorant, nec unquam quicquam, praeter ſcholaſticas tricas, aut loquuntur aut ſomniant: Interim iis, qui cupiunt uti, eas objiciunt moras, ut melius ſit non deſideraſſe, quam indignitates ferre. Quatuordecim hîc exierunt dies, antequam ullum librum publicum

Digitized by Google

eum liceret mihi tangere. Ubi hoc tandem emi (non ſufficiunt enim preces, pretium oportet accedat) & forte conjeceram oculos in librum MSS. haud magni momenti, adeſt continuo Occanus aut Lectius, qui me ſuſcitabat ex equeſtribus illis, & librum e manibus auferebat. Abivi, ut iniquae ſortis aſellus, & Scotiſtas, Thomiſtas praedicavi beatos, qui quae neſciunt non dolent aut indignantur. O Gallia quando videbo te? Quando homines? ſolus ſi eſſem, redderem me participem voti cis pauciſſimos dies. Nunc manendum & expectanda graculorum comitia, quae poſt duas hebdomades habebuntur. Puta cum doctores creant. Iis habitis excurram ad Thermas & Briſtolam, inde per Cantabrigiam Londinum citatis equis, ne facta Pelopidarum diutius audiam. Interea expectabo tuas. Ad frondationem paravi reſponſum fatuo dignum. De loco Suetonii, quem nugator adducit p. 81. contra veriſſimam emendationem tuam (quam per ſe defendere ſatis poſſum, nec res indiget argumentis) in Abaſcanti pietate lubens ſententiam tuam cognoſcerem. Sed necdum *Caſaubonum* inſpexi. Quae ſub praelo habebas, an abſoluta ſint, ſcire haveo. ſalveat, niſi grave eſt, Cl. *Elichmannus*. Vale, vir maxime, & me ama. Oxoniae a. d. VI. Kal. Jul. Julian. A. CIↃIↃCXXXIX.

EPISTOLA CCCXXXIX.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

QUas *Heilerſigio* tradideras, nudius tertius reddidit mihi ampliſſimus *Boswellus*. Gaudeo apparuiſſe fictitium *Alexium*, ſi nihil aliud, fidei meae cauſſa, & ne in poſterum expectationem tuam deludat. Cum *Patritio Junio* locutus ſum de iis, quae Oxonia ſtatim poſt acceptas priores tuas ad ipſum ſcripſeram. Achilles Statius paratus eſt, itemque Tactici & ſingulis horis mitti poſſunt. Jamque egeram cum juvene quodam honeſto, qui iſthuc tendebat, ut iſta ſarcinula ſe tibi commendaret. ſed invaſit omnes Panicus terror a Duynkerkanis, & ipſe Legatus Belgicus ſubeſſe quid periculi non negat. Itaque quoniam illi, quos novi illuc praefecturos, aut navem aliquam bellicam, aut regreſſum *Borwelli* expectant, autor fui *Junio*, ut huic potius ſuum theſaurum committeret. Ea tamen conditione, quoniam majore feſtinatione in Achille opus, quam in Tacticis, ut ſiquam haberet ipſe *Boswellius* tutam occaſionem tibi quid mittendi, iſtam non in ſuum diſceſſum differret. De N. T. Collatione nondum promittere poſſum. Cauſſatur & vere *Junius* labores ſuos & curam in LXX. caretque jam amanuenſi, quem doctum & diligentem nuperrime per ſonticum & deſperatum morbum amiſit. Interim quoſcunque deſignaveris ipſi difficiliores locos, juſſeriſque inſpicere, libenter lectionem codicis perſcripturum ad te offert. Ego vero aliud etiam quid molior. Habes hîc amicum, virum bonum & eruditum, qui hîc me in confe-

rendis quibuſdam codicibus juvit. Cum illo egi & pene ſuſcepit, ſe in Junianis aedibus, ſi locus ipſi detur, collaturum, & excerpta *Junio* relicturum uti ad te mittat. Heri cum varia agitarem, quomodo voluntati tuae obſecundare poſſem, hoc mihi commodum in mentem venit, heri illum allocutus ſum. Et ſpero optimum *Junium* haud gravatim id nobis indulturum. Matthaei pauciſſima ſuperſunt in codice iſto: Epiſtolarum quarundam varias ad *Grotium* *Junius* per *Fr. Junium* miſit. Si conſilium hoc exitum habuerit, ut nullus dubito, faxo propediem ſpecimen habeas. Utinam, vir maxime, haec conditio eſſet mea, ut ipſe miniſteriis tuis locare operam meam poſſem! ſed nec illis ſufficio, in quibus me ſervire mihi neceſſitas praeſens cogit. Et in dies ſingulos profectionem meditor. Nec nunc haereremus hîc, niſi adventus Regis in hanc urbem nos moraretur. Frondatori reſpondimus pro modulo noſtro accurate; & ſaevis cum jocis, ut ipſe merebatur. Faxo ne numeret hallucinationes, quas in me deprehendiſſe gloriatur, & erroris conſcientia de pluribus me tacuiſſe dicat. Nihil enim intactum reliquimus. Quomodo autem praedicem liberaliſſimam tuam humanitatem offerentis ultro beneficium, propter quod ſolum frivola noſtra legentur. Accipio vero, & ambabus amplector ulnis, nec quicquam erit longius mihi quam dum τελείωτον illam epiſtolam teneam. Adventu, ut dixi, regio profectio noſtra dilata eſt, & pauculos dies Cantuariae *Merico Caſaubono* promiſimus. Non dubito tamen, cum Deo intra tertiam hebdomadem nos in Gallia futuros. Si expectabis adventum meum, ſimul atque Rothomagi fuero (nec ibi ultra quatriduum haerebimus) ſignificabo, ad quem deſtinare tuas debeas. Nam mercatorem, cui commendati ſumus, non niſi de nomine novimus; ubi habitet, ex fratre Rothomagi diſcemus. Sin, non fallet me, ſi ad *Puteanum* eam miſeris, ubi me expectat. Non quievero enim, ubi Pariſios venero, priuſquam rem illam habeam pertractatam. Oxoniae incidi in codicem pervetuſtum & optimae Notae Aldhelmi de Virginitate. Proſam ejus legeram olim. hoc ſcripti non noveram, niſi ex tuis ſcriptis. Itaque honorem hunc ei habui, ut cum editione Caniſiana conferrem. Inveni omnes tuas emendationes probatas, omnes lacunas ſuppletas, & multa verba peregrina, quae editor non intellexit. Inter ea vox *bargina*. p. 841. *ſeptuaginta duos reclaudens bargina biblos.* cum gloſ. 1. peregrinus. & pag. 855. *theſauroſque ſimul librorum forte pelaſgos Edidit in lucem, quos bargina texerat umbra.* gloſſa, id eſt *peregrina.* Senſu ſane perſpicuo. Nam *Caniſius* utrobique *pagina* edidit, quamvis priore loco codicem ſum *bargina* habuiſſe fateatur. Tamen originem nullam nec analogiam utcunque parum probabilem video, eamque a te cupio doceri. Praefationem uſurarum videre geſtio, aeque ac totum opus. Vale, unicum ἥμισυ meum, & me ama. Londini Non. Sextil. Jul. A. CIↃIↃCXXXIX.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCXL.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

NOn ita diu eſt, Nobiliſſime Domine, cum poſtremis tuis reſpondi. Eas Dano cuidam iter ad vos affectanti dedi, & tamen forte eadem navi cum his demum ex Anglia ſolvent. Has ut ſubjungerem, fecit inquies deſiderium meum ea procurandi, quae tibi non ingrata eſſe ſcire poſſim. Accipe igitur Achillem una cum litteris Junianis, partim amici alterius, partim mea manu deſcriptis, quod ipſe aegre haberet, & ut illa traderet mihi, e lectulo, cui adſidebat uxor, excitatus eſt. Noluit tamen morari, quod hunc diem conſtituiſſet nobis nobiliſſimus *Boswellius*. Idem Tactica quoque illa in reditu ſuo non in longum, ut audio, differendo, afferet tibi. Adduxi etiam ad *Junium* amicum illum meum, qui collationem N. T. in ſe recepit. Cui me coram reſpondit, ſe libenter locum daturum ipſi, modo ad ſe poſt dies aliquot, ubi paullo eſſet valentior, rediret. taedioſus enim magis & piger ex defluxione, quam metuendus morbus eſt, quo vir humaniſſimus attentatur. Ego etiam, cum abero, non deſinam, & *Junium* & amicum illum meum crebris ſtimulare literis, donec omnia ex voluntate tua perfecta fuerint. Epiſtolam, quam promiſiſti, magna cum ſiti in Gallia expectabo. Illud rogo, ne ipſum nomen hominis uſpiam ponas. Nam nec ego illud feci. Quia inſolenter eo gloriatur p. 108. gaudium illud dare ei nolui. *Mercurium fraudatorem* ubique appellavi. Tu imponas ei quodcunque, modo proprio non voces. *Elſeviriî* rogaverunt, ut in Seneca pergerem, de quo hîc nequidem cogitare potui. ſi tamen poſſet fieri ſine illorum detrimento, vellem ut ſuſtinerent paullulum. Habeo nunc mecum ex bibliotheca Regia Codicem Nat. Quaeſt. quo meliorem vix unquam contuliſſe memini. adeo plurimas elegantiſſimas ſuppeditat variationes, quas tamen, quia in promtu non eſt, an occupaverit *Gruterus*, neſcio. Accedet in Gallia, credo, quem laudaviſti mihi, epiſtolarum apud *Puteanos* codex. Unde gemmulae multae reddi poterunt autori, & mora quidem dignum eſt ornamentum, quod editionem augebit: An vero ſpes & odor lucri eam patiatur, ipſi deliberabunt. Simul Pariſiis ero, ſaltim notulas, ſi nec expectare poterunt, aut otii tantum mihi non erit, aliquot in ſecundum tomum mittam. Plura alias. Vale, maxime vir & me ama. Londini. x. Kal. Septemb. ſtilo veſtrate. A. CIↃIↃCXXXIX.

EPISTOLA CCCXLI.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

ROthomago adventum in Galliam meum tibi ſignificavi, vir maxime, atque a primo ingreſſu meo in hanc urbem impatienter expectavi tuas. Neque etiam neceſſarium putabam aliis tunc datis eundem tibi ferre nuntium, quandoquidem non ignorabas, quot millibus iſta urbs ab hac diſtet, & in illa non diu moraturum me facile conjicio: etiam *συγγραφὰς* tuas, quas dederas mihi, curare ante cupii: quae, quid effecerint ſingulae dicere non poſſum, quia omnes eam erga me pepererunt benignitatem amicorum tuorum, ut parem in vita nullam adhuc cognoverim. De Elencho meo jam cum typographo, penes quem degit *Elzevirius* adoleſcens, locutus ſum: quamvis *Sarravius ὁ πάππος* vellet hoc quoque doloris addi furcifero Parricidae filio, (nam pater ejus fuit ex ſedecim *Briſſonii* carnificibus) ut idem *Du Puis*, qui frondationem excudit, Elenchum etiam meum publicaret. Sed hoc mihi perinde: alteruter faciet certe & propediem. Iterum ergo de epiſtola tua, quod promiſiſſe te ſcit jam *Sarravius* & typographus, aurem vellere tibi venio. Omnes tui in maxima expectatione ſunt N. in N. T. & partis II. de uſuris. Narratur etiam jucunda hiſtoria de poſtremo motu & molitione inhibendae praefationis. ſed quod fulmen tibi & litteris obitus optimi heu quondam noſtri *Elichmanni*? Quem huic ſufficies? quis tantae ſpei ſuccenturiabitur? o lugubrem caſum, quo neſcio an quiſquam, dum a vobis abſum, magis mihi cor peredit? Sed inſtat tempus tradendi litteras tabellario. Vale, vir maxime, & Epiſtolam tuam *τελεσφόρον* ad nos quam citiſſimè. Lutetiae Pariſiorum. Poſtridie Id: Octob. A. CIↃIↃCXXXIX.

EPISTOLA CCCXLII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

TErnas tuas, vir maxime, recte accepi: in iis illam contra furciferum meum, pro qua gratias immenſas ago, & quantumvis tibi me debere profiteor. Exſtabit hoc monumentum aere perennius, & me apud poſteritatem quoque vivere faciet, illum quotidie mori, nec ſupereſſe niſi in paenam. In tempore advenit ſane: nam praefatio mea jam parabatur, & folia omnia *Pelaeo* tradideram, quae tamen antequam excuderentur, viſis tuis opus mihi erat. Nam & ego aliquid de locis, de quibus tu egregie, aliquid, inquam, frigidum in tuorum comparatione dixi. Bene autem cecidit ut de iiſdem alia fere & inter

ſe

Digitized by Google

ſe diverſa, nullo autem modo pugnantia nobis in mentem venerint. Deſcripſi ſtatim & operis dedi: poſt praefationem meam (nolui enim cuiquam tam leve opuſculum inſcribere, cum textus Silvarum adjunctus non ſit. quem additurum ſe quidem ſed ἄκοντα ajebat *Pelaeus*, egoque deinde lubens id onus a me devolvi) locum habet. Audiveram infelicem illum filium eſſe unius ex ſedecim magni *Briſſonii* carnificibus & ſenatorum aliquot id plurimi hîc mihi confirmarunt, & imprimis optimus *Cordeſius*, qui & τ̀ κακὸν κόρακα & τῷ κακῷ κόρακι κακὸν ἀὸν olim novit. Rogarunt tamen iidem, ne cicatricem iſtam refricarem. Equidem mirabar tam ſtupidum hominem eſſe tam malum, nec poterat eſſe, niſi domeſticis furiis ageretur praeceps. Vidimus tandem tuum de modo uſurarum vere tuum, & priori geminum Germanum. Qui cum plurima inaudita & inſperata nos docuerit, tamen laudandi ejus rationem a te ipſo nobis video ereptam. Cum enim ita eminenter omnes ſcriptores anteibas, ut cum nemine amplius, niſi tecum & ipſo debeas comparari: ita quoque ſcribitur, ut ſi tua conferantur cum aliis, laudari mereantur ſola, ſi cum tuis, quod maxime laudandum ſit, difficile judicium faciat, & unumquodque ſibi αἰσία tribuat. Tot antiqua ſepolta in illa materia, quae inſcribit librum, eruiſti; tot diverticulis abundantiam litterarum, quae in te eſt, diffundis: Cognoſcere libet ſingula, & ordo legendi turbatus eſſet, niſi differre poſteriora doceret, qui omnium oculos praecipue advehit ac traxit, ingreſſus ipſe operis, non eruditus modo aut copioſus, ſed omnino ex omni parte Rhetorum. Neſcio an ibi ſine numero ſint, quibus confeciſſe Helleniſticum monſtrum videare: hîc quidem conſenſus communis tropaeum erigit tibi. Audio nihil reſponſurum, ut tu vere auguraris, ſed quod mentiri quoſdam & falſo blandientes ſibi jactare puto, delegaturum tibi duos; qui in conſilium & quaſi partem adhibitus eſt, ejus neſcio utrum ſocerum an affinem. Idem enim utriuſque nomen. Et mentio facta eſt denuo quorundam lenonum, ut cum Juſtino loquar, ſeu conciliatorum inter vos. Quos tamen non admiſſurum dicit ſe, niſi omnes autores ſimultatum ſatoreſque rumorum nominaveris. Idque jam caepiſſe te facere, ut non abrumperes plane negotiationem, caeterum *exteros illos eſſe*, dixiſſe, nominare voluiſſe neminem. Inde itum in conjecturas & hariolationes, & me denuo inter ſartores ſatoreſque iſtos velut per tranſennam viſum. Quia quaedam ferrentur publice, quae non niſi ego ad menſam audiverim. Ita ego tentor. Interim omnia iſta prae aegrorum habeo ſomniis. Nulla in re coram me tectus fuit & ambiguus, niſi cum de te loqueretur, Et id vix ter in praeſentia mea factum eſſe liquido jurare poſſim. Caetera eadem apud me erant, quae apud omnes, quorum fruſtra diſſeminator quaeritur unus, cum tot eſſe potuerint, quot quibus unquam locutus eſt. Illud etiam monere debui. Indicavit mihi Ampliſſimus *Sarravius* audiviſſe ſe commendatum quemdam eſſe JC. hic Pariſiis degentem praecipue *Riveto* τῷ πάνυ, ut ipſius ſtudio & gratia Leidam vocaretur. Eum amicum ſuum eſſe & notum ſibi intime, ac ſe quod ad alia optime ipſi velle: ſed praeter rabulariam, quam adoleſcentes aliquos advocatos hîc docet, nihil doctum; ſic ut ſine rubore ſuo

ſum-

ſummo & Rever. ac Cl. *Riveti* eam cathedram, in qua *Cunaeus* docuit adſcendere non poſſit. Haec ad me ille vir, ut noſti, & doctiſſimus & candidiſſimus. Videbis ſi Academiae & *Riveti* ipſius interſit de hoc ut cogitetis. Dudum eſt quod literas ab ipſo nullas habeo: ſcripſi tamen poſtremum. & puta aliquas *Petiti* ad me penes ipſum eſſe, quas ſcripſit, (nam ſcripſiſſe ante tres menſes & quod excurrit ſcio) accepto libello meo per eundem communem amicum ad illum miſſo. *Patritium Junium* monere non deſiſto: nullas dum tamen ab ipſo accepi, credo quod tardius redierit a Thermis. Et hoc & alia, quae te velle ſcivero, mihi curae erunt magis quam ad me ſpectant ipſum: velit modo Deus efficere ut poſſim. Quod opto & tibi fortem ac vegetam valetudinem, ne in tantis, quae res literaria a te expectat, operibus promiſſis majorem animum inſtrumenta & manus deficiant. Vale decus & praeſidium noſtrum. Lutetiae a. d. VI. Kal. Decemb. A. CIↃIↃCXXXIX.

EPISTOLA CCCXLIII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Pariſios.

NObiliſſime Domine. Jam dudum ſcripturus ad te, & viciſſim differendo me fruſtror, dum mittendi difficultatem, teque fortaſſe jam in via, & mox adfore ſubinde cogito. Nunc cum ad ampliſſimum *Sarravium* aliquid exararem, ex cujus litteris intellexi, non niſi vere proximo te vaſa collecturum ut redeas, non potui non refricare tibi memoriam clientis unius tuorum, qui ſi portat infrequentius ave, nihilo tamen remiſſius apud animum ſuum te colit. Cognoviſti forte reduci mihi compedes injeciſſe Daventrienſes, qui olim Romae agentem vocaverant, & quamvis nihil promiſiſſem ſolido tamen anno vacuum ſervaverant locum. Itaque cupidus otii, & Germaniae tempeſtatem parum deſaeviſſe cernens tantis bonorum meique amantium hominum ſtudiis facile ceſſi, & in hunc quaſi nidulum correpſi. Nec invitus hîc dego, quippe ſine invidia, ubi nulli Phoenices, nulli Graeculi, & quod ſupereſt a publicis recitationibus, mihi cano & muſis. Vix fama cognoſcimus facta Pelopidarum, rarae etiam litterae interveniunt, ne, quia ſemel in his provinciis ſedem fixi, hîc temporariam me ſumſiſſe quietem, utque in collegium ſuum recipiar, ſuffragia ambiri ſua exiſtiment. Labores in principiis paullo fuerunt intentiores nondum adſueto his functionibus, ut vix hactenus ſecretiora noſtra ſtudia agitarim: Leviores tamen in dies redduntur, & incipio ad vetera ſigna frequenter adeſſe. Igitur nunc quoque more priſco venio ad te ſciſcitatum. Eumenius Rhetor in Paneg. qui incipit: *facerem ſacratiſſime Imperator*: narrat Conſtantinum devictis captisque Francorum Regibus exegiſſe ſupplicia: quae vero nomina illorum fuerint, nuſquam potui expiſcari. Verba ſunt cap. XI. *haec eſt tua, Conſtantine, de Aſcarici Regaiſique ſupplicio quotidiana & aeterna vi-*

victoria. Arguunt haec falſitatis, quae in MSS. Veneto habentur: *de aſacrari Cymero, Gaiſique ſupplicio*. Quae quomodo conſtituenda ſint, tu nos docebis. apud Manilium lib. I. 221. ubi colligit argumentis rotunditatem terrae:

Te teſtem dat Luna ſui glomerabilis orbis,
Quae cum merſa nigris per noctem deficis umbris,
Non omnes pariter confundis ſidere gentes:
Sed prius Eoae quaerunt tua lumina gentes &c.

Non dubito *glomeraminis* eſſe ſcribendum. Te luna orbis terrarum teſtem dat ſui glomeraminis, id eſt rotunditatis. Uti & lib. IV. 540. *Pleiadum parvo referens glomeramine ſidus*. Ubi vulgo eodem errore *glomerabile*. Quid eſt autem *res parvo glomerabilis*? Sed vehementius me torquent illa: *confundis ſidere gentes*: & vellem explicatione digna duxiſſet *Scaliger*. Aut τὸ *confundis*, aut τὸ *ſidere* mendoſum. Si illud ſervemus, ἀντὶ τοῦ in triſtitiam conjicis, alia vox pro *ſidere* quaerenda: nec enim *ſidere*, ſed ἀφανισμῷ terrebat gentes auxiliaria crepantes aera. Si τὸ *ſidere* movere non libet, pro *confundis* aliud verbum excogitandum, quod ſignificet, privas, defraudas. Id quod tamen nullus invenio. Ante menſem excurreram in Patriam, ſed nihil ibi quod mentione apud te dignum ſit, niſi quod *Lindenbrogius* & *Fabricius* te plurimum ſalutent. Ego quoque & precor ex animo, ut ſalvus ad nos incolumiſque cum tuis redeas. Vale, maxime virorum & me ama: Daventriae a. d. Idus Januar. A°. CIↃIↃCXLIII.

Ampliſſ. *Dumaeum* plurimum, ni grave eſt, per te ſaluto. Literas ejus tardiſſime accepi, & reſcriberem ni jam delaſſatus eſſem ſcribendo. faciam proxime.

EPISTOLA CCCXLIV.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Pariſios.

NObiliſſime & maxime vir, Meminiſtin' me mittere aliquando tibi officioſiſſimam ſalutem, & munuſculum a V. A. Conſiliario Reipublicae Noricae *Georgio Richtero*? & utraque tibi admodum fuiſſe grata? Ejus ecce filium patre praeclaro digniſſimum & politiſſimum adoleſcentem, quem & Lugduni dudum faſtidium caepit, quod te videre, adire, admirari praeſentem illic non potuit, & nunc tenet incredibile deſiderium Lutetiae tanta fortuna perfruendi, ſive igitur illius ſtudium cogito, qui ut commodiorem haberet hujus voti viam, iter ad me Daventriam facere gravatus non eſt, ſive adfectum, quem tum propter parentem, tum propter optimam indolem, egregios profectus & modeſtiam ſingularem ipſi debeo, non potui non eum tibi ſummopere commendare: etſi omnia illum abs tua humanitate expectare juſſerim, quae cum ſuaviter omnes recipiat bonos, eminenter tamen explicare erga eos ſe ſolet, quos ut accuratiſſimus ingeniorum aeſtimator habere in ſeſe, cur amentur, fa-

Digitized by Google

cillime intelligis. Hic tibi nuntiabit, quantis plausibus exceptum sit funus, quod demortuae tandem Hellenisticulae singulari commiseratione duxisti, quamquam id aliunde jam scire potes, nec forsan ut aliunde scias opus habes, qui plausum tuum nosti. Epistolam, quam ante aliquot menses ad te dederam, recte curatam puto. Nunc ardeo scire quid tibi videatur de Ciceronis loco lib. 1. de oratore c. 10. *Quod vero in extrema oratione quasi jure tuo sumpsisti, oratorem in omni sermonis disputatione copiosissime posse versari, id, nisi hic in tuo regno essemus, non tulissem, multisque praecessem, qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex jure manu consertum vocarent, quod in alienas possessiones tam temere irruisses.* Quid est *multisque praecessem*? An scribendum: *praes essem* nempe sacramenti illorum, cujus statim meminit. Quia enim reus ab litigatore provocabatur sponsione certae pecuniae aut aestimationis, quam amitteret, ni res sua esset: non videtur mirum, qui instigante alio atque auctore ageret, quia litem gratis perdere non poterat, de periculo sacramenti illum caviisse sibi ab autore litis, & hunc praedem sumsisse depositae pecuniae. Ita *multis praes essem* significaret multorum litis ac sacramenti periculum in me reciperem. Quod ut probabile est, ita auctoritate hujus cautionis deficior, eoque sententiam tuam expectare malo. Atque utinam propediem literas, quibus hoc me docebis, Leida abs te acciperem. Certe nimium jam est desiderium omnium, qui te colimus, adventus tui, isque ut tibi nobisque prosper sit, ac cito contingat, ex animo vovemus. Vale, vir nobilissime & maxime, cum omnibus tuis. Deus vos omnes salvos sospitesque reducat. Scripsi Daventriae a. d. XVI. Kal. Jun. A. CIↃIↃCXLIII.

EPISTOLA CCCXLV.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmasio.

Leidam.

NObilissime Domine. Accepi χεύσεα χαλκείων quibus me honorare voluisti, maximoque cum fructu & voluptate mea, sicut erant paene integra percurri, & nunc ingentes ago gratias. Sane nulla re comparabile est munusculum nostrum tanto redhostimento: & ingratissimus sim mortalium, si somnia ista & deliramenta nostra ingrata mihi apud te cecidisse conquererer. sed ex silentio tuo (nam valetudini tribuere abominor, nec aliam facile caussam invenio) suspicor nescio quid [1] offensionis tibi me dedisse: quod invito me atque imprudente factum, si factum est, & nec voluisse me unquam nec velle etiamnum, Deum immortalem ex animi sententia juro. Nam quod improbas forte scriptum illud, & parcere velis pudori meo, satis justam tacendi cau-

1 Iratum fuisse *Gronovio* ob editum de sestertiis libellum docet Epistola ejus ad *Sarravium*, quae nunc post *Gronovii* librum de pecunia veteri legitur p. 674. & cui sua reposuit *Gronovius* in Epistola ad *Ant. Clementium* p. 679. quas si quis inter se contulerit, quid de amicitia illa inter hos viros judicare debeat, facile conjiciet.

Digitized by Go

cauſam nequaquam tibi eſſe vel te judice evincam, cum non ignores & abs quovis homine, vel ſit ille meus frondator, aut tuus Cercops, diſcere me gaudere, & hanc mihi legem dixiſſe, ut omnia Tibi in me liceant. Scribe igitur, nec ut laudes flagito (non eſt meae frontis hoc ambire, nec tu is es, a quo id debeat peti) ſed ut cognoſcam, falſane ſint omnia, quae proprie noſtra ſunt, an vera falſis mixta, & quae falſa maxime tibi videantur. Habeo permulta, de quibus in Livio a te cupio edoceri, ſiquidem, ut quondam, id non erit tibi moleſtum. Atque utinam codicem illum, cui excerpta ex Puteaneo adſcripta a te ſunt, ſive illa ſunt chartae ſingulares, paululum mihi utendum dares, quod *Iſaaco Voſſio* aliquando feciſti. Sed de hoc arbitratu fiat tuo, in illo non deero mihi, ſi id per te licere intellexero. Vale, virorum ſumme & me ama. Daventriae a. d. VII. Kal. Februar. CIↃIↃCXLIV.

EPISTOLA CCCXLVI.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

MIrifice exhilararunt me litterae tuae non modo, quia tam honeſte de nupero faetu meo ſentis, ſed vel praecipue quia vanam fuiſſe ſuſpicionem meam & ipſe ais, & argumento certiſſimo, tibi forſan ipſi incognito, confirmas. Vehementer etiam atque etiam oro, ignoſcas ſollicitudini meae: quanto enim laboro magis, ut abs te amer, tanto magis vereor, ne id minime omnium merear, aut adeptus citra meritum meum leviſſima culpa perdam. Nec negabo admodum me delectatum, quod rudimentum noſtrum tantopere tibi placuit. Ego enim, quicquid alii mihi gratularentur, ſolido gaudio me paſcere non poteram, dum tuam ſententiam anxius & pendens animi expecto. Videbar ſubinde dicere libello meo: ſalvum te ſpero quidem. Sed ille qui oculos centum habet, dum te videt, magno in periclo vita vertitur tua. Quem deſignem ex animi ſententia noſti, & cum ſint pauciſſimi digniſſimique, quorum litteratum plauſum ambio, illorum tamen quoque omnium, quam unius in tuis conatibus ſtudio carere malim: adeo ſolum hoc verae & prudentis induſtriae praemium puto. Nec ideo tamen capere illos animos me ſinit conſcientia, quos tam dulcia ac magnifica verba homini non ſe ipſum ſpernenti facile ſubderent. Utinam ſperare liceat, quod poſſe adfirmas! Certe ſi auderem, hinc praecipua mihi fiducia eſſet, tum quod tu viam illam in poſtremis ſcriptis tuis multifariam muniviſti, tum quod tam liberaliter porro viaticum & commendatitias promittis. Quam conditionem uti nondum accipere me confiteor, ne vires meas noſſe non videar; ita nec omnino adſpernari auſim, ne tantum auctorem ſequi detrectem. Diſcipulus prioris poſterior dies forte aliquid certius de his ſtatuere dabit. Nunc ablego ad te [1] *Octavium*, qui quidem

1 *Oct. Ferrarii* librum de Re veſtiaria.

dem de judicio, quod primo adſpectu abſtulerat mihi, poſtquam ſe familiarius noſcendum praebuit, immane quantum decoxit. Primum certe volumen pauca habet capita, in quibus non aliquid deſiderem, & gravitate tua minorem deprehendam. Sed tuum judicium diſcere malo. Interim non potui, quin una mitterem ſchedam, in qua duxi lineamenta obſervationis de toga, valde quidem rudia, ſed tamen quibus, ſi vera ſunt, prolixam habeo addendi & rudia elaborandi materiam, maxime contra *Ferrarium*. Nondum redegi caetera in mundum: ſecus miſiſſem omnia: ſed ſatius eſt haec prius aleam ſubire, ut ſi forte parum probentur, minus me deridendum tibi propinem. Volo autem tuo arbitrio ſtentve, cadantve; eoque rogo attendere paullulum, & cum ocii fuerit aliquantulum, reſcribere ne graveris. Pacis illius legem ſane quam miror. Aut valde fallor, aut exemplum eſt tranſductum ab nova Academia ex eo, quod in popularem tuum ſtatuit, quem olim ajebant doluiſſe, quod theſium ejus majeſtatem parum comiter obſervaſſes. Haec eſt libertas! ſed tamen expecto quam mox faedus iterum rumpatur. Vale, vir maxime, & me ama. Daventriae. priore beſſexti. A. CIↃIↃCXLIV.

EPISTOLA CCCXLVII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

ABit ad vos negotii ſui cauſa *J. Chriſtenius* Il. noſter, vir perhumanus, Collega mihi amiciſſimus, tibi quoque, ut puto, non ignotus, certe nominis tui obſervantiſſimus. Is quia adire te & ſalutare conſtituit, ſalutationem quoque a me delegari ſibi & epiſtolam committi voluit. Quamquam autem habeam dudum non pauca coacervata, de quibus tecum agere velim, tamen adhuc dividere eadem & repetere otium non fuit, nec nunc eſt, ita diſtringor publicis privatisque recitationibus, quae jam ad finem hujus ſemeſtris ſpectant, & quod ſupereſt temporis, recenſioni Livianae datur. Eam autem merito reverentiam tibi debeo, ut nihil ſerium ad te ſcribere auſim, quod non ſit aliquantulum meditatum: nam vel ſic oculis tuis ut dignum ſit vereor. *Ferrarium* accepiſſe te puto, cum chartula nugarum plena. Scio jam quid ſit opuſculi, quod Pariſiis pro cenſura *Balzacii* nuper editum innuebas. Rogo ejus copiam facias mihi, ſi non poteſt aliter, ad paucos dies. Mentio fit apud Stephanum loci in agro Stratonicenſi, cui nomen *Tendeba*. Neſcio an id ſingulariter genere faeminino, an πληθυντικῶς genere neutro declinetur. Bis reſtituit ἰυξόχως, ut videtur, apud Livium lib. XXXIII. *Freinshemius*. Id me doceas velim, & latorem harum more tuo humaniter excipias. Vale, Vir Nobiliſſime, cum tuis & me ama. Daventriae a. d. v. Kal. April. A. CIↃIↃCXLIV.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCXLVIII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

NObiliſſime Domine. Quod duplex occupationum genus aliquandiu attinuiſſe te ſcribis, altero, quod facete circumſcriptorem doloris tui appellas, levatum te ex animo cupio, alterum feliciter procedere opto. De petitione non magna, nec tamen adhuc impetrabili, & credo, quae ſcribis, & vel cogitatae humanitati tuae gratias ago: ita tamen ut pollicitationem tuam ratam velim, ne ab iis, qui te non ſinunt eſſe negligentem, & expoſita habere, quae mihi deſtinaſti, ſecundam injuriam feram. *Ferrarius*, ut dicit, captavit omnes occaſiones, non tam novi aliquid pangendi, quam aliud a te dicendi, quae tamen malignitas nemini magis fraudi fuit, quam ipſi. Utinam autem & animus tibi rediret perficiendi Commentarii de re veſtiaria, & tantum ocii patereris aliis tuis curis decerpi. Vides enim, quales id argumentum, dum tu cunctaris, invadant, quid facturi, ſi plane id deſeruiſſe te per hanc tentationem cognoverint. Innumera ſunt, quae rectius tradere poteras, ſi tantum, quae ſparſim & aliud agendo tibi exciderunt, colligere & componere maluiſſes. at bene poſitis, quod facile eſſet homini ingenioſo & induſtrio, alia ſuperſtruere, etiam egregium fuiſſet: nunc ſatius habuit alia diſſimulare, alia ſiniſtre accepta imperite vellicare. Equidem fieri non poteſt, quin diverſorum hominum diverſae ſint ſententiae de multis: ſed tamen facile apparet, quid interſit inter diſſenſionem & detrectationem: cum illam vel plane explorata, vel non ſatis explorata veritas gignat, hanc, animi pravitas, quae quos tranſverſos agit, nec in aliis quidquam pulchri vident, & in ſe nihil non eſſe pulchrum putant. De faſciculo Divionenſi, & tibi pro opera, & mittentibus pro animo & adfectu gratias debui. *Elzevirii*, acceptis reciſis meis contractisque notis ad primam Livii partem, tamen eas judicant prolixiores, quam ut illi volumini commode adjiciantur; ſcribunt autem tuo aliorumque amicorum ſuorum conſilio Notarum ſe quartum tomum facturos. Non repugno, & ſcis quam ſit difficile vel ex ſolo Puteanorum codice ad bellum Annibalicum breve emendationum ſcriptum facere, niſi quis varias tantum lectiones dare velit: ſed vereor, ne abſoluto Livii contextu notas jubeant διαζειν, & contenti praeſente lucro ſumptum ultra facere graventur. Quod non fieret ſine magno qualiscunque noſtrae exiſtimationis periculo, cum infinita in contextu mutarim, & nemo bonus tantam licentiam interpolandi probare poſſit, niſi aliquas rationes mutationum videat. Et jam nunc igitur, (ſi ita eſt ut ſcribunt, teque auctore hanc mentem ceperunt) interponi auctoritatem tuam velim, ut ſe non fruſtraturos ſpem meam promittant, & poſtea verecundia tui ad praeſtandum promiſſum adigi. Multum deberem tibi, vir maxime, ſi callidius eos tentares, an vere ſit hic ipſis animus, & ſtipulareris ab illis, quod mihi per ultimas ſuas promi-

ſerunt ſine dolo facturos, nempe perfecto Livio, notas tomo ſingulari edere non ceſſaturos. Accepi nuper litteras Patavio ab *J. Rodio* Dano, qui commentatus eſt aliquid de Acia Cornelii Celſi: cupit autem commendari tibi, & reſciſcere an librum ſuum, quem ad te miſit, acceperis. Locus eſt Livii lib. XXIII. c. 9. *Tu patriae ferrum, quo pro te armatus hanc arcem defendere volebam, hoſti minime parcens, quando parens extorquet, recipe.* MS. *Hanc arcem hoſtrimini quoniam parens ext.* Caetera deſunt. Quid cenſes? Vale, maxime virorum cum tuis & me ama. Daventriae VIII. Id. Jun. Julian. CIↃIↃCXLIV.

Quid audio te ſcribere de Coma? & hîc habemus, qui negat quemquam poſſe bene ſperare de ſalute aeterna, qui non habeat eam reciſiſſimam. Itaque ut primum hîc admiſſus ſum ad ſacram ſynaxin recens ex Gallia redux, eoque quem illic ſumpſeram habitum, & privatim & in Conſiſtorio excepi graviter intentatas fraternas, an fratrales admonitiones de Thracica putatione. ſilui. per honeſtatem licuit: ſed quia non ſunt omnes aeque faciles, identidem trepidant roſtra, ſubſellia, tectaque clamore convicioque rumpuntur.

EPISTOLA CCCXLIX.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

SI vales, bene eſt: ego valeo, & hoc omne Livio proficit, qui quidem ipſo brumae ſidere ſudantem me concinnat, etſi nec camino admodum luculento utar. Spero tamen fore aliquid in ea opera, cur nos ames, & aliquando non nugari exiſtimes: hac certe ſpe & fallo & conſolor ſaepe laborem meum. Schedas tuas ab *Iſaaco* noſtro accepi, illiſque pro reverentia, quam tibi etiam pro tuis erga me meritis debeo, & mea ſimplicitate ſic utor. Quidquid eſt inviſum mihi, in quo ut olim jocabaris ſuppus fuerim, (ſunt autem non pauca) id omne ſine ulla malignitate tibi reſcripſi. Nuſquam captavi occaſionem diſſentiendi: immo ſi quid occurreret, quod perſuadere mihi & capere non poſſem, ut quiſque ſuos patimur manes (quamquam id rarius factum) ſilui, tranſivi, integrumque reliqui tibi, ſi id affirmatum argumentis ita, ut dubitationis cauſam eripias nobis, docere aliquando nos in mentem veniat tibi. Caeterum non ſunt ibi totius Puteanaei codicis excerpta, ſed tantum pertinent ad librum uſque vigeſimum ſextum. Quid cauſſae? non habes plura? an diſtuliſti dare? an ſepoſueras, ut quaeſtioni eſſent? Rogo per Deum, ſiquidem habes, ne me illis carere ſinas. hoc beneficium, ſi ullum unquam, ſine repulſae metu & peto a te & expecto. Intellexiſti forte *Heinſium* filium rediiſſe ad lares: is, quibus reditum ſuum nuntiabat mihi, poſcebat ſuum *Ferrarium*. Quare ſi commodo tuo fieri poteſt, eum ut remittas rogo, una cum illa ſcheda, quam adjunxeram: quam ſi legiſti, quae vitia ejus deprehenderis, cognoſcere cupio. Si nondum ſatis uſus es *Ferrario*, facile copiam ejus faciet tibi *Iſaa-*

cus:

Digitized by Google

eus: nam & ipſe eum ſecum attulit. Interroga, quaeſo, memoriam tuam, ſi poſſis deprehendere, ubi extent verba Plinii & Lactantii de [1] *incedere ſummoto*. Aveo quoque ſcire, quid factum de litteris & negotiatione illa, quae tanto niſu Belgis adimere te velle minabatur, paucis, ſiquidem vacat. Vale cum tuis, vir divine, & me ama. quod te facere inprimis credam, ſi reliqua Liviana mecum communicaveris. Iterum vale. Daventriae. poſt diem quintum Eid. Decemb. Julian. CIↃIↃCXLIV. quem feliciter exire in novum annum tibi tuisque cupio.

1 Vid. *Gronovium* ad Liv. XXV. 3. & XXVIII. 27.

EPISTOLA CCCLI.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

SCripſeram nuper verbo de petulantia iſtius [1] Argentoratenſis, ut a cognato meo Hamburgo acceperam. Eſt Osnabruggae *Joannes Adamus Schragius*, Agens in rebus Comitis Naſſavii Sarbruſcenſis, qui ante aliquot annos in Belgio vixit mihi familiariſſimus, amator bonarum litterarum & tui obſervantiſſimus. Is commodum ad me miſit folium infame, quod vides: quod quia fortaſſe vidiſſe non nolles, quamquam ut cognoſcas vix dignum eſt, ſtatim ad te miſi, vir nobiliſſime. Tales homines, vel pecora potius talia, ſi in poſterum ulla mentione digna judicas, ignoſce ſi libere dicam, ignoras magnitudinem tuam, quam inſcitia tam barbara & aſinina capere non poteſt. Pudet me tanti pudoris & ſeculi noſtri & Nationis meae. Et vellem alia tibi nuntiaſſe. Sed putavi ſic quoque curioſitati tuae ſatisfacturum. Vale, vir maxime, & terrae filios patere terrae filios eſſe, & obtrectatione tui non inclareſcere. Daventriae XI. Kalend. Januar. Julian. CIↃIↃCXLV. quem feliciſſime inieris.

1 *Preinsheimii.* vid. ad *Gronovii* Epiſtol. ad *Heinſium* LXXXVII.

EPISTOLA CCCLI.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

NObiliſſime & Maxime virorum. Qui has ad te defert *Laurentius Langermannus*, egregiae ſpei adoleſcens, conſobrinus eſt meus, avunculi mei magnae dignitatis viri filius. Is annum vertentem in contubernio meo exegit, neque hortanti ad praeclara ſtudia induſtria ſua mihi defuit. Nunc cum ma-

maxime ad ſuos reverſurus aliquot Hollandiae urbes tranſcurſu perluſtrare conſtituit. Quum autem ſemper de te, ut unico omnis eruditionis principe me loquentem audiverit, quum ex tuis potiſſimum immortalibus ſcriptis multa egregia ad doctrinam adminicula a me tradita acceperit, ſummi honoris loco ſe habiturum mihi conteſtatus eſt, ſi te ſalutare, alloqui, verbaque, quorum meminiſſet aeternum, e ſacrato tuo ore pauca excipere poſſet. Eamque in rem me voluit parario uti, etſi promitterem ei, ſolum amorem ſtudiorum ſufficientem eſſe teſſeram, per quam cultores tui ad te admittantur. Hoc igitur rogo per breve diſpendium pretioſi temporis tui adſcribas ſummis tuis erga me meritis, juvenemque ſerena fronte accipias, faciasque ut ſemper eum jucunda hujus diei ſubeat memoria. Adde quod nulla opera alia praeter obviam illam humanitatem tuam exigitur. Itaque neque ego hoc ſollicite peto, quia opus ita eſſe judicem, ſed ut illi ſatisfaciam non alia lege me dimittenti. Locus Livii, quem nuper quaerebamus, eſt lib. XXIII. cap. 29. in pugna Publii & Cnaei Scipionum cum Aſdrubale: *Triplex ſtetit Romana acies. Peditum pars ante ſigna locata, pars poſt ſigna accepta: Equites cornua cinxere.* Hic promiſcui MSS. Libri omnes: *peditum pars inter ante ſigna locata.* Sed Put. clare: *velitatum pars inter antefignatos locata.* Manus ſecunda virgulis confixerat τὸ *tos.* Quae cauſſa fuit cur ſubſequuti librarii, eas litteras omitterent. De obſervationibus ad jus Atticum & Romanum tuis expecto, quam mox ſim nuntios acceperturus. Vale & me ama. Daventriae. raptim. VII. Id. Mart. CIↃIↃCXLV.

EPISTOLA CCCLII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

NObiliſſime Domine. Fateor vix ullum ſatis honeſtum praetextum inveniri poſſe, quo tam ingrata mea tarditas, tam luculentis praeſertim muneribus tuis honorata, graviſſimae culpae infamiam effugiat. Itaque a primo ſtatim jus omne meum & cauſſaria praeſidia remitto: veniam peto, oroque ut hoc peccatum ſupplici condones, & ſine ulla ſiniſtra ſuſpicione ſatisfactionem meam accipias. Non enim negligens fui, aut de religione illa, qua te ſemper veneratus ſum, quicquam imminutum eſt: ſed profecto praeter quotidianas occupationes extraordinariis intervenientibus auctas, ita me tenuit tenetque diſtrictum penſum Livianum, ut niſi ſummus pudor inſtaret imperaretque, ne nunc quidem prolatare reſponſum deſiſterem. Cupio enim nimis eſſe aliquid in ea opella, quod tibi probetur. haec me ſollicitudo uſque adeo urget, ut pene nihil aliud cogitem, & quoties aliud agere cogor, ſaepe quid agam aut quo me vertam, neſciam. Major in dies exoritur labor, & ſentio me negotio ſuſcepto imparem: non ingenium reſpondet, non adeſt eruditio, quam in alio ad eam rem requirerem: non praeſidia veterum librorum, in qua par-

Digitized by Google

parte nunc laboro, nanciſci potui: deſunt & multi editi alioque loco paratu faciles: contentione & diligentia, ut poſſum, tantos defectus ſupplere conor; diſſimulare tamen apud claros oculos, quales inprimis tui ſunt, non potero. Inter tantas tamen temporis anguſtias animique curas nihil mihi fuit antiquius quam noſcere ſtatim inclita tua dona: Itaque [1] librum utrumque non ante depoſui, quam totos non perſalutaſſem, ſed ſtudiose, ſic ut apex me nullus effugeret, perlegiſſem? Quid dicam? Tu quidem ubique tuus es, & ingratiſſimi inſcitiſſimique mortalium erunt adverſarii tui, ſi non ingratiis debere tibi ſe fateantur, quod tam multa eos docuiſti, etiam ubi ſtultitiae ſuae ignorantiaeque poenas ſe perſolvere dolent. Alii vero nos, illis forte non multo doctiores, modeſtiores tamen & minus temerarii, atque ad diſcendum quam contradicendum proniores, quidni faveamus vapulantibus, tibi vero laeti triumphum, cujus honor tuus, utilitas noſtra eſt, deſtinemus? Ego quidem apud me hanc illis obruſſam conſtitui: ſi tacebunt, aliquo eos numero habebo, ut non in primis, ſerius tamen ſapientium; ſi redibunt, velut anus ad armillum, mentis illos deſipuiſſe, & omne judicium decoxiſſe jurabo. Cupio tamen ſcire quid de Mutio an Lucimone Pariſienſi tibi nuntient amici, an ſupercilium poſuerit, an vero adhuc Σκύθης τὸν ὄνον. quod quidem libenter uſurpo unum ex feſtiviſſimis tuis, quibus non minus capior, quam ſeriis paſcor. Puto autem plus hunc habere naſi, eoque difficilius illi fore contra intellectam veritatem niti: niſi forte ad rabulariam confugiat, atque inde frontem obfirmet, linguae & ſtylo pro litigatoribus contra animi mentem loqui ſolitis errores ſuos colorandos deleget. Quamquam enim iſta, ut ait leno Plautinus, latrocinentur, & argentum poſcant praeſentarium, nec niſi ſonantibus locellis ſervire ſoleant, vereor ne vel domino gratuitam operam negent. Alterum genus, etſi ſupra ſenſum communem, quem veriſſime allegas tot evidentiſſima argumenta aeterno ſilentio damnare deberent, tamen haud ſcio an agnoſcere illos pudorem ſuum patiatur extrema barbaries, & ſtudiorum infelicitas. Summa eſt, dolerem te illis quamvis illaetabilem famam dediſſe, niſi melioris doctrinae capacibus tantum profuiſſes. Nam quod me jubes fateri, ſiquid offenderis; ego vero nihil, quod quidem intellexerim, non cum ſummo applauſu percepi. Quod ut ſcias me ex animo dicere, non celabo quid mihi dubii occurrerit? Non perſuaſus ſum plane [2] de *pactibus conventis* apud Plautum: *jacturas* vero apud Caeſarem & Hirtium mutari non debuiſſe propemodum credo. Non enim ignoras apud Ciceronem pro lege Manilia. cap. 23. *qua cupiditate homines in provincias, quibus jacturis, quibus conditionibus proficiſcantur.* Pro Cluentio: c. 8. *primum illum indicem pecunia corrupit: deinde ipſum Aurium non magna jactura facta, tollendum, interficiendumque curavit.* Pro Flacco. cap. 5. *Qui comitatus in inquirendo? Comitatum dico? immo vero quantus exercitus? quae jactura? qui ſumtus.* Pro Caelio c. 16. *Nulli ſumtus, nulla jactura, nulla ver-*

1 Intelligit Obſervationes *Salmaſii* ad Jus Atticum & Romanum, contra *Heraldum*; & Dialogum de Coma, inter Caeſarium & Curtium, utrumque opus hoc anno editum.

2 Vid. Obſerv. ad Jus Att. p. 803. 804.

Digitized by Google

ſura. Pro Rabirio Poſthumo c. 16. *Non turpibus impenſis cupiditatum atque jacturis*. Quae [3] olim congeſſi ad defendendum illum ex orat. pro L. Manilia locum contra *Andream Scottum*. Propemodum tamen dico. Nam expectabo quid reſponſurus ſis. Omnibus aliis libens manum dedi: neque ambigo quin quod mones, apud Livium rectius ſit *peditum* quam *velitum*: Mallotorum & Pſilonum elegantiſſimam fabulam in Curtii & Caeſarii dialogo nuper quoque hîc cognovimus: placuit permultis, ſed auctorem ſolus ego & ſtatim deprehendi. Audio typographo Servium Danielis una cum Virgilio edere paranti dediſſe te exemplar tua manu olim emendatum: Velim ſcire an verum ſit, & quam mox ſperetur opus perfectum fore. Vale vir divine, cum tuis, & ut tunc erat, cum tuae darentur (quod opto nunc aliter ſe habere) pedibus te tuis jucunde porta. Daventriae. v. Kal. Jul. CIↃIↃCXLV.

3 In libro de feſtertiis, quae nunc leguntur lib. IV. de Pecunia veteri cap. 4. in fine.

EPISTOLA CCCLIV.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

NObiliſſime Domine. Ante paucos dies prolixe ad te ſcripſi. Eas litteras ad *Elzevirios* curandas miſi, a quibus peti jubere potes, ſi ipſi, ut ſolent in hujusmodi officiis, lentiores fuerint. Haec non tam mea cauſſa, quam illius, qui tradidit tibi, *Nicolai Friſii* Dani, juvenis honeſti & bonarum artium perſtudioſi, qui vidiſſe te & alloqui ſibi magno honori exiſtimat fore, & quia iter in Galliam adornat, ſi qua habes mandata & libenter ſuſcepturus, & diligenter curaturus eſt. Id ego de illo recipio tibi, oroque, quamvis orare non eſſe ſciam neceſſe, ut brevem humanitatis tuae ei copiam facias. Vale & me ama. Daventriae v. Non. Jul. CIↃIↃCXLV.

EPISTOLA CCCLV.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

NObiliſſime Domine. Qui has tradidit tibi, *Lucas Langermannus*, frater eſt illius, quem ante hos ſex menſes allegavi tibi, cognati mei, adoleſcens egregius, & multo majore, quam frater, in litteris profectu: cui inprimis imputare ſoleo, quod tui tuorumque prae omnibus aliis ſcriptorum reverentiam imbibit. Ergo revocatus a parente priusquam redeat in patriam, Leidam hac praecipue de cauſa excurrit, ut cujus e ſcriptis, adhuc tamen me interprete, plurimum profecit, longe plus autem lectione profecturum ſe pro-

vc-

vectiorem ſperat, ejus viſi ſalutatique ad ſuos referat gloriam. Dabis igitur hoc illius ſtudio, dabis ſpei, quam de illo maximam concepi, dabis denique meae commendationi, ut tantulum temporis, quo ſacri oris tui effigiem animo figere, & verba paucula pro profectu ex oraculo ſervanda excipere poſſet, eripi ſanctis ſtudiis tuis non indigneris. Auguſto munere tuo (quia nauta, cui faſciculum librorum huc vehendum Amſterodami tradidi nondum appulit) necdum ſum uſus: itaque necdum ſcribo, quid tibi debeam, aut inde profecerim. Vale cum tuis, & ſecundos ſemper nuntios a ſanctiſſima conjuge, doneo ipſam ſalvam, accipe. Daventriae a. d. VI. Kal. Octob. Jul. CIↃIↃCXLV.

EPISTOLA CCCLVI.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

LAudo vocem excelſo animo dignam, nec convitiis deprimi, nec laudibus extolli: ſic decet, qui omnia in ſe & vera virtute poſuit. ſed utinam hoc eo uſque diceres tibi, donec animum induceres tandem omnes illos minutos oblatratores ſilentio & neglectu punire. Neque enim aliud agunt, quam ut vel de ſoricina naenia confeſſionibus dicat poſteritas, auſos tamen adverſarium *Salmaſium* mereri. Et magis ſunt tum ſtupidi tum pertinaces, quam ut ratione poſſint convinci. At muſcae comedent iſtos, ſi tu exerere adverſus eos manum deſines. Doleo & excrucior in pinnigero non corpore exerceri illa tela, abjecta gloria. Quantum interim vitae aufertur, quod prodendis praeclaris illis & magnis, quae abs te uno expectamus, vindicare & proferre poteras? Neque ego negem, iſta quoque, quae inter paedagogos iſtos municipales nos doces, eximia eſſe & te digna. Tamen multa fortaſſe non diceres, niſi contra tales; & ſunt alia, tua quoque confeſſione majora, quae jamdudum tempora tua expoſcunt. Fuerint ergo neceſſaria illa, quae praeceſſerunt. In poſterum certe, qui diſcere nolent, inſcitiae ſuae relinquantur, & maledicentiam vel ob id, quod contemptui eſt, paenitentia puniant. Neque facile quidquam ultra proferent, quod ex illis, quae antea monuiſti, non poſſit redargui. Ita mihi certe viſum in vero illo, tandem non amplius aſino, Lucio, quem nuper huc attulit quidam collega meus. ſed velim ſcire qui ſint iſti fidi amici tui oſtentatores tuarum litterarum? Hunc potius inſtructum credam ab eo, quem deſignas, quam iſtum Germanum: etenim ſi vellet ei placere, ſaltem uno convitio futiliſſimus homo abſtinuiſſet, equitis puta *Calamaris*, quod in eum & illos nuper nobilitatos longe aptius quadrare novit. ſed, per fidem! de illo ipſo cymbalo quid ſentis? Ego certe longe pluris hoc in genere certe facio tuum foederatum, aut ille etiam, de quo elegantiſſime Simplicius Verinus, quam hunc, qui nunc ſolus placet. An unquam bene Latinum, & non aut ſoloeciſmi aut prodigioſi ſermonis plenum carmen ſcripſit? Illud ipſum,

cui pagina ſcripta Solini eſt, quid vult, aut quis ſic loquutus? Jam *circulus orbis laudari* ſi in Gallico aut Italico carmine legeret. ſed quis ſic Latinorum? Audio tibi reſponſum eſſe: nondum vidi. an potuit ſalvo foedere veſtro tangi chorda de helleniſtica. Ego cum proximis feriis de Tragoediis Senecae cogitarem, denuo perlegendis philoſophicis ejuſdem auctoris ſtylo me familiarem reddere volui. Memini dixiſſe te mihi Nazarianum Codicem quorundam librorum longe omnibus caeteris praeſtitiſſe. Id nunc maxime verum deprehendi, & quam vane conjectent doctiſſimi viri, dum nulla illius ratione habita librorum jam depravatorum in lectionibus emendandis ſunt. Cupio in poſterum frequentiores & dare ad te & accipere abs te, Vir maxime, ſi id a te impetrare poſſum, ut ſpero: nam cum tanta tempora improbis hominibus concedas, quare non aliquid vere tibi amico concederes? habeo coacervata multa nimis, de quibus conſulere te volo, neque alium poſſum. Et nunc quoque aliquid adderem, niſi inſtaret importune, cui has ſim daturus. Unum tamen me doce. Cujacius lib. XXI. c. 29. Obſerv. notat *permittere* eſſe interdum *remittere* & viciſſim: habetque ejus rei complura exempla. Equidem ut de verbo *remittere* concedere poſſum, id interdum poni, ubi alterum locum haberet. Ita non poſſum perſuadere mihi, *permitti accuſationem*, pro perimi vel remitti, *permitto jus jurandum* vel *pecuniam*, pro remitti Latinum eſſe: & potius credo omnia ea loca ab librariis eſſe vitiata. Quin & apud Ovidium lib. XI. malim. *ſed mora damnoſa eſt, & res dubitare remittit.* Rogo fac ſciam quamprimum quid tibi videatur & vale, cum tuis, Nobiliſſime & venerandiſſime Domine. Daventriae feſto Aſcenſionis. CIↃIↃCXLVI.

Lacera multis partibus haec Epiſtola erat, itaque verba quaedam deerant, quae, ut ſenſus conſtaret, ſupplere tentavimus.

EPISTOLA CCCLVII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

NObiliſſime Domine. *Raboldus Hermannus de Schele*, cum nudius tertius hac transiret, has uti ad te curarem, mihi mandavit. Is juvenis eſt Graecas Latinasque literas & univerſam antiquitatem ad miraculum doctus: eoque illorum, qui ſerio literas colunt & coluere, tui vero ante quotquot hos, quoque obſervantiſſimus: ea praeterea morum elegantia ac ſimplicitate, ſermonum ac familiaris uſus ſuavitate, animi magnitudine, judicii acrimonia, ingenii vivacitate, ſtyli venuſtate, pondere, acumine, ut ego in tota nobilitate Germanica (eſt autem non ut illi, quos nuper riſimus, ſed ab omni memoria nobiliſſimae ſine controverſia gentis) par exemplum, neque viderim neque audiverim. Et quamvis illa, ex quibus praecipue ipſe ſe aeſtimandum cenſet ille, tu quoque ſatis ex uno colloquio deprehenderis, tamen ego, diuturni-

ta-

tate consuetudinis nostrae certius horum testimonium perhibere possum. Ita quoties in hanc urbem venit, totos dies una sumus, neque unquam conspectu aut garritu alterno exsatiamur. Id eo potissimum accidit, quod & ille & ego vitam inter eos agimus pleramque, apud quos de secretis studiis nostris verbum facere non audemus, nisi aut data opera inepti omnem aetatem haberi, aut ut mitius plectamur, peregrina loqui videri velimus. Ergo quoties hoc magnum bonum a superis datur, ut conjungamur, rapimus gaudia pariter & effundimus, & unicum certamen est uter altero magis fruatur. Nihil illic simulatum, nihil compositum, & hoc potissimum placemus, quod utrimque patemus, nec quo probemur mutuo, aliunde quam a nobis petimus. Quoties vero & tu deliciarum nostrarum consummatio fuisti, & cum gloriari libebat, jactantiae argumentum erat, quis plura ex tuis scriptis didicisset, quis diligentius te magistro uteretur. Itaque etsi ipsius satis acre desiderium esset, tamen meam adhortationem vel praecipuam caussam fuisse certum habeto, cur abs te ignorari diutius nollet. Quod quidem ut ille summo honori sibi ducit, ita mihi credas velim, vir maxime, te cognoscere jam & acquisiviſse unum virtutum tuarum intelligentissimum & studiosissimum cultorem. Rogoque etiam atque etiam, ut quamprimum tua commoditas feret, responsione, quae mea de tua humanitate promissa confirmet, digneris, easque litteras ad me mittas. Cum postremum scriberem, constitueram quasdam in Seneca observatiunculas facere judicii tui, quasdam etiam quaestiunculas proponere: sed finire cogebat tabellarius. lib. VI. de benef. c. 31. *tantas minas belli & pene totius generis humani ruentis impetum pauciſſimi ſuſtinebunt. Gruterus* notat in tribus MSS. esse *ſuſtinent*. Et sic emendatum in Naz. cum a manu prima fuisset: *pauciſſimis ſtent*. Vides optimum librum velle: *pauciſſimi ſiſtent*? Eodem lib. cap. 35. invehens in eos qui amicis imprecantur aliquid adversi, in quo se memores beneficii approbent: *Nemo, ut exiſtimo, de immanitate animi tui dubitaret, ſi aperte illi paupertatem, ſi captivitatem, ſi famem ac metum imprecareris. At quid intereſt, utrum vox iſta tua ſit, an votum*? variant codices: variant editores: sed Naz. *Aliquid intereſt utrum vox iſta ſit voti tui.* Recte, modo subjiciatur nota interrogationis, & *aliquid* accipiatur pro *an aliquid* vel *aliquidne*. *Vox voti* est conceptio & formula. Sermo praegnans & brevis: an interest aliquid, utrum isto modo concipias votum de amico: nempe ut ei aliquid eveniat adversi: an hoc proximo, nempe aperte, ut ei paupertas, captivitas &c. eveniant. cap. 36. *Nihil debet Scipioni Roma, ſi Punicum bellum ut finiret, perſeverare maluit.* Rem magnam docet Lipsius, *perſeverare*, esse durare. At Gruterus ita esse in uno tantum scripto: in duobus: *perſeveravit*. quod fere probat. Naz. hic esse mancum, nam loco duarum illarum ultimarum vocum habere tantum *aliud*. Ego malo hunc mancum, quam tres mangonizatos. docet enim me scripsisse Senecam: *Si Punicum bellum ut finiret, aluit*: cap. 37. *Non ſervat grati hominis affectum, qui bene de ſe merentem difficultatibus vult opprimi, quas ipſe ſubmoveat.* Dictio, *opprimi* exulat Nazar. cod. extat tamen, uti debet, in aliis MSS. sic Gruterus. Immo non debet: plus credo Naz. quam aliis viginti. Innuit autem

tem ille ſcripſiſſe Senecam: *qui bene de ſe merentem in difficultatibus vult, quas* Per ellipſin verbi ſubſtantivi. cap. 38. *Agricolam annonae caritas erigit: eloquentiae exoptat pretium litium numerus.* Quid non hic conjectant. At ego cum Naz. probo: *exceptat.* quod & Codex Eraſmi Long. & Pal. alius habuiſſe dicitur. *Excipere* vel *exceptare* interdum eſt obſequi. Quid ergo difficile? Litium numerus ſubſequitur honorem eloquentiae: ubi in pretio homines diſerti, ibi multae lites: nemo enim, tum certe, cauſſarum patronis eloquentiam magis exercebat. Non pauca ſunt ſimilia: ſed haec ſi probaveris, laetabor. ſin minus, laetabor ſimul & docebor. Sunt etiam in quibus nihil video, niſi oculos tu mihi aperias: ſed differo, ne te onerem, atque eo citius binis meis & unici mei *Schelii* literis reſpondeas. Vale, vir incomparabilis & de tuis rebus ac ſtudiis fac quaeſo quamprimum cognoſcam. Daventriae. a. d. III. Kal. Jul. Julian. CIↃIↃCXLVI.

EPISTOLA CCCLVIII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

NObiliſſime ac maxime virorum. Ita me attinuit proximos hos menſes ſubceſiva illa opera, quam me exorſum haud ignoras, ut perpetuo meditando & ſcribendo feſſus in litteris dandis omiſſior eſſem. Neque enim oportet te meam impotentiam ex tua facilitate & indefatigabili alacritate metiri, qui quanto minus ſum inſtructus ad ea, quae amore potius ſtudiorum & impetu quodam inconſulto quam peritia ſubinde molior, tanto plus temporis impendo & lentius ad omnia progredior. Perveni tamen aliquando ad umbilicum & ſchedas miſi ad amicum, qui primum cum typographo egit, & cum futurum in officio pollicetur. Etſi cum is ipſe ſit, a quo ante aliquot annos me deſtitutum ſcis, cujus arte, adhuc dubius expectem, quid ſit eventurum. Nunc reverſus ſum ad Senecam & ſpicilegium meum compono, quod certiore ſpe *Hackio* & *Ludovico Elzevirio* promiſi. Atque adeo nudius tertius immiſcebam meis obſervationem tuam elegantiſſimam & veriſſimam de *Chlamydatis* & *Coronatis.* Si viciniores eſſemus, id potius agerem, ut plura talia abs te elicerem, & propriis tuis ac graviſſimis curis ſuffurarer, quam in me ipſo aliquam ſpem haberem. Nec dubito ſic me melius de auctore tanto meriturum. Quod quando non licet, hactenus indulgebis mihi, ut de nonnullis certe, quae literis exquiram, me erudias, & hanc ſolam venerem doctrinarum tuarum lucubratiunculae noſtrae largiare, quin nunquam me, ubi te produxero, tanquam Hylam Alcidae litigantem ponam. Conſolatione ad Marciam cap. 20. *Ad breviſſimum tempus editi, cito ceſſuri loco, venienti in pactum hoc proſpicimus hoſpitium.* Quid illud *venienti*? quid *proſpicimus*? nihil differunt codices Gruteri. Eodem capite: *Fixus eſt cuique terminus: manebit ſemper ubi poſitus eſt: nec illum ul-*

ulterius diligentia aut gratia promovebit: ſcit libenter illum ulterius diligentiam ex conſilio perdidiſſe. Eraſmus addidit: *ſcit illum libenter ex conſilio perdidiſſe.* Duo Pall. *poſitus eſt, nec illum ulterius diligentiam ex conſilio perdidiſſe*, omiſſis mediis. Alius: *ſcit libenter illum ulterius diligentia conſilio perd.diſſe.* Unus: *ſic habent illum ulterius diligentiam ex con. perd.* Quid hoc monſtrorum? lib. 1 de Clementia cap. 4. *Cum ille* (animus) *imperavit, ſive avarus Dominus eſt, mare lucri cauſa ſcrutamur, ſive ambitioſus, jamdudum dextram flammis objecimus, aut voluntarie ſubſiluimus.* Naz. *voluntariam.* quaſi ad dextram referatur, ſed quid eſt tamen? Relegi & nuper ea conſideravi, quae de lecto ſummo, medio, imo, praeclare & primus nos docuiſti in Plinianis. Omnia capio egregie & aſſentior, & Plutarchi Salluſtiique loca explicari aliter nec poſſe, nec debere, certum habeo. ſed non poſſum cum illis conciliare locum Ciceronis lib. IX. famil. Epiſt. 26. & Horatii in caena Naſidieni: Idque te mihi facere pro magno aeſtimarem. ſi deſideras dubitationes meas, quamquam non opus eſt, & inſpectis verbis ſatis apparebit, quid mihi aut alii incidere poſſit, proximis eas proponam. Tuas ad *Schelium* domum redux una cum illis, quas ad me ſcripſeras, ſtatim miſi, ſane longe illi gratiſſimas: nec adhuc alteras recepi: nam cum hîc eſſet, oblitum ſe eas dicebat. De cruce prodiitne? & quid nunc maxime moliris? Vale, vir divine, cum omnibus tuis, & recordare noſtri. Daventriae. a. d. VIII. Kal. Februar. Jul. CIↃIↃCXLVII.

Sarravius an redierit Lutetiam ſcire aveo: habeo unas ad illum a *Fabricio.*

EPISTOLA CCCLIX.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

NObiliſſime Domine. Jamdudum in mora ſum tibi, cujus cauſſarum ut ſingularum pulchre mihi conſtare ratio viſa eſt, ita nunc univerſarum minime conſtare videtur, quod de diebus fieri Romae queritur alicubi Plinius. Itaque exponendis iis non te tenebo, quando ne nunc quidem multum otii ſupereſt: ſpero autem pro cognita tibi mea erga te obſervantia non te dubitaturum, ſatis fuiſſe graves, quae effecerint, ut tua mandata tardius habere curae potuerim. habes hîc libellum amici noſtri, cujus lectionem aliquid voluptatis allaturum tibi ſpero. Atque etſi de optimo genere dicendi (nam & me diverſum non nihil ſentire non ignorat auctor) forſan aliter ſentias, tamen egregii ſenſus & quae placent in partibus, etſi filum totum corporis minus placeat, judicium tuum ſupplantabunt. Quis enim hodie praeſertim iſtas materias tractantium, ſic ſcribit? aut ſermonem habet, ſi non liberae, at certe non diu regnatae Romae, tam adpropinquantem. Nec repugnant tua illis, quae nunc diſputantur. Scripta ſunt enim, quo tempore nonnulli majore ſpecie quam animo rem incaeptare videbantur: nunc haec conceſſa ſunt & conſenſa utrimque

que, citius an tardius, nisi maturius mavis, salubria sint, quaeritur. Et est ille tam magno animo, ut etiam in hac quaestione, & amicos & bonos cives diversum sentire illibata amicitia salvoque amore utrorumque in Rempublicam posse existimet. Sed haec ingerentem me paene fastidis: Itaque desino. Significavit mihi *Isaacus* noster cupere te videre Collationes Manilianas, quas e Venetis membranis non malae, ut videbatur, notae excerpsi. Itaque libellum mitto, sed quando ipse quoque videre illas desiderabat, non inclusum huic fasciculo, hac tamen conditione ut quamprimum eum ad te destinaret. Utinam, Vir maxime, esset aliquid in potestate mea, quod te juvaret! Scires nihil esse mihi tam carum, ut id tibi debere gravarer. Abstuli Amsterodamo mecum MS. chartaceum Suasoriarum & Controversiarum M. Senecae, & in conferendo caepi singula attentius excutere. Succurrerunt non pauca, quae belle emendare visus: sed de toto libro quid dicam? O stabulum Augiae! atque utinam suppeditare velles, quae ipse forsan per lectionem in eo notasti. Nam ut expectes quaestiunculas meas, frustra es. ubi inciperem? ubi desinerem? Liber scribendus esset, non epistola: adeo passim ubique sentes, ubique scrupuli. Gustum tamen habe nugarum mearum. Controv. XXXIV. non longe a fine: *Non minus stulte Aemilianus quidam Graecus Rhetor, quod genus stultorum amabilissimum est. Hexarida fatuus dixit* &c. Tacent diligenter Commentatores: bonus etiam *Schottus* in indiculo Rhetorum fecit quendam *Hexaridam*. Sed an non verum est: *amabilissimum est ex arido fatuus*. Saepe meminit aridorum declamatorum: quae exempla tibi subjicere non est opus. Sed neque *ex arido fatuus* esse dictum, ut paullo ante: *ex captivo cocus, ex coco lecticarius*. Significat enim hominem aridum & jejunum, quum superare se ipsum vellet & aliquid eximium dicere, in aliud vitium fatui sermonis delapsum. Mox: *Hispo rideon honeste. Romanus fecit: multo enim vehementius insanit quam nostri fanatici*. Magnus *Nic. Faber* legit, *Spiridion honeste minus fecit*. Saltem recte quod *Spiridion*: fuit enim Rhetor Glycon, cui id cognomen: confirmantque verba paulo post sequentia. Pejus *Schottus* eo quod hoc non intellexit & de Hispone Romano dictum putat. Sed superabo ipsum Spiridionem conjectura (liceat apud te) fanatica: *Rideon* dictum esse graeca figura pro ridendum est, quasi γλαφυρον. O stuporem! scribendum: *Spiridion iste Romanos vicit*, scilicet declamatores stupida & absurda sententia. Vel *isto* nisi mavis *stupore*: nam de his apicibus haereo, cum caetera sint certa. Est enim post paucos versus ubi significat nihilo melius Murrhedium dixisse: *Sed nolo Romanos in ulla re vinci. Restituet aciem Murrhedius, qui dixit* &c. Quamquam quae mox sequuntur, aut defecta aut vitiata existimo, nec curationem invenio. Utinam posses induci, ut totidem tuas aut plures mihi redderes. Vale, vir incomparabilis, & si mora mea bilem tibi concivit, placare & ignosce. Daventriae. III. Kal. Jun. CIↃIↃCXLVII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCLX.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

ILluſtris Domine. Ante hebdomades aliquot miſi ad te *Vincentii Fabricii* Epiſtolam ad Ampliſſimum *Sarravium* curandam. Paulo poſt ſtudioſus quidem noſtras inde adveniens, nuntiavit mihi te Defenſione Regia edita in Selandiam profectum. Caepi itaque ſollicitus eſſe, an etiam meae cum incluſis iſtis, quas perire omnino nollem redditae tibi fuerint. Rogo itaque tribus me verbis hoc doceas. habeo etiam aliud quod te orem. Quando in Sueciam humaniſſimis Reginae litteris invitatus, videbaris minari iter, velim concedas interea mihi uſum MSS. Auguſtini Scriveriani de Civitate Dei: quando nec interea tu illo uti poteris, & liber tibi ſalvus manebit, neque unquam per me (juratus polliceor) aut quemquam alium reſciſcet ille, penes me eſſe. Quod ſi longiorem in diem differs iter, tamen, ſi commodo tuo fieri poteſt, velim ad paucos, & praefinitos licet dies, eum indulgeas mihi. Contuli olim nonnulla ejus ſcripti cum membranis, ut videbatur, minime malis, in Germania & deſidero ſcire, an iſta mea annotata hujus ſuffragio juventur. Magno beneficio me affeceris, ſi hoc a te volente impetraro. Nolo autem impetrare, niſi commodo tuo, &, ut dixi, volente te ac propitio. Senecarum exemplar, ut jusſeram, puto tibi eſſe ab *Elzeviriis* traditum. Quid jam moliaris, cupio ſcire. Vale, vir incomparabilis, cum omnibus tuis, & me amare perge. Daventriae IV. Kal. Mart. Gregor. CIↃIↃCL.

Auguſtini librum ſi mittes, poteris Amſterodamum deſtinare ad *Ludovicum Elzevirium*, ut ille ad me porro curet. Utinam impetrem! ſi tamen non poteſt commodo tuo, nihilo me devotiorem habebis. Ita valde volo quod volo, ut nihil amicorum incommodo velim. Iterum vale.

EPISTOLA CCCLXI.

A. COLVIUS

Claudio Salmaſio.

Leidam.

DIu eſt, Vir ſumme, quod in aere tuo ſum ſuper munere trapezitico, quod jam cum faenore perſolvam. Perlegi opus illud tuum: de quo, niſi hoc a me poſtulaſſes, judicare nullus auderem. Scio enim quam mihi domi ſit curta ſuppellex. novi quid ſit criticum agere, hoc praeſertim tempore; idque de tantis viris, quos mundus admiratur. Utar ergo libertate conceſſa: ſed continebo me intra limites Theologiae & amicitiae non fictae: cujus reverentia, ut in praefatione loqueris, te tacere fecit. quanquam ipſis Theologis

Digitized by Google

adeo mihi non favere videris; quaſi ipſorum proprium ſit ineptire, quod illos putant, qui ad illum gradum criſcos aut literaturae non pervenerunt, quo aſcenderunt illuſtres illae animae, quas heroas vocant, ſolos aeternis laudibus dignos. In praefatione ais, *Quis hoc credat, exceptis Theologis?* Qua phraſi etiam videris uti, ubi de D. *Heinſio* loqueris, *Quis hoc poſſet dicere, niſi hic?* p. 157. tanquam de futiliſſimo mortalium. *Quis dubitare poſſet, praeter Theologum?* p. 284. *Illud impertinens etſi Latinum non ſit, niſi ſit Theologicum.* p. 372. Ego non exiſtimo te ita judicare, quod eſſe Theologum & literatorem ſint ἀσύμφωνα. Omitto Patres, Hieronymum, Cyprianum, &, in quem ipſe ſcripſiſti, Tertullianum, &, quem prae manibus habes, Arnobium: an non Eraſmus, Melanchthon, aliaeque illuſtres animae iſtius ſaeculi fuere literatores? Certe male habet communem noſtrum amicum D. *Voſſium*, quod ſocerum ejus D. *Junium* Theologum Gallum, olim vocaveris *terrenam beſtiam*, qui a multis habetur aquila in nubibus. certe ſubtilitate ingenii multis non cedit Et ut mortuos praeteream, an non, quem jam nominavi, *Voſſius*, Theologus? *Grotius*, etiamſi ſummus Jurisconſultus & literator, D. *Spanheimius*, D. *Petitus*, an non Theologi & Critici? Subordinata ergo haec ſunt, aut ſaltem eſſe debent, non pugnantia. Haec obiter, quae facile condonabis Batavo, amico, &, ſi ita licet addere, Theologo, ſcribenti Salmaſio, qui ut liberrime aliorum annotavit errores, ita & ſibi fieri ab amicis vult & petit. Noſti dictum Sapientis, *Meliora eſſe vulnera amici, quam fraudulenta blandientis oſcula.* imo ipſe tanquam viles animas rejicis adulatores. Quod ad ipſum opus attinet, in eo multa praeclara invenio; & libens fateor me non videre, quid reſponderi poſſit argumentis tuis e Scriptura, Patribus, Conciliis, jure civili, & rectis rationibus petitis: per quae omnia, luculenter oſtendis, quod Trapezitae, modo intra cancellos a Magiſtratibus poſitos maneant, ad Sacram ſynaxim admitti debeant. Obiter etiam multa S. Scripturae loca difficilia, & hactenus non bene intellecta, explicaſti. Sed non omnes faventes habebis in eo, quod ſub finem tractas de pane ἐπιούσιῳ. Quod ſi interpretandus, ut putas, tunc certe multi male oraverunt, orant & orabunt. Magna pietatis portio eſt, victum corporis ſolida fide a coeleſti Patre orare. Hoc Jacob fecit Gen. 28. Salomon Prov. pen. Quod ſi omnes eſſent ſine cura corporis, tunc omnes eſſent ſpirituales. Tales autem omnes nec poſſunt eſſe, nec debent; ut loqueris p. 339. Nec puto te ſentire orationem hanc tantum praeſcriptam Diſcipulis, ut de ſermone habito in monte videris affimare p. 309. Nam tunc caeteri non deberent quotidie fundere has preces ad Deum Patrem ipſorum. Non video quomodo conciliari poſſint quae ſcribis p. 337. 338. Omnes ad perfectionem teneri. Utinam poſſent. & in ſeqq. dicis non omnes poſſe eſſe ſpirituales, nec debere. Quicquid ſit, charitati omnes debemus ſtudere, quae eſt vinculum perfectionis. haec nos facit filios Dei, & diſcipulos Chriſti: ſine ea ſumus Σαρκικοί, qui ſunt rixoſi, peſſimi, & nomine tenus Chriſtiani, ut ipſe fateris. Chriſti dictum Matt. 5. omnes tangit: *Qui dixerit fratri ſuo Raca, obnoxius erit concilio: quiſquis autem dixerit, Fatue, obnoxius erit in-*

incendio gehennae. Illa ſententia eſt terribilis. Chriſtianorum eſt diligere inimicos. Omnibus dictum, *Quod tibi nos vis fieri, alteri ne feceris*: ut oſtendis p. 463. Petrus alloquitur omnes fideles, omnes unanimes illos eſſe vult, fraternitatis amatores, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto. Magnus eſt Theologus coram Deo; non qui docuerit tantum, ſed & fecerit Matt. 5. Criticorum eſt explicare ſed Theologorum applicare. Dicam libere & amice cur pro uno maledicto *Sycophantae*, quod in genere prolatum, tot reponis? Cur clavum clavo vis retundere, ſi hoc Magiſter noſter non vult? Chriſtianorum non eſt delectari erroribus fratris, ſed potius condolere, & revocare eum in viam per ſpiritum dulcedinis: Riſum tibi movet Criticus, p. 460. Volupe fuit videre monſtruoſam interpretationem p. 662. Ubi ergo illa charitas, quae non irritatur, non cogitat malum, non gaudet de injuſtitia, ſed congaudet veritati? Interdum doctum, acutum, interdum fatuum & ineptum, ad delirium uſque vocas Criticum. Et ſi ſummi Critici tam ſaepe & tam craſſe impingunt in propria, quid mirum Theologos interdum labi circa aliena? Circa finem objicis illi corporis exiguam ſtaturam, nominando illum *ἀνθρωπίζκον*, quaſi vero in poteſtate noſtra ſit aliquid addere corpori noſtro. hoc eſt accuſare eum, qui fecit nos. Haec ſunt Theologica. nam praeſtat unum mandatum adimplere, quam omnia recte interpretari. Ego malim ſanus eſſe ſine cognitione morborum, quam omnes morbos noſſe ſine ſanitate. Auguſtinus ait. *Veniunt indocti & rapiunt regnum coelorum, nos autem cum eruditione noſtra mergimur in infernum.* Scribendo in proximum plus peccamus, quam maledicendo, quia ſcripta ad plures pertinent, & ad poſteros transmittuntur. Deinde & riſui exponitur apud vulgus ipſa eruditio, ubi tot diſſidia inter doctos eſſe animadvertunt. & ita perit praeclarum illud nomen & gloria, quam Critici tantopere affectant. Sperandum, ut a D. *Riveto* intellexi, in poſterum vos firma amicitia unanimes futuros. Quod faxit Deus pacis: Certus ſum, ſi bene perſpexi heroïcum illum tuum animum, a me divulſum non iri, quia liberrime protuli animi mentem, ſed majori in poſterum vinculo conjuncturum cum eo, qui te intime colit, & ſummopere aeſtimat. Precor Deum, ut te per longos annos nobis & Reip. literariae incolumem ſervet. Dordrechti, 19. Julii, 1640.

EPISTOLA CCCLXII.

JOANNES SELDENUS

Claudio Salmaſio S. P. D.

Leidam.

PEr incerta, quibus adeo paſſim diſtrahimur, temporum, aut neſcio unde accidiſſe videtur, (hujusmodi perplurima jam accidunt) meas ſub initium Julii noſtri datas ad manus tuas, Vir Ampliſſime, non perveniſſe. Summas tibi agebant illae gratias ob munus praeſtantiſſimum de Annis Climactericiis.

Opus ſane, quod antiquae in univerſum Aſtrologiae praemeſſum eſt uberrimum. ut ignoſcas etiam obſecrabant, quod non tempeſtivius, quantum ad editionem illam, ad te allatus fuerit Vettius Valens noſter. Cauſam jam ante retuli, quae inevitabilis erat. ſed ſpero, ita operi tuo alteri Aſtrologico, quod ut quantivis pretii merces avidiſſime exſpectamus, ex eo quamplurima etiam & de Climacteribus nonnulla ſubminiſtranda fore, ut quidquid in edito locum habere potuiſſet ullum, etiam in hoc admodum ſatis potuerit ſortiri. Quod ad Talmudis Hieroſolymitani in bibliotheca Leidenſi exemplar attinet; immane quantum angor animi cruciorque (quod & in illis ſignificavi) quod aut a te aut ab Viro eximio, multisque mihi nominibus colendo *Conſtantino L' Empereur* credi videretur ea de re, me ante certiorem factum & jam velut oſcitanter immemorem importunius aut petulantius, ne dicam impudentius moleſtiam tantis viris denuo faceſſiſſe. hujusmodi quid meum non eſt, eſſe nequit. Deum teſtor, nunquam ante quidquam ea de re ad me relatum, licet aliquoties ab Viris nonnullis Leidam hinc abiturientibus id ſollicitius ſed fruſtra, aliterque etiam popoſciſſem: ſed jam abunde mihi de primo ſatisfactum eſt. & maximas veſtrum utrique eo nomine gratias habeo. Impenſe autem doleo chiragram adeo infeſtaſſe dextram illam, cui tantum, quotquot literis nomina dedimus, debemus, indiesque magis magisque bono noſtro incomparabili admiramur. Deus faxit, ut animo revertendi abacta caveat, & ſalus ipſa nobis te ſalvum praeſtet. de Vitruvii exemplari illo ante menſem, aut circiter, rogatus eram heic ab Viro Cl. *Joanne Morricio* nomine V. Cl. *Joannis de Laet*, cui libentiſſime illud communicaſſem ipſe, ſi tunc omnino potuiſſem. poſt acceptas jam de eo tuas aliquamdiu de eo ullo modo adquirendo (etiamſi ſolus ipſe uti heic voluiſſem) deſperabam. ſed tandem haud exigua ſane cum difficultate, nec tamen ſine nobiliſſimi bibliothecae illius Domini indultu proniſſimo, nactus ſum. & ne quid, quod conatibus veſtris ibi praeclaris conducere omnino poſſit, in libraria apud nos ſuppellectile ſegniter deliteſceret, cum his transmittitur; fidejuſſore me, tempeſtive reſtituendum. Vetus quidem eſt exemplar, ſed figuris caret. maxime autem gratulor operam tuam ita editioni adhiberi, cum Architectum illum, maximorum virorum cura digniſſimum, etiam jam olim ſummo ſtudioſorum commodo in Plinianis tuis toties ac feliciter, ut ſoles, refeceris. Vale, Nobiliſſime Vir, & amicitia tua me adeo beatum indulgenter ſuſtine. Londini. Auguſti xx. 1648.

EPISTOLA CCCLXIII.

NICOLAUS BLANCARDUS

Claudio Salmaſio, Equiti &c.

Leidam.

OCtavus menſis eſt, Nobiliſſime Salmaſi, poſtquam Lugduno decedens in hanc provinciam veni. Peccavi largiter fateor, quod uſque in hoc tempus

pus nihil datum fuerit litterarum. Non tamen ignoro, quantis nominibus tibi ſim obſtrictus, nec immemor quam non ingratum futurum officium in hac parte noſtrum. Sed ut eloquar apud te plenum humanitate, multum temporis eripuere ſtudia, & publicae privataeque curae, nec non morbus, & dolor, quem ex morte *Erpenii* graviſſimum cepi. Quae cauſſae fuere, cur animum componere haud potuerim ad compellandos amicos, in quibus tu tuo merito principem locum obtinebas. Nec ut me tui oblitum exiſtimes, magnam partem hyemis in ſcriptis tuis velut imagine tua exegi, ex quibus quam multa & varia percopioſe didicerim, jucundum eſt reminiſci. Rogo autem, mi Domine, ut ſalva amplitudine tua deſcendas ad curas meas, quae bono publico litterarum impenduntur. Jus etiam benigne data dextera conceſſiſti, referendi ea ad te, de quibus dubito. Ad quem vero potius referrem, niſi eum, qui cum optimus doctiſſimusque, ac inter praecipua ſeculi ornamenta numerandus, etiam ſtudiorum ſeneſcentium ſolers reductor eſt ac reformator? Toga Romana olim me involutum tenuit, nunc dubitandi materiem poſtquam in multis exemere Veteres nummi, non potui quorumdam ſententiis accedere. Eam Romanorum proprium tegmen aut geſtamen fuiſſe, ſciunt omnes, qui litteras ſciunt. At Etymologus τήβεννον regium geſtamen appellavit. Quomodo regibus in uſu, ſi communis Romanorum civium veſtis? neque exterarum gentium principes toga vulgo amictos ulla ratione aut colore dici poteſt. Eidem non infirmi auctores Romani, & inter Graecos Suidas, Artemidorus, aliique non pauci refragantur. Quid mirum, ſi haec inſolenter in aures meas cadant. De forma togae ſcrupulum injecit *Aldus Manutius* in Epiſtola ad Superantium, qui a ſummo ad imum integram, nulla ſciſſura, nullis manicis fuiſſe, multis argumentis adducitur ut credat. An ergo per totum clauſa? an cervici ita adſtricta, ut nuſquam pateret? an ſi aperta ſit, patere pectus, indecorum videtur? Atqui conſtat ex Plutarcho, magiſtratum petentes togis in comitiis ſine tunicis amictos, ſive quo magis ea ſpecie ſe ſubmitterent ad petitionem, ſive quo ſubjicerent oculis, qui cicatrices habebant, perſpicuas Virtutis notas. Verba ejus ſunt in Marcio Coriolano; καὶ γὰρ ἐθος ἦν τοῖς μετιοῦσι τὴν ἀρχὴν παρακαλεῖν, τὴν δεξιὰν τοῖς πολίταις ἐν ἱματίῳ καθιοῦντας εἰς τὴν ἀγορὰν ἄνευ χιτῶνος· ἵνα μᾶλλον ἐκταπεινοῦντες ἑαυτοὺς τῷ σχήματι πρὸς τὸ δεῆσθαι, ἅτε δεικνύντες, εἰς ἃ παρωτειλάς, προφανῆ τὰ σύμβολα ἀνδρείας, cum hoc loco non ſatis convenit, quod Manutius adſeruit. Nam qui potuere cicatrices, quas pro Republica militantes acceperant, populo patefacere, ſi a ſummo ad imum clauſa, ſine ſciſſura, ac cervicibus adſtricta? firmat & ille togae geſtandae modus, qua dextera libera relinquebatur, & exerebatur. Aliam viam ingreſſus *Sigonius*, a *Manutio* diſcedit, togamque apertam quadratamque fuiſſe contendit. Locus, in quo arx Sigonianae cauſſae, reperitur apud Athenaeum lib. 5. cujus verba ſunt. τῶν δ' ἄλλων Ῥωμαίων οἱ μὲν θεῶν ἀγάλμασι περιπλέκασι· οἱ δὲ λοιποὶ μεταμφιεσάμενοι τετράγωνα ἱμάτια τὰς ἐξ ἀρχῆς πατρίδας πάλιν ὀνομάζουσι. Per τετράγωνα ἱμάτια togas intelligit. Ego, qui hactenus graeco exemplari uſus ſum, nec verſionem *Caſaubboni* inſpexi, exiſtimo Romanos depoſita toga quadratum pal-

lium induisse, non vero quadratis vestimentis abjectis ad togas rediisse. consilium quippe Romanorum fuit, habitu mutato Mithridatis tunc temporis in Asia grassantis crudelitatem declinare. Idem *Sigonius* apertam ea de caussa dixit, quod non aliter semicircularis esse posset. At Dionysius togam ἡμικύκλιον τῷ σχήματι, seu figura semicircularem fuisse scribit. Quomodo semicircularis esse poterit, eademque vestimentum Quadratum? Quadratum enim quattuor angulos, semicirculus duos tantum habet. Mirari libet politissimi Viri μετωπείαν καὶ ἀβλεψίαν. Quid igitur, togane semicircularis dicitur, quia lacinioſa circa oras circulum imperfectum efficit? ita mihi videtur, neque vanae, aut lubricae conjecturae praesidium ex nummis, quorum uberem copiam lustravi in cimeliis *Knotterorum*. Quadratum vestimentum apertum melius dixisset *Sigonius*, quale est pallium. Sed an omne vestimentum apertum Quadratum intelligi debet? illud constat, Festo ricinium, pallium muliebre quadratum vocari. Sic & Enothea apud Petronium sacris operatura, *incincta* dicitur *quadrato pallio cucumam ingentem foco appositisse*; Linnae Gallorum veterum vestes *saga quadra* vocantur Isidoro lib. XIII. 23. Idem pallam *quadrum pallium* muliebris vestis asseruit, illud ergo doceri velim, cur haec *quadrata* dicantur si communiter hac forma. An toga rotunda nominabitur, si vulgo talis? Quod autem toga Romanorum *pallium teres* dicatur Tertulliano, factum puto ad discrimen pallii Graecanici quod πτερύγιον. nec me movet Dionysius, cui toga περιβόλαιον κυκλοτερὲς. illud κυκλοτερὲς additum, quod περιβόλαιον commune nimis, & generale nomen, ac simpliciter amictum, seu περιβόλιον ἢ ἔνδυμα significat, auctore Suida. praeterea si omnia pallia quadrata, an pallia vulgaria eadem dicemus cum philosophicis? an judicabimus sola materia differre, si forma, conveniant? inter haec tamen discrimen fuisse, non dubito. Haec tibi nobiliss. Domine, judicanda cum reliquis permitto, cujus subtili judicio aut stare aut cadere paratus sum. Percupio autem videre litteras tuas melle eruditissimi pectoris oblitas. Nec id mei tantum, sed boni publici caussa, quia libros de re vestiaria responsis tuis firmare non utile modo omnibus litteratis, sed & mihi glorioſum, ac honorificum duco. Vale, Vir incomparabilis, ac languentes musas fove, & me amare perge: datum Middelburgi Zeelandorum. 1653. Idibus Aprilis.

EPISTOLA CCCLXIV.

GERARDUS VOSSIUS

Jacobo Wittio S. P. D.

VIr Amplissime, cognate dilectissime. Retulit mihi D. *Polyander*, ut a Synodo Gallica quatuor hi, *Revrius* Delphensis Ecclesiastes, *Dulcerius* Amstelodamensis, *Pourtius* Medioburgensis, & senior quidam Amsteledamensis deputati sint ad agendum cum magistratu Dordrechtano, idque lege ea, ut si pos-

poſſint, permoveant eum ad novam electionem. ſin eum videant in Colviana vocatione perſiſtere, non pertendant, ſed cedere ſint parati, ne quid majoris mali cauſſare ea res poſſit. Itaque idem arbitratur, utcunque deputati illi animoſe primitus rem agere videbuntur, eoque magis, quia unus & alter e veſtris Eccleſiaſten quemvis potius e peregrinis, quam indigenam ullum malit (cujus rei cauſſas per te vides) tamen nihil eſſe, quod a Synodo metuatis, cum certo futurum ſit, ut deputati deſinant urgere, ſi viderint ſe non evaſuros hoc pacto ſuperiores. Idem ajebat, utcunque deputati detrectarent *Colvium* confirmare publice in vocatione ſua, non id tanti fore, ut propterea reſiliendum ſit a propoſito: quia ſic quoque trimeſtri, atque ſemeſtri non concionari modo, ſed & reliqua Eccleſiaſtae munia obire poſſit. ut qui tot annos jam paſtor fuerit. ac propterea ſubſecuturam confirmationem, ubi maxime commodum videbitur. quod ſi maligniores aliqui duri eſſe capitones perſeverent, praeſertim e pullato grege, quales aliquot ſe concionanti ſubduxiſſe intelligo; ne hoc quidem tanti eſſe arbitrabatur, ut dimovere de ſtatu debeat. ſeſe enim uti diſſidio, unde gravis erat metus, aliquam, cum adeſſet, vobis medicinam fecit, ita ſi opus videatur reditu altero omne illud malum facile perſanaturum. Ac proinde magiſtratui in omni hoc negotio tantum animis opus eſſe. Equidem ſaepe indignor mecum, quando video nullos aeque indigenis obſtare, quam exteros, qui ſolis ſibi in alieno ſole bene eſſe volunt. nec concoquere illud cum animo meo poſſum, quod qui omni vita virtutem & eruditionem ſociarunt, ab his aperte, ab aliis vero cuniculis oppugnentur, non alia de cauſſa, quam quia tales vel virtute, vel doctrina, vel utraque ſint inferiores. Atqui ſi in quoquam hoc vituperatione dignum eſt, ſane in iis, qui pietatis ac virtutis ut praecones, ita antiſtites eſſe debent. Non potui committere, quin & de iſtis te certiorem facerem, & ſimul querelam meam in ſinu tuo deponerem. [1] Filius hodie in Zelandiam abiit primo vento inde in Angliam abiturus, quod Deus fortunare illi, & omnibus nobis velit. Plurimam ſalutem a me uxoreque conjugi tuae lectiſſimae: item ſocrui tuae, foeminarum prudentiſſimae, ſi bene ſexum illum novi. Adhaec Blyenburgio praetori, Conſuli Beaumontio, Secretario Berkio, affini etiam meo Corputio, eruditiſſimo & amiciſſimo Colvio, & omnibus, quibus noſtri memoriam gratam putabis. Lugd. Bat. CIↃIↃCXXVIII. XXV. Sept. raptim paene nocte intempeſta. tuus Voſſius.

1 *Joannes*, quem commendat Anglis Epiſt. XCI. & ſequentibus, & de qua vid. ad Epiſtol. *Cunaei* CLIII.

EPISTOLA CCCLXV.

JOHANNES WEVELINCHOVIUS

Claudio Salmaſio.

NObiliſſime, Clariſſime & Doctiſſime Vir. Ea eſt eruditionis tuae fama & nominis celebritas, tot lucubrationibus primae notae conteſtata, ut ne-

nemo sit paullo humanior, cui ignotum sit, quantum hactenus de Republica literaria meritus fueris, & quam multa a subacto tuo ingenio sint deinceps expectanda, si magnis dotibus tuis accedat etiam & locus commodus ea disponendi & evulgandi, quae jam habes affecta, & porro, Deo tibi vitam (quod omnes docti & pii in votis habent) prorogante, in bonum Ecclesiae paranda. Ea praesertim consideratio, quod donis spiritus Dei perfusus abunde, non solum eruditione summa inclarueris, sed cum ea veritatis, quae est secundum pietatem, amorem, & professionem constanter conjunxeris, te apud ejusdem Religionis consecraneos, supra alios commendat, qui τῆς ἔξωθεν tantum παιδείας studio incumbentes, primarium illum scopum negligunt, illam ad Dei gloriam & Ecclesiae aedificationem dirigendi. cum alium tibi plane animum esse nobis indicassent, quibus mentem tuam plenius aperuisti, & musaei tui paenetralia reseraſti, re apud nos deliberata, communi omnium nostrum, qui Illustrium Hollandiae Ordinum nomine huic Academiae invigilamus, consilio & suffragio visum est, rogare te, ut non dedigneris musis tuis sedem in ea eligere, eamque tua praesentia, collationibus cum viris doctis, & cum iisdem conversatione, scriptisque tuis aeternum victuris, condecorare. In eum finem has ad te litteras damus, tibique offerimus omnium nostrum animum in te propensum, quo excipieris, non tanquam hospes, sed tanquam civis honoratissimus, & ne tuis impensis apud nos vivas, quod incivile esset a te petere, ne dum exigere, numerabuntur tibi e publico singulis trimestribus floreni nostrates quingenti, id est, singulis annis bis mille librae Gallicae. Habebitur insuper ratio impensarum, migrationis tuae, ad quam designatae sunt sexcentae ejusmodi librae, ut plenius etiam id tibi indicabitur ab iis, [1] qui has nostras tibi tradendas curabunt, significabuntque quanto studio teneamur, ut quamprimum cum tuis te viae committas, ut ipsa ineunte hyeme colligere possimus laborum tuorum fructus uberrimos ex omnigena qua polles eruditione. Sed ea maxime, quae ad antiquitatem Ecclesiasticam illustrandam spectat, & Strophas Cardinalis *Baronii* & aliorum detegendas, qui amplis suis voluminibus fucum facere conantur, & quamvis e propinquo veniant, mucido pane, & calceis detritis se remotissimos mentiuntur. In his & talibus pro tua prudentia apud nos versaberis, ut speramus, in honesto otio, & quiete, nemine studia tua interturbante, cum plena libertate, ut tua exarandi, sic eadem evulgandi. Quam ut tibi plenam apud nos cupimus, sic etiam a te id stipulari, ne postquam nobis semel tui usuram feceris, postea alio in has provincias velis migrare, aut de alia vocatione agere, nisi prius re communicata nobiscum, qui quem semel obtinuerimus, non facile patiemur a nobis avelli, sed omnibus benevolentiae vinculis alligatum retinebimus. Accede ergo cum bono Deo, ad eos, apud quod absens merito tuo magnus es, qui praesentem amplectentur & fovebunt, & eo prosequentur honore, quem virtus, & eruditio tua jamdiu apud animos nostros concitavit praesenti deferendum, cum omnibus hu-

1 *Johanni Walaeo* hanc provinciam mandatam, ut praesens praesenti lautissimas & Heroïcas conditiones offerret, refert *Clementius* in vita *Salmasii* pag. XLI.

Digitized by Google

humanitatis officiis. Interea dum illuceſcat dies illa, quae te nobis ſiſtet, Deum precamur, ut tibi & tuis viam facilem, & inoffenſam praeſtet, teque diu magno Eccleſiae, & Reip. literariae bono incolumem ſervet. Vale. Lugduni Batavorum. XVIII. Kalendas Septembris 1631. Stilo Gregoriano.

EPISTOLA CCCLXVI.

J. ERPENIUS

Nicolao Blancardo Amico Optimo.

CLariſſime & Doctiſſime. Rogatus fui heri a Germano quodam, noto meo, quodnam hic doctorum judicium fuiſſet de methodo docendi diſcendique J. A. Comenii, cum is in his terris ante annos complures degeret, & num quos noſſem, qui ea methodo, aut etiam ipſo tum Comenio uſi eſſent, exquirere id principem ſuum Saxoniae Gothanum, qui methodum iſtam in ſcholas ditionis ſuae, ſi ſatis ipſi probaretur, introducere cogitaret. In mentem tum mihi veniebat tui, amiciſſime Blancarde, qui aliquando, ſi recte memini, narraſti mihi, Comenium, cum Leidae ageret, notum tibi fuiſſe, eoque etiam methodum ejus fortaſſe penitus perſpectam tibi & cognitam eſſe, id itaque ſignificavi Germano iſti, recepique me quoque primo die hac de re per litteras ex te ſciſcitaturum. Rogo itaque, mi Blancarde, ut ſi quid ejus rei propius noris, quodque tuum de methodo ejus judicium ſit, & ſi quae praeterea Doctorum de ea Judicia ſcias, quam primum poteris, ad me perſcribas, rem mihi multo gratiſſimam facturus. Ajebat Germanus iſte differri Comenium rumoribus, ut Apoſtatam Relligionis, quodque apud Polonos ſemet in monaſterium abdidiſſet, quod vix inducor ut credam. Non poſſum autem non occaſione hujuſce ſcriptionis te monere, amiciſſime Blancarde, Cl. Salmaſium queſtum amico cuidam noſtro, qui ad eum viſum ierat, quod tanto temporis ſpatio, neque coram, neque per litteras eum compellaſſes, id volebam ne neſcius eſſes. De rebus Anglicis, quod te ignorare putem nihil eſt, cum ibi propius mare, unde iſta advehuntur, degas. Leonem noſtrum uſque adeo omnem injuriarum ſenſum amiſiſſe videri, quis non indignetur? Vale, Doctiſſime Blancarde, meque ama. Hagae Com. IV. Julii 1632.

EPISTOLA CCCLXVII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Nicolao Blancardo S. P. D.

Leidam.

ORnatiſſime juvenis, non ignotus appellas eum, qui omnium praeclare aliquid in litteris conantium ſtudiis ac famae mirifice favet. Tu vide, ne

Digitized by Google

ego tibi ſim ignotus, a quo neſcio quae magnifica & tuis curis laudem additura exſpectes. Utcumque ſit tamen, quaecunque a me proficiſci officia erga te poſſunt, omnia tibi ſemper ſalva conſtabunt. Itaque habe iterum quaedam, ſed abrupta partim intervenientibus occupationibus, partim occaſione hac, quae mihi offertur faſciculum ad te mittendi. Tu iis utere pro arbitrio tuo, & ſi qua de re dubitabis, aut me temere quid ſcripſiſſe exiſtimabis, nihil gratius erit mihi, quam abs te moneri, ut vel ego tibi perſuadeam, vel tu mihi, vel ſi hoc fieri non poſſit, cognitis rationibus alter alteri ignoſcamus, quod ſponſam utervis ſuam maxime amet. Amicitiam, quam offers, accipio cupidiſſime, & magno honori mihi duco, ejusque teſſeram ac pignus libellos, quos vides, ad te mitto. Alterum, vel potius utrumque, ſed praecipue majorem habeo paratum multis detractis, pluribus locupletatum ad aliam, ſi Deus dederit, editionem. Et ſunt ibi nonnulla mihi poſtea deprehenſa feſtinantis calami veſtigia. Itaque ſi quando illo utere in ſcriptis tuis, ſi me amas, facies me conſulto, neque tamen libertatem ſentiendi tibi praecidere velim. Tu vero proba, refuta, quicquid & quantum velis. Malo ab amico emendari, quam ab inimico traduci. Itaque de his ſtatues, prout tibi videbitur officio congruere. De aetate Curtii, ego vero ſummis viris aſſentior, qui Plinio minori non valde diſtantem ponunt, & in utroque aliquid ſimile aut propinquum obſervaſſe me memini. Nam de aevo Theodoſiano, *τῶν δ' ἔτι*? quid eſt judicii ludibrium debere, ſi hoc non eſt? Male meritus eſt de amico ſuo, qui hanc ſententiam ejus in acta retulit. Ego non magis Curtium aevi Theodoſiani eſſe credo, quam ſcriptorem Belli Trojani, Dictys Cretenſis nomine, eſſe Tulliani, atque adeo Cornelii Nepotis, quod alius eſt viri docti judicium. Sed haec tu melius, qui ſi ter, quater, quinquies Curtium legeris, ut decet, quem quis edere vult, ſenſus communis dictabit tibi, quid de tanto ſcriptore ſentiendum ſit. Vale, mi Blancarde, & memento *ἀμείγνυσθαι*, me vero ama, meoque nomine magnum noſtrum *Boxhornium* ſaluta. Daventriae Kal. April. Julian. CIↃIↃCXLVIII. Non placent mihi illa grandia capita, in quae Curtium diſtinxerunt. Omnem enim uſum hujus ſectionis tollunt, qui eſt facilitas quaerendi & enotandi, & neceſſarias tradunt illas minutas ineptias verſiculorum, quae vehementer diſplicent, & putidae diligentiae hominumque otio ſuo, quod tanto melius collocari poterat, abutentium videntur. Quid igitur an facienda alia? ſi res integra eſt, ſuaſerim, necdum enim ſerum eſſet, cum perpauci illis capitibus in citando ſint uſi, & habeo librum, in quo *Gruterus* ſua manu multo breviora & commodiora fecit. Exempli gratia hujus libri quinti capita ſunt 63. Sed ſi jam incepta eſt editio tua, hoc fruſtra monuero, cogitabis.

EPI-

EPISTOLA CCCLXVIII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Nicolao Blancardo S. P. D.

Leidam.

FAsciculum, quem ad te misi, quin acceperis, non dubito, Vir doctissime: adeo fido homini eum commisi: id tamen ex te cuperem cognoscere, & num pergeres in apparando munere Curtiano. Ego variis de transverso incurrentibus impeditus sum, ut non potuerim ita pergere in spicilegio, quod adornabam. Sed nec minutis observantiunculis tibi opus est. De uno insigni loco, non possum te celare sententiam meam, lib. VI. extremo in confessione Philotae. *Festinasse ergo se, dum praemium in manibus haberet. Repraesentasse consilium, cujus patrem fuisse auctorem si crederent, tormenta, quanquam jam tolerare non posset, tamen non recusare.* Freinshemius hic *repraesentare consilium* interpretatur exponere, & quasi re figurare, in rem praesentem deducere, dein quia libris quibusdam abest *τὸ auctorem, patrem consilio* dixisse putat Curtium pro auctore. Ego ut de posteriore valde dubito, an Curtius ita fuerit locuturus, ita priorem illam interpretationem hîc non competere scio. *Repraesentare consilium*, est exequi, in opus & effectum adducere. Caesar. lib. I. Gall. *itaque se, quod in longiorem diem collocaturus esset, repraesentaturum, & proxima nocte, de quarta vigilia castra moturum.* Cicero V. Fam. *Neque expectare temporis medicinam, quam repraesentare ratione possimus.* & lib. XVI. *Dies promissorum adest, quem etiam repraesentabo, si adveneris*, id est, non exspectabo, sed praeveniam, & habebo quasi ille sit, quo aderis. Seneca. Epist. X. c. I. *Petis a me, ut id, quod in diem suum dixeram debere differri, repraesentem.* Sic & *repraesentare supplicia* apud hunc Curtium. Porro meliores codices habent *repraesentare*, non *repraesentasse*: atque haec vera lectio est, distinctione mutata: *Festinasse ergo se, dum praemium in manibus haberet, repraesentare consilium.* hoc est voluisse properare scelus, & exsequi destinata, dum pater viveret. Quae sequuntur fortassis non tam ingenium, quam librum aliquem meliorem desiderant: verum est enim abesse fere a scriptis *τὸ auctorem.* Duo *Grutero* visi codices, *cujus patrem non fuisse nisi crederent.* Alius, quem Pal. I. appellat: *consilium patrem, non fuisset nisi.* Duo praeterea. *fuisse nisi cred.* Vide an fuerit: *conscium patrem non fuisse* (nempe hujus postremae conjurationis) *nisi crederent, tormenta, quamquam jam tolerare non posset, tamen non recusare.* Videbis an hoc sit tanti. Caeterum auctor tibi sum, ut quandoque literis tuis nos invisere ne pigreris, neque enim id fraudi futurum tibi judico. Vale, mi Blancarde, & memento *ἀεὶ ἀριστεύειν.* Daventriae a. d. IV. Eid. Jun. CIↃIↃCXLVIII.

Digitized by Google

EPISTOLA CCCLXIX.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Nicolao Blancardo S. P. D.

Leidam.

DEcidamus igitur, hoc est, & ego silentii tui, quod mirabar, justas fuisse causas agnoscam, & tu, quod nunc ego tardior fui, non negligentia tui, sed occupationibus meis effectum esse mihi crede. Nam quae una nobis occasio est hinc ad vos aliquid dandi, eam bis, imo ter prehensuro, & jam calamum chartae admoventi, intervenit aliquid, quo diffindere illum diem juberer: ut autem in antecessum litteras parem, quae postea, cum praesto fuerit occasio, mittantur, vix a me impetro, cum vacui temporis parum aut habeam, aut mihi ipse concedam. In locum *Isendornii* duo sunt surrogati, unus Medicus, qui extraordinarius Medicinae erat jam antea, itaque ei adjuncta est Philosophia Naturalis, alter praestans juvenis *Loënius*, civis hic & honorati, seu Scabini filius. Quod quaeris de extraordinario eloquentiae Professore, non possum ullam tibi spem facere. Nemini extra ordinem nostrates Professoris titulum dedere praeterquam Medico: nam quia studiosorum ejus scientiae justus hic munerus nunquam fuit, neque ordinarius Professor fuit: Huic autem petenti, cum pater ejus stipendiolo a senatu conductus esset, ut civibus inserviret & Praxin hic exerceret, facile in eo gratificati sunt. At dum *Christenius* etiamnum hic fuit, vir quidam bonus & peregrinus quidem, sed tamen primariis civibus adfinitate junctus, multo ambitu desideravit extraordinariam juris professionem; sed nihil impetravit. Nihil hic magni geritur: omnium, qui in hoc gymnasio quibuscunque artibus student, vix est ad triginta numerus: itaque si privatim te exercere velis illic, certus sum te plures habiturum, qui te audiant in museo tuo, quam vel tu habiturus sis vel ego habeo hic, cum doceo publice. Si lubet excurre ad nos, & vera, quae dixi, ipse deprehendes. Noli contemnere conditionem, de qua scribis, si honesta est, si salarii justi certus es. Nihilo pejori conditione eris, quam ego hic sum. An tu putas hic degere ullum mortalium, cui emendationem aliquam in Curtio tuo sine derisu & traductione praelegere ausim? Denique nisi aequissimus ego essem & patientissimus, & loci, quemcunque cepi, tenax, & aversus tum ab ambitu, tum a querelis, jam locum hunc tibi, si appeteres, vacuum cessissem. Non possum omnia exprimere, quae volo, sed si quando huc excurreris, plura cognosces. Vale, mi Blancarde, & me ama. Dayentriae. Nonis Sextil. CIↃIↃCXLVIII.

Illustri *Salmasio* & Cl. *Boxhornio* officiosam salutem. Valde desidero videre *Jac. Capelli* librum de ponderibus & nummis. Eum si alicunde excutere poteris, & usum ejus mihi concedere, gratissimum mihi feceris. Mitte meo sumtu per ordinarios nautas. Nec diu detinebo; dum haec scribo redduntur mihi literae Hanovia a curatoribus Testamenti *Philippi Parei τῦ μαναείτυ*, qui

qui me librorum MSS. ſplendido legato honoravit. Vellem hîc eſſent, ſed ſpero fore; nam cum bonis viris, ut video, mihi negotium eſt. Iterum Vale.

EPISTOLA CCCLXX.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Nicolao Blancardo S. P. D.

Laidam.

FActum eſt, quod imperaſti, Blancarde praeſtantiſſime, nam & quas Benthemium deſtinaveras, per certos homines miſi, & quae de loco Hardervicano ſpes eſſet, exploravi. Egi autem cum ipſo *Tollio* (ea enim nobis amicitia intercedit, ut nolim quicquam adverſus voluntatem ejus ſuſcipere, ſimulque ea illius penes plerosque Curatores eſt auctoritas, ut invito illo fruſtra contenderemus) tuo nomine nec omnino diſſimulato, nec plane profeſſo. Reſponſum ejus hoc fuit. *Pro fratre meo* Alexandro *ſcripſi in iis, quas pridie ad me per occaſionem dederat, me eniſurum, ut detur illi vel ſpe ſola honorarii lectio extra ordinem in Graecis. Nam quando iterum futura eſt occaſio tam capillata fronte promovendi illum, qui me patremque, ut ſolet in domo plena liberorum, ſollicitos diu habuit? Noſti verbum omnes ſibi malle melius eſſe quam alteri: & quanto id quidem aequius, non pro ſe modo, ſed pro fratre, ſed pro familia ſua, laboranti? Ego ut* Hornio *ſufficiar, & utramque & Eloq. & Hiſt. profeſſionem ſuſtineam, omnia faciam etiam pertinaciter, quia jure poſſum: Hoc ſi impetro, nec tamen fratrem fratri ſufficere dignantur proceres, ſciat optimus* Blancardus, *ſive quiſquis alius ſit, quem tu aeſtimas, neceſſario bonum, me ipſi ante alios omnes candidatos, manum meam libentiſſime polliceri.* Sic ille. in Curtium habeo non pauca, quae otioſior deſcripta ad te mittam, ſed ante omnia velim in editione tua quaedam aboleri, quae adoleſcenti mihi elapſa, & e Freinshemio a te relata invitus video. Ut pag. 352. deleri poteſt. *Pulcherrime alter* MS. &c. uſque ad τὸ *reperitur*. Pag. 445. iſta, *ſed defendit receptam* &c, uſque ad *interponere*. Si quid ibi de me vis potius hoc ſit. Videtur legendum *abſtineri*, & τὸ *ſuis* non ad *Macedonas*, ſed ad τὸ *corporibus* referendum. *Sua corpora*, ſunt ingenua, non ſerva, quae ſui juris ſunt. Verbum JCtorum. Horatius *Vindicta poſtquam meus* &c. id eſt, liber. Pag. 457. *Cujus autem gentis nobilitatem* &c. uſque ad τὸ *ſuis ederet*. Pag. 571. *quam pro vera lectione habeas* &c. uſque ad τὸ *at hîc*. Potes autem iterum concinnare. *Armigeri*. Totam hanc obſervationem cancellare potes. Nam illud *vera*, hîc non eſt nauci. Ego autem ambiguis notis ejus, qui MSS. Pall. excerpſerat, deceptus ſum. Haec inter occupationes plurimas. Si qua in re viciſſim tibi tuisque ſtudiis ſervire potero, confidenter opera mea utere. Vale, politiſſime vir, cum omni domo tua & me ama. a. d. XII. Kal. Jun. Julian. anni CIↃIↃCLIV. quem tibi auſpicatiſſimum precor.

Digitized by Google

EPISTOLA CCCLXXI.

JOH. FRID. GRONOVIUS

Nicolao Blancardo S. P. D.

Leidam.

QUas nobili adoleſcenti dediſſe ais, ſive ferendas ad me, ſive curandas, accepi nullus. In illum, quem rivalem tuum fuiſſe ais, indignationem pone. Qui ſolus palam de illo factum eſſe neſcis, audi rem acerbiſſimam. Κῆτται Πατρούλος. ille qui literas, modo ad invidiam uſque per omne liberum Belgium florentes, nunc prorſus occiſas atque eradicatas nunc reſuſcitaturus videbatur. Ille alter, quicum agi debuiſſe ajebas, adeo non plus valet apud τὰς Πληρόπτας, ut invitiſſimo eo atque omnibus collegis, vix elato altero, interceperit locum ejus homo mihi familiaris, ſed quem valde vellem, ſi non primoribus labris, ſaltem extremis digitulis literas & veteres unquam attigiſſe. Hoc fatum eſt, ex quo Palladia curant, qui egent ipſi a praetore dato. Itaque feramus publicam inſaniam, tanquam unum ex praeceptis Epicteti τὰ οὐκ ἐφ' ἡμῖν, quae ad nos non pertinent. In Curtium erant nonnulla: ſed non vacat nunc ſcrutari meas ſchedas. Quae in promptu erant, miſi, opinor. Et tamen etiam neſcio, ſi quae nunc addam, an non crambem tibi repetam. Nondum me dimiſit Livius: vellunt aurem quotidie de ſeſtertiis, ſive Subſecivorum Pecuniae veteris Graecae & Romanae lib. III. cis paucos dies praelo dandi. circumſtant adoleſcentes publice privatimque audiendi cupidi. Tamen paulo liberior eruam chartas. & ne nunc fruſtra appellaveris. lib. x. cap. VII. *irrupit regiam clamitans, ſuffragari Reip., de novo rege paullo ante concepto robur aetatis experirentur.* Meminiſti, quae ibi Acidalius, quae Cl. Freinshemius de amici ſui conjectura. At vide num verius ſit. *Clamitans ſuffragari ſpei de novo rege paullo ante conceptae robur aetatis. experirentur ſtirpem Philippi, & filium ac fratrem regum ſuorum: ſibimet ipſi potiſſimum crederent.* Sed de hoc alias. nunc interpellor. De pacto cum Typographis, nolo te imitari exemplum meum. ninis lenis ſum: agunt mecum, prout volunt. Livii & Senecae exemplaria duodecim, notarum ad eos mearum viginti mihi dederunt *Elzevirii.* Hoc omne, quod ab illis habui, praemium. Itaque praeter iſta, CL floreni perſolvendi mihi fuerunt pro alterius exemplaribus, quae donavi, pro alterius, paulo minus. Haec eſt lucri cupidiſſimorum hominum benignitas. Itaque tu illis, qui te ultro requirunt, & egent opera tua, minime parce. Diteſcunt vigiliis noſtris, nec per ipſos ſtat, quo minus pauperie contabeſcamus. Vale, mi Blancarde. Daventriae a. d. XI. Kal. Octobr. Jul. Anno Chriſti CIↃIↃCLIV.

EPI-

EPISTOLA CCCLXXII.

NICOLAUS BLANCARDUS

V. C. *Joh. Frid. Gronovio* S. P. D.

Leidam.

ALiquamdiu me ſuſtinui a ſcribendo, etſi animus & cauſae paene publicae impellebant. tamen locus ubi eſſes, dehortabatur. Audiebam te in Germaniam vitandae luis gratia profectum, & verebar tibi in communi luctu, & a libris diſſito moleſtus eſſe. Sperabam etiam brevi te ad tuos reverſurum: & tunc abrupto ſilentio gratulaturum, & recepti muneris, & incolumitatis. liceat ergo tibi gratulari, qui amicis redditus placide quieſcis; & urbi, quam conſilio juvas & ſcholae Academicae, quam voce pariter, & ſcriptis ſic ornas, ut nihil tamen ad oſtentationem, omnia ad conſcientiam referas, rectequefactorum, non ex vanis ſuperſtitum Judiciis mercedem, ſed ex facto petas. Haec facere pro parte, etiam nos conamur, atque iſti conſentientes ſenſus firmiter nos jungunt. Audi igitur ea, quorum cauſſa te interpellandum duxi. Quinque anni ſunt, ex quo Arrianum veri diligentem hiſtoricum, coepi recenſere, & cum Diodoro, Curtio, Juſtinoque, & Plutarcho conferre. Subſidio fuerunt primum excerpta e libro manuario *H. Stephani*, quae *Vulcanius* editioni ſuae praefixit. Acceſſere dein expreſſi Baſilienſes, quorum copiam fecit humaniſſimus patriaeque antiquitatis cornu copiae *Cornelius Boot*, ſenator Trajectinus, publicaeque bibliothecae praefectus. Sed cum nonnulla ſortis eſſent deploratae, coepi undique inquirere in codices manu exaratos. At ſuppeditavit quidem unum ex Richelii Cardinalis bibliotheca *Petrus Gaſſendus*, princeps aevi ſui Philoſophus; alterum exhibuit reverendus *Antonius Tryſt* Epiſcopus Gandenſis; tertii Codicis ſpem fecit *Iſacus Voſſius*. Nonnihil etiam profuerunt, excerpta Photii, Suidas, Stephanus, & Euſtatii ad Dionyſium, Ἀνομνήματα, in quibus varia Arriani loca citantur. Ipſi auctori comitem dabo *Vulcanii* verſionem, ſed centenis aliquot locis modeſte interpolatam. Nondum tamen videre contigit *Pauli Vergerii* interpretationem; quam ut barbaram, Germanis incultioribus relinquere ſe praedicat *Bartholomaeus Facius*, cujus fatuum caput ſale nigro lepide defricavit *Bonaventura* Brugenſis. *Vergerium* primo in Flandria Brabantiaque, mox Pariſiis, & Londini, tandem in Francofurtenſibus nundinis quaeri juſſi. Sed nusquam comparuit. Eam tamen olim extitiſſe, fidem facit *Aeneas Picolominaeus*, Senenſis Cardinalis, Commentario de his, quae Frederico III. imperante in Germania, & per Europam geſta ſunt. Hunc ego codicem, ſi penes te ſit, aut alicubi excutere poſſis, rogo ut tranſmittas; ne ſi forte minus germanae lectiones aut obſcurius reddita compareant, noſtra id culpa accidiſſe videri poſſit. omnem quippe lapidem moveo, ut tantus Scriptor non modo elegantioribus typis exprimatur, ſed quod potiſſimum eſt, a ſordibus purgatus ſtudioſorum manibus inſeri poſſit. Quod ſi a negotiis liberior ſis, erue chartas & diſpice ſollicitius,

num

num ſciolorum παρεγχειρήματα per te tolli, num diſtorta ſanari, num Cimmeriis tenebris involuta face & luce tua illuſtrari poſſint. Jam diu Syllabum praecipuarum emendationum miſiſſem, ut ex Veterum conſuetudine & legeres, & corrigeres, ſi ratio rerum tuarum perſpecta fuiſſet. Tuae partes erunt indicare, quo loco ſint, ut obtinere fortaſſis queam, quod impetratum a te maxime cupio. De notis perpetuis, quibus ſcriptorem illuſtravi, nihil nunc dicam. Videbis in tempore ubi & ipſae lucem viderint. Sed de Arriano hactenus, &, quae praeſtiti, habes: ſequitur, ut quae in re diſpari, domeſticane dicam an publica, a te fieri velim paucis aperiam. Atque utinam ora videre fas! Voces accipere, & interponere! ſed regionum abjunctio, & magis honeſti Juvenes vetant. ut audivi igitur, mi Gronovi, te deſignatum a Curatoribus Athenarum Leidenſium, qui Graeci Profeſſoris munus obires, fateor ex intimo animi ſenſu me gaviſum. Age, aggredere, exſequere, quo Deus & virtus ducunt, & adflictae Graeciae pro virili medere: qua occaſione non potui non refricare memoriam commendationis veteris, etſi verecundia, & paene religio eſt, interpellare te pluribus. Sed affectus in me tuus impellit ut conſortem, imo arbitrum, & adjutorem te habeam conſilii, quod res meas tangit. Non diſſimulo poſt obitum *Apollonii*, ſperaſſe me, ut duo Profeſſores adjungerentur. At nihil factum eſt, temporumne an hominum culpa, quid attinet dicere. Itaque in pejus abeuntibus rebus (ut qui ſolus relictus ſim) neque impudentem me putabis, opinor, aut intempeſtivum, ſi de negotiis meis ad te referam, & ſerio petam, ut poſt diſceſſum tuum profeſſio, quam nunc ſuſtines, mihi permittatur. ſi ex re Gymnaſii Daventrienſis & juventutis cenſes, hunc hominem per te promoveri. tum illud pro beneficio adde, ut ne diu anceps & incertus tuae ſententiae haereat. Ne occaſiones provectionis (quae praecipites eſſe ſolent) elabantur. Addo etiam verecunde, ut ſi commendationem ſuſceperis, ea absque literarum, & voluntatis meae ſignificatione fiat. Nam & munus Hiſtorici, ante biennium ab Comitatus Ordinibus ſponte delatum, & publica profeſſio tot per annos expleta, clamant a puſillo animo fore, ſi quae virtuti & eruditioni praemia debentur, multo ambitu emendicatisque precibus peterentur. Sed quid ego haec tibi? cujus prudentiae & benevolentiae tota res gubernanda permittitur. Vale Vir. Clariſſime, & me amare perge. Middelburgi Zelandorum. 1658. Prid. Id. Jun.

EPISTOLA CCCLXXIII.

JOH. FRID. GRONOVIUS

V. C. *Nicolao Blancardo* S. P. D.

Medioburgum.

DE Arriano ſane quam gratum quod polliceris, nec ad literas quidem juvandas, quod poſſum, expoſces opis, ὁπόσας ἐξαφίσιμην ἐγὼ, haud ſcio an tu me ferre poſſis ſimpliciter agentem tecum, ut & aetas mea, & hic locus,

Digitized by Google

eus, & mutuus amor mihi videntur imperare. Dicam tamen quia ἱερὸν βουλή. Velim in eo, quod in manibus habes, opere ſpectare te ſolidam laudem, non adumbratam & parietariam illam, quam nuper exorti repentini auctorum editores, quod a Variis promittunt, domi non eſſe ſibi ſponte faſſi, cumque omnia adepti ſunt, nihil ulterius promeriti quam hunc titulum *Sarcinatores eſſe probos, ſuere centonem optime.* Officinis illi quidem gratificantur & ocliferia mercemque imperitos pecunia emunctura adornant: ipſi quod inde exiſtimationis apud vere bonos doctosque auferant, non habent: niſi forte laboris miſeri deriſum, ne dicam ingrati & impii invidiam. Quid enim ingratum vel impium, ſi hoc non eſt, praeſtantiſſimorum ingeniorum monumenta, quae non tam ipſorum, quam poſterorum intereſt, ſalva & honeſta eſſe, ut ipſi ſtatuerunt, mutilari & truncari ab homine nequaquam ejus profectus, ut de his recte judicare poſſit, cum aperto praejudicio tamen, quaſi nihil in iſtis ſit ſani, niſi quod eclogarius iſte excrevit, quaſi nihil damni ſit caeteris carere? & ſic quum a legendo ſtudioſorum, tum a repetendis editionibus typographorum cupiditatem averti? Quid ſe futurum ſperare ille poteſt apud poſteritatem, aut quamdiu ſua ſalva fore, qui hoc facinus in ſanctas animas, quas inter majores noſtros ducere debemus, quicunque imitamur, ediderit? Quam facile eſt turbare iſtam congeriem, paullo aliter diſponere, & aliis quaeque reddere locis, dein ſuum nomen praeponere? Quod quidem in Curtio tibi, tibi inquam, munuſculum jam deferre aliquis parabat, & peregiſſet, niſi ego inhibuiſſem, & verecundiam tui homini feciſſem. Mihi nunquam meum nomen tam vile fuit: quamvis admodum adoleſcens animum ad ſcribendum appellerem, jam tum tamen mihi volebam concipi & naſci, quod tollerem, non adoptione aut plagio ad me venire. Non poteram ferre conſcientiam illius. *Prob Deum atque hominum fidem! Quid? ego lenocinium facio, qui habeam alienos domi?* Semper ante oculos erat, non quid potiſſimum exerceret forum, aut diriperet vulgi licitantis, quod nec legit nec intelligit, inſania, ſed quid *Camerarius, Victorius, Turnebus, Scaliger, Caſaubonus, Lipſius*, & horum proximi annotaſſent, hos ut quamtumvis e longinquo ſequerer: quid, ubi legiſſent, quae ſcriberem, dicturi eſſent *Grotius, Salmaſius, Heinſius, Voſſius, Scriverius*, & horum aequales, his ut operam approbarem. Neque enim videbatur pretium prodire in ſcenam, niſi ſub talibus ſpectatoribus. Ita excuſſi animo illam & vitae & ſtylo peſſimam Caji ἀλαζονείαν, meque coëgi habere reverentiam famae, quam inter bonos, non in turba, quaerebam. Tempus eſt te ſuſcipere ſimiles cogitationes, & conari, ut imaginem ingenii duraturam ad poſteros transmittas. Quod antehac multorum circa te exempla abripuerunt συναυξῆν τῆς μὴ σοφοῖς, poteſt aetati & conſuetudini condonari. haec dies aliam vitam, alios mores poſtulat. Neque monerem, niſi optime & de indole tua & ſtudiis ſentirem, certumque haberem, modo intendas nervos, fore ut induſtria tua nitare

Avia Pieridum peragrans loca, nullius ante trita ſolo.

Nec dubito, quin largam materiam praebeat ille minor Xenophon, quem

ſuſcepiſti, praeſertim iſtis praeſidiis inſtructus. Age, mi Blancarde, aggredere rem, incipe de te ipſe petere ac promere, quo eniteſcas; ſperne alienas exuvias: dedignare bajulus eſſe vaſorum & ornamentorum triumphi non tui; ipſe tua opima porta. Plus laudis habebis ex una pagina obſervationum, quas eruit tua ſagacitas, quam ex ingenti volumine iſtius undique emendicatae ſtipis. Haec unde profecta ſunt, eo accipe, oro te, vero & benevolo animo, & vel ob id me ama, quod de fama tua ſollicitus ſum. Si peccaſſe cenſes, ne tamen me oderis, ſed tuo quidem conſilio utere, mea vero nihilominus officia tibi conſtare in reliquum puta. Unum non poſſum pati, quin etiam addam. Notae perpetuae, ſi ſunt ad exemplum illorum, quos ſupra nominavi, ſi obſcura illuſtrant, difficilia & confragoſa complanant, dubia confirmant, errores notant, corrupta emendant, & quidem ita, ut primo tibi viſum inventumque eſt, nullum illis modum definio, & quam prolixiſſimas eſſe cupio; ſin ſarcinas onerant alienas, & centies dicta tantummodo referunt, quanto pauciores erunt; tanto minus poenitebit homines nummorum expenſorum pro ſcriptis nova cura mangonizatis, quae toties antea & integriora jamdudum in bibliotheca habebant. *Vergerii* editionem ignoro praeterquam ex Baſilienſi, qua ſola utor, & praefatione *Facii*. Excerptas e MSS. varias, & ſi quid tu ad illos primus vel contra alios vel pro illis, quod utile & animadverſum non ſit, ſi communicabis mecum, libenter de illis ſententiam meam perſcribam, & quibus potero rebus te juvabo. De diſceſſu meo in hunc diem tantumdem ſcio, quantum tu. Si quid fiet tamen, & audiar (ſolent enim plerumque graviter iraſci deſerentibus, neque ab illis conſilium admittere) tui non immemor ero. Vale, Blancarde humaniſſime, & cura, ut velis non niſi ἀειϛίνων. Daventriae. a. d. IV. Idus Junias Julianas. CIↃIↃCLVIII.

Spectabilem illum virum, Decurionem patriae ſuae, mone, ſi dignitati ſuae conſultum velit, ut conſilium de epiſtolis abjiciat. Quid? an non orbis terrarum gemit ſub tot futilium verborum plenis, rerum inanibus ponderibus? ſatis indulſit ſibi amicus noſter ὁ μακαρίτης, dum viveret, nec paulo melius conſuluiſſet nomini ſuo, ſi multo minus ſcripſiſſet. Quid enim nunc quieſcentem & beatum ſero ludos facere volumus? Memini me aliquando vidiſſe apud te excerptum e *Seldeno* de aurea vite apud Florum: ſi ea ſcheda tibi ſupereſt, vel ipſam, vel exemplum ejus fac, quaeſo, habeam. Iterum vale.

EPISTOLA CCCLXXIV.

NICOLAUS BLANCARDUS

V. C. *Joh. Frid. Gronovio* S. P. D.

Leidam.

Tibi vero, Gronovi, rectum iter, quod mature cognoviſti, non ſolum amanter, ſed etiam liberaliter monſtranti, iraſcerer? μὴ γένοιτο ὦ ζεῦ Φίλιε. Itaque cum ante ex litteris ſcriptisque diligerem te, nunc caepi etiam amare plu-

Digitized by Google

plurimum, ſalutaresque admonitiones ſerio admittere. O raram curam & ſollicitudinem! qua me non quidem penitus bonarum artium rudem, ſed nutantem adhuc, ab tramite devio ad lucem, ab inepta perſuaſione ad veritatem revocaſti. ut, quod res eſt, dicam, ante videbar habere multos amicos, ſed meo malo expertus, hujus generis, cujus & ipſe quaero, & ſtudia exigunt, praeter te eſſe neminem, ſunt enim omnes incauti, & nimium officioſi. Literarum vero tractatio poſcit durum aliquem, & caſtigatorem, cui ut conſilia in promtu, ſic omnis adulatio & ſervilis & noxia videatur. Proinde ſi quas ad me deinceps epiſtolas mittes, memento ſtimulum adhibere, non qui aures blandiori ſono permulceat, ſed animum praeclara meditantem erigat, ac inflammet. Nunc ſi vacat, amiciſſime Gronovi, velim hos Arriani locos a te diligenter examinari. Libro Ἀναβάσεως ſecundo, obſidione Tyri: καὶ ἡ μὲν μία τῶν νεῶν οἱ ὑπασπισταὶ ἔλαβον, ἣ ἐπεπίστευτο Ἀδμήτῳ. τὴν ἑτέραν δὲ, ἣ Κοινὴ τάξις οἱ ἀσθενέστεροι καλούμενοι. Vulcanus vertit: *atque alteram quidem navium ſcutati occupant, Admeto duce: alteram Coeni cohors e militibus, qui infirmiores dicuntur, conſtans*: offendit me vox ἀσθενέστεροι. Nam ſi Macedones a Graecis aut ab Alexandro *infirmiores* vocati, id ſine ignominia fieri non potuit. Scriptus liber Stephani heic legit ἀσθένεροι, & interdum ἀσσότεροι. noſtri codices conſtanter ſcribunt, ἀστοπέροι. Expreſſi Baſilienſes nonnunquam habent τῶν ἀσθενέρων καλουμένων τὰς τάξεις, velut libr. VI. interdum τὰς τῶν ἀσθενεστέρων τάξεις, ut lib. V. aliis in locis τῶν ἀσθεταίρων καλουμένων τὰς τάξεις. ſicut lib. IV. omnino videntur ſyllabae poſteriores corruptae, & pro ἕτερο, aut ἑτέρων, ſcribendum ἑταίροι & ἑταίρων. nam ſimplicem vocem conſimiliter fuiſſe deformatam obſervavi. libro IV. in vulgatis Baſilienſibus: τὸν δὲ Μακεδόνας τὶ εἶναι, καὶ ἑτέρους βασιλέως, ſcripti & editi Vulcanii rectius, ἑταίρους. Aliud exemplum in Photio, num. 91. Φιτελεῖ δὲ καὶ γάμους αὐτῶτε καὶ τῶν ἑτέρων λαμπρούς. Lego, ἑταίρων, quod de Hephaeſtione, Cratero, Ptolemaeo, Eumene, Nearcho, & Seleuco, qui mox ſubjiciuntur, ſermo ſit. Adhaec poſt recenſita noviter nuptarum nomina addit, καὶ τοῖς ἄλλοις ἑταίροις τοὺς δοκιμωτάτους τῶν Περσῶν καὶ Μήδων παῖδας. ut certum ſit, intelligi debere amicos, qui erant ex turma regia, ex ἡ βασιλικὴ ἴλης, cujus praeter noſtrum, ut Vellejum Pliniumque omittam, meminit etiam Diodorus in octavo decimo. Nunc ἀθεταίρους, vocem a nomine intellectam expediamus. Wolfio valde probatur Gulielmi Canteri, cum honoris praefatione ab illo nominati conjectura, ſic dictos ἀπὸ τὸ ἄευ τοῦ τ ob ε aſpiratam in θ mutato, ut ἀθέταιροι dicantur, ſicut ἀσυγήτους. Hoc eſt aliquid quod dici, quod defendi poſſit, ſed καθαμμα non ſolvit. Germana lectio πεζεταίρους, ſcilicet in Macedonica militia fuere amici regis, ex praeſtantiſſimis electi, inque unum σύζημα contributi. & hoc non minus de equitibus, quam de peditibus capiendum. certe Arrianus noſter fere conjungit Libro 4. Ἀλέξανδρος δὲ ἄγων τοὺς ὑπασπιστὰς, καὶ τῶν ἑταίρων ἱππέων, ὅσοι μὴ ξὺν Ἡφαιστίωνι ἐτετάχατο, καὶ τῶν ἀθεταίρων καλουμένων τὰς τάξεις. Libro 6. ἐκεῖθεν δὲ ἀναλαβὼν τῶν ὑπασπιστῶν καὶ τῶν τοξοτῶν τοὺς ἡμίσεας, καὶ τῶν ἀθετέρων καλουμένων τὰς τάξεις, καὶ τῆς ἵππου τῆς ἑταιρικῆς τό τε ἄγημα καὶ ἴλην ἀφ' ἑκάστης ἱππαρχίας.

χίας. Quod de Syſtemate amicorum dixi, id ἀνηρρήτως evincitur ex ſequentibus verbis Harpocrationis. Πεζαίτερον, Δημοσθένης Φιλιππικοῖς. Ἀναξιμένης ἐν πρώτῳ Φιλιππικῶν περὶ Ἀλεξάνδρου λέγων φησὶν. Ἔπειτα τὰς μὲν ἐνδοξοτάτας ἱππεύειν συνεθίσας, ἑταίρους προσηγόρευσε. τὰς δὲ πλείστας, καὶ τὰς πεζὰς, εἰς λόχους, καὶ δεκάδας, καὶ τὰς ἄλλας ἀρχὰς διελών, πεζαστέρους ὠνόμασεν ὅπως ἐκάτεροι (notabis) μετέχοντες τῆς Βασιλικῆς ἑταιρείας, προθυμότατοι Ἀλεξάνδρου ὦσιν. Haec prave in Graeco, nec Mauſacus expedivit, ſcribe vero πεζέταιρος, & mox πεζεταίρους. nam πεζέταιρος formatum a πεζὸς & ἑταῖρος, quis non videt? idem mendum adhaeſit Suidae, ex cujus verbis de ἀσθετέρους caepi ſubdubitare. Interpres ſimpliciter vertit, *pedes, qui pedibus iter facit*, debuiſſet *pedes amicus*, aut *ſodalis*, quia hi non minus, quam turmae equitum amicorum μετέχοντες τῆς Βασιλικῆς ἑταιρείας, ut loquitur Anaximenes. Sed emendationem noſtram mire juvat Demoſthenes Olynthiaca II. Οἱ δὴ περὶ αὐτὸν ὄντες ξένοι, καὶ πεζέταιροι, δόξαν μὲν ἔχουσιν, ὡς εἰσὶ θαυμασοὶ, καὶ συγκεκροτημένοι τὰ πρὸς πόλεμον. Imo etiam in editione Baſil. 496. & Vulcani 156. & V. Pollux. 52. 35. Etymologus in voce πεζέταιροι in fine literae Π. Huic denique accedat unicus Arriani locus, qui inter tot alios incorruptus permanſit. Libro I. in editis Baſileenſibus ſic leges. ὅπη μὲν τῷ δεξιῷ κέρως ἵνα καὶ αὐτὸς ἐπιτάττοι τοῖς ὑπασπισταῖς εἶχεν. ἑκομένων (Vulcanii editio legit ἑκομένους) ἢ τούτων τοὺς πεζεταίρους. unde colligere datur ex πεζεταίρους primo factum πεζαιπέρους, dein ἀσθεταίρους, vel ἀσσετέρους, mox ἀσθετέρους, & omnium peſſime ἀσθενεσθέρους, qui hactenus pro infirmioribus habiti ſunt. Libro 5. Εἰη ἂν οὖν ὅτε τὸ δὲ τῷ λόγῳ ξυντιθέντι πεκμηρίουσθαι, ὅτι οὐ πέρα τοῦ ἀληθοῦς ἀναγέγραπται ὁ Ἰνδὸς πόταμος τὸ μέγεθος, ὅσους ἐς παραλίους σταδίους δοκεῖ τὸν Ἰνδὸν εἶναι τὸ εὖρος, ἵνα μέσως ἔχοι αὐτὸς αὑτῷ ὁ Ἰνδός. ἵνα ἢ στενότατός τε καὶ ἅμα στενότητα βαθύτατος, ἐς τοὺς πεντακαίδεκα ξυναγαγὼν. Aut haec inſigniter vitioſa ſunt, aut Arrianus a ſe ipſo diſſentit, aut ego rudis profecto & aure agreſti homo. Cur enim aliud potius ſupra dixerit, haud equidem intelligo. Κτησίας, inquit (εἰδήτω ἕκαστος καὶ Κτησίας ἐς τεκμηρίωσιν) ἵνα μὲν στενότατός ἐστι, τετρακοσίους σταδίους ὅπου διέχουσιν, αὐτῷ τε ὀκτὼ. ἵνα δὲ πλατύτατος, τε ἑκατὸν τὸ πλοῦ δ' εἶναι αὐτοῦ τὸ μέσον πόντου. Penicula utrumque, & reperies ſuo quodque in loco ſonare diverſiſſime. Forte dicis contra, & hanc Cteſiae ſententiam eſſe, illam Arriani. nos autem alibi quoque poſtea conſimiliter in noſtro ſcriptum invenimus. Intende ad haec animum ex libro ſexto. Ὁ Ἰνδὸς, πρὶν ἐς τὸ δέλτα ἐκδῦναι, ὡς ἐγὼ ἀκήκοα ὅτι καὶ ἐς ἑκατὸν σταδίους ἤρχεται, τε ὑπὲρ τοὺς ἑκατὸν τυχὸν, ἵνα πελάγιος μᾶλλον. Quis aliud putet in hiſce verbis ab Arriano, aliud in ſuperioribus ſignificari a Cteſia? mihi videtur ex Ptolemaeo Indi fluminis latitudinem inepte colligi: nam is de Aceſine ſenſit, cujus partem latiſſimam ad tranſmittendas copias regem delegiſſe, auctor deinde ſignificat. Locum quidem, ut vitii accuſemus, neque eruditi forte patientur, neque omnium librorum parilis conſenſus. Codex Stephani legit quidem ἵν' ἀμέσως, ſed ibi prior litera vocis poſterioris adhaeſit ex ἵνα, vitio librariis familiariſſimo. ſi vero mei arbitrii res foret, primo & ſecundo loco ſcribi debuiſſe cenſerem non Ἰνδῷ, ſed Ἀχέσῃ,

ab

at tertio ὁ Ἀκεσίνης. Nec dubito coarctandam fluminis latitudinem, & pro illis παραμήκεσι σταδίοις, emendandum τεμάχεσι. prius rationi consentaneum est, ne Ptolemaei & Arriani de Acesine narrationem interrumpat Indi mentio: alterum clarissime evincitur ex libro Indicarum, ubi ait Acesinem Nilum & Istrum magnitudine superare, quando Hydaspe, Hyaeraole, & Hyphati in suum alveum receptis, Indo committitur, adeo ut ejus latitudo triginta stadia efficiat. Atqui neque τεμάχεσι, neque παραμήκεσι σταδίοις, & quod amplius, ne si uterque numerus jungatur, Indi latitudinem aequabit. Noster lib. 6. ὡς δὲ ἦσαν ἅμα ἀναχθέντες ἐς τὸν Ἀκεσίνην ὁ Πῶρος, ὡς καὶ Ἀλεξάνδρου τοῦτο σταδίους ἐπίσχειν, ἦπερ εὐρυτάτῳ αὐτῷ ἐστί. In has rationes subtiliter inquirenti, vel propemodum res erat de Acesine amne capienda videbantur. Habes Cl. *Seldeni*, veram, nisi fallor, de aurea vite sententiam ex libris de Jure naturali, gentium, & civili noviter descriptum & simul pauculas in Arrianum observationes, quae si forte placere poterunt, non displicturae utique aliae sunt, quae ad eundem gustum exactae. Quanti certe faciendae sint, inter omnes si investigassem, in neminem incidere potuissem, qui rectiore judicio quam tu, valeret aestimare, illud iterum unice a te rogo, ut quoniam es.

— *rigidi servator honesti,*
In commune bonus.

Privatim etiam in me bonus sis, & trepido, atque apud indoctos haerenti manum porrigas. Qua de re quum ex nuperis etiam litteris, & benevolo animo scriptis, nihil ambigam, non possum adduci ut credam (quamvis unus e Leidensibus Professoribus significavit) te recepisse alium in fidem tuam, eumque Daventriensi magistratui commendasse. Vale, Gronovi amantissime, & me virtuti tuae addictum, beneficio etiam obstringe. Middelburgi Zelandorum. Id. Aug. 1658.

EPISTOLA CCCLXXV.

JOH. FRID. GRONOVIUS

V. C. *Nicolao Blancardo* S. P. D.

Mediobirgum.

GAudeo admonitionem meam molliter exceptam tibi, non quod apud te valuerit auctoritas mea, sed quod te, quem bonum & consilii patientem putabam, meliorem, & quod suaderi debebat, ultro occupantem intellexerim. Ego enim te de medio illo genere esse libens credebam, ὃς τῶν λεγόντων ἐν, καλὸν τὸ μανθάνειν. Tu vero.

οὕτω καὶ παιδείῳ ὃς αὐτῷ πίστα νοήσει
φρασσόμενός τι κ' ἔπειτα κ' ἰς πόλιν ἧσιν ἀμείνων.

Sic igitur age, ut specimen ostendit illud, quod tuis litteris inclusisti: nec de grata fama & posteritate dubita. De πεζεταίροις praeclare mihi observatum videtur. Lib. enim v. merito offenderis de Indo dici, quae de Acesine vera sunt.

Sed admittis etiam τὸν ἀφίσκασαν μόι; Tà Ινδεῦ & Ινδοὶ imperiti librarii additamenta esse videntur, & reliquisse auctorem. ὅπε πέρα τᾶ ἀληθᾶς ἀναγέγραπται τᾶ πλαμᾶ τὸ μέγεθος, ὡσις ἐς ποσαρέκοντα σταδίως δοκεῖ εἶναι τὸ εὖρος. ἴνα μέσως ἔχει αὐλὸς αὐλᾶ. ἴνα δὲ στενόταθος πᾶ ἀφ' στενότητα. &c. Nihil enim hic obscuri, nec fallere quenquam potest ex praecedentibus τὸ πλαμὸν, de quo loquitur, Acesinem esse. Apud Curtium *Smaragdo & gemmis*, vide an tolerari debeat, non dispari sensu, quam id est, quod substituis: quemadmodum Ζεῦ ξ Θεοὶ cujus generis non pauca apud veteres occurrunt. Lugdunenses sane vocarant; sed frigide, nullis certis constitutis Συνάξεσι. Fuit igitur & responsum meum ambiguum, quod tamen satis indicarat, non abhorrere, si non deteriora fierent vectigalia. Mox abeunt menses duo, nec ad me ille quicquam publice, nec erat quem privatim tentare auderem. Jactabantur etenim rumores varii. quidam palam dicere, rem decolasse, & ridere alii vocantes, alii me. Ego incertus omnium animique pendens, quantum poteram, de negotio sermones vitabam aut praecidebam, ne plus minusve dicerem quam par esset, quodque longa dies coargueret. Et sic quoque adfectus eram, ad proximas ad te darem, iterum deinde tertioque cum syndici tum ipsorum Curatorum literis edoctus serio rem agi, flectere coepi animum, & quum per ferias rei familiaris causa in Hollandiam percurrissem, ita praesentem aggressi sunt, ut res conveniret. De commendatione quod scribis, miror quis ille sit, qui melius sciat, quid hîc geratur, aut amplius, quam nos ipsi. Sane post primam appellationem Lugdunensium (priusquam mora refrigescere res inciperet) ut meum, si forte contingeret, discessum hîc molliorem redderem, habui in sermonibus aliquos, quos facile dicebam locum hunc impleturos veteres & hîc notos discipulos meos (nec pudebit nomina addere) *Schultingium* Noviomagi, *Graevium* Teutoburgi, *Holtermannum* Steinfurti Professores, *Munkerum* Arenaci, *Coccium* Swollae, Rectores, *Balenium* Zuollanum, juvenes omnes egregios & studii perpolitos, & grassaturos ea via, quam a me acceperunt: horum quemcunque optarent, non erraturos. Addideram, memine omnium inferiorem esse *Graevium*, & facillime posse haberi tum propter exiguitatem stipendii, quo nunc fruitur, tum propter metum armorum in his locis. Totum hoc diu antequam acciperem tuas, aut de Lugdunensium erga me animo ex mora dubitarem. Post tuas traditas, ne tui quidem mentionem honestam facere destiti. Sed neque certum ego, & unum publicis commendavi, neque ullam adhuc commendationem nostri aut exegerunt a me, aut admittere voluerunt. Quin pridie illius diei, quo mihi posteriores tradebantur tuae, primo in scholastico senatu, deinde inter scyphos omnibus machinis tentato, an retinere me possent, quum inter alia jacerem, me, ut Gallia apud Tacitum dicat, non posse plus illis conferre quam bonum successorem, palam negarunt, se ad illam rem consilium meum requirere. Itaque non video quam honeste aut verecunde posthac isti negotio interponere me possim: praesertim quum manet ad aures suffurrus propendere favorem in quendam aliquot procerum hujus urbis cognatum satis propinquum, juvenem etiam non indoctum,

&

& mihi amicum, Stenovicenum. Quod ſi eſt, fruſtra omnis alia ſuſcipitur ſuffragatio. Prorſus ita ſe parant, quaſi me ab illa deliberatione remotum velint, & abitum meum exſpectent: neque enim ignorant VI. idus Septembr. Julianum inaugurando mihi dictum eſſe, eoque jam vaſa colligo. immo & de domo publica, quam incolo, vendenda, jam decretum fecerunt. At de ſucceſſore neque appellat me quisquam, & ego quoties iſtius ſermonis initium populi, haud agnoſco me valde propitiis auribus accipi. Habes totam ſcenam, & faciem rei, in qua quid ego tibi ſervire poſſim proſpicio parum. quicquid autem potero, id ſine fuco libens praeſtabo. Utinam ſciſſem ſenſum tuum ante triennium, quum Franequerana ſtatio mihi deferebatur. Sed nec tunc, nec nunc ante tuas literas in mentem mihi venit tui, quem meliori loco, quam aut illic, aut hîc futurus eſſes, agere putabam. Memor te appetitam aliquando apud Hardebones conditionem, poſtea conſilio mutato, longe inferiorem tua duxiſſe, & vehementer contempſiſſe. Haec copioſius quam ab initio conſtitueram, ne quid de fide & veritate mea dubitares. Tu interim exſequere fortiter, quod praeclare inſtituiſti, & ſi qua illic ſunt infuavia, ſuſtine confiſus Deo & tuae virtuti. Vides ut faſtiditi aliquando poſtea requirantur, ut inſperata citius ſperatis eveniant. Ne hic quidem ignotus es, &, ſi adhibebor, introſpectique Procerum animi aliquid ſpei dederint, meum utique habebis, quamvis, ſecundum teſtimonium. Vale, doctiſſime Blancarde, & me ama: Daventriae. Idibus Sextil. CIↃIↃCLVIII.

EPISTOLA CCCLXXVI.

NICOLAUS BLANCARDUS

Iſaaco Gratero S. P. D.

SI quando Medioburgum politis ingeniis floruit, Grutere praeſtantiſſime, nunc maxime floret. Quod tamen vulgo non auderem, eloquar apud te, plenum humanitate, quam nuperis ad me litteris expreſſiſti. Reperti apud nos homines oppido pauci, ſed iniquiſſimi, quibus volupe fuit illuſtre procerum inſtitutum, nosque adeo in contemptum adducere. Et quo id impetrent, non verentur calumnias aliasque pejores artes in ſubſidium vocare. Eorum tamen tecta impietas eſt, & quantum mihi cernere datur, fronte praeferunt amicum vultum, ut diſſimulatis inimicitiis gravius ex occulto ferirent: ſed ego, mi Grutere, fatuus, qui litigo cum iſtis, quorum vitae ſanctitas ſumma, multa ſeveritas tonſum caput apud vulgum in pretio. Me potius ſequere, qui dulce otium nactus inanem ſtrepitum relinquo, dumque judicia mortalium non virtutibus tantum inimica ſunt, verum etiam literis ad haec confugio, quae affecto animo mederi poſſunt, non tantum delectare. Acris enim eſſe, non mollis cupio, qui edere quidquam ac excudere paro quod aliorum limam, tuto ferre poſſit. Cum nupere in vicinam inſulam excurriſſem (quo animus agitatione corporis excitaretur) meditabar aliquid notabamque ad bel-

lum

lum Mithridaticum Annaei Flori, quem ſcriptorem diligenter emendatum in lucem dedi. In eo tamen ſponte quaedam praetermiſſa, quae tunc temporis excutere haud vacabat, praeſertim magnorum hominum judiciis probata. Locus eſt lib. 3. cap. 5. de Victoriis Pompejanis. *Nec non in meridiem verſo agmine, Libanum Syriae Damaſcumque tranſgreſſus, per nemora illa odorata, per turis, & balſami ſilvas, Romana circumtulit ſigna: Arabes, ſi quid imperaret, praeſto fuere: Hieroſolymam defendere tentavere Judaei: verum hanc quoque intravit, & vidit illud grande impiae gentis arcanum patens ſub aureo uti caelo.* Priora ſana ſunt, at *grande* illud *arcanum* felici augurio aperiendum. Codex Nazarianus unica tantum littera diſtat a vulgata, cum pro *uti caelo*, habeat, *uti Scaelo*, ex quo Salmaſius, *vitis caelo*, I. Lipſius flos literarum, 11. Elect. cap. 5. vere & cum hiſtoriae momento emendaſſe ſe opinatur, *ſub aureo Vitem caelo.* Ego autem (qui in Veterum ſcriptura ſollicitanda religioſior eſſe conſuevi) veritati rerum geſtarum intereſſe exiſtimo, *Lipſii* emendationem non admittere. Loca quaedam enotabo, quo res tota melius pateſcat. Joſephus lib. Antiquit. 14. cap. 5. ubi de diſceptatione Ariſtobuli & Hyrcani apud Pompejum. Πομπήϊος ἢ εἰς Δαμασκὸν ἀφικομένῳ, ἦκον παρ' αὐτὸν πρέσβεις ἐξ ὅλης Συρίας, καὶ Αἰγύπτου, καὶ ἐκ τῶν Ἰουδαίων. ἔπεμψε γὰρ αὐτῷ μέγα δῶρον Ἀριστόβουλος, ἄμπελον χρυσῆν, ἐκ πεντακοσίων ταλάντων. μέμνηται ἢ ὁ δώρου, καὶ Στράβων ὁ Καππάδοξ, λέγων ὅτως. ἦλθε ἢ καὶ ἐξ Αἰγύπτου πρεσβεία, καὶ στέφανος ἐκ χρυσῶν τετρακισχιλίων· καὶ ὅτι τῶν Ἰουδαίων ἔτι ἄμπελος, ὅτε κἀγὼ τερπόλιν ὀνόμαζε τὸ ἡμιόργημα. τοῦτο μέντοι τὸ δῶρον ἱερώσαμεν, καὶ ἡμεῖς ἀνακείμενον ἐν Ῥώμῃ ἐν τῷ ἱερῷ Διὸς τοῦ Καπιτολίου, ἐπιγραφὴν ἔχον Ἀλεξάνδρου τοῦ τῶν Ἰουδαίων βασιλέως. ἐλαμβάνη ἢ εἶναι πεντακοσίων ταλάντων. id eſt. *Pompejus autem, cum Damaſcum veniſſet, legati ad eum venere ex omni Syria, Aegypto, Judaea. Miſit & illi inſigne donum Ariſtobulus vitem auream pretii quingentorum talentorum; cujus doni Strabo etiam Cappadox meminit, his verbis. venit & ex Aegypto legatio, & corona aureorum quater mille, & ex Judaea, ſive Vitis, ſive Hortus Terpolen, id eſt, delectamentum, vocabant id opus. quod vidimus nos etiam Romae dedicatum in templo Jovis Capitolini, ex inſcriptione Alexandri (Jannaei) Judaeorum regis, aeſtimabaturque quingentis talentis.* Idem ex Joſepho habet Zonaras, qui nobilem hanc vitem ab eodem viſam adſerit, quod tamen aeque ad Strabonem referri poteſt, & video cuidam erudito ſic placuiſſe. Huc facit Plinii locus in lib. 37. in cap. 11. ubi de Triumpho Pompeji, quem de piratis, Aſia, Ponto, gentibuſque & Regibus egit. ipſe enim ex triumphorum actis refert. *Montem aureum quadratum, cum cervis & leonibus, & pomis omnis generis, circumdata vite aurea* una cum aliis cimeliis fuiſſe tranſlatum. Neque omittendus Tacitus, qui in lib. 5. Hiſtor. ubi de famoſae urbis ſupremo die. *Sed quia Sacerdotes, Judaeorum tibia tympaniſque concinebant, hedera vinciebantur, vitiſque aurea templo reperta, Liberum patrem coli domitorem Orientis quidam arbitrati ſunt.* Ita res eſt, inquit *Lipſius.* Vitis aurea magnae artis, & pretii in Judaeorum templo fuit, quam Pompejus illic, ſive repperit, ut Florus, & Tacitus volunt, ſive oblatam ab Ariſtobulo recepit, ut Joſephus & Zonaras narrant. Huic vero ſententiae cum applaudat ſibi, non eſt committendum mihi, ut

tam

tam plausibilem errorem non refelliſſe videar. Quae enim, quaeſo, vitis a Pompejo repperiri potuit, quae ante ejus tempora nunquam fuit, neque etiam cum in Hieroſolymam admiſſus, aedem ſacram oppugnaret. An ſcriptura vel veterum quisquam Graecorum aut Latinorum, Salomonis templum, vel, eo per Nabuchodonoſarum incenſo, Zorobabelis, hac vite fuiſſe decoratum, meminit? Quis credat, niſi cui obſtipum caput, ſpiritum Dei ollarum, forcipum, fuſcinarum, quin etiam menſurae minimarum rerum mentionem injicere, hujus autem inclitae, & mirandae vitis dememini ſci velle? Accedit Ariſtobuli donarium Hasmoneae domus cimelium exſtitiſſe, eo plane more, qui orientis Regibus uſitatus. Non enim ſacrum, aut templi adytis a Judaeis caelatum cultumve. Quid enim? nullane in templo vitis? Nulla me hercule ante Herodem, qui decimo & octavo regni ſui anno rerum varietate ac divitiis affluens, poſt Caeſaream conditam, ad ſempiternam poſteritatis memoriam illud quoque eximium animo concepit, Dei templum renovare, Joſephus in lib. xv. Antiq. c. 14. Θύρας ἦ ἐπὶ τοῖς εἰσόδοις σὺν τοῖς ὑπερθυρίοις ἴσον ἐχούσας τῷ ναῷ, ποικίλοις ἱμπεζάσμασι κεκόσμηλο, τὰ μὲν ἄνθη ἀλικεγῆσι, κίονας ἦ ἐνυφασμένοις. καθύπερθεν δ' αὐτῶν ὑπὸ τοῖς τειχώμασι, ἄμπελ@ διετέτατο χρυσῆ, τοὺς βότρυς ἀπεκρεμῶς ἔχουσα, θαῦμα ἦ τῷ μεγέθους, ἦ τ᾽ τέχνης τοῖς ἰδοῦσιν, οἷον ἐν πολυτελείᾳ τ᾽ ὕλης τὸ καλὸ εὐαθὲν ἰῶ. Vides ſuperliminare aulaeis variegatis floribus purpureis, columnis intentis ornatum fuiſſe, ſub harum vero capitibus vitem auream dependentibus botryonibus ſe expendiſſe. Quae ſi quis Pompejanis temporibus applicare velit, nae is in gravi errore & temporum ignoratione verſatur. Neque mirum C. Tacitum vitis repertae meminiſſe, quoniam ea aetate vixit, qua templum Herodianum totamque ejus magnificentiam per Romanum Principem diruere ſtatuerat ſupremi numinis providentia. ſi tamen *Lipſio* concedam, auream hanc vitem potuiſſe a Pompejo videri longeque adeo ante Herodem exſtitiſſe, momenta rerum diligenter circumſpicienti nulla idonea ratio ſuccurrit, cur Romanus auctor eandem *grande* Judaicae gentis *Arcanum patens* appellaret. Mirum igitur *Janum Gruterum* τὸν παναίσιον ἦ πάνσοφον Lipſianam conjecturam pro certiſſima depraedicaſſe. Neque *Joannes Camers*, Franciſcanae familiae ſodalis, probandus nobis, qua templum, ſive aedem ſacram interpretatur. Quis igitur Flori ſenſus ſit, Joſephi malo quam propriis verbis adſtruere. Is igitur in lib. XIV. c. 8. Παρῆνομήθη ἦ ὁ μισεῖ περὶ τ᾽ ναὸν ἄβατόν τε ὄντ@ ἐν τῷ τεῖν χρόνῳ, ἦ ἄορατον, παρῆλθε γὰρ εἰς τὸ ἐντὸς ὁ Πομπήϊος ἦ τ περὶ αὐτὸν ἐκ ὀλίγοι, ἦ εἶδον, ὅσα μὴ θεμιτὸν ἦν τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις, ἢ μόνοις τοῖς ἀρχιερεῦσιν. *Laeſa eſt etiam non mediocriter templi religio humanis ante nec veſtigiis penetrati, nec oculis. Introgreſſus eſt enim in illud Pompejus, & una cum eo non pauci alii, & inſpexerunt quod nefas eſt videre niſi ſolis* (melius *Pontificibus*) *ſacerdotibus.* Idem Flavius in primo ἁλώσεως, in capite quinto. Vides Pompejum non devotione ſupplicis, ut Auguſtinus loquitur, ſed jure victoris templum reſeraſſe, & ad Sancta Sanctorum, ut profanatorem acceſſiſſe. Hoc autem ſub concamerationc caelo haud abſimili ſe magnifice oculis ingerebat ut non immerito auctor: *ſubaureo uti caelo*, quo ſic adyti veneranda majeſtas quadantenus adum-

braretur. Sacerdotibus quippe inacceſſum, caelum Dei quodammodo repraeſentabat. ubi & Arca foederis Jehovae, ex qua ceu Throno Oracula fundebantur, & ex cujus ſanctitate atrium tabernaculumque ſanctitatem participabant. Formam igitur ſanctuarii tentorio caelove aureo, (licet in hoc ludat, maledicumque dentem ſtringat Florus) appoſite aſſimulavit, ſive totius operis faciem, aut ſingularum partium majeſtatem velumque praetenſum reſpexeris. Unum addo, in Joſepho minime tolerandum, adyta a profanis ante Pompejum non fuiſſe adita, ſi quis Nabuchodonoſaris everſionem, praecipue autem Epiphanem, ambitioſum, avariſſimumque principem cogitaverit. Sed de his in animadverſionibus noſtris ad Severum aut in Ariſtarcho ſacro in Flavium. Vale, mi Grutere, & ſi quid hic rectius noſti, ne deſine impertiri. Malo enim ab amico emendari, quam ab inimico traduci.

EPISTOLA CCCLXXVII.

GULIELMUS ANSLAER

Nicolao Blancardo S. P. D.

LItteris tuis humaniſſimis quanta ſim laetitia affectus, Cl. Vir, verbis haud facile expreſſerim: in iis ſummam tuam modeſtiam, aut earum humanitatem magis admirer, valde ambigo. itaque quam tua humanitas mihi conceſſit veniam, ita propenſo, ac laeto animo exoſculatus ſum, ut non dubitaverim ſtatim ad te litteras dare, quin ex candido pectore illa proveniat, nullus dubitans: tu modo, eruditiſſime ac celeberrime vir, hanc meam παῤῥησίαν aequi bonique conſule, utpote ab animo tibi μαθητεύειν quam cupidiſſimo profectam; temporis mei partem aliquam, inter reliqua quae tracto ſtudia, praeſertim orientalia, etiam ſibi vindicat Lingua Graeca: cum autem a viris doctis non ſemel acceperim inter Graecae Linguae auctores claſſicos nullum alium propius ad N. T. ſtilum accedere, quam Polybium, ideo ante tempus aliquod per ſubciſivas horas me ad ejus lectionem accinxi, & quidem eorum librorum, qui ſelecta de legationibus inſcribuntur, editique ſunt ex Fulvii Urſini bibliotheca Antverpiae per Chriſt. Plantinum A°. 1582. tum quod reliqui ejus libri ad manus non eſſent, tum etiam ut ingenioli mei vires, utut exiguas, in libro verſione Latina deſtituto experirer: ex iis quum quaedam, praeter multas phraſes N. T. ſtilo lucem, affundentes ad antiquitatem pertinentia in Adverſaria mea ἐκ παρόδου conjecerim, alio forſan tempore ad te referenda, placuit in praeſentiarum hanc meam qualemcunque dubitationem ad te perſcribere. Feſtus de verborum ſignificatione deſcribit *Caduceatores legatos pacem petentes*, eumque ſecutus ipſe Cl. Vir in eruditis ſuis ad Curtium adnotationibus p. 125. *Caduceatores* per legatos exponit: At loca Polybii, quae adferam, docere videntur, Caducatores non eſſe ipſos legatos pacem petentes, ſed alios quoſdam προδρόμους, qui ante legatos mittuntur, ut pro iis ἀσφάλειαν petant, viam-

Digitized by Google

viamque muniant : locus autem habetur. cap. 24. p. m. 41. quem adſcribam integrum : ὅτι μεῖζον νίκην, οἱ Ρωμαῖοι τὴν ἀυτῶν πρὸς Ἀντίοχον παρεληφότες καὶ τὰς Σάρδεις καὶ τὰς Ἀκροπόλεις ἄρτι, ἦκε Μᾶρκος Σπιπηρυκοδούμενος παρ' Ἀντιόχου. ἅμα δὲ καὶ ὁ Πόπλιος Φιλανθρώπως προσδεξαμένων ἀυτὸν, ἔφη βούλεσθ' ὁ Ἀντίοχον ἐξαποσταλῆναι πρεσβευτὰς, τοὺς ἀξιωσομένους ὑπὲρ τῶν ὅλων. διόπερ ἀσφάλειαν ἠξίει δοθῆναι τοῖς παραγινομένοις. ἅμα δὲ συγχωρησάντων, οὗτος μὲν ἐπανῆλθεν. μετὰ δεκάτας ἡμέρας ἦκον πρέσβεις παρὰ τοῦ βασιλέως &c. sic & cap. 4. p. 8. eos a legatis diſtinguere videtur. ὅτε καθ' ὃν χρόνον οἱ τῶν Ρωμαίων πρέσβεις ἐν ταῖς Ἀθήναις, ἐποιοῦντο τὴν ἀφορμὴν Νικάνορος, ὃς παρὰ Φιλίππου κατεῖχον τὴν Ατταλου ἕως τῆς Ακαδημίας, προαπεμψάμενοι πρὸς ἀυτὸν οἱ Ρωμαῖοι κήρυκας. συνέμιξαν ἀυτῷ, &c. quos & σαλπιγκτὴν, penes ſeſe habuiſſe teſtatur idem cap. 9. p. 19. πρεσβῶν ὁ κήρυξ καὶ σιωπησάμενος τὰ πλήθη διὰ τῆς σαλπιγκτῆς &c. per Κήρυκας autem intelligi *Caduceatores* dubitare nos non ſinit Livii locus eandem hanc hiſtoriam narrantis lib. xxxvii. (prout adfertur ab Urſino in notis ſuis ad hunc Polybii locum) *ſub idem fere tempus caduceator ab Antiocho per P. Scipionem a Conſule petiit, impetravitque, ut Oratores mittere liceret regi*; haec, niſi dicamus nomen legatorum late ſumi, quomodo conciliari poſſint non video. Sed eſt adhuc aliud, de quo tuam vellem ſcire ſententiam, quamvis ſit μεῖζον εἰς ἄπορίαν. nempe de Euangelio S. Matthei, qua lingua ſit exaratum primitus, Hebraicane an Graeca, ego enim perpenſis utrimque auctoritatibus & rationibus ob periculoſas conſequentias, ἐπέχω. Haec & alia ſequutura forſitan, ſi me docere volueris, immortali me afficies beneficio. Vale Vir Cl. Deum ſupplex veneror te diu florentem & incolumem Reipub. litterariae conſervet. Scribebam Traj. ad Rhenum A°. 1654. ipſis Idibus Februarii. Styl. Vet.

EPISTOLA CCCLXXVIII.

GULIELMUS ANSLAER

Cl. V. *Nicolao Blancardo* S. P. D.

QUotiescunque recordor Cl. Vir, iſtius temporis, quo proxime una fuimus, quod ſaepius facio, facturusque ſum, non poſſum non identidem tuam exoptare praeſentiam, quod dum hoc tempore fruſtra facio, nihil mihi reſtat, quam ut iſto utar medio, quod abſentes praeſentes facit, Epiſtola enim ſola res eſt, quae abſentes praeſentes facit. Etſi vero hoc tempore nihil habeam, quod tua ſtudia morari poſſet, ſummus tamen in te amor meus me ad ſcribendum impulit, cui eo facilius obſecutus ſum, quod me nihil tibi ingratum facere confidam : familiariter hic utor Viro Cl. D. *Coccejo*, qui ut eſt ex humanitate totus compoſitus, quotidie ipſum adeundi veniam mihi conceſſit, quod profecto avidiſſime arripui, non poſſit enim mihi exoptatior ad ulterius in Hebraicis proficiendum offerri occaſio. quare pro tempore adhuc aliquo

Me ſibi totum tenent
Hebri nepotum ſcripta.

Verum non ita totum, ut non aliquid quotidie temporis, quamvis id ſit ſatis exiguum, impendam litteris Graecis & Latinis. legeram nuper in Polybio περὶ πρεσβειῶν c. 13. p. m. 27. πῶμα λέγων Φίρεων ἀλυσιν ἐκέλευσε ἢ σκύλακα σιδηρᾶν ἑκάτῳ περιθεῖναι περὶ τὸ τεῖχηλον. Quid ſit σκύλαξ σιδηρᾶς nuſquam me legiſſe memini, niſi quod generaliter ſciam, eſſe quandam catenae ſpeciem, itaque peto abs te ut hoc latius, niſi moleſtum ſit, mihi explices. memini me aliquando ex te audiviſſe, cum pro ſumma tua humanitate nomen tuum Albo meo inſcribere dignatus es, eum morem jam a Ciceronis omnino, ni fallor, temporibus invaluiſſe, qua de re vellem mihi aliquod ex antiquitate exhiberi teſtimonium. propediem ex officina Hackii prodibit Homerus cum ſcholiaſte Graeco, ſive is Didymus ſit, ſive alius, paucula quaedam adhuc tantum reſtant folia imprimenda. molitur etiam editionem Polybii cum notis ineditis *Caſauboni*, habet omnino multa MSS. a *Merico Caſaubono*, ſed plura adhuc deſiderat, quae ubi acceperit, ſtatim prelo ſubjiciet. Elzevirii edunt Herodotum, Gr. & Lat. in fol. cum commentario *Georgii Hormi*, cujus etiam diſſertationes hiſtorico-politicae excuduntur. Sed detineo te, quare finio. Deum ſupplex venerans, te diu incolumem Reipubl. litterariae conſervet. Lugduni Batavorum. 5. Calend. Novembris A°. 1654.

EPISTOLA CCCLXXIX.

NICOLAUS BLANCARDUS

Reverendo Doctiſſimoque viro. D. Jacobo Lydio, Dordrechtanae Eccleſiae Paſtori fideliſſimo, S. P. D.

Dordracum.

PErgratae fuerunt Hermetis noſtri literae, quibus veterem amicitiam, & qualiacunque in eum ſtudia, quando hic fuit, nimiopere laudaſſe viſus, ſimul deſiderium tuum noſcendi Nehalenniam, ſingulare Francorum numen, ſignificavit. Gaudeo occaſionem datam breviter explicandi, de quibus adhuc velut de incerta re, omnes ambigunt. Atque utinam ſupereſſent expreſſae olim litteris meditationes, quas amici mei ſemel acceptas nunquam remiſerunt! Quantum tamen memoria teneo, & inſcriptiones juvabunt, communicare conſilium eſt. Neque advocabo probandis ſingulis antiquorum teſtimonia, niſi obvia, & quae requirenti mihi ſponte in manus venient. Inprimis peto tarditatem reſponſi molliter interpreteris. Nam conjugis gravidae morbus pene capitalis (febrem continuam loquor, atroces artuum dolores, & poſt iſta variolas) per duo & triginta dies ſollicitum habuit: ac nunc ipſe vigiliis fractus, animo quoque langueo & torpeo, *Pocula lethaeos ut ſi ducentia ſomnos, Arente fauce traxerim.* Nihilominus commaſculavi frontem: utcunque res cadet ἐμπίφθω κύβος ſtatuae, quas quidem videre ac dimetiri contigit. fuere in uni-

Digitized by Google

univerſum octodecim: Aras quattuor. Ex illis una Jovi; duas Neptuno, reliquae omnes Nehalenniae conſecratas. Undecim ſedentem praeferunt Deam, quattuor ſtantem. Sed in his quaedam variant. Nam ſex ſedentem ſic exprimunt, ut ſinu calathum teneat horariis fructibus repletum, & praeter iſta, tres calathum humi ſiniſtrorſum adpoſitum, una corbem manu laeva ſuſpendat. Ad haec in tribus Deae ſinus vacuus: in duabus quidem corbis unus, in tertia duo, pedes juxta hinc & hinc poſiti. Quin etiam ſex (quod de omnibus ſtantibus ſimul adverti velim) canem venaticum; una proram navis roſtratam, ſiniſtro pede preſſam, repraeſentant. jam in erectis imaginibus vix digna memoratu diverſitas recurrit, niſi excipias ſingulare monimentum, in quo Nehalenniam accedit Δρύας, ſeu ſacerdos Gallica, cum flamine, cui ad latus ſacrificulus, fragmini columnae inſiſtens. Latera ſtatuarum ornant plerumque cornucopiae, aut opus ἐγκαρπον. frequenter etiam Dii, velut Hercules nudus, clavam tenens, & exuvias leonis indutus. Neptunus pariter nudus, barba undatim fluente, cum gubernaculo, tridente ac Delphino. Lapis, e quo ſtatuas dedolavit artificum induſtria, ſubcinericius eſt, ſcaber & ſabuloſus natura, facileque in arenam reſolvitur: illi opinor haud diſſimilis, qui ex candidis Brittanniae montibus eruitur, niſi is ipſe ſit. Certe in columna, Nehalenniae dicata, mentio cretarii Britanniciani, de quo infra. Quin ipſum ſacellum ex parili materia ſtructum fuiſſe, firmat alia columna, non ſemel a me luſtrata apud *Samuelem Epiſcopum*, ſocietatis Indiae Aſiaticae, dum ſuperſtes, praefectum. Idem adſtruunt lapides majores, quibus univerſa aedis moles, ceu fundamento, innixa. Sin vehementior Eurus mari incumbat, tunc arenis disjectis, rudera murorum aperiunt ſe, non ſine fructu Romanae ſuppellectilis ſtudioſorum, qui inde, precium operae, vaſa Samia, Lemnia, fibulas, urnas, nummos veteres, hisque conſimilia, identidem referunt. Formam monumentorum facile conceperis, ſi ſubjicias animo portas ſplendidiores operis fornicati, quae palatiis regum praeſtruuntur: aut arcus triumphales urbis, ac praecipue poſt Judaeos devictos poſitum Tito Veſpaſiano. Nam e baſi adſurgunt columnae, modo quatuor, ſaepius binae, eaeque vel planae (figura parallelogrammi rectanguli.) vel cylindraciae, rarius ſtriatae. Atque his dein arcuata fere moles ſuperinducitur. Sedes illa, cui Nehalennia inſidere deprehenditur, non uniformis eſt. In duobus monumentis id ſellae genus videtur, quod ſcriptoribus antiquis SELIQVASTRUM dicitur. Marcus Terentius Varro libro IV. de lingua Latina, §. XXVIII. *Ab ſedendo appellantur ſedes, ſedile, ſedum, ſellae, ſeliquaſtrum.* ſed longe clarius incognitae vocis originem, & notionem explicat Feſtus: *Seliquaſtra ſedilia antiqui generis appellantur, D litera in L converſa, ut etiam in ſella factum eſt, & ſubſellio, & ſolio, quae non minus a ſedendo dicta ſunt.* Fuit autem ſeliquaſtrum cathedrae genus priſcis regibus uſitatum, ad commodiorem uſum ita effectum, ut dorſum reclinatum recumbere in eam poſſet, σιὼ ἀνακλιτηρίῳ. Heſychius: θρόνος, ἀνάκλιτος δίφρος. ſic enim Graeci vocant ſedes vel cathedras, quae ἀνακλισμὸν ſive recubitorium habebant. Ea forte ratione *mollis cathedra* Juvenali, ſatyra ſexta, qua in ſequioris ſexus ſcelera invehitur:

—— —— *famam contempſerat olim:*
Cujus apud molles *minima eſt jactura* cathedras.

De Hippia loquitur Satyricus, quae cum ſenatori nupta eſſet, cum Sergio tamen gladiatore moecho ſuo in Aegyptum profugerat. Seliquaſtrum in prima ſyllaba Varroni, & Feſto per vocalium ſecundam ſcribitur. Hygino duobus in locis, & Arnobio per tertiam. Illi in Aſtronomico: *Caſſiopeia inter ſidera ſedens in ſiliquaſtro conſtituta eſt.* Et rurſum: *Caſſiopeja ſedens in ſiliquaſtro collocata eſt.* Arnobius libro II. *Quid arquata ſellula, acus, ſtrigilis, polubrum, ſiliquaſtrum?* Sic legit codex vetuſtus Franciſci Sabaei Brixiani, qui Romae vulgatus anno ſeculi praeteriti quadrageſimo ſecundo. Non ſpernam tamen priorem ſcripturam, ob ſolemnem vocalium E & I inter ſe commutationem. Sic *ſpeculator* pro *ſpiculatore*, & ſimilia, de quibus nos alibi. Errant qui *ſiliquaſtrum* de mendo ſuſpectum habent, & inter herbas referunt, quibus nullus locus eſt inter inſtrumenta. Nec ignoro plantae genus eſſe, *piperitis* etiam a Plinio, in libro XX. in cap. 17. aſt non ea Afri mens. Notabile eſt, Paulo Jureconſulto in lege IV. Digeſt. de ſupellect. leg. id ſedis genus non incognitum. *Rhedae, & ſeliquaſtra* (inquit) *ſupellectili annumerari ſolent.* Sic ante *Antonium Auguſtinum* legebatur, & probat *Haloander.* ſed ille emend. IV. ex libris Florentinis, reclamante licet exemplari Norico, ſtylum vertit, & ſubſtituit *ſedularia*, interpretatusque ea, quae in rheda ſedenti ſubjiciuntur. *ſedularia* legiſſe quoque videtur Hadrianus Turnebus, lib. Adverſ. VIII. cap. 9. *Quae in ſedilibus, ut cathedraria in cathedris numerantur*, de quibus lex quinta Dig. eodem. Idem Turnebus lib. XVIII. cap. 23. *Ut roſaria roſae, ſedularia tanquam ſedillaria.* Porro ſeliquaſtrum ἀμφικέφαλον καθίδεσι Syneſio, Cyrenes epiſcopo, in cujus generis ſede collocata Caſſiopea. Hinc eam *Scaliger* in Mappis ذات الكوسى hoc eſt mulierem ſeliquaſtri dici teſtatur. Vide imagines ſiderum Germanici Caeſaris, ex Manuſcripto deſumptas, & obſerva duas earum ſtellarum quae in forma ſunt collocari ἐν τῇ κεφαλῇ τῆ καθίδεσι, hoc eſt in ſedis extremitate. Figura talis eſt, ut partes ſingillatim conſideratae parallelo-grammon rectangulum efficiant. Omnes tamen eas cathedras non fuiſſe ἀμφικέφαλους, ex veterum monumentis hodieque varie videmus. In marmore quod reperitur Romae ad Lateranum, adeſt convivantibus muſicarius, in ſella ſemirotunda conſtitutus, ſed pone & ad latera undique clauſa. Eum lapidem luſtrare oculis ſi cupis, adi *Fulvii Urſini* appendicem ad librum Ciacconii de Triclinio. Alias in marmoribus ſunt apertae, etiam quorundam Graecorum. Exſtat Mettii Epaphroditi cathedra in lapide Bertoniano ſimili figura, quam cum Grammatici illius imagine artificioſe ex archetypo delineavit Theodorus Gallaeus. Habet porro una Deae ſedes ὑποπόδιον, aut ſcabellum, quod, auctore Clemente Alexandrino, Perſae primi repererunt, ſed aliis quoque gentibus poſt uſitatum, ſatis adſtruunt imagines Mettii Epaphroditi, Moſchionis, & Pythei, apud Fulvium Urſinum, ut de aliis nihil dicam. Notiſſimus tibi locus inſtrumenti Novi, μήτε ἐν τῷ οὐρανῷ, ὅτι θρόνος ἐστὶ τοῦ Θεοῦ, μήτε ἐν τῇ γῇ, ὅτι ὑποπόδιόν ἐστι τῶν ποδῶν αὐτοῦ. In canticis Davidis, id quod Hebraice הדם & Graecis ὑποπόδιον, Lactantius vertit *ſuppedaneum.* Tale Chriſti pedibus, in cruce pen-

pendentis, ſubjectum fuiſſe, multi credunt, nummi adſtruunt, Gregorius, etiam Turonenſis palam clamat. Sed omnium pace, ſi tranſcribendam vulgo fabulam, & ἀνιστορησίαν dicerem, nihil erravero. Quamvis pater Annalium alta intonet voce, rumpantur ut ilia, quid effecerit? omnes antiqui Chriſtiani arrectario crucis ligno aliud minus adfixum fuiſſe tradunt, ἐφ' ᾧ ἀνερῶνται οἱ σταυρώμενοι, ut loquitur Juſtinus Martyr. De ſuppedaneo δὲ δὲ γρὺ. Caeterum iſta non ſunt hujus loci: hoc te magis ſcire expedit, cujus credo cauſa appellatus, quae fuerit Nehalennia, quae nominis ratio, & cur divinis culta honoribus. Eam rem, tui Celoſſiique noſtri intuitu, facile ſuſcepi, id vel in primis praefatus, nolle in demonſtrationibus haberi, quae probabili ſolum conjectura nituntur. Quin Nehalennia maritimae gentis noſtrae, vicinorumque tractuum, ſingulare numen fuerit, & quidam velut genius loci, nihil ambigo. Inde eſt, quod nullus veterum, ſeu Graecos ſpectes, ſeu Latinos, vel nominis ejus meminerit. Dicta etiam loca Saliis, & primis Francis habitata, ex memoriis rerum claret. Primos voco, ut ſecernam a ſecundis ſeu transrhenanis, qui cum mediterranea occupaſſent, ſimul eandem relligionem, a maritimis Francis cultam, ſecum devexere. Inſciptio Divitenſis, prope Coloniam Agrippinam. DEAE NEHALENNIAE ERIATTIVS IVCVNDI PRO SE ET SVIS VSLM. Perperam Gruterus edidit, NEHAEE. Marcellinus de Juliano in XVI. *Agrippinam ingreſſus, non ante motus eſt exinde, quam Francorum regibus, furore miteſcente, perterritis, pacem Reip. firmaret, interim profuturam & urbem reciperet munitiſſimam.* Franci igitur ad Rhenum, ſeu in Germania ſecunda, & ab iis, mutato nomine, Francia ſecunda deinceps audiit. Ex veteris linguae Gallicae & Graecae cognatione, hujusque cum Latina, Nehalennia omnino videtur eſſe creſcens, ſeu nova Luna. νία ἑλήνη, aut σελήνη. Sic ex Graecorum ἡμὶ, ἑξ, ἕπτα, ὑπὲρ, ὗς, ἕρπω, ἕδος, ὕλη. Latini fabricarunt. *Semi, ſex, ſeptem, ſuper, ſus, ſerpo, ſedes, ſylva.* Ac in plerisque his verbis πὶ Σ in ſpiritum mutare ſuſtinuerunt. Origo vocis ac rei a Druidibus, qui in omnibus fere rebus publicis, privatisque rationibus, Graecis literis utebantur, prout Caeſar Julius ſcripſit in Belli Gallici commentario ſexto. Inſula noſtra Walacra, (quae in manuſcriptis ſaepe *Gualacra*) quid eſt niſi extrema Gallia? Literarum V & G facilis transmutatio. Ita *Walia* pro *Gallia*, & hodienum *Walo* pro *Gallus*. Taciti quoque aevo exſtabant Graecarum relliquiarum ſparſa per Galliam Germaniamque veſtigia. Hinc in ripa Rheni Ἀγκιπύργιον, ara ibidem conſecrata, & tumuli Graecis litteris inſcripti, in confinio Rhetiae & Germaniae. Eſto igitur Nehalenia, Nova Luna; Cur eam praecipue coluerint, nonne quod opibus ejus juvarentur? Solis Lunaeque tempora obſervabant, cum ſererent & conderent. Videſis Horatii Oden. 24. lib. III. *Coelo ſupinas ſi tuleris manus Creſcente Luna &c.* Huc faciunt calathi fructubus pleni in monumentis. Praeterea Franci, maxime Salii, aeſtibus marinis obnoxii, quorum acceſſus & reciprocratio ab Luna. Idem ſydus, dum creſcit, mitius judicabant pleno, quod aeſtus violentes efficere conſuerit. Unde cum incremento tutiores navigationes, & fauſta praelia, mentibus augurabantur. Exem-

pla

pla obvia: illius in Caesare, comment. IV. B. G. cap. 29, hujus apud Frontinum lib. Stratag. II. cap. 1. Graeci quoque Lunam & colebant & observabant, sed ex legibus Lycurgi, μηδὲ εἰς πόλεμον στρατεύειν πρὶν τὴν σελήνην πλήρεα γενέσθαι, ut loquitur Lucianus. Sed omissis praeliis, si navigationes spectes, monumenta nonnunquam Nehalenniae vovebantur in itineris procinctu: DEAE NEHALENNIAE M TARINVS EX VOTO SVSCEPTO L. M. Frequentissime autem emenso oceani periculo. In lapide, cujus ἐπιγραφὴν Celossius noster petit, legitur. DEAE NEHALENNIAE IANVARIVS AMBACTHIVS PRO SE ET SVIS V. R. L. M. id est *Votum reddit libens merito.* In aliis omnibus V. S. L. M. *Votum solvit.* Juvabit unam caeteris nobiliorem subjicere inscriptionem, quam repperi in columna. DEAE NEHALENNIAE OB MERCES RECTE CONSERVATAS M. SECVNDO SILVANVS NEGOTOR (id est [1] *negotiorum gestor*) CRETARIVS BRITTANNICIANVS VSLM. Portus, quem Romani Francique advehebantur, *Tabuda* erat, seu novus Scaldis (vetus enim Mosam influebat) Augusti Caesaris aevo ductus: servatque hodie memoriam originis vocabulo *Roompot* (malum *Room port*, Romanorum portus) inter Scaldiam & Wallachriam, nobilissimas gentis nostrae insulas. Illic appulsi, in templo Nehalenniae, quia non aliud portui vicinius, vota sua solvebant reddebantque. Sed de cane venatico omisi dicere, qui assiduus fere Deae comes. Vidi aram subrubram, cujus frons insigniter deformata, verum latere illaeso. Huic insculptus servus tunicatus, capite detonso, dextra baculum tenens, & leporem alteri baculo appensum, laevo humero gestans. Vidi praeterea vasculum terra samia, referebatque cervum, cum binis canibus persequentibus. Haec in honorem Dianae, quae eadem cum Nehalennia, Hecate & Proserpina. Virg. *Tergeminamque Hecaten, tria Virginis ora Dianae.* Servius alibi. *Hecate trium potestatum numen est, ipsa est enim Luna, Diana, Proserpina.* Horatius, *nox, & Diana, quae silentium regis, Arcana cum fiunt sacra.* Atque haec mihi, reverende Lydi, visa semper cultus Novae Lunae simpliciissima interpretatio, quam ante quatuordecim annos κατὰ πλάτ@ praevi [2] *Olivario Vredio*, consuli Brugensi, neque, cur ejus adhuc pigeat, obstare quidquam hactenus reperio. Illud rogo, postea quam nostra ad lapidem Lydium exegeris, simul ipse quid conjectes, ad me perscribas. Addes pro munere sententiam super cap. XV. comma 20. Actorum Apostolicorum, ἀλλὰ ἐπιστεῖλαι αὐτοῖς τοῦ ἀπέχεσθαι τῶν ἀλισγημάτων τῶν εἰδώλων καὶ τῆς πορνείας, καὶ τοῦ πνικτοῦ, καὶ τοῦ αἵματ@. Item cap. XIX. commate XXXV. τίς γάρ ἐστιν ἄνθρωπ@ ὃς οὐ γινώσκει τὴν Ἐφεσίων πόλιν νεωκόρον οὖσαν τῆς Μεγάλης θεᾶς Ἀρτέμιδ@ καὶ τοῦ Διοπετοῦς. De Νεωκόροις seu ἱεροδούλοις veterum, res necdum satis explicata ab iis, qui principem in Sacris Literis locum tenent. Vale, Vir Doctissime, meoque nomine Hermetem Celossium, qui semper visus mihi ὁ πανάρι@, officiose saluta. Middelburgi Zelandiae MDCLXIII. VIII. Eid. Octobr.

1 Immo *Negotiator* ut centies in lapidibus veteribus, vid. Indices *Gruteri* & *Reinesii.* quem vid. ad cl. I. 184.

2 Vide additiones ad veteris Flandr. lib. prodromum II. ad cap. XXII. fol. XLIV. An vero *Vredio* praierit *Blancardus*, an illi sua sublegerit, aliorum judicio relinquo.

EPI-

EPISTOLA CCCLXXX.

NICOLAUS BLANCARDUS

Nobiliſſimo A. P. Jongeſtall.

Leovardia.

MEminiſti opinor, Domine, quum noviſſime JCti ſacris intereſſes, brevibus me inſinuaſſe tibi, quid adverſum ſparſos falſosque rumores molirer, nec aliud juſtius prae manibus eſſe praeſidium, quam ut totum negotium ad Illuſtrium Academiae Curatorum cognitionem referretur. Nam & cauſae innocentia, & honeſti nominis exiſtimatio, tum male feriatorum hominum iniquitas, ipſiusque adeo ſplendor Principis, id uti facerem, ſuadere videbatur. Nunquam veritus ſum eos, qui meam indolem, & in melioribus literis ſcientiam ſatis perſpexerunt, me plagii reum inſimulaturos. Conſtans etiam nos ambitio tenuit, per quos doctiores melioresque facti eſſemus, eorum merita candide profiteri. Sed hi ſcurrae tam latenter ſtruxere dolos, ut me omnium ignarum citius confeciſſe videri poſſint, quam noſtra allocutio ad proceres provinciae fuerit tranſmiſſa. Hujus exemplar unum a fine atque initio (erant paginae quinque) varie conſcribillatum, invidaque manu perſtrictum, in privato locatur auditorio, juxta poſitis *Boxhornii* orationibus. Nec mora, accedunt ad condictum tempus adoleſcentuli, ac, uti fit, caperata fronte Profeſſor fabulantibus interveniens, velut neſcius ſuſcitatur. Quid novae rei? O divinam Schedam? ſed ut aureum vellus raptum magis, alieniſque ex parte laciniis circumdatum. Egone haec audire, mi patrone, haec poſt terga jaci mea, famamque trahi, vexari, ſcindi crudeliſſime paterer, ſuſtinerem? Additur ex orco ſplendidum mendacium fuiſſe in adverſariis oratiunculam *Zuerii* manuſcriptam: nec enim tam veſanum, tam impudentem fore aeſtimabant, ut typis expreſſam, & quae in omnium notitiam veniſſet, tranſcribere auderem. Neſcimus, utrumne iſtud ſerio, atque ex rei compertae faciant fide, an fictionibus caſſis ludentes, ingenii quadam protervia laſciviant. Nam manuſcriptum nec habere, nec ullo tempore habuiſſe, & meam conſcientiam, & quod longe majus, numen teſtor ſanctiſſimum. Adhaec orationum exemplar vulgatum, ſola comparandi noſtra cum illis voluntate, ſeptimo demum hujus Novembris die per *Arcerium* redemi. Tantum abeſt, ut quae Majo menſe ſcriberemus, ex alterius ſcriniis partem aliquam furtim mutuati fuerimus. At tu forte cum iſtis dices, mi Patrone, fieri haud poſſe, ut alter alterius ignarus, eadem & dixerit & ſcripſerit. Dicam igitur quod res eſt, & Herculeum tibi argumentum opponam, quod neque illi de cataſta ſcurrae, nec arietes ratiocinationum, aut ſi quid his validius, poſſint ludificari. Anno hujus ſeculi octavo & quadrageſimo, reverſus Monaſterio Paderbornam (deſignatus paulo ante eram Profeſſor Steinfurtenſis) dum ob ſtabilitam pacem Hiſpanos inter & Belgas, univerſa exſultat Europa, neque plebs & honore uſi ſua capiunt gaudia, ſcripſi

Panegyricum inclytis Legatis, *Mathenesio* & *Pavio*, sacratum. Constans fama erat eos salutaturos *Ernestum Guilelmum* Comitem Benthemii, transituroſque Steinfurtum aut Scuttorpum. Egoque tunc juvenis, vivaciſque ingenii, & honestae ambitionis, captabam occasiones, dicta oratione eorumdem in patriam studia ampliſſime gratulari. Sed comperi secus Neohusium flexiſſe iter Oldensaliam, indeque per Transisalanos Hagam meditari; postquam Lugdunum Batavorum apud consanguineos veni, eorum suasu an auctoritate, typis describi passus sum. Nec multo post eadem non modo Legatis, sed patriae Urbis Magistratui, omnibusque Professoribus, & si quos alibi caros habebam, donata. Ejusdem scripti exemplaris bona pars a typographis plumbagine distincta apud me servatur, mei candoris, innocentiae, ac veracitatis testis locupletiſſimus. Tu si quidem, Patrone, juris & prudentiae consulte, facile judicabis rei dominum & auctorem re sua uti pro arbitrio ac voluntate posse. si in illis quaedam laudabiliter inventa, acute dispositа, stylo vere Romano enuntiata, quis aegre ferat ista abs domino usurpari? quod si deinceps alius post triennium (nam oratio quam compilasse differor, 1651. expressa) meis utitur, ut suis, an aliena usurpasse dicendus sum ut meis? Absit, absit a vere bonis tam mala & siculnea ratiocinatio. Quae omnia fidis coram testibus, nostrique Lycei praepositis, ostendere sedet sententia: nam quum videam nec modestia, nec patientia quicquam proſici, & maledicus rumor crescit eundo, silentium pro crimine habetur. Idcirco nec abs re fore, opinor, judicabis, si coronide apologetica meque & adlocutionem adversus tot viperas in angulis vel circulis sibilantes defendam. Sed istius invidiae Theoniacae causas in unum si contraham, prima occurrit titulus Historiae Graecae Professoris, qui dudum ussit germanum Ononymum. Accedit prolixus tui, mi Patrone, & tuorum erga me favor: quem ego, si vir sum, quousque licet, aeternum demerebor; nec faxim ut ingratus, dum vivam, inveniar, paratus deinceps erga filium, modo patiens esse consiliorum, & solutos mores desuescere velit, reapse qui sim per omnia & in omnibus manifestum dare. Nec sine piaculo transeunda Illustriſſimae Principis *Albertinae* benevolentia, per te etiam & vere nobilem *Harenium* conciliata. Hujus occasione nec silebo in dubium vocata Principis jussa, ac si multo ambitu, nec illius sponte, factum foret, ut filii adventum publice gratularer, ejusdem studia urgerem, illiusque curam, absente matre, susciperem. Quae cuncta falsiſſima esse, teque & adfinem, ipsumque Principem modestiae meae veros fidosque testes invoco. Nec verebor subjicere, quantos motus, quot bombos ediderit Adlocutionis dedicatio, praesertim unius Olcosunianardi, qui Academiae dignitatem his consiliis violari rabie pluſquam Scythica clamitabat. Sed fruantur sensu suo, mihi satis erit, post fidem Principi vobisque debitam, veritati litasse. Plura adderem si non urceus dum coepit institui, rota currente, amphora exiret. Vale, Vir illustris, ac patrone incomparabilis, cui cum omnia mea deberi gratus profitear, hoc insuper gratiſſimum accidit, quod me tanto praeside possim tueri. Deus te tueatur, ac justitiae bonorumque omnium bono diu servet, sospitet salutem conjugi lectiſſi-

ctiſſimae; florenti liberum gregi, ac Nobiliſſimo *Harenio* abs me & uxore dicito plurimam. Franekerae 1671. 15. Novemb.

EPISTOLA CCCLXXXI.

ABRAHAMUS BERKELIUS

Nicolao Blancardo S. P. D.

Franekeram.

NOn abs re metuo, doctiſſime Blancarde, ne tu me hominem plane illiberalem exiſtimes atque ingratum, quod aut nullo munuſculo tuae liberalitati reſponderim, aut quod nunc demum tanto tempore poſt pro inſigni tuo congiario, quo me hominem nullius famae & immerentem proſequutus ſis, gratias agam, verum ſi quid mihi apud te fidei eſt, hoc credas velim neque mea inurbanitate neque ingratitudine, ſed afflictiſſimo Foederati Belgii ſtatu, & tympanorum ac tubarum undique ſonantium clangore factum, ut ſerius quam decuerit, calamum ſtrinxerim: exiſtimabam enim cum aliis non amplius in litteris ſed in armis, quae Batavi hactenus infeliciſſimis auſpiciis geſtarunt, omne Reip. praeſidium eſſe quaerendum. Fateor equidem me ex Friſiorum finibus tam praeſtantiſſimum donum exſpectaſſe nunquam, nam cum nemine mihi iſthoc ſub ſole, praeſertim Franequerae, hujusmodi amicitiae neceſſitudo intercedebat; quare maximas tibi habeo gratias, quod me talibus principiis ad te pellexeris, imo neceſſitate quadam eo adegeris, ut ſincerum tecum amicitiae foedus ineam. Dederam Bibliopolae in mandatis, ut mihi mea pecunia ex auctione quadam Chariſium Soſipatrum compararet, ſed clariſſimo tuo nomine alium tradidit, paſſim a viro docto emendatum atque ſuppletum. Quid multis opus eſt? agnoſco eximium tuum erga me immerentem beneficium, quia ſic voluiſti, data occaſione par pari relaturus. Sed ex *Geldero* etiam recognovi, te novam Harpocrationis editionem parare, nuper mihi oſtendente Mauſſaci notas, hunc in finem tua opera interpolatas, atque ad eum transmiſſas: has cum obiter in officina percurrerem, mihi in mentem incidit (ignoſcas, quaeſo, tam libere & candide agenti apud ignotum, ſi famam excipias) ſupereſſe addenda quaedam ad notas in Harpocrationem, quae Mauſſacus poſt Plutarchum de fluminibus Toloſae MDCXV publici juris fecerat, & Salmaſio dedicaverat. Haec nusquam inſerta animadvertens, manibus pedibusque apud *Gelderum* inſtabam, ut te de hiſce minutilis admoneret, quod ille quodammodo ſubterfugiebat: ſuppeditavi tamen ipſi libellum, quem poſt crebras admonitiones deſcribendum curavit, & uti ex ore ejus percipio, ad te miſit. Verum hoc obiter addam, nonnullas mihi eſſe difficultates in Harpocratione ipſo, atque ſcrupulos, quorum unicum duntaxat monebo, in voce Ἀγοραῖος latentem, ibi enim ſic excuſum eſt. Γέγραπται καὶ Δειναρχῳ λόγος κατ' αὐτῶν ξενίας, ἐν ᾧ διδήλωται, ὅτι Ἀλιμούσιοι ἀπέδικαν &c. Omnino hic ſubeſt aliquid portenti, quod nemo, niſi perditi cerebri, ferre poſſet. An

Dinarchus conſcripſit orationem contra ſuam peregrinationem? Nuſquam mihi hoc apparet, illum fuiſſe τὴν ξενίας διωκόμενον. Sine dubio verior erit noſtra conjectura, ſcilicet hoc loco debere reſcribi: γέγραπται καὶ Δεινάρχῳ λόγος κατὰ πυθέα ξενίας. Tempus non teram in aſſerenda hac lectione, tantum Stephani mei verba apponam, quae id evincunt manifeſtiſſime; ita enim ille in voce Αἴγινα. Καὶ γενικὸν Αἰγιναία, ὡς Δεινάρχος ὁ κατὰ πυθέα (male in vulgatis πυθέα) ξενίας. Poſſem hanc veritatem plurimis & minime dubiis argumentis ex Demoſthene, Dionyſio Hallicarnaſſeo, aliisque confirmare, ſed illud acerrimo tuo judicio atque diligentiae committo. Quin in Bibliotheca Voſſiana codex Harpocrationis M. S. exſtet, nullus dubito, nam gloſſariis, lexicis, & aliis iſtius generis libris inſtructiſſima eſt, verum ea de re certus eſſe non poſſum, quia *Voſſius* ante biennium ad Anglos enavigavit. Tu interea temporis quod potes perge, ut brevi hunc auctorem emaculatiorem, tuisque doctiſſimis annotationibus magis illuſtratum habeamus. Proxima ſeptimana negotiorum meorum cauſa Hagam Comitum excurram, ex *Voſſii* amicis ſimul expiſcaturus, an aliquid in novam Harpocrationis editionem conferre poſſint, qua de re te poſthac certiorem reddam. Ad catalogum ſcriptorum Hiſtoriae Byzantinae quod attinet, nemo tibi illius copiam faciet, niſi inſtructus ſit vere regio illo opere, quod privatas Bibliothecas non capit. In auctione Gronoviana immenſi hujus operis tomus primus jam venalis proſtat, huic *Philippus Labbe* praeſtantiſſimum indicem auctorum editorum & edendorum praefixit, quanquam non ignoro plurimos etiamnum hodie latere, & nuper poſt *Labbaei* mortem alios detectos eſſe: hinc ſi auxilium in propoſito exſpectes tuo, *Gelderus* tibi iſtum tomum fortaſſis vili pretio comparare poſſet. Pergimus jam pedetentim in Stephano noſtro, qui anno praeterito ſub praelo non ſudavit, ſed friguit, quod profecto non mihi, non typographo, verum potius publicis calamitatibus eſt imputandum. Vale, vir doctiſſime, mihique hoc tributum velis, ut me e tuis unum poſſim dicere. Scribebam Lugduni in Batavis ante diem Septimum Decimum Kal Maj. Anno CIↃIↃCLXXIII.

EPISTOLA CCCLXXXII.

ABRAHAMUS BERKELIUS

V. Cl. *Nicolao Blancardo.*

Franekera.

NUnquam profecto *Gelderus* ex Friſiorum finibus rediit, quin me tuo nomine ſalutaverit, & de inſigni tua erga me humanitate certiorem fecerit. Quid mei officii ſit, & jam dudum fuerit, probe agnoſco. Sed occupationes circum caput & latus ſalientes me ita diſtrictum tenent, ut vix ſtylum in manus ſumere & viris doctis & amicis mea officia offerre valeam. Ergo poſt longam cunctationem occaſione ex judicris meis, atque affaniis in publicam lucem emiſſis, nimis ambitioſe quaeſita, & affectata, animum has confingendi

di litterulas cupido inceſſebat. Etenim cum ante aliquot menſes verſioni & animadverſionibus in gemina Stephani fragmenta finem impoſuiſſet, non poteram quin potiſſimo tuo judicio exemplar exponerem, quod ſi tibi & paucis aliis non fuerit improbatum, erit, cur me non male tempus & otium in commune rei litterariae bonum collocaſſe exiſtimem. Fateor perexiguum eſſe congiarium quo te proſequor, & tuo adſpectu vix dignum, ſpero tamen tibi ob venerandam maxime muſarum κοινωνίαν, non ingratum futurum. Quanquam ut olim Lucilius a Perſio ſua poëmata, ita & ego, quae de Graecis Latina feci, quibusque Stephani Fragmenta illuſtravi, a te legi reformidem: novi ingenioli mei modum, & quam exiguas & νδενεσώρες in litterarum pulvere progreſſus fecerim. Hactenus mecum alii tuam Harprocrationis verſionem exſpectarunt, cujus partem typographus oculis ſubjecit: nae multum tibi meliores literae debent, qui ipſarum illuſtrationi tantum operae impendas. Utinam ita res ferrent tuae, ut alios ejus generis criticos beneficio tuo haberemus! Nuperrime N. ex Italia redux, quid tunc temporis, cum de ipſo apud *Gelderum* verba faceres, contra te, *Heinſium*, *Spanhemium*, & alios rei litterariae Atlantes machinatus fuerit, jamjam ex ſupplementis lacunarum in Aenea Tactico, Dione Caſſio, & Arriano lecturus es? non ita N. cum *Gevartio*, & aliis viris doctis egit, quos ſemper, ſi quid humani irrepſerat, humaniſſime admonuit. Hactenus cum N. amiciſſime vixi, tuaque admonitio, pro qua tibi grates habeo, agoque maximas, non duntaxat hunc Juvenem apud me ſuſpectum reddidit, verum aliae machinationes & fraudes, de quibus praeſtat ſilere, quam pauca dicere. Videtur ille jam omnem eruditionem, & quidquid in bibliothecis rarum & magnificum, Italiae ſubduxiſſe, ut in hiſce regionibus ſolus in literas & literatos dictaturam exerceret. Rogabis quid Stephanus meus agat. Tandem fiet ſurculus arbor. Quod lucem nondum videat, mihi non eſt imputandum, ſed typographi culpae, quotidie temporum ciritatem, papyri Gallicae inopiam, & neſcio quid nugarum praetexentis. Interim ſi in edendo Harpocratione, qui fortaſſis nunc brevi prelo ſubjicietur, tibi inſervire mea opera queat, ea utere, & abutere pro arbitratu tuo. Vale, Vir Clariſſime, & hominem tui amantem ama. Dabam Lugduni in Batavis ante Diem x. Kal. Jun. 1675.

EPISTOLA CCCLXXXIII.

NICOLAUS BLANCARDUS

Abrahamo Berckelio.

Leidam.

ACcepi nuper, Clariſſime Berckeli, & quod Gelderus miſit, Harpocrationis ſolium, cum fragmento Stephani tui, & quas huic comites dediſti literas. hae quod erant candoris modeſtiae, amoris & doctrinae notis perfuſae, me μαλακῶς ἴχνεσι ἐπὶ τῆς ἀθηνείας exhilararunt aliquantulum. Illud,

quod fiduciam darent properae editionis ſcriptoris ejus, in quo tot ſoles condidi, non mediocri gaudio affecit. Gratiſſimum pariter venit in emendandis operis tam liberaliter oblatum mihi ſtudium tuum, eoque nomine quantum tibi debeam, facile intelligo. ut nihil dixerim intereſſe poſteritatis, tantum auctorem, & τ λεξικογράφων vetuſtiſſimum ab naevis prorſus omnibus, quantum humana ope provideri poteſt, vindicari. Itaque jure amicitiae poſtulo, ut exemplar Graecum, quod eſt multo ungium morſu correctum & diſtinctum, ſic exprimendum annitaris, nihil ut in eo alieni viſatur. quod ipſum ſi in noſtra verſione conſequor, gratias pro tanto beneficio acturus ſum maximas. de Forma operis quid decreverim, ex epiſtola ad *Gelderum* cognoſces. Voce Αιγὶς ad oram codicis, quo hîc utor, pauca notaveram e Nymphiodoro, ubi cum θώρηκα legi videam, mutabis in θώρακα, niſi forte in chartis tranſmiſſis a me ſit occupatum. Stephani ὀποσπασμάτια, pro quîs grates ago meritiſſimas, arrepta ex templo devoravi. atque utinam caetera ejuſdem tuis vigiliis haberemus, quae non dubie ad eundum guſtum exacta. non ego is, qui ſolitus ſim cuidam mortalium, nedum viris ſagacibus, & de literis bene merentibus, ancillari. Sed animum teſtor, eumque, qui mediis cogitationibus intervenit, ubi locos tentatos emendatosve inſpexi, perpendi, ſuis cum auctoribus contuli, ſtatim pro ſtudiorum tuorum εὐποιΐα me precatum, ut tam feliciter incepta benignus Deus ſecundaret. Si quae alia de hoc genere prae manibus habes, aut luce donaſti, indicabis, paratus ero τὴν χάριν τῷ ἔργῳ ἀμείβεσθαι: nec enim me tuorum operum quicquam, praeter τὰ Επικτήτεια vidiſſe memini. De Lucio iſto, cujus ſupplementa in tribus ſcriptoribus percurri, dicendum ἐν τῆς περιλειπομένοις Arrianaei voluminis ſecundi. Iſti, quia Vir bonae fidei ſum, & tamen ὑπὸ τ χρεῶν δακνόμενος, ſortem cum uſuris dependam. Vale & feliciter vive. Franekerae, ex arce fiarda MDCLXXV. a. d. XII. Kal. Jun.

EPISTOLA CCCLXXXIV.

ABRAHAMUS BERKELIUS

V. Cl. *Nicolao Blancardo* S. P. D.

QUia ex tuis anno praeterito ad me datis intellexi, animadverſiones meas ad Stephani fragmenta tibi non ingratas accidiſſe, nunc per fratrem Leovardiam commigrantem de mittenda ad te Ant. Liberalis Metamorphoſeon congerie, notulis & quibusdam emendationibus a me illuſtrata, conſilium formavi. Anni duo ſunt, cum in officina libraria inter colloquendum forte fortuna dixeram fabulatorem hunc nitidiſſimum ac non paſſim obvium ab eruditis deſiderari, & operae pretium fore, ſi a quoquam prelo ſubjiceretur. Typographus non improbans conſilium exemplar meum petiit, quod ei utendum exhibui: illud cum ad me referret, obnixe rogavit, ut novam hanc editionem aliqua obſervatiuncula correctioneve augerem. Aegerrime aliquid

Digitized by Google

a me impetravit; tandem crebris sollicitationibus defatigatus expugnatusque, exhibui, quod tertia diei parte chartis alleveram. proverbium illud ah demens! de cane festinante in memoriam non revocans. Ingenue fateor aliquid commisi quod humanum est, & documentum unum, atque alterum dedi, qua sim origine natus; Vix suspicans aliquem repertum iri, qui illas nugas theonino dente arroderet. Quippe per annum lucem publicam non viderat, quin nostram exceperit alia editio Amstelodami excusa, & Delphis, non illis Phocicis, sed ad fossam Corbulonis in pulvere scholastico nata, in qua aliquando fine ulla aequitatis specie perverse nostra traducuntur, atque detorquentur. Hoc minime ferendum existimans, tandem decrevi istius hominis σκαλαθυρμάτια novo commentario refellere, eumque docere, si nesciat, quod plurima commiserit a veri rectique norma longissime remota, ut tibi aequissimo harum rerum arbitro evolventi patebit. Sed mi Blancarde, quid tandem fiet de Harpocratione, quem omnes docti a te emendatum tantopere desiderant? Si Leidenses Typographi recusent, invenies procul dubio Amstelodami ejusdem artis peritos, qui scriptis tuis faveant, & excudere non subterfugiant. memini me aliquando apud te mentionem fecisse de loco quodam in sapientissimo illo Lexicographo, μήγε παίῃ δεινάρχῳ λόγῳ κατ' αὐτῆ ξενίας, ubi aliquid conjectabam tam pulchre ad rem faciens, quam Butubata Naevii. deinde locum, pensiore examine consideravi, sed reperiebam, me oculis meis non recte usum fuisse. properantiae hoc condonabis & homini aliis rebus intento, quod ita tamen facias oro, ut ipsas literas, in quibus tam infaustam conjecturam exaraverim, aut flammis tradas, aut quod illarum meritum est, multo pejus perdas: sed aliam tibi istius loco, musis, ut spero, melius faventibus, indicabo, quanquam vix dubitem quin mendam subolfeceris, qui multo unguium morsu totum Harpocrationem correxeris. locus est in voce ξυσίς: ἔστι δὲ καὶ ἱππικὸν ἔνδυμα ὡς Ἀριστοφάνης ἐν Φιάλαις. An alibi citantur Aristophanis Phialae? Ego semper corrigendum existimavi, ὡς Ἀριστοφ. ἐν Νεφέλαις, vel Ἀριστοφ. ἐν Φιάλαις. locus de Xustide apud Comicum isthac in fabula, hodie legitur Act. 1. Scen. 1.

Ὅταν σὺ, μέγας ὢν, ἅμ' ἐλαύνῃς πρὸς πόλιν
Ὥσπερ Μεγακλέης ξυστὸν ἔχων.

Haec verba interpretes, ut ipse videbis, pessime acceperunt. Telam meam in Stephano nondum detexui, quam si tam longam & tam molestam futuram praesentiscere potuissem, dubito vehementer, an unquam fuissem exorsus. Vale, & pancratice vive. Dabam Lugduni in Batav. a. d. v. Id. Novemb. A. 1676.

EPI-

EPISTOLA CCCLXXXV.

THOMAS MUNCKERUS

Nicolao Blancardo S. P. D.

Francker.

TAndem aliquando redit ad te Hyginus olim Salmaſianus; pro cujus uſu benignitati tuae gratias memini gratiſſimas. Comitem illi dedi recentem ejus editionem Cl. *Schefferi* cura, & meis aliquot notulis illuſtratam. Rogo levidenſe munuſculum aequi boni facias? ὐ πλέον ἔιχον, πλέον ἐδίδων, ceterum quicquid in ſcriptore iſto perfecerit *Micyllus*, & *Barthius*, & *Schefferus*, quicquid nos tentaverimus reliquimus tamen etiam ipſum Augiae ſtabulum. Quod ſi me ὁ κρείτ[τ]ων tamdiu ſupereſſe voluerit, donec διωπίσας dein edidero Φρυντίδας, ſpero fore ut melius litem. Nam primum ipſum conatum damno ipſe & deſpicio. deproperata enim pleraque in eo, & minus exacta. Hac hyeme fui omnis in Antonino Liberali, cui excudendo cum non parvo ſimul commentario quaero typographum, ubi prodibit aliquando, majori, ut mihi quidem videtur, fiducia ferre poſſit oculos tuos, quam Hyginus. Vale multum, Vir clariſſime, & ſtudiis noſtris fave. Delphis. a. d. x. Cal. Martias Anno CIↃIↃCLXXV.

EPISTOLA CCCLXXXVI.

NICOLAUS BLANCARDUS

Thomae Munckero S. D.

Delphos Batavam.

DE Hygino, quem *Schefferi* tuisque notis emendatum ad me miſiſti, & ago & habeo gratiam, Munckere praeſtantiſſime. Ex his ego praecipue ſenſi, quanta abs te in poſterum exſpectanda, & hae litterae tibi debiturae ſint. Magnam ex earum lectione cepimus voluptatem, eſtque ἐκ τῦ κεφαπίδυ τὸ λοιπὸν ἰμάτιον aeſtimare. itaque optamus caetera, quorum ſpem facis, videre. Conſtitueram Antoninum Liberalem cum noſtris animadverſionibus transmittere: ſed codicem dum requiro, dum forulos bibliothecae perſcrutor, nuſquam comparuit. Utrumne in migratione, an ſubleſta manu perierit, non habeo dicere. breviter, hoc velim tibi perſuadeas, nihil optatius accidere potuiſſe, quam ut aliena e noſtris, aut haec ex alienis emendarentur. ut defectum libri οἴκοθεν facile ſuppleveris. Venit nuper ad nos *Theodoricus* J. F. filius *Gronovius*, qui die craſtini futurus jurium doctor, theſes aſſeruit de Teſtamentis. Illum & merito parentis, & ſuo excepi humaniſſime. Viſus enim eſt τὰ γράμματα ὄντι ἐν παρέργῳ ἀσκήσας. Huic remeanti domum in manus dedi Thomam Magiſtrum, caeterosque Eclogarios, quos tam benigne tranſmiſſos gratus reſtituo. De meis autem ſtudiis quid dicam? niſi de me, qui ipſus languco & tor-

torpeo. Nam poſt obitum *Mariae* conjugis, cui parem haec aetas non tulit, ardor iſte vetus deferbuit, armaque ſapientiae de manibus excuſſa ſunt & fracta. Thucydides tamen longo intervallo repetitus lente procedit: nec ſatis ſcio, utrum perveniet ad metam. Ingens certe στάδιον δόλιχος, & currentem turbant difficilia minuſque expedita. De Philippo Cyprio, quem *Laevinus Warnerus*, Belgarum apud Turcas legatus, donavit, facilior res videtur. Exſpectavi hactenus expreſſa typis *Aurati* poemata, quae deſcripta manu *Canteri* me habere tibi profeſſus ſum. ſed fruſtra. Vale, & me ama Franequerae a. d. x. Kal. Apriles CIↃIↃCLXXV.

EPISTOLA CCCLXXXVII.

THOMAS MUNCKERUS

V. C. *Nicolao Blancardo* S. P. D.

Franekeram.

TAndem aliquando venit ad te Antoninus meus, Vir clariſſime. An aliquod operae fecerim pretium eum denuo publicando, ubi hanc editionem cum illis, quae antehac prodierunt, contuleris, tu judicabis, populum & ſuffenos, qui hoc tantum, quod ipſi faciunt, rectum putant, nihil moror. Tibi & tui ſimilibus modo placeam ſat habeo. eſſe apud Leidenſes, qui graviter nimis iteratam hujus libelli editionem ferat, jam puto audiſſe. In omnibus tabernis uti mihi fama narravit, tanquam ad publicum judicium ſubſcriptores conquirit. Quae haec iniquitas? imo quae tyrannis eſt? Ergo nemini licet ullum attingere ſcriptorem, licet id modeſtiſſime fiat, ad quem alter aliquid ſit commentatus? Sed glorietur dente ſuo Theonino, dummodo mihi pudoris conſtet fama. Nolim ego me conviciando vincere. *Aurati* poëmata, de quibus ſcripſeras, fruſtra mihi hactenus quaeſita ſunt. Quod ſerius libellum hunc, quam debueram, ad te mittam, rogo occupationibus meis, quae vix unquam reſpirare me ſinunt, imputes. Vale multum Vir Clariſſime, & miſerere hujus aſini, qui tam miſere vapulabit. jam ſcapulae mihi pruriunt. ſcripſi Delphis Batavis a. d. IV. Cal. Januarias anni 1676. qui tibi & tuis feliciter exoriatur & decurrat.

EPISTOLA CCCLXXXVIII.

THOMAS MUNCKERUS

Nicolao Blancardo S. P. D.

Franekeram.

FRatrem meum, qui ex negotio has oras petierat, ſine ullis ad te litteris domum redire ut ſinerem, facere non potui. Ut vales, Vir Clariſſime? ut noſtri es memor? Nihil prorſus a te litterarum, quod vehementer miror, ex quo Antoninum meum ire in Friſiam juſſi accepi. fraus heic aliqua an ta-

bellarii negligentia latet? fac oro ni grave est, quamprimum ista me sollicitudine liberes. Harpocrationis lexicon, quod tuis curis ornatius exercere jam operas Typographicas audivi, mirum quantum videre gestio. Non dubito enim, quin utilissimam operam in opere tam eleganti collocaveris. in paucis diebus prodibit Leidae ἐς φάος ἠελιοιο horribilis libellus, qui me dedocebit criticam, meum Antoninum, dico, Liberalem antagonistae mei. In eo conspicietur, ut fama narrat, Epistola N. in qua emendationes ullas Antoninianas sibi sublectas queritur, communicatas enim illas quondam cum *Gipsone*, meo olim collega, & ab eo mihi acceptas. Nequissimum ergo, inquies, tu caput es, qui, quod alium capere oporteat, intercipias. imo ego peream, quantum qui pote plurimum perire, si vel unquam de ullo Antonini loco apud me verbum fecerit *Gipsou* iste. Has querelas in sinum tuum ideo effundo, quod & tu maledicum ejus os nuper adeo expertus es plus satis in supplementis istis maledicentia omni refertis. scilicet Heroum filios noxas esse, ut est in vetere verbo. ut pater Orbis amor, ita filius, si sic perexerit, evadet odium. Curis secundis emendatiorem publicabo brevi Hyginum, cui comitem adjungam Lactantium, an Luctantium? qui argumentis Ovidii metamorphoses illustravit, sed multo quam ante hac editus est ex MS. limatiorem. Vale multum, vir optime, & conatibus nostris fave, qui omnes nisi qui te & tua nimium, studiorum amantes, amamus Delph. Bat. a. d. XIII. Cal. Majas A°. 1676.

EPISTOLA CCCLXXXIX.

DAVID GIFFENIUS

Nicolao Blancardo S. P. D.

Franekeram.

AUdet, praestantissime Blancarde, ad te dare literas D. *Giffenius*, ante annum & quod excurrit, tam in privatis, quam publicis exercitationibus tuis ad varios & Latinos & Graecos scriptores, auditor perpetuus, nunc vero in obscuro pago delitescit, rem sacram faciens inter simplices homunciones

— qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercent suis.

Didici ego ex doctissima tua in Arrianum tuum praefatione nihil innocentius eo vitae genere, musis & Phoebo sacratos cum lucis ac fontibus colles, quorum heic nobis est copia. Solitudo haec mihi foret gratissima, si tui carendum non esset, si aliquando suavissimis tuis ac doctissimis colloquiis interesse daretur. Dici non potest, quanta in te mea sit pietas ac veneratio, ob singularem tuam erga me benevolentiam, & in humanioribus institutionem. O felicem Academiam vestram! (si satis sua bona norit) quamdiu te habet superstitem. Tu enim, me hercle, Musas ex Frisia fugientes; cum pauciſſimis ad-

Digitized by Google

adhuc moraris; imo tu ſolus ferme divina veterum monumenta; alioquin mox caſura, Atlantis inſtar, perpetuis lucubrationibus tuis & curis fulcire ſatagis. Vereor equidem te in os laudare, ſed ipſa fatebitur invidia, Graecarum literarum cauſa, tanto reſtauratore opus eſſe. Hi ſunt dies, quibus ſecundum laudabilem Eccleſiae uſum Hiſtoria paſſionis Dominicae coram populo exponi conſuevit. Habebis a me quaedam, quae publice ex ſuggeſtu coram populo recitavimus ad caput Evang. Lucae. XXII. Κόμμα 44. ubi de agone Servatoris Jeſu in horto, & de ſudore ejus ſanguineo. En habe, quae ex Evangeliſtis tribus congeſſimus, quaeque ad lucem eorum ex doctiſſimorum virorum commentariis, & propriis meditationibus noſtris addidimus. Tuum erit, ſi legiſti, vir accurati atque animoſi judicii, de quibus monendum me putes, ſine fuco libere ac candide admonere. Hiſtoria exſtat apud D. Matth. XXVI. 36—46. Marc. XIV. 32—42. Luc. XXII. 40—46. Haec eſt ſumma. Jubebat Dominus octo diſcipulos ſubſiſtere ante ingreſſum horti, tribus Petro, & filiis Zebedaei aſſumptis intra hortum. Ingreſſus coepit animo angi, & ſummis terroribus affligi; monet iſtos tres ut illic loci ſubſiſtant & ſecum vigilent in precibus. Animam enim ſuam undequaque triſtem eſſe uſque ad mortem: ſe ad preces ſecedere. Hac, tanquam excuſſus tormento, rapitur ad jactum ferme lapidis: primo in genua ſe dat: hinc prolapſus in faciem ac humi ſtratus orabat, *mi pater, ſi fieri poſſit, tranſeat a me calix iſte; attamen non ut ego volo, ſed ut tu vis.* Primo iſto certamine defunctus redit ad diſcipulos, quos invenit oppreſſos ſomno, quem labores diurni, profunda nox & moeror creabant. Dicit igitur ad Petrum: *Sic nec ad horam unam mecum poteſtis vigilare. Vigilate & orate, ne incidatis in tentationem. Spiritus promptus eſt, at caro infirma.* Inde in ſecunda & tertia conflictatione, divulſus a diſcipulis, quanto vehementius premeretur, tanto ardentius precabatur. *Mi pater, ſi non poſſit iſte calix a me tranſire, voluntas tua fiat.* Ita ſe jam compoſuerat ad patientiam & obſequium. Finito quolibet certamine ad diſcipulos revertebatur, eoſque inveniebat dormientes. A ſecundo rediens non compellavit eos, ſed permiſit ſomno. poſt tertium monuit proditorem in propinquo eſſe. Scribit Lucas in aeſtu conflictationis viſum ipſi angelum eſſe, qui eum confirmabat. Angelus internum robur ſufficere non potuit, verba tantum ſuggeſſit, ut turbato in promptu eſſent. Idem Evangeliſta notat ſudorem ab eo inſtar ſanguinis, grandibus guttis in terram deſtillaſſe, Beza. *Alioqui nolim Agyrtas illos imitari, quos non pudet multa comminiſci, ut mulierculas non tam ad reſipeſcentiam, quam ad mollem & inanem commiſerationem commoveant, id eſt, ut Pilatum ac Judaeos potius, quam ſua peccata diſcant exſecrari. Sed viciſſim digni ſunt reprehenſione, qui ne videantur Chriſto tribuere tam inſignia humanae infirmitatis argumenta, partim iſta extenuant, in quibus tamen poſita eſt noſtrae pacis & cum Deo reconciliationis ſumma: partim etiam eo impudentiae provecti ſunt, ut nonnulla tanquam ab Haereticis infarcta expunxerint. Si quidem (ut eſt ab Eraſmo annotatum) Hieronymus contra Pelagium. lib. II. & Hilarius lib. de Trinitate. X. indicant, in pleriſque Graecorum & Latinorum Codicibus non fieri mentionem, neque de ſudore, neque de angelo confor-*

tante: at ego ſacrilegam eorum audaciam exſecror, qui haec deleverunt. Monarcha Sapientiae & eruditionis Hugo Grotius in illa verba (ἄγγελ⟨ος⟩ ἀπ' οὐρανοῦ) *Illaudabilis fuit & ſuperſtitio & temeritas eorum, qui hanc particulam & ſequentem de ſudore deleverunt, nihilo graviore de cauſa, quam illud, quod ſupra (cap. XIX. 41.) eſt de fletu, deletum diximus. Chriſtus enim deſtitutus Divinitatis in ſe habitantis virtute, humanaeque naturae relictus, ac proinde* ἐλατ⟨ω⟩θεὶς βοηθοῦ ἢ παρ' ἀγγέλων. *opus habuit angelorum ſolatio* &c. Grotius exiſtimavit ſanguinem non fluxiſſe, ſed verum ſudorem, qui in grumos concrevit, ut ſolet ſanguis concreſcere. Κατεξαίνε⟨ται⟩ *ita legit Latinus; & ſenſus videtur eſſe apertior, nam ſanguis maxime cum in terram cadit conſpicitur* θρομβῶδες. *Eſt enim* θρόμβ⟨ος⟩ *Galeno etiam in lib. I. de Semine* τὸ αἷμα πεπηγός. *Syrus quoque ſic legiſſe videtur, ſed ſic ut ſubintelligeret vocem* ἱδρῶτες, *quod loquendi genus exemplo non caret. Docet Ariſtoteles III. de Hiſtoria Animalium accidere nonnullis* ἱδρῶσαι αἱματ⟨ώδεις⟩ ἀφεστ⟨ῶσα⟩τι ⟨ἀ⟩πὸ καχεξίαν καὶ ⟨ἀ⟩πὸ τὴν τ⟨ῶ⟩ν θερμάτητος ὀλιγότητα. *attamen hoc loco nihil eſt, unde certo colligas ſudori huic ſanguinem fuiſſe permixtum. nam & Theophylactus & Euthymius notant, non dictum eſt* ἐγένετο ἱδρὼς αἱματ⟨ος⟩, *ſed* ἐγένετο ὁ ἱδρὼς ὡσεὶ θρόμβοι αἱμα⟨τος⟩. *quae verba indicant verum fuiſſe ſudorem, qui emanavit, nec tenuem tamen, ſed craſſum, quales eſſe ſolent grumi ſanguinis, quum ſudor vix ſoleat* θρομβῶσαι, *non aliter certe intellexit Juſtinus colloquio cum Tryphone, qui omiſſa ſanguinis mentione, ſatis habuit grumos dixiſſe* ἱδρὼς ὡσεὶ θρόμβοι κατεχεῖτο αὐτοῦ εὐχομένου. *tale illud.* Salſuſque per artus Sudor iit. *Theophylactum in ſuam ſententiam allegat, eum audiamus.* Ὅτι γὰρ ἀπ' ἀνθρωπίνης φύσεως ἦν τὸ προσπύχεσθαι, κατὰ ⟨τὸ⟩ διαχώρησιν παρούσης τὸ κοινὸν πάσης τ⟨ῆ⟩ς Φιλοζωίας, ἀλλ' οὐκ ἀπὸ τ⟨ῆ⟩ς θεότητος ὡς Φασὶν οἱ καθαιρέσεως Ἀρειανοὶ δῆλον ἐκ τ⟨οῦ⟩ καὶ ἱδρῶσαι καὶ ὅτως ἐναγώνιον γενέσθαι ὡς τι τοῦτο δὴ τῆς παροιμίας καὶ θρόμβους αἵματος ἀπ' αὐτοῦ πίπτειν. Παροιμία γάρ ἐστιν ἐπὶ τ⟨ῶ⟩ν σφόδρα κοπιώντων ὅτι ἵδρωσαν. ὥσπερ καὶ ἐπὶ τ⟨ῶ⟩ν πάνυ ὀδυρομένων αἵματα κλαίειν. τοῦτο τοίνυν δηλοῦται καὶ ὁ εὐαγγελίστης ὅτι οὐχὶ λίπους τίνι νοῦσι καὶ οἷον ἐνδείξεως χάριν ἐμφαινομένους ἀλλὰ σταγόσιν ἁδροῖς ἱδρώτων ἐπιτρέπειν τοὺς τ⟨ῶ⟩ν αἱμάτων θρόμβους εἰς εἰκόνα τ⟨ῶ⟩ν γενομένων περιλήφειν. *Quod autem ab humana natura fuerit orare, quae juxta permiſſionem patiebatur communem affectionem, qua amamus vitam, & non a Deitate ſicut dicunt maledicti Arriani, manifeſtum eſt ex hoc quod ſudavit, idque cum tanta anxietate, ita ut plane juxta paraemiam ſanguinis guttae ab eo ceciderint. Paraemia enim eſt de valde laborantibus, ſanguinem ſudavit. Sicut & de his, qui amare flent, dicimus quod ſanguinem fleant. Hoc igitur voluit manifeſtare Euangeliſta, quod non tenuibus quibuſdam humoribus & velut indicii gratia apparentibus, ſed magnis guttis ſudorem ſtillarent, ſanguinis guttas, ut id quod gerebatur, repraeſentaret, aſſumpſit.* Plane igitur ſentit cum Grotio Theophylactus: ſed fieri poſſe, ut ſanguis ſudetur, docet Ariſtoteles III. de part. animal. 5. Ἐκ μειζόνων δ' εἰς ἐλάττους αἱ φλέβες ἀεὶ περιέχουσαι ἕως γένωνται τὰς πόρους ἐλάττους &c. Quae ſic Latine Sonant. *E majoribus in minores continuo abeunt venae, donec meatus minores fiant, quam pro ſanguinis craſſitie: per quos ſanguini tranſitus non datur, ſed excremento humidae rorationis (quam vocamus ſudorem) idque percalefacto corpore, & venulis apertis. Jam vero quibuſdam contigit*

git ſudare ſanguinolento excremento propter malehabentiam corpore fluido & raro, ſanguine autem humefacto, quod coctum non ſit, quia calor in venulis ob exiguitatem concoquere non poteſt. Drexelius Pius & Doctus Jeſuita, Chriſti Morientis cap. 11. *feminam fuiſſe affirmat non e plebe teſtis, quae mariti ſui mortem eo lacrimarum imbre proſecuta eſt, ut lacrymis deficientibus guttas ſanguineas oculi ſtillaverint; at vero qui ſanguinem toto corpore, tanta copia, tali ratione ſudaverit, nemo mortalium ullis retro ſeculis eſt viſus. Jacob Patriarcham cerno, cum Angelo luctantem, ſed ſine ſanguine; Jonam Prophetam video precantem & laborantem, ſudantem & aeſtuantem ſed ſine ſanguine* &c. Johannes Maldonatus tomo. 1. Euang. cap. XXVI. Com. 37. Matth. *Audio, inquit, ex his qui viderunt aut cognoverunt, ante annos duos Lutetiae Pariſiorum hominem robuſtum ac bene valentem, audita in ſe capitali ſententia, ſudore ſanguineo fuiſſe perfuſum.* Fieri poſſe, ut ſudorem ſanguineum ſudet homo, teſtatur experientia, quamvis alienum ſit quod contingit ictis a ſerpente haemorrhaeo teſtatur in exemplis quibuſdam, licet paucis. Paroemia adducta a Theophylacto non ita Hyperbolica, ut exeat extra limites ἅπαξ δυνατῆς. Poteſt id evenire ex nimia animi preſſura & angore. Lucam velle quod in Chriſto factum ſit, docet locutio & res. Locutio ὡσεὶ ita ſumi ſolet Act. 11. 13. ὡσεὶ πυρὸς: ubi extra controverſiam, ignis exprimitur. Dicit Lucas ἐγένετο ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος καταβαίνοντες ἐπὶ τὴν γῆν, id eſt loco ſudoris grumi ſanguinis deſcendebant in terram. Sudor ipſius nihil erat niſi grumi ſanguinis. Antiqua lectio expreſſius ἱδρωτα καὶ ἐγένετο δ' ἱδρὼς &c. ſudavit, ſed ſudor ipſius plane grumi ſanguinis. Res docet. 1. ſudor tam copioſus & craſſus non effluit apertis venularum oſtiis, niſi ſanguineus. non concrevit in terra, ſed inter manandum craſſus & coagulatus erat. 11. Tantus animi angor & horror erat, & ex illo ita corpus conturbatum, ut ſanguinem non exprimere non potuerit. Si enim in ullo mortalium ſanguinem horror expellere potuit, id debuit fieri in maximo illo, quem Dominus ſenſit, qui ſtrangulaſſet eum, niſi humana natura ſuſtentata fuiſſet robore Deitatis. 111. Si ſanguis non fuiſſet, ſed ſudor tantum copioſus, cum eum potius ſanguini, quam pituitae, aut alii humori craſſo Spiritus Sanctis aſſimilaſſet. nempe ſanguis fuit rubore & ſubſtantia. 1v. Typus juvencae rufae mactatae, cujus cinis ad purificationem, ſine fuſo ſanguine impleri non potuit. Obſervatu digniſſimum eſt, quod doctus pariter ac ſedulus Rabbinorum illuſtrator *Conſtantinus l'Empereur* obſervavit in codice Middoth. cap. 1. T. ſ. ſcribitur in templi ambitu quinque portas fuiſſe, duas a meridie, unam ab occidente, unam ab aquilone. De porta quinta orientali ita loquitur. שע' חֲמִישִׁי שֶׁיֵּשׁ חֲבִירָה צוֹרָה שֶׁמּוֹ רוֹאֶה כֹּהֵן גָּדוֹל שֶׁרָּךְ אֶת הַפָּרָה וְכָל מַעְיָרוֹת יוֹצְאִים לְהַר הַמַּשְׁחִית: *Portae orientali figura erat civitatis Suſan, per quam intuebatur Pontifex, cum comburebat vaccam. Etiam operis inſtrumenta egrediebantur in montem olivarum.* Fuit communis traditio eodem referente, qua traditum juſſos fuiſſe Judaeos e Perſide reduces, ſtruere januam, quae civitatis Suſan formam referret, ut reverentia regis Perſarum ſemper oculis animisque obverſaretur. Quidam referunt circa portam fuiſſe aedificium, ad effigiem arcis Suſorum. Rubrae vaccae cerimonia nota eſt ex Num. XIX. &

Codice פרה. Vacca rubra debuit ad Pontificem adduci, quam educebant per pontem ingentis operis in montem olivarum, ut mactaretur & comburetur. E cujus cinere conficiebatur aqua lustralis, qua aspergebantur, qui cadaveris contactu immundi erant. Praeceperat Deus, ut Pontifex Vaccae sanguinem spargeret versus partem templi anteriorem. Num. XIX. 4. והזה אל נכחפני אהל-מועד מדמה שבע פעמים Καὶ ῥανεῖ ἀπέναντι τῆς σκηνῆς τὸ μοσχάριον ἀπὸ τοῦ αἵματος αὐτῆς ἑπτάκις. Missa dicit. כֹּהֵן רֹאֶה כֹּהֵן id exponit Aben-Esdras מְכֹהֵן הַשּׂוֹרֵף אֶת הַפָּרָה עֹמֵד בְּהַר הַמִּשְׁחָה וּמִתְכַּוֵּן וְרוֹאֶה בְּנֶגֶד פֶּתַח שֶׁל הֵיכָל בְּשָׁעָה הַזָּיַת הַדָּם Sacerdos comburens vaccam stabat in monte olivarum, intendens & videns in ostium aedis, hora aspersionis sanguinis. Intuebatur januam aedis, collimando per ambitum templi portam orientalem. His expositis vir doctus ita concludit. Hinc patet cur servator noster voluerit etiam pati in monte olivarum, emisso, antequam caperetur, cruento sudore ex animi illo angore piis omnibus venerando. causa fuit Dei quae typum antitypo per omnia respondere voluit. Quemadmodum in monte olivarum e Juvenca rufa pharmacum confectum fuit; ita in eodem ex sanguine illo Christi rufo, & exsudante confectum nobis vitale medicamen fuit.

Atque haec quidem sunt, Clarissime Blancarde, quae in praesens ad te scribere habui. Mature respondebis, si hae qualescunque meae literae, tibi gratae acceptaeque fuerint. Vale, magne vir, & Harpocrationis pene mortui Esculapi. Dabam in Wrikkel, prope urbem Slooten, in Regno nostro, puto Musarum, cui nemo, quod sciam, hactenus invidet, nemo inhiat. III. Cal. Mart. Anno Christi CIↃIↃCLXXV. Aet. XXI. & Dim. Quid de Harpocratione tuo fiat, paucis quoque significa.

EPISTOLA CCCXC.

NICOLAUS BLANCARDUS

Davidi Giffanio.

Stetam.

PEr mihi gratae fuerunt literae, quas a te nuper accepi. nam & nostri memoriam servant, & divina loquuntur. Utinam alii, de quibus haud male meriti sumus, possent adduci, ut suae ingratitudinis eos serio puderet. Sed non ita hic vivitur, ut sperare hoc liceat. tu beasti me rara confessione pietatis, cui tempore omni ac loco, nisi ipse ingratus sim, faxo respondeam. Nostra vero cave putes esse τὰ ἄρπα ϗ ἑλόχληρα, sed neque τὰ ὃ χρυσῦ χίνας λοίψανα, quamvis fugientes literas lacinia teneamus; si nihil aliud, id certe effecerim, ut exstet apud posteros hujusce honestissimi studii testimonium. Quam vellem tamen non deferbuisset ardor, flebili morte *Mariae* conjugis, cui parem sanctitate haec aetas vix tulit, exstinctus. agnosco humanis in rebus τὸ ἀνθρώπινον, quum exultationi succesit luctus, gaudio planctus & lacrimae. Itaque ex eo tempore τῶν ἐξωθεν σοφῶν monumenta parce attigi, frequentius eorum, quibus immissa vis spiritus τὸ θεοκλήτου, & quos ad omne virtutis genus du-

cos

ces doctoresque ſolos habemus. Nihilominus hoc δυσβάστακτον φορτίον, quo voluit ὁ ἐπουράνιος πατὴρ pietatem experiri, & patientiam probare, viriliter fero, nec me ejulamentis dedi, θλιπτάσεις κακεῖς. Dabit, ſpero, his quoque finem ὁ θεὸς πάσι, & lucem affulſuram rebus necdum deſperatis. Hac cogitatione, quum jacentem erexi animum, offertur abs te mihi patiens Chriſtus, poſt ἀγωνίαν non ſimplici morte perituru. Quod ſudorem ſpectat, cujus Divus Lucas meminit, ἐγένετο δὲ ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος καταβαίνοντες ἐπὶ τὴν γῆν, legi ſuper hoc Juſtini, Theophylacti, aliorumque veterum ſententias, ut omittam Juniores, *Grotium*, Cl. *Pricaeum*, qui eorum veſtigia ſequuntur, vel dicta repetunt, aut ſuis quisque argumentis ſtabiliunt. Ego, licet, παλαιόφιλος, cogor diſcedere. Nam ἱδρὼς θαυμαστὸν ὅσον. neque aliud Lucam voluiſſe quam ſudoris copiam ex animi ſumma perturbatione obortam, haud crediderim. in his παροιμιώδες π agnoſcit Theophylactus, ut in illis, αἷμα πλαίειν, & αἷμα ἱδρῶν θεῖ τὸ σῶμα ἀγωνιώντων: Quod e Zenodoto & Diogeniano notavit etiam Photius Epiſtola 138. θρόμβοι in gloſſis *Grumi*. hoc loco, guttae ſpiſſi & concreti ſanguinis. ſudor iſte cruentus ſuper omnem naturae rationem fuit, & cui ſimilis non exſtat in memoriis veterum, nec deinceps memorabitur, ſola materies κατὰ φύσιν, cetera παρὰ φύσιν omnia. ſi advertis hominum inde ab Adamo peccata; ſi irae divinae ſenſum, ὥσπερ φθειρεντος φλεγὸς, ſi propoſitum ei certamen cum principe ſeculi, cum Gehenna & morte, μὴ φόβῳ ἀλαπάστου ἤγων δοκιμάζειν, ut loquitur Damaſcenus; ſi denique placandum patrem, & humani generis ἀπολύτρωσιν: quid tandem ſimile in ſudoribus καχεκτικῶν, quos deſcripſit Ariſtoteles, & medicos verſantibus ſunt notiſſimi. De Haemorrhoo, aſpide Lybica miranda leges apud Nicandrum, Dioſcoridem, Galenum, & Aelianum: ſed tu Lucanum videſis lib. IX. ubi de Tullo, eſt enim prae manibus. Omnis ſcrupulus, quo magni viri ſudorem ſanguineum exauctorare nituntur, eſt in Lucae ὡσεὶ, quae particula ſi tantum valeat, ut excluſo vero ſolam ſimilitudinem ſervet, facile vicerint. Sed qui expedient iſta Mathaei cap. 3. τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν, ubi Lucas habet σωματικῷ εἴδει, ſpecie corporali, quin veram fuiſſe columbam adſtruit Tertullianus libro de carne Chriſti, plerique ſpeciem agnoſcunt, nonnunquam igneam, quod de linguis ſcripſit quoque Lucas Actorum ſecundo. Verum de his alias fortaſſe plura: nunc enim in ſenatum vocor. Vale, ac me amare perge, καὶ ἐνημερῶν ἀλαπάλει. Franckerae Idibus Martiis. 1675.

EPISTOLA CCCXCI.

HENR. CHR. HENNINIUS

Nicolao Blancardo.

Franekeram.

NUllus dubitavi, Vir celeberrime, has litteras ad te exarare, atque una carmen quoddam noſtrum, quod nuper in laudem novellae Academiae Mu-

Mutinenſis cecinimus, in animi tibi devoti notam transmittere; quandoquidem humanitas illa inſignis & eruditio celeberrima me ſecurum reddunt, uti haec qualiacunque ſerena fronte ſis accepturus. Sed ne jejuna nimis ſit Epiſtola, bona tua, Cl. V. cum venia, Divino Platoni ſuppetias feram. is in pulcerrimo dialogo, qui Phaedon inſcribitur, quaeſtionem de αὐτοχειρία excutiens, Cebetem ſic interloquentem inducit. καὶ ὁ Κέβης ἡσύμα πως ἐπιγελάσας, ἴτ|ω ζεὺς, ἔφη, τῇ αὐτοῦ φωνῇ εἶπεν. illud ἴτ|ω ζεὺς. in Epiſt. 7. ad Dionis propinquos etiam occurrit: εἰ μὲν δὴ, inquit, ἐκ τῆς μιᾶς συνουσίας τοῦτο γίγνοιτο, τάχα ἂν εἴη, γίγνοιτο δ' ἂν ὅπως, ἴτ|ω ζεὺς, φησὶν ὁ Πυθαγόρας. Ficinus, optimus Platonis interpres, priore loco reddit, *Iitio Jupiter*; male. nam in Graeco ἴτ|ω exſtat, non ἰτ|έω, & forſan Ficinus putabat eſſe cognomen Jovis; altero loco reddit, *Prob Jupiter*? tanquam ſi eſſet interjectio. & hoc male. ut brevis ſim τὸ ἴτ|ω ζεὺς vertendum, *Sciat Jupiter*. nam ἴτ|ω Thebanorum dialecto eſt *ſciat*, pro ἴσῃ, a verbo ἴσημι ſcio. atqui Cebes Thebanus erat. Facetiarum Pater Ariſtophanes, in Acharn. Thebanum mercatorem, ſic loquentem inducit, ἴτ|ω Ἡράκλης: & alibi etiam: ſed nunc non vacat inquirere. vult autem illa formula illud, quod in Belgarum ore frequens eſt. *God weet het*! haec cum ita ſint, verbum non amplius addam. Princeps etiam Philoſophorum Ariſtoteles noſtram operam deſiderat; lib. de mot. animal. Poſtquam enim dixiſſet, in omni motu opus eſſe corpore ſtabili, extra illud corpus, quod movendum eſt, cui movens inſiſtat; ſubjicit confirmationis ergo. Μαρτύριον δὲ τούτου τὸ ἀπορούμενον ἄλλο τί ποτε τὸ πλοῖον μὲν ἔξωθεν ἂν τις ὠθῇ τῷ κοντῷ τὴν ἰσὸν, ἤ τι ἄλλο προσβάλλων μόριον, κινεῖ ῥᾳδίως. ἐὰν δ' ἐν αὐτῷ τις ὢν τῷ πλοίῳ τοῦτο πειρᾶται προσῖσθαι, οὐκ ἂν κινήσειεν, οὔτ' ἂν ὁ τιτυὸς, οὐθ' ὁ Βορέας πνέοντα ἔσωθεν ἐκ τοῦ πλοίου, εἰ τύχοι τις πνέων τὴν τρόπιν τοῦτον, οὕπερ οἱ γραφεῖς πνέοντα. ἐξ αὐτοῦ γὰρ τὸ πνεῦμα ἀφιέντα γράφουσιν. quae linea ſubduxi, mirum faceſſunt negotium. Vidit ante me hanc difficultatem Niphus, celebris ſuperiori ſeculo Peripateticus, & pro τιτυὸς reſcribit ἰυγὸς, nam τὸ πνέοντα refertur ad τιτυὸς, οὐθ' ὁ Βορέας, tanquam duos ventos; ſed nullus mihi ventus, ut verum fatear, uſquam compertus, quem Graecorum Phyſici, quos quidem legi τιτυὸν appellarent. & licet omnes libri MSS. prae ſe ferant conſtanter τιτυὸς, ut ex commentatoribus conſtat, tamen incredibile mihi videtur, Ariſtotelem voluiſſe Gigantem Tityon pro vento ponere. Itaque cum loci hujus explicandi ergo, & intelligendi, ut fit, plusculos interpretes conſulerem, incidi in ſcholia Michaëlis Epheſii ad hunc locum, quae ita habent. ὅτι ἂν ὁ τιτυὸς ἢ ὁ κινῶν. & mox de Borea, ὅτι ὁ βόρειος ἦν ἐν αὐτῷ τῷ πλοίῳ, καὶ ἔπνει ἀπ' αὐτοῦ, ἐκίνησεν ἂν αὐτό. Ex quibus ſcholiis & Ariſtotelis veram lectionem mihi videor reſtituere poſſe talem: ἐνν ἂν κινήσειεν, οὐτ ἂν ὁ τιτυὸς ἢ ὁ κινῶν. hoc ſenſu. *non moturum fore navem, ſi vel ipſe Tityos immanis gigas ſuis viribus omnibus id conetur*. & ſequentia ſic ſupplerem, οὐθ' ὁ Βορέας (καὶ ἐρῶ) πνέοντα ἔσωθεν planus ita eſt commodus ſenſus. tum etiam ex ſcholiis illis videor mihi notaſſe morem veterum Graecorum, qui in aliqua navis parte, puta puppe, aut aliis, ventos humana facie inflantes

vela

vela navis pingerent, ornamenti ergo, ut hodieque noſtri pictores ventos ſolent depingere. bene hunc digitum intendit Ariſtoteles iſtis verbis, ἐξ αὐτῆς γαὶρ (ſc. πλοιὸς) τὸ πνεῦμα ἀφίεντα χαίρουσι, ubi pro ἀφίεντα, ἀφιέντας legendum jam nemo non videbit. Sed ignoſce temeritati, Vir celeberrime, quod γλαῦκ' ἐς Ἀθήνας: & crede nulla alia ratione factum, quam ut tibi Doctori Graecarum Literarum doctiſſimo hac occaſione noſtram in iſtis literis diligentiam probem: quam ſi placuiſſe tibi viro humaniſſimo intellexero, audacior ero in transmittendis data occaſione pluribus ejus notae noſtris obſervationibus, quas lubens tuae in iſtis literis eruditioni ac cenſurae ſubmitto. Vale, celeberrime Vir, & fave. Rheno-Trajecti, ubi commoror medicinae exercendae ego, ipſis Kal. Octob. 1681. αὐτοχειρίας.

P. S. Nobiliſſ. *Nic. Heinſius.* Dan: Filius, noſter Fautor inſignis, ante hos IV. dies Hagae Comitis ſummum diem obiit.

EPISTOLA CCCXCII.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Hagam.

NI noſſem humanitatem tuam, animumque omnibus amiciſſimum, qui ſeverae artis amant effectus, illaque ſe conantur tollere humo, vix eſt, credas velim, ut te gravioribus publiciſque negotiis & curis diſtrictum interpellare auderem; ſed perſpecta, cum horam tecum ponerem, doctiſſimoque colloquio fruerer, moderatione ſingulari, exquiſita doctrina, ingenio excellenti, animoque pleno officii atque aperto, non potui amplius officio meo deeſſe. Mitto igitur obſervationes in Auctores nonnullos; tuoque judicio omne hoc, quicquid eſt, relinquo, iſta tamen lege, ut ſi quae ſint, ut erunt, noſtris vitioſa libellis, canente divino & tuo beneficio reſtituto Sulmonenſe Vate, ea aetati dones, cogiteſque homini imperito, nec ſubacto ſatis in ſtudiis ingenio, facile quid potuiſſe excidere, quod viris omni Eruditione claris non probatur. Adjicio praeterea huic munuſculo nonnullas inſcriptiones, quae Noviomagi inventae ſunt, quarum mentionem injeci, cum me dulciſſimo alloquio Hagae Comitis foveres.

Digitized by Google

I. O M
ET. GENIO
LOCI
C. CANDIDINIUS
SANCTVS SIGN
LEG. XXX. V. V.
PRO SE ET SVIS
L. M
M. TERNO. ET AT † CO. CO.

MATRIBVS
MOPATRIBVS
SVIS
M. LIBERIVS
VICTOR
CIVES
NERVIVS
NEG. FRV
V. S. L. M.

MATRONIS
AVFANIABVS
T. ALDINIVS
IANVARIVS

I. O. M
DOMES
TICO
BRATO
VETERA
NVS. L. N.

Vale Vir Nobiliſſime. Daventriae II. Id. Sept. MDCLXXI.

Hae inſcriptiones in antiquitatibus Neomagenſibus a *J. Smetio* editae fuere, & inde partim a *Sponio*, partim a *Reineſio* publicatae, praeter primam, quam nondum reperi.

EPISTOLA CCCXCIII.

NICOLAUS HEINSIUS

Gisberto Cupero.

Daventriam.

HUmaniori litteratura, cui exornandæ totum te feliciter dediſti, Cupere politiſſime, injurius profecto ſim in memet ipſum, ſi eam inficias vehementer me capi; ſive hoc occulto quodam naturae ſit inſtinctu, ſive ſeneſcentibus nobis vix diſplicere poſſunt aut procul haberi ea, quibus tenero ab ungue delectabamur. Jam olim Obſervationes tuas *Grævii* noſtri beneficio videram, ac majori ex parte perlectitaram, quas munus vere eximium proximis diebus ad me miſiſti. Perlegam illas nunc denuo otii nonnihil nactus; ne tuae munificentiae ac benignitati, qua immerentem cumulaſti, minus tribuiſſe videor, quam commendationi Graevianae. Praeſertim cum ſim certus, ex ea lectione perventuros ad ſtudia mea profectus haud mediocres. In tranſcurſu agnovi unum alterumque Valerii Flacci locum prorſus reſtitutos abs te eo modo, quo in ſcriniis meis eos caſtigatos jam pridem aſſervo. Sed eſt profecto is auctor foediſſimum in modum etiamnum depravatus, cui nos medelae nonnihil ferre conabamur olim, in qua tamen vix ſatisfaciam mihimet ipſi, etſi reſtitutis in integrum locis haud paucis, quibus manum temere admorant ho-

homines litterati. ſed quidquid nos perfunctorio conatu molimur, alio frequenter avocati, id tuum tuique ſimilium eſt ſolide effectum dare. Quo impenſius velim maturari abs te editionem eorum, de quibus coram proxime ſpem luce publica donandis faciebas: erint enim tua non minus cum gloria, quam cum publico emolumento, ſi quid augurari fas eſt, conjuncta. Eſt præterea, quod pro vetuſtis inſcriptionibus, Noviomagi nuper effoſſis, me debere tibi profitear. In quarum prima ſub finem vide, ne ſcribendum ſit

MATERNO ET ATTICO COSS.

quod tamen par conſulare an in Faſtis alibi occurrat vix dixerim, cum libri non ſint ad manum, quorum auctoritate nitar. DOMESTICVS IVPITER in ultima inſcriptione commune nihil habet cum *Hercaeo* Graecove *Jove*, ni fallor. Sed de his meliori occaſione. Ampliſſ. *Hogerſium* ſalvere plurimum jubeo, cui me cum aliis nominibus non paucis arctiſſime obſtrictum agnoſco, tum ob Schelianae lucubrationis munus aureum, proxime mei juris illo mittente factum. Jubeo & aliis viris litterarum apud vos ſtudioſis ſalutem meis abs te verbis dici. Vale. Hagae Comitum XXVI. Sept. Gregor. 1671.

EPISTOLA CCCXCIV.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Hagam.

NOn ſine ingenti animi gaudio te valere, & propediem emendatum Val. Flaccum in lucem daturum a Clariſſimo *Terburchio* accepi. Quo nuntio ita affectus fui, ut vix ulla major & ſincerior laetitia mihi objici vel obvenire poſſit, cum Auctor ille, ſi quis alius, medica manu indigeat, & non niſi a te, Vir magne, vel emendari vel illuſtrari poſſit. Cumque ultro citroque, ut fit amici ubi adſunt, multa verba haberemus, diesque nobis conſumeretur, venit in eum tandem ſermonem, ut diceret, ſe Plinii Epiſtolas cum MS. collatas mittere, & interrogaret; ecquid & ego ad te? Annui: noluique occaſionem oſtentatam tantam, tam bellam, tamque optatam amittere: ſed decrevi breviter (occupationis enim tuae, temporis & laboris rationem habeo) ad te ſcribere, quid me male habeat Silius Italicus eſt, cujus verſus, quibus Homerum in campis Elyſiis oberrantem lib. XIII. verſ. 778. deſcribit, mihi crucem figunt.

Atque hic Elyſio tendentem limite cernens
Effigiem juvenis caſtae, cui vitta ligabat
Purpurea effuſos per colla nitentia crines.

Dauſquejus emendabat recte, ſi quid video, *caſti*: quomodo autem Homerus *juvenis* vocari poſſit, non ſatis perſpicio, cum ſenex fuerit, talisque in nummis Chiorum & Amaſtrianorum, imo etiam in marmore Homeri Conſecrationem exhibente videatur. Nec aliter a Luciano, & poëta anonymo lib. v.

Antholog. deſcribitur. Et hunc locum laudans *Kircherus* pag. 86. Latii Antiqui fingit.

Numinis effigiem, caſta cui vitta ligabat.

Qui qua id auctoritate, ſive MSS. ſive ingenii, faciat ignoro: illud ſcio *caſta* tolerari non poſſe. *Numen* autem vocatur recte, quia Homerus a plurimis populis Dei honore cultus fuit, & apud Silium paulo poſt *Deus* vocatur, *Numenque* ipſi tribuitur. ſequitur apud eundem

Atque haec cuncta prius quam cerneret, ordine terris
Prodidit. — — —

Apud *Kircherum* peſſime legitur *terras*: eorum autem verborum ſenſum hunc eſſe puto ſimpliciſſimum: Homerum terram & mare deſcripſiſſe, antequam illas luſtraret ipſe & obiret. Haec enim erat nota illum Deum eſſe, hocque erat non parvum Numen in tanto pectore. Patris viri celeberrimi editionem nullus habeo, ut quid ille hoc de loco judicet, neſciam; quare ad te decurro, cui ſine dubio multa exemplaria manu exarata verſata ſunt, quique certiſſimus poëtarum judex es. Hoc autem eo magis feci, quia mihi hic locus inſervit exornando commentario in Apotheoſin Homeri, quem tuo nomini (ſi pateris,) inſcribere animus eſt. Cum enim conſilium eſſet, illum dedicare homini Erudito & Belgae, quem potius eligerem, quam eum, cui Muſae & Charites exornando operam ad certamen contulerunt? Scis quid in eo argumento praeſtiterit Kircherus, & quam jejuna (ne quid gravius dicam) ſint omnia iſta viri in aliis rebus ſatis exercitati. Ego conatus ſum ſingula explicare, veſtitus, montem, antrum, inſignia Homeri, ornamenta capitis tam mulierum, quam Tragoediae, Εὐμήλειαν, Κηρύκειον ſive Χρόνον, bovem, aram, omnia denique; rationeſque non in cerebro meo natas, ſed auctoritate veterum fultas & firmatas adduxi, inſertis pluribus nummis, quibus res veſtiaria & praecipue ornatus muliebris illuſtratur. Sed rem ipſam loqui malo, quam ſingula enumerare: ſperoque illam operam Eruditis placituram, quam & maximus *Gronovius ὁ μακαρίτης* probavit. Commentarius iſte in juſtam excrevit molem, brevique illi ultimam manum impoſiturus ſum, ſi modo Deus mihi otium, & patriae cariſſimae pacem conceſſerit, quam hic turbatam tumultu (ſi modo illo defunctum ſit) Gallico iri quotidie haud injuria veremur. Scis, vir Clariſſime, quam male Muſis & Bellonae conveniat, & quanto divortio ſejuncti ſint Mars & Apollo. Sed Deus his quoque finem. Hoc peto mihi, id eſt tuarum virtutum admiratori, des, ut quid de hoc Silii loco ſentias, ne me celes. Vale vir Maxime. Daventr. XVII. Kal. Februar. MDCLXXII.

EPISTOLA CCCXCV.

NICOLAUS HEINSIUS

Gisberto Cupero S. P. D.

Daventriam.

AGitari abs te conſilium de illuſtrando marmore antiquo, apotheoſin Homericam complexo, non poſſum non vehementer approbare: etſi enim vix

vix in tranſcurſu inſpectum a me, tot jam annos ab omni litterarum elegantia excluſo, viſum eſt tamen illuſtratorem mereri, ab antiquitatis reconditae cognitione haud perfunctoria inſtructum. Huic autem lucubrationi tuae, Vir Clariſſime, quod me patronum deſtinari ais, neque is ſum ego, qui ad invidendos honores ambitioſus aſpirem, & tibi longe quaerendi non ſunt, auctoritate gratiaque in publico pollentes viri, qui pro munere pulcherrimo, uti par eſt, fortunas tuas in majus augendas fovendaſque, quam a me confieri poſſit, conatu certiore ſuſcipiant, Habebis vel ſic me ſtudiis tuis vigiliiſque bono publico praeclare conſulentibus ſuccenturiatorem haud malignum, quotieſcunque ad opem meam non gravaberis decurrere. De Silii loco paucis accipe, quem membranae complures a me adhibitae ita prorſus exhibent, ut in libris vulgatis circumfertur. Nam quod in Latio antiquo caſtigandum eum ſuſcepit, mendoſum haud dubie, *Athanaſius Kircherus*, Vir celeberrimus, ingenii vires advocavit in partes, non auctoritatem membranarum, quas ab antiquitate commendendas in urbe nullas exſtare ſum certus. Nec *Dausqueio* ſubſcribendum, qui fruſtra tentavit locum. Homerum vocari *Senem* ab aliis poëtis frequenter, juvenem haud umquam, ſenili etiam forma referri in marmoribus ac numiſmatibus antiquis recte obſervaſti. ſic Statius Epicedio Glauciae: *Maeonium ſive ille ſenem Trojaeque labores Diſceret.* Quid ergo? *juvenis* Silio non eſt Homerus, ſed Scipio, qui aliis etiam compluribus locis in hoc ipſo libro ſic appellatur. verſum vel ultimum vide,

Tum laetos ſocios juvenis portumque reviſit.

Supra, *ſic juvenis prior*: & *Oſcula vana petens juvenis.* & *Contra quae juvenis turbato fletibus ore.*

Plura loca proferri poſſent. Scribendum igitur in Silio.

Atque hic Elyſio tendentem limite cernens
Effigiem juvenis caſtam.

Caſta effigies, effigies ſacerdotis, ſive vatis, quod tantundem. Apud Maronem Aeneid. VI.

Quique ſacerdotes caſti, dum vita manebat.

Idque perpetuum ſacerdotibus epitheton adjunctum. Sic apud Naſonem Metamorph. XV.

— — — *Caſtos,*
Evinctus vitta crines albente ſacerdos.

Sed haec protrita ſunt: & Silius ipſe ſibimet pro interprete eſt in proxime ſubſequentibus. Nam de caſtitate Homeri ex Suida locus aliquanto longius petitus videri poſſit. *effigiem* pro umbra poni ne hoc quidem novum eſt aut inſolens. noſter paullo poſt:

Sed quae tanta adeo gratantum turba requirens
Heroum effigies majoreſque accipit umbras.

Plinius Secundus lib. III. ep. V. *adſtitit ei quieſcenti Druſi Neronis Effigies.* Virgilius in Culice, paſtori quoque culicis exſtincti *effigiem* in ſomnis oblatam teſtatur. Ita & Plinius avunculus Lib. Nat. Hiſt. VII. Cap. XXVII. Atque haec

ad priorem Silii locum. In altero nihil omnino immutandum.

Atque haec cuncta prius, quam cerneret, ordine terris
Prodidit.

Haec cuncta, quae Scipioni a Sibylla apud inferos exhibentur. Ipſos etiam inferos accurate Homerus deſcripſit, antequam vidiſſet, utpote in vivis adhuc, nec morti obnoxius. Et hoc divinitatis ejus argumentum. Et ſane in deſcriptione inferorum Homeri veſtigia legerunt Maro ac Silius. Vult igitur Sibylla, ſic deſcriptos ad Homero inferos, quales revera erant. Et haec quidem hactenus. Scribendae mihi propediem ſunt literae ad amicos in Italiam, quos inſtituti tui de illuſtrando marmore antiquo certiores faciam: nec dubito, quin hunc nuntium perquam acceptum ſint habituri. Mittam & mari aperto libellos nonnullos, in hoc terrarum tractu nuper admodum editos, aut mox edendos. Eaque occaſione *Octavium Falconerium* ac *Carolum Datum* rogabo, ſi quibus aut numismatis aut aliâ quacunque re propoſitum tuum ornare poſſint, ne nobis hîc deſint. De tuo additum ſi quid cupis, fac ad me ante Apriles Kalendas perferatur. Ampliſſimo *Hogerſio*, ac reliquis apud vos viris praeſtantibus ſalutem dico plurimam. Vale, Vir praeſtantiſſime. Hagae Comitum. A. CIↃIↃCLXXII. a. d. XIII. Febr. Greg.

In nummo Homerico Amaſtrianorum, quantum licet meminiſſe, fluvius agri Smyrnaei Meles citharam manu tenet ſeu lyram, cum alii in nummis marmoribusque antiquis fluvii urnis innitantur. Niſi quod in nummis Hadriani Nilus quoque ſiſtrum quatiens exprimitur, Iſiaci ſacri emblema. Ceterum Meletem cum lyra apud veteres ſolitum exprimi in Homeri laudem exiſtimo, quamquam Smyrna aliorum quoque poëtarum fecunda mater. Atque eo trahebam illud Moſchi, in Bionis epicedio, ubi Meletem vocat ποταμῶν λιγυρώτατον.

Τῦτο τὶ, ὦ ποταμῶν λιγυρώτατε, δεύτερον ἄλγος·
Τῦτο, Μέλη, νέον ἄλγος; ἀπώλετο πρὰν τι Ὁμήρου.

Apud Naſonem, quod in obſervatis monere neglexi, Metam. l. 1. vſ. 247. ſcribendum *Meles* pro *Melas*.

Mygdoniusque Meles, & Taenarius Eurotas.

Quod refer ad Meletem noſtrum. Unde Homerus Μελησιγενὴς. Meleager in Epigrammatis Μελησίους χαρίτας pro Muſis Homericis dixit, & pro ſcriptis Homericis *chartas Meleteas* Tibullus: Iterum vale. Valerius Flaccus, cujus editionem ante hoſce ternos menſes *Plumerus* urgebat, jacet. immo ne manus quidem ab operis Typographicis hactenus eſt admota, procraſtinante rem *Plumero*. Jacere igitur nunc perget; quando impetus ille in me refrixit, & ad alia cogitationem converti.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCXCVI.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Hagam.

MUltum, imo plurimum, tibi debeo pro elucidatis & docte non minus quam eleganter explicatis Silii locis, in cujus tamen ultimo, *Haec cuncta*, non ad ſolos inferos, ſed ad terram, mare, ſidera, retulerim, quae verſibus praecedentibus, quibus etiam *Manium*, id eſt inferorum mentio fit, carmine complexus eſſe dicitur. Haec enim nonnullorum opinio, quam reſpexiſſe puto Silium, Homerum terram, mare deſcripſiſſe, nunquam autem luſtraſſe, vel peragraſſe: Maximus Tyrius initio Diſſertationis XVI. narrat terram inhoſpitalem, & mare infeſtum non peragraſſe Homerum, ſed animo illa, ut & ſidera, aliaque luſtraſſe: ψυχῇ, inquit, πάντα χῆ περιφέρετο, πάντα ἱστόρει. &c. quo pertinet illud Euſtathii, ſive iſtius, quem compilavit, notantis poëtam per ſuum Ἄιδος θεὰ intelligere mentem ſuam, vel animae cognitionem pag. 9. Edit. Romanæ. Sed de his latius ad ipſum Marmor, & tu, vir Magne, optime judicabis. Quod de Italis mittis, lector; quos nullus dubito, quin multa, Marmori illuſtrando inſervientia, ſuppeditaturi ſint, cum & illuſtris Abbas *Severolus*, teſte *Kirchero*, conſtituerit diatribam de eo conſcribere, Clariſſimuſque *Falconierus*, ut me docuit *Ezechiel Spanhemius*, vir celeberrimus, voluerit illud notis illuſtrare? Sed cum nemo horum, *Spanhemium*, ad quem ante aliquot menſes litteras dedi, ſi excipias, mihi cognitus ſit, nolui illis πρόγματα παρέχειν, nec oneris quicquam imponere, & rogare ſuper dubiis nonnullis, quae etiamnum reſtant, ut ſunt, Vir, quem Reverendus *Kircherus* Flaminem eſſe putat, baſi juxta antrum inſiſtens, character, ut idem vocat, Tauticus, Arcus, Pharetra, Pileus, (is enim mihi eſſe videtur) quae in ore antri ad pedes duarum Virginum jacent. Haec omnia dubitanter expoſui, licet non deſint conjecturae, quas mittere nimis longum eſſet, auctoritate Veterum fultae & firmatae, quae rem, niſi mihi ipſe nimis placeo, ſatis clare explicant. In his ſi me juvare poſſis rem gratiſſimam feceris, beaveriſque ſi *Carolum Datum*, cujus eruditionis ſponſorem habeo librum de vita pictorum, vel *Falconierum*, aliumve meo nomine rogaveris, ad quos tamen decurrere cauſae nihil erit, ſi tu aciem ingenii advocare, & ſymbolam conferre volueris. Scripſi hac ſuper re ad Clariſſimum *Laurentium Pantiatichi*, ad quem litteras haſce, ut cures, etiam atque etiam rogo, qui fidem enim dedit, ſe omnia mea cauſa facturum. Mitto ſimul ad eum Inſcriptiones nonnullas ineditas, & Noviomagi repertas, quarum corpus novum *Falconierum* adornare dixerat. Harum tibi quoque, ni temporis anguſtiis excluderer, feciſſem copiam: ſed interim fer a me lapidem in ripa Gallica prope Noviomagum ante paucos menſes repertum. Forma ejus eſt quadrata, & quaſi ad amuſſim ducta: in medio protuberans, & in quatuor partes aequales diviſa, & in circuitu vel ambitu litterae

le-

leguntur inverſae, ubi puncta ponuntur, ibi eaedem litterae ab omnibus lateribus leguntur ΝΑΓΛΗ. &c. Hic lapis quid ſibi velit fateor me cum ignariſſimis ſcire, niſi quod nonnulla ita legenda videantur. SIGNARIVM ADIMIT TALASSEROS STRATIOTICVM: quid autem reliqua ſibi velint ignoro. Vale, vir magne, & me amare perge. Davent. IV. Nonas Mart. MDCLXXII.

Lapillus ille viridis politus & quadratus exhibetur apud *Joh. Smetium* in Antiquit. Neomagenſibus pag. 98. ideoque hic eam exprimere neceſſarium non putavi.

EPISTOLA CCCXCVII.

NICOLAUS HEINSIUS

V. Cl. *Gisberto Cupero* S. P. D.

QUas fidei meae concreditas ad *Laurentium Panciatichum* ire voluiſti, Cupere doctiſſime, eas jam in Tuſcos per tabellarium miſi. Intempeſtivum enim videbatur opperiri reſponſum ab amico noſtro ad eas, quibus illi reditum ad lares patrios, menſe proxime decurſo, eram gratulatus. Obſecravi igitur & hunc & *Octavium Falconerium*, pro ea, quae cum utroque intercedit mihi, neceſſitudine haud perfunctoria, ſtudiis tuis egregiis, pulcherrimoque Apotheoſeos Homericae illuſtrandae propoſito ne ſuffragari graventur. Spero augurorque non tam precibus id meis, quam ſibimet ipſis hoc daturos viros praeſtantes humanitate non minus quam eruditione: quorum officia aliis in rebus haud paucis habeo jam pridem perſpecta. *Haec cuncta* apud Silium ſic eſſe capienda omnino, ut tu arbitraris, tecum plane ſentio. Quapropter veniam mihi dabis, & exſulanti jam pridem a libris minus praemeditate reſcribenti ad ea, quae proponebas. Marmor ipſum vix in tranſcurſu conſului, & tum quidem arcus ac pharetra in veſtibulo antri, uti & lyra pro Apollinis inſignibus a me capiebantur. Virum baſi ſuperſtantem proxime antrum, Maronem eſſe colligebam, quod veſtitus ac tonſura capitis Romano potius, quam Grajo videretur mori reſpondere. Is autem Homeri cultor praecipuus. Conſulam diligentius aliquanto cetypum marmoris, & ſi quid enucleatius poſſum, ejus te ignarum eſſe haudquaquam patiar. A *Carolo Dato* in dies litteras exſpecto: quibus ad me perlatis, non intermittam illum quoque exhortari, ut *inſtitutum* tuum pro virili foveat ornetque. Ampliſſimum *Ter Borchium*, qui multis officiis me complexus eſt, dum reipublicae admotus nuper apud nos vivebat, rediturum ſunt qui negent. Id quod permoleſte omnino ac inique fero. Erat enim in illo candor plurimus, pari cum morum urbanitate ac eruditione haudquaquam protrita conjunctus. Salveat is, quaeſo, a me multum. Salveat & *Hogerſius* & alii apud vos viri, litterarum cognitione praeſtantes. Tu vale. Exarabam manu properante Hagae Comitum. A°. CIↃIↃCLXXII ad XXIV. Martii Gregoriani.

Pro lapidis quadrati inſcriptione communicata mecum gratias ingentes ago: de

Digitized by Google

de qua amplius erit deliberandum. Vidi inſcriptiones Magicas huic non omnino diſſimiles. Iterum vale.

EPISTOLA CCCXCVIII.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Hagae.

REcepi ab *Elzevirio* MONVMENTA PADERBORNENSIA; quae te diſtribuere viris Eruditis, quorum tamen me numero eximo, voluit Celſiſſimus princeps. Delectavit me jam olim prima elegantiſſimi operis editio, quando aeger licet morboque fere confectus, facere tamen non potui, quin doctiſſimum volumen, rebuſque eruditiſſimis refertum evolverem. At nunc nova illa & longe auguſtior facies tantum injecit deſiderium, ut ad praeclara Monumenta ſummo animi gaudio, veluti ad res novas acceſſerim & delicatiſſimas, receſſerimque non ſine magna eruditionis uſura. Quid multis? placent omnia: admiror Illuſtriſſimi principis ſingularem Eruditionem, Romanae, Francicae, Sclavonicae Hiſtoriae accuratiſſimam cognitionem, & puram pudicamque orationem, ac condendi carminis elegantiam. Hunc Phoebo didiciſſe magiſtro, Ἀντιδίδακτον, & πολυφωνότατον eſſe τῶν ποιητῶν recte facit, qui credit. Quae enim carminis vis & majeſtas? quae artificioſa & blanda verborum conſtructio? quis dulcis ſonus? quae magniloquentia? quae perſpicuitas? optime ſane actum eſſet cum genere humano, ſi talium principum & Antiſtitum eſſet copia; quod ne ſperare quidem, ea nunc natura rerum & is temporum curſus eſt, licet, cum undique omnium aures perſonent, NON EST VTILE. Fateaeris tamen, Clariſſime Heinſi, neceſſe eſt nihil majus huic ſaeculo, quo vix privatus litteras a limine ſalutat, obvenire poſſe, quam principem, talibus ingenii dotibus proditum; qui cum tot & tanta, qua divina, qua humana negotia ſuſtineat, animum non tantum humanioribus ſtudiis laxat, ſed iis plane immergit. Gratulor temporibus noſtris, quod tali ſidere illuſtrari meruerint; gratulor mihi ipſe, quod ejuſmodi ingenium admirari queam; gratulor denique Eruditis omnibus, quod hunc Celſiſſimum principem habeant ducem & hortatorem. Quem enim non inflammet Antiſtes iſte? cujus dum depictum vultum cerno, cum auctore carminis ad Piſonem cano,

Sed ſuper iſta movet plenus gravitate ſerena
Vultus, & inſigni praeſtringit imagine viſus:
Talis ineſt habitus, qualem nec dicere maeſtum,
Nec fluidum, laeta ſed tetricitate decorum
Poſſumus: ingenitae ſtat nobilitatis in illo
Pulcher honos, & digna ſuis natalibus ora.

Sed hoc mihi non ſumo, ut Principis panegyricum conſcribam, cujus laudes ſuperant vires ingenii, quaſque recenſere & enumerare non opis eſt noſtrae.

Tibi, Vir Clariſſime, mirificas pro tuo beneficio & miſſo exemplari gratias ago habeoque, ut & Ampliſſimus *Terborchius*, cui alterum tradendum curavi, a quo, cum haec ſcriberem, poëmata ſeptem Clariſſimorum Virorum, munus tuum, accepi; quibus nihil elegantius fingi poteſt, cum cernere detur vere Romanam & minime fucatam venam, illaque redoleant fragrantiſſimas veterum μυροθήκας; quae tamen omnibus numeris fuiſſent abſoluta, ſi & tua, non minoris ſpiritus poëmata iis accederent. Sed haec hactenus. Commentario in Apotheoſin Homeri, tuo nomini inſcribendo, ultima fere manus eſt impoſita: eum ſe praelo ſubjicere velle fidem fecerunt *Andreas Friſius*, & *Waeſbergius*; ſed, ut nunc eſt, diritatem temporis accuſant, quae ſimul abierit, pranſos ſe dicunt & paratos operi manus admovere; quod antequam typis deſcribetur, curabo ad te deferendum, ut, ſicubi forte humani quid paſſus ſim, tu admonere, qua es humanitate, poſſis. Speroque Italos, viros celeberrimos tantum tua cauſa facturos, mihique daturos, ut ſymbolas conlaturi ſint. Vale. Daventriae: a. d. XIV. Kal. Jun. MDCLXXII.

EPISTOLA CCCXCIX.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Hagam.

CUm jam te Laribus & penatibus redditum (nam ex *Graevii* noſtri, quas nuper dedit, litteris, intellexi te reditum in patriam adornare) credam, non potui non facere quin tibi gratularer, quia de ſalute tua propter infeſtas vias non leviter fui anxius & ſollicitus. Te enim ſalvo, ſalva in patria noſtra res litteraria, quae, ſi quid tibi accidiſſet, maximam & non penſandam jacturam feciſſet, ut unusquiſque confiteri neceſſe habet, qui raras ingenii dotes, humanitatem, benevolentiam, eruditionemque, qua fulges, non ignorat. Haecque etiametſi praecipua inſtitutae hujus ſcriptionis cauſa, haud ſola tamen eſt. Nam & cupio ſcire, quod commodo tuo fiat, num quid ab Italis, viris doctiſſimis, apud quos tuas litteras maximum pondus habituras ſpero, elegantiſſimi Marmoris illuſtrationi inſerviens receperis. Opus enim illud ad umbilicum perductum eſt, & in non poenitendam excrevit molem; quamvis nullus dubitem, quin Itali, qui in majori talium rerum luce verſantur, multa ſuppeditare poſſent. Dubia enim nonnulla ſuperſunt, quae ut paucis, ſola conjectura fretus, explicavi, ita illos veriora certioraque daturos confido. Nulli tamen editionem morabuntur, ſi modo candidior patriae affulſerit dies, & pax cum Galliarum, Britanniarumque Regibus, nec non Germaniae Principibus fundata ſit. Illa nobis, illa, Magne Heinſi, opus eſt: bellorum enim tempeſtates, fulmina & procellae Muſis inimica ſunt, nec in una ſede morantur Mars & Apollo. Spero Deum Opt. Max. patriam tandem noſtram, tot acerbitatibus vexatam, reſpecturum, ſublaturumque miſerias, quae non mi-

mihi ſolum, ſed tot hominum millibus impendent. Sum tamen animo forti magnoque, & ante oculos mihi propono mutationem converſionemque rerum humanarum, quae me in tantis moleſtiis non leviter conſolatur. Non minimam etiam partem aegritudinis tollunt Veteres, in quibus, praefiſcine dixerim, ſine ulla interpellatione verſor. Commentarium nomini tuo inſcribendum, quoad ejus fieri poteſt, orno, marmoribusque & nummis illuſtro. Eum ſe praelis deſcripturos, his turbis depulſis, fidem fecere *Andreas Friſius* & *Waesbergius*. Notas in Lucianum conſcripſi, auctoremque illum multis locis emendare conatus ſum, nolui enim ſcribere, emendavi, ne me oſtentare videar. Ni temporis anguſtiis excluderer, teque gravioribus rebus occupatum probe noſſem, δείγματα a me ferres. Sed & de his coram commodius, ſi modo brevi te conſulere detur. Ego hîc quaſi in ſolitudine vivo, & quid eruditus orbis agat, quid moliatur, quantumque in Auctoribus, a te, vir eximie, illuſtrandis, profligatum ſit, juxta cum ignariſſimis ſcio. Quid quaeris? rem mihi gratiſſimam feceris, ſi de Italorum, de quibus magnam ſpem fecerat clariſſimus *Pantiatichi*, cujuſque opera me ſperabam apud eos gratioſum fore, aliorum, & tuis conatibus certior fiam. Vale, vir Nobiliſſime, petoque ut me complectare & in tuis habeas. Daventr. Kal. Mart. CIↃIↃCLXXIII.

EPISTOLA CCCC.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Hagae.

AMpliſſimo *Terborchio* in Batavos iter adornanti non potui non facere, quin litteras comites darem; quibus & gratias agerem, quas poſſum, maximas pro incredibili erga me voluntate, humanitate ac benevolentia, & ſignificarem me non mediocriter laetatum, ubi ex ultimis illis, papavere & ſeſamo ſparſis, intellexi, cum Eruditiſſimo te, celeberrime Heinſi, *Octavio Falconerio* de conatu meo ſermonem (μέγα κλέος) habuiſſe. Et quanquam de inſtituto illo promovendo vix ſpei quid reliquum fecerit, tantum tamen tua cauſa facturum ſpero, ut vel ſe illuſtraturum etiam (quod docet *Spanhemius*) elegantiſſimum Antiquitatis depoſitum affirmet, vel tandem aliquid conferat, quo Commentarius, in quo ſine ulla interpellatione verſor, ornatior, venuſtiorque exire poſſit. Sed tibi haec, quemadmodum non obſcure oſtendis, curae erunt; multumque mihi a viri magni humanitate, qua fulget, promitto & ſpondeo. Litteras, quas ad Clariſſ. *Pantiatichi* dederam, non vana conjectura ductus credo oſcitantia tabellarii intercidiſſe. Adjeceram enim illis Inſcriptiones aliquot in agro Noviomagenſi ante biennium repertas, quas non ſibi, quanquam nec ita repulſam tuliſſet, ſed Illuſtriſſ. *Falconerio*, in novum Inſcriptionum, ut narrabat, corpus adornanti, petebat. Mirum ni has ſe recepiſſe Apoſtolicus Internuntius dixiſſet, ſi epiſtola ab hemerodromo (nam de amici

fide nihil eſt quod dubitem) recte curata foret. Quare in hoc omne, quod commodo fieri poſſit, inquiras rogo, credaſque velim, rem te, cui tamen tantum oneris vix imponere nec audeo nec debeo, mihi gratiſſimam facturum. Sed libertati, importunae forte, veniam da; habeaſque excuſatum, ſi paulo prolixior ſim, & adjiciam loca aliquot Auctoris Conſolat. ad Liviam, quae a me emendata judicio plane tuo permitto. vſ. 103.

Te queritur, caſusque malos, irriſaque tales
Accuſatque annos, ut diuturna, ſuos.

Minima mutatione lego *tabet*: id eſt; mater lamentatur propter te, & miſerrimos, Druſe, caſus tuos; ideoque tabeſcit irriſa & eluſa a Fortuna, quae te abſtulit, cum ſperaſſet a te ſibi ultimum officium redditum iri: hinc ait, *Accuſat annos*, quia ſcil. nimis diu ſuperſtes fuit, maluiſſetque ante te obiiſſe, ut lumina claudi a Druſo fratreque potuiſſent. quo reſpicit vſ. 159.

Atque utinam Druſi manus altera, & altera fratris
Formarent oculos comprimerentque meos!

Irriſaque merito dici poteſt, quia fortuna blanda, poſtquam ſummis filium honoribus affecerat, ipſum florentiſſimae aetatis & feliciſſimo rerum curſu abſtulit. Huc ſpectant illa, quae canit. vſ. 30. & ſequentibus, ut & quod vſ. 51. in *Fortunam* invehitur: denique hoc illud eſt, quod vſ. praecedente canit:

Liquitur: ut quondam, Zephyris & ſolibus ictae
Solvuntur tenerae, vere tepente, nives.

Quod idem eſt ac ſi dicas *tabeſcit*, vel antique *tabet*: qua voce utitur etiam Cicero in Catil. cum dixit, *deſiderio alicujus tabere*, & Ovidius lib. VII. Metam. vſ. 540.

Lanigeris gregibus balatus dantibus aegros
Sponte ſua lanaeque cadunt, & corpora tabent.

vſ. 234.

Iſte meus periit: periit arma inter & enſes
Et dux pro patria: funere cauſa latet.

legendum omnino cenſeo *patet*. alloquitur Mars Tyberinum, Druſumque ſibi vindicat: unde ait, *Iſte meus periit*: quia ſcilicet in bello, cujus praeſes, dux pro patria periit; cauſamque non longe arceſſendam eſſe ait, ſed *patere ex funere*, quod erat Triumphale, nec niſi illis dabatur, qui caeſis hoſtibus triumphum meruerant, & antequam eum agere poſſent in bello obierant, quo de funere haud protrita, ni otii tui rationem haberem, monere poſſem. vſ. 402.

Juppiter ante dedit fati mala ſigna cruenti,
Flammifera petiit cum tria templa manu:
Junonisque gravi nocte impavidaeque Minervae,
Sanctaque & immenſi Caeſaris icta domus.

Diſtichon ultimum aut adulterinum aut pro declamato cenſes habendum, Clariſſime Heinſi. ſed ſi tanti, conſidera, quaeſo, quid mihi in mentem venerit. Hujus prodigii etiam meminit Dio lib. LV. initio, aitque templa nonnulla tempeſtate & fulmine χαμαὶ καὶ κεραυνοῖς perdita eſſe, & inter alia, τὰ τοῦ Διὸς

τοῦ

τοῦ Καπιτωλίνου, τ' τι σύνναον αὐτοῦ κακωθῆναι. *ipsius Jovis Capitolini, & huic adjunctum*, ut vertunt, *fanum*. mirorque valde Auctorem consolationis, templi, quod praecipuum erat, non meminisse: quare parum abest, quin refingam.

Flammifera petiit cum sua templa manu.
Junonisque gravis, doctae impavidaeque Minervae,
Sanctaque divini Caesaris icta domus.

Sic singula erunt clarissima & historiae consona: *Juno gravis* vocatur propter incessum, Minerva *docta & impavida*, quia & studia & bella amat. Illud autem *tria* irrepsit, propter versum sequentem, ubi Junonis, & Minervae, templi, & Augusti domus, quod & templum vocatur, fit mentio. Sed ecquid placet Dionis locus? ego sane quod sit illud *adjunctum fanum* quaero. Συνναόυς θεοὺς scio significare Deos, qui eodem templo, eadem cella colebantur, quos & συνθρόνους & παρέδρους vocabant; docerique velim quis veterum σύνναον pro adjuncto templo dixerit: quare puto legendum; τ' τὶ συννάων αὐτοῦ, id est *Junonis & Minervae*, ut Auctor Consolationis narrat, quasque constat ibidem cultas esse.

Et haec quidem hactenus; sed, pace quod fiat tua, Ovidium etiam & Plinium ad partes vocabo. Is ita canit lib. III. Amor El. 9. vs. 43.

Aurea Sanctorum potuissent templa Deorum
Urere, quae tantum sustinuere nefas.

Legendum omnino *qui*: neque enim templa, sed Dii nefas fieri patiebantur, ut est notissimum; unde & iis non autem templis invidiam faciebant. Alterum leviusculum mendum apud eundem est lib. I. Artis Am. vs. 141.

Et bene, quod cogit, si nolis, linea jungi.

Scribendum enim, ut arbitror, *nolit*. id est, si puella nolit bene jungere latus suum tuo, dic lineam cogere, & te debere lege loci puellam tangere; quod & poscere videtur explicatio tua doctissima τοῦ *lineae*, quam cum Hagae Comitis tecum essem, pro solita humanitate & benevolentia impertiebas; sed, ut est τὶ λεγόμενον, numeros teneo, non verba. Agmen claudet Plinius, qui lib. XIV. cap. 7. vina transmarina recensens, inter ea commemorat *praeparentium*: pro quo MS. CH. legit *peparethium*, MS. Regius unus *perperentium*: unde *Claudius Sarravius* Epist. CCI. faciebat *perperennium* laudatum Galeno vinum. Sed ego *peparethium* veram lectionem arbitror; quod vinum etiam laudat Demetrius Troezenius ἐν τῆς δυνάμεσι θεσμοφοριαζούσης apud Athenaeum lib. I. cap. 23. & Peparethum insulam veteres a vini copia laudarunt; Αὕτη ἡ νῆσος, ait Heraclides in Excerptis, εὐοινός ἐστι, καὶ εὐδενδρος, καὶ σῖτον φέρει. Sed ohe nugarum jam satis est, & patientia tua nimis diu abutor: &, ut verum fatear, video me juxta Ciceronem eos imitari, qui cum semel verecundiae limites transgressi sunt, gnaviter sunt impudentes. Quare veniam πολυλογίᾳ dabis, &, si tantum horis tuis, vir Magne, abire vis, erranti comiter viam monstrabis. Vale Clarissime Heinsi, & Cuperum tuum amare perge. Daventr. a. d. VIII. Id. Julias, CIↃIↃCLXXIII.

Vide *Cuperi* Obsert. IV. 3. ubi & *Heinsii* Epistolae, quas respondit, pars legitur.

EPISTOLA CCCCI.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Hagam.

QUas ad me pridie Kal. Sextiles dediſti epiſtolas, ab amica manu recepi; gaudeoque tibi, Virorum Maxime, & ſtudia mea probari, & emendationes non plane diſplicere, nec ἀμούσους videri. Glorior ſane tali teſte; & licet pudor paene ſubruſticus ejuſmodi ſaepius coram te agere conantem deterreat, quia tamen ipſe auctor es, & admiſſo equo, ut cum Ovidio tuo, praefiſcine tamen loquar, calcar ſubdis, aequi bonique conſules, ſi iterum adſim & publicorum negotiorum & ſtudiorum interpellator; atque alias conjecturas tuo, id eſt, acutiſſimo judicio vel improbari vel firmari deſiderem. Epiſtola Heroidum III. vſ. 115.

Et ſi quis quaerat, quare pugnare recuſes,
Pugna nocet: citharae noxque Venusque juvant.

Nulla in praecedentibus noctis mentio, ſed tantum Veneris & citharae; ut hoc verſu: *At Danai moerere putant*: &; *Tutius eſt.* &c. Unde legerem; *Citharae voxque Venusque.* Noſti elegantiſſime *vocem* citharae tribui, & ſignificare ſonum. Sic praeterea locutus eſt Virgilius VI. Aen. vſ. 646. & Homerus il. Σ. vſ. 495. Βοὴν, & vſ. 571. φώνησε illi tribuit. Epiſt. VII. vſ. 597.

Exige laeſae pudor poenas, violate Sichaeo;
Ad quas (me miſeram!) plena pudoris eo.

Puto ſcribendum eſſe; *ad quem*; nimirum Sichaeum, vel ejus ſtatuam: ſubjicit enim ſibi eſſe ejus ſtatuam marmoream in aede ſacratam, ſeque quater eſſe invocatam & veniſſe, ſed tarde propter pudorem: *Sed tamen admiſſi tarda pudore mei.* Ep. XII. vſ. 84.

Sed mihi tam faciles unde meosque Deos!

Lego; *meisque*; nempe ſociis vel Argonautis, quibus ex hac re magnum commodum non ſecus ac Jaſoni erat eventurum. Sabinus Ep. III. vſ. 67.

Anchiſen propter voluit formoſa videri,
Viſaque poſt latam jacuit ulta deam.

Locus, ſi quis alius in his Epiſtolis, corruptus; ſed ſanitati ſuae reſtituetur, ſi legamus: *Viſaque poſt propalam jacuit ulta Deum.* id eſt, Venus in adulterio a Vulcano deprehenſa, & viſa ab aliis poſtea liberior facta eſt, nec furta uti ſolebat, tegebat, ſed palam jacebat, atque ita Deum, id eſt, Vulcanum ulciſcebatur. Sic *jacere* uſurpatur Metam. III. vſ. 363. Quinimo idem canit poëta lib. II. Artis vſ. 590.

Hoc tibi profectum, Vulcane: quod ante tegebant;
Liberius faciunt, ut pudor omnis abeſt.

Et ſimile quid etiam ſcribit Julius Firmicus de E. P. R. *Venus in adulterio deprehenſa detegitur; & poſt Dei nuptias, Anchiſae hominis cubile ſectatur.* Tu autem,

tem, vir Clariſſime, me doce qui ſint *arrecti currus* apud Virgil. lib. IX. Aen. 317. Nam quae Donatus notat, nequaquam difficultatem tollunt. Et neſcio quare currus arrexerint vel in altum ſuſtulerint, niſi hic ſolitus fuerit mos, & currus per poſteriorem partem depreſſerint, ita ut temo in altum erigeretur, quale quid obſervo in tracto agitatore apud *Joh. Rhodium* ad Scribonium Largum. praeterea aveo ſcire, quid ſit illud, quod in colloquio Scholaſtico apud *Vulcanium* uni homini tribuitur χιτὼν περὶ τὸ σῶμα cincta; περὶ τ τεφάχηλον ἀναβόλαιον: ἱπτνδύτης λευκὸς & φαινόλη. Malo enim haec a te certiſſime diſcere, quam variis, quae mihi natae ſunt, conjecturis, indulgere, eaſque chartae illinendo patientia tua abuti. Vale, Clariſſime Heinſi, & me amare, ſtudiisque meis favere perge. Ampliſſimus *Terborchius* tibi ſalutem adſcribit. Dav. ipſis Kal. Januariis CIↃIↃCLXXIV. qui tibi, patriaeque felix ut ſit, multa Deum Opt. Max. veneror.

EPISTOLA CCCCII.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Hagam,

DUm ſingulis diebus me certiorem fore a Clariſſimo *Graevio* ſpero, te in agro Trajectino verſari, ecce juvenis modeſtiſſimus, & litteris interioribus haud mediocriter imbutus *Jacobus*, quem tibi majorem in modum commendo, *Perizonius*, mittit te Hagae-Comitis etiamnum haerere. Nihil tam praeter opinionem accidere potuit, cauſamque moras diuturnae ſtatim litibus, quae te nullo tuo merito tam longo tempore exercitum habuerunt, adſcripſi. Damnavi quoque conſilium meum, quod commentarium in Homeri Apotheoſin conſcriptum apud te non reliquerim, ut in quibus a vero aberraſſem moneres, & ſi quae addenda forent, pari facilitate atque humanite, quam ſemper maximam eſſe cognovi, impartires. Sed hoc idem praeſtare te velle, quando a *Graevio* librum accipis, etiam atque etiam rogo, ut dignus tuo, id eſt, nobiliſſimo & celeberrimo, quod praeferet, nomine exeat. Neque enim lucem ſine judicio tuo aſpiciet, quod ſi tulero, ſatis magnam laboris mercedem me conſecutum eſſe arbitror. Typographi, quos & Lugduni & Amſtelodami conveni, diritatem temporis, & papyri inopiam, quam niſi nitidiſſimam adhiberi volo, una omnes accuſant. *Graevius* promiſit ſe cum *Zylio* acturum, ſi forte ille operas ſuas addicere vellet. Tu, quaeſo, idem mihi, quod commodo fieri poteſt, officium praeſta, cum non tam mea, quam Homeri cauſa qualemcunque Marmoris explicationem exire ſummo opere deſiderem. Non dubito haec a te per litteras petere, & viro occupatiſſimo πεζγματα παρίχειν, quia certo perſuaſus ſum, te mea cauſa velle. Cum autem priores litterae male curatae ſint, veniam dabis, ſi quae loca in iis examinavi, breviter habitaque ratione otii tui proponam. Apud Heſychium Mileſium Libello, quem de re-

bus

bus patriis Conſtant. conſcripſit, dicuntur Μεγαρεῖς ἀπὸ νίσου γένος καταίροντες Byzantium condidiſſe. Scio *Megarenſes* fuiſſe in Sicilia, & videri poſſe ἀπὸ νίσου addi ad differentiam aliorum. ſed tamen puto legi debere ἀπὸ Νίσου. Niſum intellige, qui Megaris, urbs Atticae eſt, imperavit, teſte Pauſania libro primo. Hujus progenies, Byzantium videtur migraſſe, urbemque condidiſſe vel reſtauraſſe; quod Megarenſes feciſſe memoriae etiam mandarunt Philoſtratus & Conſtantinus Imperator in Thematibus. Apud Curtium libro IV. 14. in oratione Darii, pro, *Duces veſtros*, *Regum inſtar*, *vinctos habet*, ſcribo, *reorum inſtar*: & *Duces* non de ſatrapis cum *Freinshemio* V. Cl. interpretor, ſed per appoſitionem dictum puto, & ad matrem, filias, filiumque *Darii* refero; quaſi dicat, qui ſunt duces veſtri. Illos autem *principes*, id eſt, primas dignitate vocat, hunc vero *ſubolem regiae ſtirpis*, quia hic a Dario Rege ſuſceptus, filiae vero antequam regno admotus eſſet, ipſi natae ſunt, nec mater ex regia familia oriunda foret. Eadem occaſione emendaveram Juſtinum lib. XI. ubi narrat Alexandro ſemel tantum uxorem Darii viſam, *cum matrem filiasque ejus parvulas frequenter conſolaretur*. Neque enim videntur filiae Alexandri parvulae eſſe, quas Curtius *adultas*, Plutarch, ἡλικίας παρθένους, Diodorus Παιδίους vocant, quaſque ipſe Juſtinus Alexandro in uxores oblatas dicit. unde ſcribebam, *matrem*, *filias*, *filiumque ejus parvulum frequenter conſolaretur*. Curtianam autem emendationem firmant, *vincula*, *carcer*, *ſervitus*, *compedes*, & alia quae ſequuntur. Sed cum de his ut & aliis multis locis agam in Obſervationum affecto opere, quod apud *Graevium* quoque reperias, pluribus ſententiam firmare ſupervacuum exiſtimavi. Geographus a *Gothofredo* editus, Indiam in majorem, minorem & minimam, ἐλαχίστην enim pro ἐλαττων ultimo loco videtur legendum, monente viro Clariſſimo, dividit; cujus diviſionis auctorem, & num alibi exſtent exempla quaeſo me doce. Haitho quidem Armenus cap. VIII. *Indiam majorem* memorat, & M. Paulus Venetus cap. 23, 34, & 43. Indiam in majorem, minorem & intermediam, ſed neſcio quo auctore, dividit. Majorem interpretabar extra Gangem, ita ut Seres ea non comprehendantur, Minorem intra Gangem, Minimam intra Indum, ubi Indi Littorales, qui fuere Perſicae ditionis, a Juſtino collocantur. Sed haec omnia tu melius elucidabis, acerrimique vi ingenii omnem dubitandi anſam auferes. Quotidie expecto Inſcriptiones ineditas in Hiſpania repertas, quas ubi accepero, ſtatim ad te mittam. Vale, virorum Maxime, & Cuperum, ut ſoles, amare perge. Davent. ipſis Id. Jan. CIↃIↃCLXXV. qui annus tibi felix & a litibus vacuus ſit, multa Deum Opt. Maximum veneror.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCCIII.

NICOLAUS HEINSIUS

Gisberto Cupero S. P. D.

Daventriam.

NIhil equidem magis me invito fieri potuit, mi Cupere, quam quod poſt ſeceſſionem in agrum Trajectinum, quam ſtudiorum praeſertim cauſſa eram meditatus, ante Januarias Kalendas proximas, adeo nihil horum perficere licuerit, quae agenda mihi illic propoſueram, idque ob crebras interpellationes moleſtiſſimae valetudinis, ut nec ordinandae bibliothecae ſatis vacarim, nec perlegendo tuo ſuper Apotheoſi Homerica commentario me dederim, quod maxime voluiſſem tamen. Torpor enim lethalis quidam dejectas vires adeo non ſinit eniti hactenus in priſtinum vigorem, ut animum pene diſpondeam de ſalute recuperanda, niſi ab aura benigniore verni temporis, & thermis Germanicis, praeſidium adfulget. Interim tricae forenſes huc me denuo evocarunt, e quibus laqueis ſi mature detur expediri, rus ut quam primum recurram mea intereſt: quo & res privatae ante Germanicam profectionem componantur, & ſtudiis, ſi poſſim, non nihil vacem. ablaturus tunc a noſtro *Graevio* lucubrationes tuas, quas emigrans rure vicino apud illum depoſui nuper, ne quid iis inter tumultuarias iſtas diſcurſationes in via forte incommodi ſuperveniret. Typographum jam circumſpexiſſem tibi, ſi quis indagari poteſt, niſi quod adſtrictus tenaci compede valetudinis diuturnae vix denuo efferre pedem potui jam pridem. Nam *Elzevirius* noſter in Brittannias profectus, vix videtur reverſurus inde ante Apriles Kalendas. Utinam haec bella, quae nos miſerrimis adfligunt modis, amoveantur tandem, ac litterariae rei decus priſtinum aliquando inſtauretur? Nunc inter tantas fluctuationes nec ipſi praeſtare quicquam poſſumus, nec quae peregre praeſtentur ab hominibus bonarum artium ſtudioſis, ſatis edocemur, ſublato paene omni cum Gallis Italisque commercio. *Henricum* tamen *Valeſium*, poſt editos Eccleſiaſticae hiſtoriae ſcriptores, manum admoviſſe Libanii Rhetoris opuſculis compluribus luce donandis, quae in publicum hactenus non prodiere, audio, *Johannes Schefferus* ad me perſcribit, habere ſe paratas in Juſtinum Juliumque Obſequentem animadverſiones. Obſervationes adhaec Academicas typis Hamburgenſibus deſcribendas in Germaniam pridem abs ſe miſſas. Nunc commentariis in officia Ciceroniana elucubrandis ſe ſtudere. Ceterum cum & is de valetudine magis ac magis ingraveſcente conqueratur, virum optimum haud fore vitalem eſt cur jure optimo ſubvereamur. Ad Heſychium, Mileſium, Q. Curtium ac Juſtinum, quae mihi communicaſti abs te obſervata, praeſertim ad Heſychium veris veriora mihi videntur, pluribusque tecum agerem de re tota, ſi ipſi codices nunc eſſent ad manum. Sed librariam ſupellectilem omnem etſi indigeſtam plane, reliqui in villa. Apud Propertium locus eſt, in lib. IV. illa elegia, qua luſus ſuos nocturnos cum Phyllide & Teja deſcribit.

Lanuvii ad portas hei mihi ſolus eram.

Quae interpretes illic argutantur, frivola ſunt plane & nulla nituntur auctoritate, ſed ut demus Lanuvium ſic capi poſſe, ut capiendum illi ſentiunt, vix video, quid commodi ſenſus inde eliciatur, & ad rem praeſentem pertinentis. An neſcivit eſſe ſe ſolum, quando puellam utramque ad ſe evocavit? quid opus ergo exclamatione illa? Sed aliter perſuaderi non poſſum, quam ut credam, locum eſſe mendoſum? de quo ſententiam tuam docebor libentiſſime, ubi commodum id tibi erit. Amicos communes jubeo plurimum ſalvere, atque in hiſce Ampliſſimum *Ter Borchium*. Vale, Belgicae noſtrae ac rei litterariae lumen certiſſimum. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXV. XXVII. Febr.

EPISTOLA CCCCIV.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Hagam.

SImul a ſingularis indolis juvene *Jacobo Perizonio* certior factus ſum, quas ad te dedi litteras male curatas eſſe, aliquantulum commotus ſum. Nam cum doctiſſimas accepiſſem, cumque mihi ſingulari humanitate novum honorem gratulatus eſſes, accuſari utroque nomine videbar jure poſſe, quod nec illis quicquam reponerem, nec gratulationem acceptam eſſe ſignificarem. Scilicet antequam ultimae, quae mihi fuerunt gratiſſimae, redditae ſunt, divinationes in locum Propertii miſeram, ſimulque quid accidiſſet indicaveram, ne ex aliis prius, quam ex me diſceres, quomodo rerum ſcena non ſine fragore & ſtrepitu in Tranſiſulano agro converſa ſit. Sed cum epiſtolae exemplar apud me ſit, totam eam ad te mittere volui, ut & officii mei ratio conſtet, & quod conſilium ceperim, proſpicere poſſis.

Quamvis non dubitem famam ad te attuliſſe novorum Magiſtratuum creationem, faciundum tamen mihi putavi, ut & eam mea opera ex parte cognoſcas. Factio, quae Principi adverſata ferociter tam diu eſt, tota naufragium honorum fecit, & cum ea *Hogerſius* noſter, quem vellem multas ob cauſas non tam pertinaciter novis & re & nomine hominibus adhaeſiſſe, vel virulenter adeo in Optimum Principem, Sereniſſimamque domum debacchatum eſſe. Ampliſſimus *Ter Borchius* omnibus dignitatibus cum ſuis eſt redditus, illoque multum in conſtituendis Rectoribus uſus eſt LIBERTATIS RESTITVTOR. Dignus ſane is eſt, qui hoc virtutis & ſanctiſſime adminiſtratae provinciae teſtimonium habeat, indignus qui famoſis, quos te non ſine deteſtatione legiſſe audio, libellis deſtringatur. Me quoque Celſiſſimus Princeps conſulem creavit, ita ut priori dignitati nuncium remittere non cogar, quam ut relinquam, nondum induci potui. Amicae enim hae res ſunt, & quam aegritudinem tricae & rabulae forenſes mihi dabunt, eam ſtudia, & docendi publice, quo maxime delector, munus exhaurient. Parum, fateor, aberat, quin cum Naſo-

ſone tuo cecinisſem, *Curia reſtabat*, ſed amicis, quorum in poteſtate ſum, illud denegare ſine impietate quadam non potui; licet, ut ingenue loquar, ſi alterutrum eligendi imponeretur neceſſitas, mallem me honeſto otio, quam ſplendidis negotiis oblectare. Vides, Virorum Maxime, quam altas radices in me egerit Eruditionis amor, & novam dignitatem non tam deſidiae, ut fieri fere amat, quam diligentiae incitamentum fore, ut, quae premo, opera abſolvere, & ad nova animum adjicere queam. Quae de litibus ſcribis ex animo doleo, ſperoque te tandem illis moleſtiis liberatum iri, ut amplius de litteris, quod toties feciſti, ſcribendo bene mereri, & quietam ſenectam poſt exercitam juventutem tranſigere poſſis. Mire placent quae de Viris Clariſſimis *Valeſio* & *Scheffero*, cui ſummo opere innoteſcere cupio, ſcribis. Nam in Juſtini libros priores XII. etiam obſervationes paratas habeo, quas, ni diritas temporis obſtaret, luce publica donarem. Te ſi parario uti licet ad tanti viri ſe in amicitiam inſinuandum, quaeſo, quod commodo fiat, reſcribe. Quod quae ad Heſychium Mileſium aliosque auctores notavi, probas, multis etiam de cauſis gaudeo; & nunc demum video me aliquid in hocce ſtudiorum genere proficere, cum a laudatiſſimo viro non illaudatus abeo. Sed, Nobiliſſime Heinſi, quae in me obſecro eruditio, ut quid de Propertii loco intricato ſentiam, doceri cupias? non adeo mihi placeo, ut credam me aliquid conari poſſe in iis verbis, in quibus ipſe, ſi ita loqui fas eſt, haeres. Vis tamen, & voluntas tua mihi lex erit. Recte igitur hoc epigramma cum priore jungitur, & peſſime in editione Wechelii A. 1621. ſeparatur. Cohaerent enim, & non niſi detrimento ſenſus poſſunt divelli. Cynthia Propertii amica Lanuvium petit, non Junonis, quae ibi ſuperſtitioſe colebatur, cauſa, nec ſola, ſed Veneris, & comitata Volſo, vel Vulſo nepote. Hac injuria tactus poëta voluit caſtra mutare, & vocatis Phyllide atque Teja Romae noctem lenire. Sed haec gaudia mala omina minuebant, ut lucerna moriens, menſa cadens, & damnoſi canes; quibus accidebat, quod cantilenis mulierc ularum non attendebat, *Cantabant ſurdo*, quodque etiam *caeco pectora nudabant*, id eſt, quod non ſpectabat pulchritudinem pectorum Tejae & Phyllidis, quae illae in gratiam poëtae nudaverant: & quare? quia mente Lanuvii erat, & Cinthiam vel proficiſcentem, vel jam in urbe illa quieſcentem ſequebatur, nec rebus, quae in illo conſortio agebantur, intentus erat. Vel igitur *ſolus erat ad portas Lanuvii*, quia Phyllis & Teja, nec non reliquae Perſonae ſe bona fide oblectabant, nec alibi animum occupatum habebant; vel legendum, ſi hoc durius videtur, ſenſu elegantiſſimo,

Lanuvii ad portas (hei mihi) totus eram.

Id eſt, Nihil aliud quam Cynthiam Lanuvium profectam meditabar, omnesque adeo cogitationes circa eam verſabantur, adeo ut ſe, quemadmodum propoſuerat, cum Phyllide & ſocia oblectare, etiamſi cuperet, nos poſſet. Haec erant, vir magne, quae tunc ſcribebam, quaeque aequi bonique cónſulas rogo. Caeterum novos Lares, quos Vianae figes, gratulor, venerorque Deum Ter Opt. & Ter Maximum, ut tibi illo in ſeceſſu omnia ex voto procedant.

Cum autem *Graevio* noſtro propius hac habitatione jungaris, Apotheoſin cum obſervationibus ab eo petas rogo, ut eam tandem una cum notis tuis, quas te adjecturum ſponſorem habeo humanitatem illam ſingularem, ad me communis amicus remittere poſſit. Vale, & Cuperi etiam Vianae memor vive. Dav. a. d. IX. Kal. Jun. CIↃIↃCLXXV.

EPISTOLA CCCCV.

NICOLAUS HEINSIUS

Gisberto Cupero S. P. D.

Daventriam.

JUre merito bilem mihi concitat inſignis illa tabellariorum ſupinitas, quae literis tuis, hoc eſt luculento eruditionis reconditae ac pulcherrimo Theſauro, non ſemel jam me fraudatum voluit. ſed bene habet, quod tua diligentia abunde compenſatum proxime agnovi, quicquid detrimenti ac jacturae hac ſupinitate ad me nuperrime redundabat. Ampliſſimi *Terborchii* diuturnam hanc abſentiam aegerrime, medius Fidius fero, cujus e conſuetudine ut voluptatis longe plurimum capiebam, ita is adminiculo ſuo res meas protegebat ac tuebatur laudabilem prorſus in modum. Mirifice enim geſtio ardeoque poſt ſuperatas tandem forenſium tricarum moleſtias illas annoſas ac ingratas, in ſinu Muſarum conſeneſcere. Quo votis flagrantioribus matutum ejus reditum exopto voveoque, qui conſilio ſuo ac patrocinio unice provehebat huc contendentem. Alias ex aliis luces perire nihil agenti frequenter ingemiſco, poſt totum ferme quadriennium curis publicis jam ſubductum hoc potiſſimum conſilio, ut meus eſſem, ac bonarum artium candidatus; non quod tam magnifice de me ſentiam, ut opiner utilitatis nonnihil ad rem literariam exornandam meorum a fonte ſtudiorum poſſe derivari, ſed quia in tanta calamitate patriae communis praeſentius ſolatium vix aliunde videar mutuaturus, quam e contubernio Muſarum, quo tempus inauſpicatum certe fallatur, ac ſenſus ingentium mihi malorum obtorpeſcat; ſi conſuli per me nihil jam poſſit in bonum publicum. Te vero, a quo praeclarum quidvis diſciplinae ſibi liberaliores non promittunt ſolum, ſed jam prorſus obtinuerunt, ſic curare rem patriam, ut privatis nihil ſtudiis inde decedat, id ſane pulcherrimi ducendum eſt inſtituti. Veniet, mihi crede, aliquando tempus, quo per hominum gratorum ora te laudes iſtae, uti mereris, ferant, poſteriſque conſpicuum reddant. Locum Propertii, qui me & alios non parum exercuit, ſic enodaſti, ut nihil jam in illo ſuperſit difficultatis. Iraſcor equidem torpori meo, qui non viderim, unam eſſe faciendam Elegiam e duabus; quamquam dormitarunt hîc mecum viri multo me praeſtantiores: nam qui ſub *Lanuvii portis* obſcaenae quid latere ſignificationis cenſuere, nugas egerunt. ſed quando Delium te nobis hîc exhibuiſti natatorem, age & alterum ejuſdem Poëtae locum expedi, quaeſo, nobis, ex ultima libri IV. Elegia. is ſic ſe habet,

Aut ſi quis poſita judex ſedet Aeacus urna,
In mea ſortita judicet oſſa pila.

Ulti-

Digitized by Google

Ultimus verſus eſt ſubobſcurior mihi: nam neque rationem Latinitatis ſatis habeo perſpectam, & quid *pila* illa hîc ſibi velit haud quaquam intelligo. ſunt & plura ejuſdem Elegiae mendis inquinata, ſed de quibus alibi dicendi erit locus. Vale, vir eximie: Hagae VI. Kal. Jun. CIↃIↃCLXXV.

EPISTOLA CCCCVI.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Hagam.

UT laetatus conjecturam meam tibi placuiſſe, ita rubore perfuſus ſum, poſtquam non ſine admiratione vidi, te iterum, Clariſſime Heinſi, a tuo, id eſt, perpolito ingenio recedere, & a meo, quod nondum limpidis Antiquitatis fontibus perlutum eſt, explicationem loci aeque intricati petere. Erras, ſi putas me ea illuſtrare poſſe, in quibus mentis tuae radii aliquantulum caligant. Tuum eſt poëtas altius interdum & ſupra humanum modum locutos ἐξηγεῖσθαι, cum non ſolum ad unum omnes evolveris, verum etiam cum plerisque de palma certes. Quid ego homuncio eruere queam, qui nec in bicipiti Parnaſſo ſomniavi, nec ab arte aliquod auxilium mutuari potui? Videbo tamen num quid exſculpere poſſim, ſedetque non tam perſpicaciam, quam ignorantiam prodere, & me Davum non Oedipum eſſe luce meridiana clarius teſtari. Ut igitur, vel me tacente patet, ex veteri judiciorum forma locus explicari debet. Introducit poëta uxorem Pauli Corneliam rogantem, ut umbrae ſuae mollia jura pater, ſeu Pluto, quem ante *fuſcae Deum aulae* vocat, det: vel ſi antequam hoc conſequatur, judicium obire, & condemnantem, vel abſolventem calculum expectare debet, optat ut prior exeat; quia ſibi nullius mali conſcia eſt, ſeque in judicio ipſa defendere poteſt, *Ipſa loquar pro me*: hinc puto unica litterula mutata legendum,

Aut ſi quis poſita judex ſedet Aeacus urna,
En mea ſortita judicet oſſa pila.

Nam mortui antequam vel in beatorum, vel in damnatorum ſedes tranſcribebantur, ſortem obire debebant. Sortes erant in una urna, & aliae vel damnabant, vel abſolvebant: Virg. VI. Aen.

Nec vero hae ſine ſorte datae, ſine judice ſedes,
Quaeſitor Minos urnam movet ——

Quae cum exiiſſet, judicis erat officium videre, quo praemio vel qua paena umbra foret digna. Ait igitur Cornelia: ſi tale judicium apud inferos exercetur, per me licet calculus *oſſa mea*, id eſt, umbram vel me mortuam, ut & poſtea loquitur, condemnet; nam certa ſum me poſſe ipſam me defendere, ita ut abſolvi debeam. Ψῆφον ſive ſortem vocat *pilam*, quae rotunda videtur fuiſſe, non ſecus ac calculi aenei, quibus Athenienſes utebantur, teſte Polluce

l. VIII. c. 10. Nam Heſychius κημὸν, per quem calculum jaciebant, ait ſimilem fuiſſe χοάνῃ *infundibulo*, quod proculdubio rotundum erat. pila igitur ſive calculus judicet oſſa mea, id eſt, condemnet. Nam *judicare* cum ſit verbum medium, tam abſolvere quam damnare ſignificat: ſic Plaut. Men. 1, 1, 2. *quo jam diu ſum judicatus*, id eſt, quo ut eam ſum condemnatus. *En* autem confidentiam, quae ex bona Corneliae conſcientiae oritur, notat, & frequentiſſime poëtis uſurpatur. Quod autem *Paſſeratius*, *judicare in oſſa*, e Cicerone conatur probare, nihil agit. Nam ille c. 29. pro Domo, dixit: *ſacramentum in libertatem injuſtum judicare*, quia cauſae liberales, ut noſti, ſolebant fere jurejurando decidi: nec hîc, ut ibi, accuſativus adjicitur. Male praeterea *ſortita* ad *pilam* refert, quia peccatur in ſyllabarum rationem, niſi ſequens *in* praecedentem brevem longam facere putavit. Tandem male etiam *ſortirî pilam* putat eſſe educere nomen judicis ex urna in pila ſcriptum, quod ante eum amplexus eſt *Beroaldus*. Nam judex hîc certus erat, & calculus vel condemnans vel abſolvens ex urna educi debebat. Caeterum vide num illud *in* retineri poſſit, & pro *ſortita* legi *ſortito*, ita ut *inſortito* ſit una vox, per *mea* diviſa, ut ſaepe fieri ſolet: *pila judicet oſſa mea inſortito*. Qua re confidentia Corneliae mirum quantum augetur: dicit enim; ſi urna poſita & ſors ſubeunda eſt, per me licet hac praerogativa caream, & non ſortita urna condemner. Nam ut conſulto, inconſulto; honorato, inhonorato; audito, inaudito; ita & *ſortito* & *inſortito* uſurpaſſe veteres videntur. *pilam* autem poſtea *tabellam* vocat; *Quaelibet auſteras de me ferat urna tabellas*, quia tabellae, & pilae ſive calculi eundem uſum praebebant. Vides, vir inſignis, egregie me & patientia tua abuti, & hariolari poſſe. Num tamen alius ſenſus elici poſſit dubito; niſi tu tot MSS. & tanta doctrina inſtructus, certiora, ut facies proculdubio, nos doceas. Ampliſſimus *Ter Borchius*, cui litteras, ut ſoleo, legendas dedi, neſcit quando iter in Batavos ſuſcepturus ſit; & forte republ. ita exigente paucis, forte pluſculis diebus elapſis, illi ſeſe accinget. Ubicunque tamen eſt ſingularem tui memoriam ſervat, & ſi praeſens res tuas juvare nequit, illis abſens quam maxime favet, quantumque humana induſtria fieri poteſt, ubi ad vos redierit, promovebit. Sed, vir Nobiliſſime, me quaeſo docè, num ſtilus, quem elegantem judico, induxerit *Joh. Gerh. Voſſium*, ut Sabini epiſtolas recentes faceret, quas tu fine Notarum A. Sabino adſcribis. Haereo etiam in illo verſu Propertii *Aſſideant fratres*. puto ſcribendum: *Aſſideant fratres* (Rhadamantus & Minos.) *juxta Minoida ſellam Eumen.* & juxta ſellam Minois Furiae. In *generoſis veſtis honoribus* interpretandis non ſatisfaciunt interpretes. Et denique dubito num verba Statii lib. 4. Silv. — *omniumque late praefecit ſtationibus viarum* recte *Lipſius* ad Tac. interpretetur de *viarum cura*. Nam aliud videtur, *praefici viis*, aliud *ſtationibus viarum*: quae mihi ſunt manſiones, in quas provinciales frumentum convehere debebant, uti ex variis locis patet. Quadrat id quidem valde cum praecedente verſu, quo a Caeſare *arbiter ſequenti annonae*, id eſt, anni ſequentis, *datus* dicitur, ſed num Domitiani aevo uſitatum fuerit in Manſiones frumentum comportare, ut & num alii manſiones vocaverint *ſtatio-*

tiones, non ſecus ac Graeci ἐυθυμεύς, fateor me ea, qua par eſt, ingenuitate ignorare. Tu erranti comiter viam monſtra, & quid de his locis ſentiendum ſit libere imperti. Vale, vir Maxime, & me amare perge. Davent. a. d. III. Kal. Jul. 1675.

EPISTOLA CCCCVII.

NICOLAUS HEINSIUS

Gisberto Cupero.

Daventriam.

CAveto opineris, quaeſo, quicquam perferri ad me poſſe, quod prius habeam acceptiusque ſuaviſſimis tuis literis. Quamquam non diffiteor cauſſas haud longe quaerendas tibi eſſe, cur aliter ſuſpiceris, ſi ex reſponſi hac mei tarditate metiaris ipſa ſtudia, ipſumque animi adfectum. Sed nuper in eo unice occupatum, Vir Ampliſſ. ut ex tricis permoleſtis, qua rei familiaris, qua fori, quamprimum memet expedirem, totumque transferrem ad Muſarum caſtra, ſacramentum religioſe dicturus de deſerenda nunquam ſtatione, tot tantisque votis ac ſuſpiriis deſiderata pridem, ecce dum in portu navigare videor, oppreſſit me repentinus morbus, ac lecto diuturno adfixum praeclaris cogitationibus inopinato dejecit. Quapropter quod in rebus privatis ante Eidus Septembris nihil poſſe promoveri comperiſſem, ſub quod tempus Proceres Hollandiae Hagam denuo ſunt conventuri, conſilium cepi de transferendo interea corpuſculo, etſi ſatis etiam infirmo, in agrum Trajectinum, a coeli mitioris aura atque ipſa ſolitudine ſolatium ac fomenta valetudini, ſi poſſim, quaeſiturus. Ubi locorum nunc poſitus ſcripta tua omni eruditionis ac leporis fruge cumulata, vir longe doctiſſimus ac utriuſque noſtrum perquam ſtudioſus, *Joh. Geor. Graevius* diebus proximus in manus mihi tradebat. Jamque quos ex iis profectus cepiſſem haec epiſtola ubertim te doceret, ſi Bibliothecae in ordinem redigendae facultas mihi fuiſſet hactenus. Eſt enim opus inſpectis libris compluribus, inter latebras ciſtarum adhuc reconditis, ut quae per nubem animo obverſanter parum liquide, defecatum in modum tibi a me proponantur: cum tot jam per annos ab omni penore praeſtantium Scriptorum contingat excludi. A *Carolo Dato*, viro longe praeſtantiſſimo, ex Etruria literas habui proximis diebus, quae multae ſunt in obſervationibus tuis collaudandis, quas tum primum ad ſe perlatas ille teſtetur. Si quid ad illum perlatum voles, ut & ad *Emericum Bigotium* in Gallias, tui aeque ſtudioſum, opera mea quo minus utaris nihil impedit, quando ad utrumque ante hibernam tempeſtatem faſciculi nonnihil erit a me parandum. De Propertii loco ſic habe, quem tu erudite, ut omnia, illuſtras. ſed quam diu liquebit parum, urnam ſive Aeaci hanc, aut etiam quamcumque, aut calculos etiam ſortientes ſive ψῆφον, pilam a Latinis dici, haerebit mihi ſcrupulus, fateor. Video in codicibus nonnullis *vindicet oſſa*, non *judicet* legi. Et ſane *judex judicet* Propertiano genio parum vi-

de-

detur reſpondere, itaque alterum malo. ſed ſic, ut totus minima mutatione ſic reſtituatur

Aut ſi quis poſita judex ſedet Aeacus urna,
In mea ſortitam vindicet oſſa piram.

Aeacus judex vindicet ac animadvertat in piram, ſortitam oſſa mea, hoc eſt in me mortuam. Confidentiam hanc ab innocentiae ſuae conſcientia mutuatur. Sic *rogos* pro mortuis etiam ponit initio Elegiae hujus

Obſerat umbroſas lurida porta rogos.

Paucis tibi ſententiam meam aperiendam duxi, ut eligas ipſe quid malis. Fuerunt mihi ſuper hoc loco, aliiſque ejuſdem Elegiae verſibus, (eſt enim infinitis naevis aſperſa paſſim) velitationes amicae per literas jam olim cum noſtro *Graevio*, quando illi alias proponebam conjecturas, in quibus minus nunc mihi ſatisfacio. Torquebat etiam tum me verſus ultimus ejuſdem Elegiae, quem ſic nunc ſcribo,

Moribus & coelum patuit: ſim digna merendo,
Cujus honoratis oſſa fruantur avis.

Scriptum fuit *fuantur*, vel *ruantur* una omiſſa litera, unde fecerunt *vehantur*. de *Honoratis equis* non perſuadent interpretes. *Honorati* enim viri aut triumphales, aut certe primis in republica honoribus, ut conſulari vel praetorio puta, perfuncti. ominatur Cornelia ob illibatos mores animam ſuam caelo deberi, oſſa autem monumento Corneliorum inferenda, utroque autem loco majoribus ſuis fruituram. De Scipionibus ob merita coelo illatis vide vel Tullianum illud Scipionis ſomnium. Alterum locum ex MSS. ſic in adverſaria dudum redigere, ac *Graevio* noſtro approbanti memini praeponere:

Aſſideant fratres juxta Minoida ſellam, &
Eumenidum intento turba ſevera foro.

Illa quoque me torſerant, de *generoſis veſtis honoribus*. & fuit cum caſtigarem, *& tanti emerui generoſos teſtis honores*, ut ab Auguſto ſellam datam innuat pro funere, ac ſimul ad Scriboniam alludat matrem, quae Auguſto fuerit nupta. ſed de veſtibus feminarum poſt duplicem partum aliquid videor legiſſe. Papinii locum de re annonaria videris recte cepiſſe. Vale, Vir eruditione praeſignis. Vianae XIX. Aug. CIↃIↃCLXXV.

EPISTOLA CCCCVIII.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinſio S P D.

Vianam.

HARPOCRATEM commentario illuſtratum ad te, Vir Ampliſſime, qui aliquid meas eſſe putas nugas, ea lege atque omine mitto, ut quae occurrent vitioſa, emendes atque excuſata habeas. *Carolum Datum* & *Emericum Bigotium*, Viros in Gallis & Etruſcis praeſtantiſſimos, mei ſtudioſos eſſe non ſi-

ne

Digitized by Google

ne ſumma voluptate & incredibili gaudio intellexi. Fecit eorum humanitas & eruditio, quam non ſolum a te, verum & aliis accepi, atque adeo ex libris hauſi, ut auſus ſim ad eos, & Clariſſimum *Schefferum*, ac *Spanhemium*, cum quo mihi familiaritas intercedit, litteras, unaque cum iis Harpocratem mittere. Faſciculos rogo, quia hanc provinciam ſuſcepiſti, recte deferendos cures, certioresque Viros praeſtantiſſimos facias, me eorum cultorem praecipuum eſſe, nec, niſi perſpectam habuiſſem omnium humanitam, illam παῤῥησίαν mihi fuiſſe ſumpturum. Eſt & aliud exemplar, quod ſi Celſiſſimo Paderbornenſium Principi, Litterarum unico Maecenati, vel alii, ſi votum illud majus eſt, quam quod in privatum cadere poſſit, mittere volueris, rem mihi facies gratiſſimam. Quae ſervas opuſcula, lege, & emenda, atque, ubi commodum erit, non ſine notis, quae mihi erunt gratiſſimae, remitte. In interiorem enim amicitiam admiſſum me eſſe cenſebo, ubi videro multa in iis ineſſe, quae tibi diſplicent. Quibus Propertium illuſtras mirifice placent, niſi quod *pila*, vide quam φιλαυθὴς ſim, arridet: ſed alios eodem ſenſu voce ea uſos eſſe adhuc quaero, nec quicquam certi ſtatuo. *Honoratos avos* omnino amplector; de *generoſis teſtis honoribus* dubito, quia ſequens verſus, *nec mea de ſterili* .. reſpicit liberos, & veluti cauſam reddat, quare meruerit generoſos veſtis honores. Sed tu haec omnia, vir Maxime, elucidabis; & ſi quid de veſtibus matronarum illuſtrium ob faecunditatem mutatis in mentem veniat, quaeſo mecum communices. Vale. Id. Octob. CIↃIↃCLXXV. Etiam atque etiam rogo, Commentarium in Apotheoſin & Obſervationum libellos, non tamen ſine notis, remittas, ea abſolvere, atque ita hyemis taedia fallere conſtitui; poteris *Graevii* noſtri opera uti, qui omnia recte ut curentur, providebit. Vale iterum, a. d. x. Kal. Nov.

EPISTOLA CCCCIX.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Vianam.

INduſtriae meae, quantula ea cunque eſt, fructum HARPOCRATEM non modo ad te, verum etiam ad alios viros praeſtantiſſimos, quibus ſummo opere innoteſcere, cum nemine enim, niſi cum *Spanhemio* amicitia intercedit, cupio, ante aliquot dies miſi. Haec namque mea ſola & praecipua voluptas, eumque ſtudiorum, quae ab Humanitate nomen habent, fructum eſſe uberrimum & jucundiſſimum ſtatuo, ſi detur abſentes litteris adire, atque cum iis dulce commercium exercere. Quod ſi cura illa levis nimis & jejuna eſt, nec digna, quae gratiſſimo ἀνδρὶ penſetur, tu, quaeſo, Maxime Heinſi, pro mea erga te ſumma obſervantia, & noſtra amicitia adjice verborum honorem, & quo in viros eximios animo ſim, quibusque artibus a primis temporibus aetatis ſtudium dederim, ſignifica. Verbum hac de re non addam, ne videar vo-

luntatem tuam in dubium vocare. Sed quid cenſes de verbis Herodoti lib. III. c. 130. ὑποτύπτουσι δὲ αὐτῶν ἑκάστη, Φιάλην τοῦ χρυσοῦ οὐ θήκη ἐδωρήσατο τὸν Δημοκήδεα: id eſt, interprete Valla: *Tunc earum ſingulae auream phialae thecam ſuffringentes Democedem donaverant tam amplo munere &c.* Mihi equidem glaucoma oculis offuſum eſt, nec illud vel Valla, vel Portus, vel Palmerius tollunt. Sed quid in mentem venerit, cognoſce. Lego una voce συνθήκη, *ex compacto*, *ex compoſito*, neque enim quid *theca* hîc faciat video. deinde ὑποκύπτουσι, *caput ſubmittens*, *caput inclinans*, quod vel reverentiae cauſa, unde ὑποκύψας apud Lucianum pro venerans ponitur: vel forte metu faciebant, ne praeſentibus Eunuchis alium virum a rege petulanter aſpexiſſe poſſent accuſari. Φιάλην autem τοῦ χρυσοῦ dicit, quia aureos ſtateres continebat, quamvis ſenſus longe clariſſimus foret, ſi legatur, Φιάλην πλείην τοῦ χρυσοῦ, poſſetque videri vox illa a praecedentibus litteris extrita eſſe.

In Fragmento Nemeſiani, quod *Janus Vlietius* ex Longolio & Geſnero editioni Auctorum rei Venaticae adjunxit

Saepe ego nutantem ſub iniquo pondere vidi
Mazonomi puerum, portat cum prandia cirro,
Quae conſul praetorve novus conſtruxit ovanti.

Quaero quid ſibi velit *cirro*: putoque legendum *circo*. Nam conſul & praetor novus videntur illo tempore in circo epulas dediſſe: docet hoc elegans locus in epiſtola Valeriani ad Aelium Xiſidium praefectum aerarii apud Vopiſcum in vita Aureliani cap. 12. idque plane probat. *puer* autem *Mazonomi* erit Maurus vel certe Afer, quia Mazices & ſimilia gentium nomina ibi frequentia, & quia ejuſmodi ſervos in deliciis non modo ex Suetonio, ſed & aliis fuiſſe conſtat. Apud Frontinum, vide quam deſultorius ſim, lib. I. cap. 5. ex. 24. pro *caſtra fecit*, neſcio an ſcribendum ſit, *caſtra cepit*. Nam parte exercitus hoſtes cecidit, parte altera eorundem caſtra, quae reliquerant, occupavit. Apud Stephanum in v. Ἐξωτυμβιεῖς, pro οἱ αὐτοὶ καὶ Λαβαξεῖς, legerem: οἱ αὐτοὶ καὶ Καλασιρεῖς. Nam ita apud Herodotum lib. IX. cap. 31. cujus verba etiam diſtinctione ſananda ſunt, vocantur. Et ipſe Stephanus Καλάσιρι ait partem eſſe Aegypti, ſed hujus ethnici non meminit; quod tamen & exſtat apud Herod. lib. II. cap. 164. ubi non ſecus ac altero loco, Ἐξωτύβιες, non autem Ἐξωτυμβιεῖς legitur. In v. Ἀνοχίται lego, ὕπερ Βάρκης, pro ὑπερβάκης, auctoritate Herodoti lib. IV. cap. 171. qui gentem eam Ἀυσχίσας vocat. In v. Κρότων, legitur καὶ τείτη Ἰταλίας: Atqui jam Italiae Crotonem laudavit: fallor aut legi debet Ἰλυρίας; Nam in ea regione Crotonem etiam ſitam eſſe docet Procopius libro I. H. Gothicae. Sed nimis diu otio tuo & patientia, vir eximie, abutor, mihique dies aliquot vel hebdomades potius conſumendae forent, ſi quae in Stephano ejusque Fragmento, quod nuper a viris eruditis editum eſt, notata ſunt, deſcribere animus foret. Tu, quod commodo fiat, erranti comiter viam oſtende, & Apotheoſin, Obſervationesque, quas abſolvere vehementer deſidero, non ſine cenſura, quae mihi erit gratiſſima, & notis remitte. Vale. Dav. a. d. VII. Id Nov. CIↃIↃCLXXV.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCCX.

NICOLAUS HEINSIUS

Gisberto Cupero S. P. D.

Deventriam.

COlores mihi, fateor, desunt, quibus procrastinationem litterarii officii apud te excusem, Cupere elegantissime. Adeo credibili majora sunt avocamenta, quibus debeo, ne epistolaris commercii partibus defungar apud te tanto tempore. Quid enim exoptatius contingat mihi, quid aut voluptatem aut fructum luculentiorem ferat, quam per litteras tecum colloqui de studiis communibus, quae ut amantur a me tenerrime, utcumque delibata leviter, sic tu regnum in iis possides, & late dominaris, ut certissimos profectus atque emolumentum grande possim mihi hinc polliceri jure optimo. Sed nescio quae fati malignitas tantum in rebus meis potest, ut cum videar supremam quodammodo manum diuturnis hisce, qua rei familiaris, qua fori molestiis jam imposuisse, aliae ex aliis tricae emergant praeter exspectationem, ac repentinae suboriantur, cui Hydrae profligandae nec Hercules ipse, credo, sufficerit. Verum desino querelarum, ne qui silentii diuturni culpam deprecari sine ulla circuitione debebam, ad ea confugiam, quae tibi fortasse parum ad rem videantur pertinere, ac longius quaesita esse. Apud me quidem certe eo virtutes tuae sunt loco, ut circumspicienti nihil causae satis legitimae occurrat, ad obtinendam a te veniam delatae scriptionis. Sed omnem negotii odiosi Iliada coram malo ex me intelligas aliquando. Nunc ad Harpocratem tuum venio, quem tuum vere appello. Adeo concinne, erudite, feliciterque omni ex parte in hoc antiquitatis monumento enodando versatus illic appares. Et hoc quoque sensum calamitatis meae auget mihi, quod in ejus lectione non illam exhibere detur animi attentionem, quam scripto eruditionis reconditae perquam pleno debebam. Exemplaria libelli ipsius, cum ad Principem Paderbornensem, tum ad *Carolum Datum*, *Ezech. Spanhemium*, ac *Emericum Bigotium* quae mitti volebas, jam misi: addidi & exemplar de meo, quod *Octavio Falconerio Datus* curaret tradendum. *Scheffero* destinatum exemplar penes me haerere etiamnum pergit, intercluſis ob haec bella itineribus terra marique in Septemtrionem. Penes me igitur libellus erit asservandus, dum major opportunitas adfulgeat. nam ne Tabellariis quidem nunc satis integrum est ultro citroque commeare. Porro ad Apotheosin Homericam quae annotasti perlegi satis diligenter Vianae nuper, nec quicquam offendi, praeter pauca rei minoris, de quibus aut coram, aut per litteras proxime tecum. Nam meae laudes, quod toto in libro frequentes occurrunt, agnosco beneficentiam tuam singularem, non meum meritum. Caeterum locus ille Statianus de Domitiano *olim dolet altera vinci*, nihil ironicum prae se fert, nec credibile lacessitum illum a Papinio Tyrannum

Qui se tam bene vindicare posset.

Capio itaque simpliciter, lauream Poëticam Domitiani lauro Imperatoriae victam concessisse. Tale illud Nasonis in Fastis,

Victaque concessit prisca moneta novae.

Domitianum in juventute studio Poëtico se dedisse complures testantur: hinc illud Martialis ad eumdem de Poëtis,

Nos tua cura prior deliciaeque sumus.

Plura conferrem hujus argumenti, si libri essent ad manum. in Petronii loco videri scribendum, *per Mysteria deorum*, non *ministeria* puto significavi jampridem. Epici enim Poëtae frequentes sunt in consiliis Deorum convocandis, & iis enarrandis, quae Junoni in aurem dicuntur a Jove. Haec Deorum *mysteria* ingens epico carmini ornamentum ferunt, ut & fabulae. Adeo quidem ut Plutarcho Poësis ἄμυθος dicatur ἄψυχος. quare vide ne & in eodem Petronii loco castigandum sit, *per fabulosum sententiarum ornamentum. Ormentum* contracte festinans scripserat librarius. inde *tormentum* factum, quod si toleremus nec humane, nec Poëtice sit locutus Arbiter. Sed de hisce, ut dicebam modo, alias. Imago etiam prope antrum Apollinis, quae basi insistit & manu codicem versat, in Apotheoseos Homericae marmore, quemvis potuis alium, quam Virgilium designat. Itaque delendum id omne, quod aliud agens olim de Marone suggerebam. Alibi contextum Graecum allegas libelli a *Jacobo Gothofredo* editi, quem veterem orbis descriptionem ipse nuncupavit. cujus tamen contextûs auctoritas est nulla, quod ipsum *Gothofredum* habeat auctorem, qui cum animadvertisset Latina ex *Juveti* membranis a *Salmasio* descripta, e Graeco videri translata, eadem Graece denuo convertit. In eodem marmore virgo illa, quae digitum globo intendit, Uranie videtur. qualis etiam exprimitur apud *Fulvium Ursinum*, in Familiis Romanis gente, quantum recordor, Pomponia: ubi Musarum omnium habitum, ut ab antiquis est expressus, agnoscas licet. Exstat & penes me magna pars horum gentis Pompejae numismatum, etiam plura quam exhibentur ab *Ursino*. Sed totam discrepantiam nummorum, puto, etiam *Gorlaeus* in supplemento ad *Ursinum* sic designavit. In statuis denique porticus Justinianae, praelo jam pridem Typographico descriptis, Musarum imagines occurrunt non paucae. In Propertium quod ausus sim nonnulla a me animadversa tui facere arbitrii, isti confidentiae ut benigniter ignoscas, enixum te in modum obsecro. Tot enim jam annis exulo ab omni lectione veterum scriptorum, ut instituti sit non nisi temerarii atque inconsulti, si velim in hisce litteris supra vulgus infimum me efferre. In explicatione loci illius de *honoratis avis* plus aequo indulgebam mihi, non enim coelum sibi patere voluit Cornelia, quod nimiae esset in femina fiduciae, sed eo & perveniri posse ingenti morum merito innuit. Quicquid sit, se dignam tamen statuit, cujus ossa majorum monumento inferri mereantur. Hoc certe voluisse Propertium sum certus, atque eo referendos esse *honoratos avos*. pro *Fruendi* verbo fortassis aliud quid ille dederat, quod quale sit, vix possum nunc divinare. De *pila* non obnitor, uti nec *de generosa veste*. In Herodoto, Nemesiano, Frontino,

tino, Stephano, quae obſervas litteris poſterioribus perplacent omnia, quibus ut reponam non nihil, en Epigramma apud Sueton. Auguſto cap. LXX. cujus verſum ego primum numquam potui concoquere,

Cum primum iſtorum conduxit menſa choragum.

Iſtorum, inquam, hoc loco prorſus inficete, quare opinabar *Hiſtrorum* pro *hiſtrionum*. Hinc *Juppiter Hiſtricus* & ſimilia. *Iſtrorum* primo erat exaratum. Forte & ſcribendum

Cum mimum Hiſtrorum conduxit menſa chorago:

Octavianus enim Choragus hujus mimi. *Conduxit* ambigue dictum; nam mimi & Hiſtriones conducebantur. ſed hîc voluit in unum eſſe conductos & congregatos. ſecundus verſus videtur referendus ad Legem Malliam, nobis ignotam, ut alias plurimas, per quam frenabatur Hiſtrionum licentia, ne deos ludicris obſcoenioribus, praeſertim mimis, immiſcerent; quod id faceret ad contemptum religionis ac ludibrium. In alia omnia hîc loci interpretes. Verſu ultimo malim etiam *tholos* quam *thronos*, quod vocabulum aevo meliore inſolentius apud Prudentium demum ac aetatis ejus ſcriptores eſt in uſu. Per *auratos tholos* Capitolium intellige auratis templorum tholis conſpicuum, ut ex omni liquet antiquitate. ipſe Capitolinus ſedes ſuas reliquit, conſpecto impio illo ludicro. Haec pluribus, non quod pro certis habeam, quae produxi, ſed ut veriora abs te eliciam. Hiſce jam exaratis, tertias tuas ab apparitore veſtro accipio, quando Viana proxime huc contendebam, Obſervationes & Apotheoſim (hanc enim ſolam per anguſtias temporis perlegeram) *Graevio* reddidi. Vale, Hagae. x. Decemb. 1675.

EPISTOLA CCCCXI.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Hagam.

CArolum Datum, virum in Etruſcis praeſtantiſſimum, fato functum eſſe ex litteris, quas *Antonius Magliabequius* ad *Gronovium* dedit, non ſine ſingulari animi maerore intellexi. perſpiciebam enim magnum inde graveque damnum ad Remp. Litterariam manare, & dolebam Harpocratem meum, quem tu, Vir Maxime, curaveras, Viro tam diligenter in Antiquitatis ſtudio verſanti, redditum non fuiſſe. Eſt tamen quod ultimum vulnus leniat, quodque nullam aliam ob cauſam, ne forte cenſeas me laudis avidum eſſe, mitto, quam quia aliquid meas ſoles eſſe putare nugas. Scribit idem ille *Magliabequius*, vir, quantum ex Gronovianis elogiis perſpicio, eruditiſſimus, Magnum Etruriae Ducem, ubi ad eum delatus eſt, libellum tradidiſſe ſibi perlegendum: ut de eo judicium ferret; ſeque curas meas probaſſe, & multis laudibus apud Sereniſſimum Ducem proſecutum eſſe. Hanc fortunam expertus eſt Harpocrates, mihique illa calcar currenti ſubdet, ad alia luce donanda, & praecipue,

Apotheoſin Homeri; cujus molem cum Typographi cauſentur, animus eſt, ſimul eam vel a te vel a Clariſſimo *Graevio* recepero, recidendi, quae ſine fraude abeſſe, & in alium librum transferri poſſunt. Crucem mihi figunt verſus Virgiliani πολυθρύλητοι, *Incipe parve puer riſu cognoſcere matrem &c.* Quae viri praeſtantiſſimi, *Bembi*, *Nannii*, *Joſephi* & *Julii Scaligeri*, *Turnebi*, *Politiani*, *Triſtani*, & denique *Laboratores* notant, mihi nondum ſatisfacere potuerunt. Suſpicabar nonnunquam hanc Virgilii mentem eſſe: *Incipe p. p. riſu cognoſcere matrem*, id eſt, ridentem, vel ſimul ac tibi arridet, quod matres facere ſolere, ut videant, num infans eas agnoſcat, notiſſimum eſt, praecipue cum forma inſigniores liberi ſunt. Sic Juno Vulcano non arriſit, quia erat deformis, uti obſervat Servius: Incipe igitur puer matrem tuam ex ipſo riſu, quo tibi blanditur, cognoſcere: Nam cum cui parentes non arriſere, vel qui formoſus non eſt, nec Deus dignatus eſt menſa, nec Dea cubili, id eſt, non intererit Deorum conſortio, ut Ganymedes, quem Jupiter menſae adhibuit, & Adonis, quem Venus cubili dignata eſt. Sed tu, Vir Magne, qui omnium poëtarum genium perſpexiſti, quid tibi hoc de loco videatur, quaeſo doce. Adderem alia, niſi valetudinis tuae curam haberem, cui te reſtitutum tamen eſſe gratulor: Vale Daventr. a. d. 5. Kal. Apr. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCCXII.

NICOLAUS HEINSIUS

Gisberto Cupero.

Daventriam.

IN iis, quas Decembri menſe ad te exarabam, ſi tamen in manus tuas eae pervenerunt, nonnullas eram complexus ſuper locis Petronii Suetoniique obſcurioribus obſervationes, non quod eas ipſe calculo meo poſſim approbare, ſed ut a te certiora elicerem, Vir Ampliſſime. De *myſteriis Deorum* rem ſuſpenſam teneamus praeſtat. Videtur enim & vulgata ſcriptura poſſe defendi. *Hiſtros* lingua Etruſca dictos hiſtriones etiam Livius teſtatur. *Tbroni* vocabulum non memini occurrere apud Poëtas aevi melioris: vel ſic tamen nimium fortaſſis ſim delicatus, qui in *tholos* id mutandum cenſuerim. In Apotheoſi Homeri ſtatuam baſi inſiſtentem ante antrum Apollinis opinor eſſe Piſiſtrati, optime de Homero meriti, cujus ſcripta in unum corpus collegit, quod per codicem illum, quem manu tenet, videtur indicari: non enim volumen eſt, quale in ſtatuis oratorum exhibetur, quo breviora ſcripta comprehendebantur. Sed haec in tranſcurſu. Super Virgiliano loco, quem poſtremae tuae tangunt, quid in ſeriniis meis adnotaverim non ſatis recordor. Domum reverſus excutiam, & ſi quid conferre poſſum lucis loco perplexo, non intermittam tuis deſideriis id dare. Harpocratis exemplar *Cl. Bigotius* accepit, meque ſerium rogavit in modum, ne quid intermitterem tibi teſtatum facere, munus illud fuiſſe ſibi longe acceptiſſimum. Deſtinatum etiam *Scheffero* exemplar amico

in

in Sueciam perferendum tradidi: quod *Spanhemio* debebatur, miſſum a me quidem in Britanniam eſt, ſed ipſo *Spanhemio* inde profecto, cum Londinum perveniſſet, inter domeſticos Oratoris noſtri direptum eſſe videtur. Certe ab illo quaeſitum inveniri non poteſt. Quotieſcumque compellare me tuis litteris non habebis moleſtum, Vir Ampliſſime, eas aut *Graevio* noſtro, aut *Elzevirio* curandae permittantur, praeſertim abſente Illuſtri viro *Henrico Ter Borghio*: cum enim compellationes tuas & perhonorificas habeam & longe jucundiſſimas, fraudari me iis tabellariorum incuria, quod non ſemel jam evenit, fero moleſtiſſime. Vale, & me tui inprimis ſtudioſum ſolito adfectu complecti, ſi mereor, perge. Hagae Com. 22. Maji. Gregor. 1676.

EPISTOLA CCCCXIII.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Hagam.

VIx dici poteſt, quantopere gaviſus ſim, poſtquam ex Ampliſſimo *Ter Borchio* te, Litterarum fugientium unicum columen, non modo ἐν πεφάτοις intellexi, verum etiam litteras ad me dediſſe, quas maximi ſemper facio, tum quia ſingulari eruditione ſemper refertae ſunt, egoque nunquam ad eas legendas accedo, quin abeam doctior. Harpocratem ſedulo & diligenter curatum eſſe, habeo gratias, quas poſſum, maximas, & multis nominibus laetor eum *Bigotio*, viro ſummo, non diſplicuiſſe. Ad Ampliſſimum *Spanhemium*, ſimul Noviomagi, quo ex toto noſtro orbe Legati confluunt ad pocem inter tot & armis & animis infeſtis depugnantes Principes fundandam, intellexero eſſe, aliud exemplar vel mittam, vel ipſe feram. *Deorum miniſteria* apud Petronium interpretabar de Diis, qui gravibus rebus intervenire & fingebantur & putabantur, qui vel conſilia hominibus dabant, vel iis auxilio erant, vel poenas ab iis ſumebant &c. quales in carmine Petroniano, quod ad formam praeſcriptam compoſitum eſt, Pluto, Fortuna, Venus, Pallas, Mars, Phoebus, Diana, Hercules, Diſcordia. *Tormentum ſententiarum* non video, quomodo commode explicari poſſit, quare facile amplector tuum illud *ornamentum*. Verſus Anonymi apud Suetonium obſcuri ſemper mihi viſi ſunt: placet *mimus Hiſtrorum* (quam vocem Valerio Maximo etiam recte reſtituit Pighius lib. 11. cap. 4.) & vulgatum *iſtorum* nimis frigidum videtur, ut vel patet ex verbis *coenat adulteria*, quod pantomimorum, uti noſti, vel Hiſtrionum proprium eſt. pro *Mallia* nonnunquam putavi refingi debere *Manlia*, & referebam ad legem, quam apud Liv. lib. xxxiii. cap. 42. ex emendatione *Sigonii*, cui adſentitur *Gronovius*, tulit P. Manlius de *Epulonibus* creandis. Cum enim Epulones facerent epulare ludorum ſacrificium, & coenas proculdubio Diis, qua erant ſuperſtitione, apponerent, videri poſſet & alia huc pertinentia eandem per legem ſtatuta eſſe; ſed nihil certi definio, in poëmate praeſertim, ut recte judicas, a non magni

gni nominis poëta facto; *tholos* tamen pro *thronos* non displicet, Si quid de intricatis Virgilii versibus certi statuas, communices mecum rogo. Clarissimum *Ryequium* laetor Servio, Grammaticorum facile principi, medicas manus admovere, & virum tam eruditum hoc Augeae stabulum purgare animum induxisse. In Bibliotheca hujus urbis publica exstat vulgatus MS. quem propediem Amplissimus *Ter Borchius*, prout recepit, ad eum mittet. *Gronovius* Priscianum cum perantiquo Codice confert; *Perizonius* aliquid de praenominibus, nominibus, & cognominibus Romanorum molitur; nosti juvenis ingenium, & quam vere eo discipulo gloriari possim. Ego Observationum quinque libros, uti nec paenitendam sexti partem absolvi, qui, ubi ultimam manum recepit, Dissertationem de Actibus & Scenis Terentianis, nec non alias aggrediar. Sed cum mihi in Observationibus interdum cum Viris Eruditissimis res sit, unicum locum arbitrii judicique tui faciam. Ex Capite 6. Lib. III. Pomponii Melae Vir Magnus probare conatur *Vectim* insulam etiam in sinu Codano fuisse. Nunquam ego illi sententiae manus dare potui, & neminem Geographorum, quos equidem vidi, veterum inveni, qui idem memoriae mandaverit. Rescribo igitur apud Melam: *Septem Aemodae. contra Germaniam Vecta. In illo sinu, quem Codanum diximus, ex insulis Scandinovia, quam adhuc Teutoni tenent, ut magnitudine alias, ita faecunditate antestat.* Levis tantum additur distinctio, & pro *ex iis* feci *ex insulis*, quod, quia librarii voces fere contrahebant, per *ins* vel *ists* videtur scriptum, & inde factum esse *iis*. Sed illud *ex iis* si retinemus, sententia erit manca & hiulca. Nam nihil praecedit, ad quod referri possit. Nulla igitur *Vectis* in sinu Codano. Adducitur tamen Ptolemaeus, & pro Οὐῆκτις apud ipsum scribitur Οὐΐκτις; sed, si dem locum corruptum & ita emendandum esse, nulla tamen ex mente Ptolemaei, erit *Vectis* in sinu Codano. Nam illi haec insula describitur inter *Orcada* promuntorium Scotiae vel Albionis, & insulas Orcadas. Vide loca, &, si tanti, judica. Alia firmandae opinioni meae addere possem, sed temporis tui rationem habeo. Illud tamen addam, non displicere veterem scripturam, si distinguas: *Septem Aemodae contra Germaniam projectae.* & deinde legas. *In illo sinu . . . . . ex insulis Scandinovia.* Rationes reddo in Observationibus, in quibus & aliorum hoc de loco opiniones examino. Vale, Vir Maxime, & me non modo solito amore complecteris, sed saepissime tuis, id est eruditissimis litteris convenias, etiam atque etiam rogo. Dav. pr. Id. Jun. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCCXIV.

NICOLAUS HEINSIUS

Gisberto Cupero.

Daventriam.

EPistolis meis qui pretium abs te nonnullum poni testeris, quas hîc locorum, omni praesidio librorum, omni Musarum contubernio destitutus, so-

ſolitus ſum familiariter atque aliud agendo exarare, nulla eruditionis fruge ſpectandus, prodis tu quidem, ut ſemper, cum facilitatem ſummam, tum ſingulare mei ſtudium, Vir Ampliſſime. Nec tamen ita mihi blandior, ut qui in aliis omnibus tibi libentiſſimus ſubſcribo, hîc manum porrigam. Intelligo enim ac capio, mihi crede, quam iners mihi vita fluxerit a prima jam adoleſcentia, dum aut valetudo interpellans identidem ſtudiis incumbentem, aut peregrinationes aſſiduae cum vita aulica ac publicis negotiis concurrentes, aut denique lites annoſae tricaeque forenſes cum curis rei familiaris permixtae, me totum alio convertunt, ac ingratis occupationibus oppreſſum tenent. Sed iſthaec querela non eſt hujus loci. Cl. Virum *Ezechielem Spanhemium* concilio oratorum apud Noviomagos interfuturum vix eſt ut rear. Ita quidem fixum ſedebat pridem Electori Palatino, verum is ſententiam mutaſſe poſtmodo ferebatur, neſcio quam vere; quo magis indignor Harpocratem tibi atque illi in itinere Britannico periiſſe. De *Deorum myſteriis* apud Petronium nulla nobis erit diſceptatio, cum & ipſe de iis dubitem. Suetonium amici noſtri dum forte non ita nuper evolvo, epigramma ſe ingeſſit mihi, quo coena illa Auguſti δωδεκάθεος perſtringitur. Ejus complura, ipſum praeſertim initium obſcurum atque mendoſum mihi videbatur. nunc gaudeo opinionem meam tuo judicio confirmatam eſſe. de *Mallia* ſive *Manlia*, quod ibi occurrit, (nam haec in codicibus vetuſtis promiſcue, ut ſcis, confunduntur) ſubodoratus ſum, praeter mentem interpretum, de lege aliqua, in quam convictu illo eſſet peccatum, intelligi debere. Quid tamen legis hoc eſſet, omni ſcriptorum, quos conſulerem, copia defectus, haud ſatis perſpiciebam. Tu nunc haerentem hoc in vado expediiſti feliciter, dum oſtendis ad legem P. Manlii de Epulonibus id eſſe referendum, ut illius epigrammatis nunc plana ac perſpicua ſint omnia. *Manliam* pro lege *Manlia* dici non eſt ſine exemplo: ſic apud Papinium in Silvis lib. v. protreptico Criſpini, ni fallor,

— — *Succinctaque judice multo*
Surgeret, & caſtum vibraret Julia fulmen;

legem Juliam de adulteriis deſignat. In Pompeji loco perdifficili rem acu tetigiſſe mihi viſus es. plura volebam, ſed ſpe per *Graevium* noſtrum facta, mox fore, ut ad nos excurras, in congreſſum noſtrum quicquid reſtabit confabulationis differemus. Vale, 20. Jun. 1676.

EPISTOLA CCCCXV.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Hagae.

PRaeſtantiſſimus juvenis *Jacobus Perizonius* fidei meae commiſit libellos, quos ex bibliotheca Ampliſſimi *Hogerſii* tibi, Vir Maxime, comparavit. Ceperam initio conſilium eos ad te deferendi, ſed cum in Aquilonarem, quaeque minis Boreae venti expoſita eſt, Hollandiam excurrere debuerim, ab ea ſen-

tentia depulsus perquam invito sum. Veniam tamen, si modo potero, in complexus tuos; & quia librorum desiderio te suspicabar teneri, omnes *Elzevirio*, quod te jussisse *Perizonius* affirmavit, tradidi, qui recepit se diligenter & summa cum fide eos curaturum. parvo pretio destinavi mihi Onuphrium de R. R. in quo P. Victor & S. Rufus de regionibus Urbis *Scriverii* manu multis locis correcti & illustrati sunt, ut & C. Plinii Epistolas cum binis MSS. iisque optimis, Oxonienfis Bibliothecae collatas. Auctorem legis Malliae vel Manliae tibi placuisse gaudeo. Sed dum per steriles Velaviae arenas & damnatum erica solum vehor, variaque, ut fieri amat, putarem, Cynthius aurem vellit & admonuit, me nonnulla de Nemesiani fragmento ad te olim misisse. Rescribebam recte, vel te judice, *circo* pro *cirro*: Verum in explicatione πῦ *Mazonomi* haerebam. Nunc mihi nullum dubium, quin *Mazonomus* sit lancis capacioris genus, in qua escae deferebantur; quo sensu Horatio lib. II. Sat. ult. Varroni lib. de R. R. & Polluci usurpatur; per *ovantem circum* insuper intelligo populum laetum & hilarem, propter epulas a novo Consule vel Praetore illi in Circo sedenti more usitato exhibitas: Vale plurimum, raptim Hornae a. d. XV. Kal. Sept. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCCXVI.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinsio S. P. D.

Hagam.

EO ipso, quo Amplissimus *Ter Borchius* decessit, die, litteras plenas humanitatis & summae erga me benevolentiae a Clarissimo *Scheffero* accepi, una cum nitido & eleganti libello, *De Tribus Orbibus aureis in Scania repertis*, quo praeter Antiquitates patrias, varia Auctorum loca, in quibus explicandis aqua haeret Eruditis, illustrat. Rogat me iis majorem in modum, ut verbis suis amantissimis te, Vir Maxime, salutarem, & licet post non unas suas (reddo tibi verba ejus) nullum habuerit a te responsum, illud tamen calamitati temporum, & infestis a milite viis adscribit. Provinciam suscepi perlibenter, tum quia commode sese offerebant Legati Ordinum nostrorum, interque eos Amplissimus *Steenbergius*, qui ut intersint digerendis sumptibus belli, Hagam proficiscuntur, tum quia facere non poteram, quin tibi gratias agerem, quod tam diligenter Harpocratem curaveris, eaque opera mihi virum Doctissimum & Borcalis plagae decus conciliaveris. Aderat autem epistola pusilla *Rumphii* cujusdam Lingua Belgica exarata, qui me rogat, ut quicquid *Scheffero*, amico communi, destino, ad ipsum mittere velim. Sed cum dubitem, num hic Ordinum Foederatae Belgicae nomine Holmiae rempublicam curet, numque idem sit, qui Lutetiae Parisiorum Oratori *Borelio* a secretis sit (nam eodem ille nomine erat) doceas me quaeso, commodo quod fiat tuo, quis hic Vir sit, quam personam tueatur, & qua via litterae ad eum tuto deferri possint. Vale,

Dav.

Digitized by Google

Dav. Kal. Nov. CIↃIↃCLXXVI. Ampliſſimum *Ter Borchium* alteras meas tibi reddidiſſe puto. Vale iterum, Vir maxime, & Cuperum, quod facis, amare perge.

EPISTOLA CCCCXVII.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Hagam.

CUm pedem domo extuli, & in Batavos profectus ſum, nihil quicquam antiquius habebam, quam ut Hagam Comitis excurrerem, & te convenirem. Sed partim amicorum, quorum in poteſtate eram, agmen, partim *Pluymerius*, qui fidem faciebat te neſcio quo profectum eſſe, me ab hac ſententia perquam invitum dejecerunt. Vix dici poteſt, quam aegre tulerim hominem eum, uti arbitror, deceptum mihi impoſuiſſe, & quanto deſiderio expetiverim congreſſionem noſtram. Proponebam mihi ob oculos ſingularem illam benevolentiam, & non obſcura in me ſtudia, eximiam eruditionem, & te facillime varia Apotheoſeos loca, in quibus ipſe haereo, nova luce perfuſurum, meque maximos doctrinae tuae fructus praeſentem capturum perſpiciebam. Legiſti eam, quantum video, Vir Summe, ſed quod reſtat, σφάλματα mone audacter, & quae punctum tuum ferre non poſſunt annotata. Caeterum cum ſoleam aliquid Φιλολογικόν litteris ſemper miſcere, & auctorum loca ad amicos perſcribere, de quorum ſenſu dubito, veniam dabis, ſi cum Terentiano Critone antiquum obtineam. Pace igitur quod fiat tua, Ovidii loca aliquot, quae mihi ſemper obſcuriora viſa ſunt, in medium afferam. Epiſt. VI. Heroid. vſ. 601.

Per tumulos errat paſſis diſcincta capillis,
Certaque de tepidis colligit oſſa rogis.

Vir Magnus reſcribit, *curtaque*; ſed ego puto vulgatam optimam eſſe, & veneficas non promiſcue omnia cadaverum oſſa collegiſſe, ſed habuiſſe eorum delectum, & elegiſſe *certa*, quae ſc. arbitrabantur plus artem adjuvare potuiſſe: cur enim non idem in hominibus, quam animalibus obſervaverint? Medea apud Ovid. lib. VII. Metam. multis rebus, *inſuper addit Ora caputque novem cornicis ſaecula paſſae.* Epiſt. XII. vſ. 84.

Sed mihi tam faciles unde meosque Deos?

Reſcribo, *meisque*, nimirum comitibus, pro quorum ſalute paulo ante Medeam etiam rogat,

O Virgo, miſerere mei, miſerere meorum.

Epiſt. XVI. vſ. 25.

Perflet, & ut pelagi, ſic pectoris adjuvet aeſtum;
Deferat in portus & mea vota ſuos.

Elegantiori ſenſu videbatur ſcribendum; *praeflet*; ita Epiſt. praeced. extrema:

Solve ratem : Venus orta mari mare praeſtet eunti; & lib. XI. Metam. vſ. 748. *praeſtatque nepotibus aequor*. Ep. XX. vſ. 206.

Sacra pharetratae cum facis ipſa Deae.

Dicit Ovidius eam non modo adſtitiſſe ſacrificio, ſed etiam ſacrificaſſe; vel lego; *dum facit ipſa Deae. ipſa* enim mater, cui omnia ut narret, paulo ante rogat; *matri licet omnia narres*; & eam ſacrificaſſe patet ex vſ. 93. Epiſtolae ſequentis,

Dumque parens aras votivo ſanguine tingit;
Feſtaque fumoſis ingerit exta focis.

Ead. Epiſt. vſ. 235.

Quod ſi contigerit, cum jam data ſigna ſonabunt,
Tinctaque votivo ——

Conjiciebam *rata*; non ſecus ac Ep. XVI. vſ. 90. *Regius agnoſcor per rata ſigna puer*. Ead. Ep. vſ. 12.

Invenies illic id te ſpondere, quod opto,
Te potius, Virgo, quam meminiſſe Deam.

Suſpicor ſcribendum *pepigiſſe*; altera lectio fabricata videtur ex vſ. 224. Epiſtolae ſequentis; *Et cupies illud non meminiſſe Deam*: ſane *meminiſſe* in priore verſu, qua ſum oſcitantia, vix capio. Epiſt. XXI. vſ. 205.

Si mihi lingua foret; tu noſtra juſtius ira,
Qui mihi tendebas retia, dignus eras.

Vir Doctiſſimus emendat, *ſi me digna forem*; ſed ego arbitror ſcribendum; *Si mihi digna foret*; nimirum ira. Lib. III. Amor. Eleg. VI. vſ. 103.

Neſcio quid ſpectans, Acheloon & Inachon amnes,
Et potui nomen, Nile, referre tuum.

Senſum horum verborum eſſe arbitror. Neſcio ubi mens mea fuerit occupata, vel quid in animo habuerim, quod tibi, qui es ignobilis & hibernis collectus aquis, narrarem amores Acheloi, Inachi, & Nili fluviorum celeberrimorum, hinc eſt quod paulo ante dicit:

Jactaſſe indigno nomina tanta pudet.

Vide, Maxime Heinſi, quam egregius ariolator ſim, & quam vere illud Ciceronis in me quadret, Qui ſemel verecundiae fines transgreſſus eſt, eum naviter oportere eſſe impudentem. Neque enim ſatis habeo epiſtolam ſcribere, ejusque lectione feria tua negotia impedire, ſed & tot dubia (ni meus mihi ſtupor imponat) moveo, ut rubore ſuffundar, quod tibi onus imponere audeam ea examinandi. Sed hos fers benevolentiae, humanitatis & voluntatis, qua Cuperum amplecteris, fructus. Vale, Vir Nobiliſſime & me amare perge; Davent. a. d. VI. Id. Nov. CIↃIↃCLXXVI.

EPI-

EPISTOLA CCCCXVIII.

NICOLAUS HEINSIUS

Gisberto Cupero.

Davantriam.

Conſtantius Rumpfius, de quo ſcire nonnihil cupis, Vir Ampliſſime, is ipſe eſt, quem tu ſuſpicaris, mihi a proceribus noſtris in aula Suecana ſucceſſor datus, & per me conciliatus *Scheffero*. Caeterum voluptate multa me perfudit nuntius perlati ad hunc ipſum *Schefferum* libelli tui, quem in Sueciam perferendum *Mortanio* tradideram. Ad ipſum *Schefferum* ſcripſi non ſemel, quodque miſi etiam animadverſa magni *Scaligeri* & mea in Julium Obſequentem jam poene annus eſt, quae periiſſe in via invitus audio; cum ad *Rumpfium* tamen perlata eſſe ſim certus. Pari fato libellus Viri Clariſſimi de tribus orbibus eſt functus, quem cum ab eo *Rumpfius*, ſi quid ipſi credimus, ad me mittendum acceperit jamdudum, miſeritque, tamen mihi haud quaquam eſt redditus. Litteras *Scheffero* deſtinatas, ſi ad me miſeris, meis additis explorabo viam, qua Upſaliam perferantur, etſi haud ullam novi ſatis certam, niſi forte per fratrem ipſius *Rumpfii*, qui Principi Arauſionenſi eſt a medicina. nec *Schefferi* Obſervationes Academicas, aut Lapponiam, aut Obſequentem Julium vidi hactenus. quod ſi ex te reſcierit, multum equidem tibi ſum debiturus. In Petroniano loco, pro illis *fabuloſum ſententiarum ornamentum*, vide ne Arbiter ipſe dederit potius, *fabuloſum commentum*. *Tormentum* certe abſonum hîc loci videtur. Pro tuis ad Naſonem Obſervationibus gratias ingentes uti par eſt, ago. mihi enim inter tricas domeſticas jactato jampridem inſolitae coeperunt eſſe hae deliciae. Pleraque certe placuerunt mirifice, quo magis te exhortor, ut ſaepe mihi lautitias ſimiles apponas. Epiſtola Acontii vſ. 12. *meminiſſe* in *pepigiſſe* ut mutetur parum videtur neceſſe. volebat enim credi Acontius perjurii poenas Dianam memorem ab illa exigere: hinc ipſa Cydippe initio Epiſtolae, *utque jubes credi memori te vindicat ira*. ſed nec vſ. 23. *data ſigna* videntur ſollicitanda. nam tubae uſus in ſacris: ut Metam. fabula Atalantae, *ſigna tubae dederant*. Vale. Hagae Com. 22. Novemb. 1676.

EPISTOLA CCCCXIX.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Hagam.

EST quod ſerio gaudeam, plerasque conjecturas meas placuiſſe: explicationem tuam *datorum ſignorum*, ut & τοῦ *meminiſſe* ambabus, quod ajunt, manibus amplector, & iraſcor mihi ipſe, quod verum verborum eorum ſenſum nullus viderim, quem vel πὰ *ſonabant*, & *quod opto* me docere potuiſſent, ſed

homo ſum. Sunt & alia mihi in Ovidio tuo notata, quae, quia intelligo qualemcunque meam diligentiam tibi non diſplicere, alio tempore mittam. Nunc ecce tibi quaeſtionem, ex qua me vix extrico: Notum eſt temporibus Alexandri Severi Mammaeae filii, floruiſſe Piſandrum Larandenſem. Hic hiſtoriam verſibus conſcripſit libris ſex, quibus titulus fuit, Ἡραικῶν Γαμικῶν βιβλία ἓξ, vel Ἡραικὴ Γαμική, non quia Jovis & Junonis tantum nuptias celebrabat, ut video cenſere *Aemilium Portum* & *Gerhardum Voſſium*, ſed quia a nuptiis illis incipiebat, & ad ſuum uſque tempus hiſtoriam, quae maximam partem fabularis erat, deducebat. Locus hanc in rem elegantiſſimus & Viris Eruditis omiſſus, exſtat apud Macrobium Lib. v. Sat. Serm. cap. 2. quo docet, quae Virgilius in Aeneidem ſuam e Graecis tranſtulerit: *Vel quod everſionem Trojae, cum Sinone ſuo & equo ligneo caeterisque omnibus, quae librum ſecundum faciunt, a Piſandro paene ad verbum transſcripſerit? Qui inter Graecos poëtas eminet opere, quod a nuptiis Jovis & Junonis incipiens, univerſas hiſtorias, quae mediis omnibus ſaeculis, uſque ad aetatem ipſius Piſandri contigerunt, in unam ſeriem coactas redegerit, & unum ex diverſis hiatibus temporum corpus effecerit? in quo opere inter hiſtorias caeteras interitus quoque Trojae in hunc modum relatus eſt. Quae fideliter Maro interpretando, fabricatus ſibi eſt Iliacae urbis ruinam.* Vides procul dubio, Ampliſſime Vir, quid me male habeat; nam ſi Piſander hic vixit Alexandri Severi tempore, nullo modo Virgilius ex eo libri ſecundi argumentum ſumere potuit. Nec alii tempori hunc auctorem adſcribendum eſſe docebit non modo Suidas in v. Πείσανδρος, ſed & altero, quo tradit Neſtorem patrem ejus ſub eodem Impp. floruiſſe, & ſcripſiſſe Ἰλιάδα λαπυγεάμματον. Quid igitur dicemus, an Macrobium tam turpiter erraſſe, & cum ille a Virgilio ſua mutuatus ſit, putaſſe Virgilium ab hoc deſumpſiſſe, vel potius Suidam ſatis oſcitanter Larandenſi Piſandro tribuiſſe, quae ſunt vel[1] Camiraei, vel alterius incogniti? Extrices me ex hoc aeſtu, & ſi quid tibi praeter haec de Piſandro Larandenſi, cujus neſcio an fragmenta exſtent apud Scholiaſtem Apollonii, compertum ſit, ſignifices rogo. *Gronovius* litteras accepit ab *Anton. Magliabequio*, quibus nomine *Stephani Coſmi* Generalis patrum, vel De' Padri Somaſchi (qualis hic ordo ſit ignoro) & Oratoris Sereniſſimae Venetorum Reip. invitatur ad Litteras noſtras publice Patavii docendas, & Clariſſimi *Ferrarii*, qui emeritus eſt, provinciam ſuſcipiendam. Quid decreturus ſit nondum ſatis conſtat; auguror tamen eum patriam praelaturum Italiae, & gratias acturum illis, qui propenſa adeo in eum ſunt voluntate. Quas ad *Rumphium* dedi, cures peto. Incluſae illis aliae ſunt ad *Schefferum*, cujus Lapponiam, & Lectiones Academicas Amſtelodami mihi comparavi, quo magis miror illa te nondum vidiſſe. Vale, Vir Magne. Dav. Kal. Dec. CIↃIↃCLXXVI.

1 Idem cenſet Kuſterus ad Suidam. vid. & Hygin. Aſtron. Poët. II. 24.

EPI-

EPISTOLA CCCCXX.

NICOLAUS HEINSIUS

Gisberto Cupero S. P. D.

Daventriam.

QUas tu ad *Rumpfium* ac *Schefferum* in Sueciam mittendas mihi commiſiſti, eas ego *Rumphii* ipſius fratri quam primum tradam, ut cum in promptu habebit occaſionem opportunam, qua tuto perferantur eae, quo deſtinatae ſunt, hanc ne quid negligat. Nodus ille, quem mihi proponis extricandum plus quam Gordius ac Herculaneus videtur. Locum Macrobii de Piſandro ſingularem mirum equidem eſt fuiſſe neglectum praeteritumque ab iis, qui de Poëtis Graecis ex profeſſo aetate noſtra egerunt. Ex eo colligas licet, plures fuiſſe Piſandros, quorum ſcripta videantur confundi. Nec credibile eſt, Macrobium, qui ſua paene omnia tranſcripſit & mutuatus eſt a viris ſeſe doctioribus, tam turpiter lapſum eſſe, ut Piſandrum Larandenſem, quem alii omnes Alexandro Severo coaetaneum faciunt, Virgilio velit vetuſtiorem. Nec fieri potuit ut is ipſe Larandenſis, ſi poëma ſuum exorſus a nuptiis Jovis & Junonis, omnes hiſtorias, quae mediis ſaeculis uſque in aetatem ſuam contigerunt, uno eodemque complexu, tam diffuſi argumenti opus, ſex libris abſolverit. Nam ut Troica omittamus, a nuptiis Veneris & Anchiſae, Heſiones & Telamonis, ut Thebaica a Cadmi & Harmoniae copulatu, ut quae Argis ac Spartae perque omnem Achaiam geſta ſunt ab Inachi temporibus, quaeque Attica in ditione poſt Aegei & Aethrae nuptias, ne quid altius adſcendamus, quam multa geſta ſunt alias per civitates perque inſulas Graeciae, quorum ſingula juſto poëmati argumentum dederunt. Solas metamorphoſes vix xv. voluminibus complexus eſt Naſo. Ut demus tamen numerum eſſe augendum in libris Ἡρωικῶν Γενεαλογιῶν Piſandri, haerebit tamen difficultas, quî Maro excidium Trojanum mutuari potuerit e ſcriptis illius, qui vixit ſub tempore Severi Alexandri. Itaque reprimo me. Tu vero, Vir Celeberrime, me doceas velim, qui ſint *Apri gauſapati* in fragmento coenae Trimalchionis, apud Petronium. *obſonabat apros gauſapatos tanquam rex*: cur non apros praetextatos idem nobis apponat? Apud Leidenſes occupantur typographi in deſcribenda Graecia *Palmerii*. Roma accepi nuper elegantiſſimam orationem *Steph. Gradii*, qua parentavit *Raſponio* Cardinali, ejus denique poëma exquiſitum, quo cladem patriae ſuae deſcribit. De *Perizonio* noſtro diu eſt, quod nihil audio. Salveant amici, quaeſo, ac in his ampliſſimus *Terborchius*, ſi vobis adeſt. Hagae Comitum 15. Jan. Grego. 1677.

EPI-

EPISTOLA CCCCXXI.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Hagam.

PErlectis ultimis, quas mihi Ampliſſimus *Steenbergius* tradidit, litteris tuis, laetabar nonnullas ſententias meas & emendationes a te probari, eoque magis, quod oſtendebas haud ingratum tibi fore, ſi plura Sulmonenſis vatis loca mitterem, de quorum explicatione vel dubitarem, vel quae emendanda cenſerem. Non potui tibi, Vir Maxime, hoc negare, tum quia animus mirabiliter hoc ſtudiorum genere recreatur & refocillatur, tum quia lite vacant aures, & lingua publico docendi munere. Accipe igitur, quae, abitum adornante Ampliſſimo *Ter Borchio*, prout in mentem venerant; chartae illevi. Epiſt. Heroi. XXI. vſ. 165.

Projicit ipſe ſuas deducta fronte coronas,
Spiſſaque de nitidis tergit amoma comis.

Suſpicabar ſcribendum eſſe,

Projicit ipſe ſua deductas fronte coronas.

Nam *deducere* eſt aliquid aliunde avellere, quomodo *deducere veſtem* legimus lib. III. vſ. 479. Metam. & *deducere corpore febres* apud Horatium lib. I. Ep. 2. Lib. I. Am. El. VIII. vſ. 28.

Stella tibi oppoſiti nocuit contraria Martis,
Mars abiit: ſigno Venus nunc apta tuo.

Aliae Editiones exhibent *ſuo*, quod mihi ſolum verum videtur, ut ſenſus ſit; Venus nunc ſtella ſua tibi proſpera praedicit, ſpondetque ex ſententia tibi omnia eventura; & ita *ſigna* pro ſtellis initio Faſtor. libri primi, Lucretii, cui & aether propterea *ſignifer* vocatur, & alibi. Eleg. XIV.

Non anus Aemonia perfida lavit aqua.

Suſpicabar nonnunquam veneficas non modo herbis Theſſalicis, verum etiam ejuſdem regionis aqua uſas eſſe ad veneficia, atque hinc hunc locum eſſe interpretandum. Eleg. IX. lib. II. vſ. 35.

Fige puer, poſitis nudus tibi praebeor armis,
Hic tibi ſint vires, hîc tua dextra facit.

Cupidinem advocat poëta, eumque audacter hortatur ut feriat: ſed illud *facit* hortantis nequaquam eſt, verum frigidum plane; arbitror ſcribi oportere, *face*, id eſt, fac, ut tibi in meo corpore &c. ſint vires, fac hîc ſit tua dextra & fortiter feriat; ita Ep. XIII. vſ. 44.

Producetque virum; dabit & mandata reverti:
Et dicet, Referas iſta face arma Jovi.

Lib. III. Amor. El. 7.

Aut te trajectis Aeaea venefica lanis.

Interpretes, quos vidi, explicant de lanea imagine; ſed mihi videntur *licia* debe-

bere intelligi, quorum in incantationibus multus uſus, uti patet ex hoc Virgilii Ecl. 8.

Terna tibi haec primum triplici diverſa colore
Licia circumdo.

Nec non Petroniano iſto: *illa de ſinu licium protulit varii coloris filis intortum*: & *trajecta lana* mihi eſt eadem, quae intorta, quia intorquendo trajiciuntur, & ſibi invicem junguntur. Sabinus Ep. II. vſ. 74.

Si modo mens eadem, nec quod ſit jam mihi dives
Regia Cecropia non minor arce, movet.

Demophoon ſibi ait eſſe regiam non minorem arce Cecropia, quam tamen ipſe obtinebat, uti ex epiſtolae initio patet; deinde Phyllida alloquitur; quare reſcribo, *tibi dives* id eſt, Tu Phyllis es unicum mihi auxilium, ſi modo eadem tibi, quae olim mens & eadem voluntas, nec te retrahit regia dives, quaeque non minor eſt Acropoli Athenarum, quam ego teneo. Quid de his minutiis, ut & quaeſtione nuper poſita, unde me vix extrico, vel Piſandro Larandenſi Suidaeque & Macrobii verbis videatur tibi, Vir Eximie, majorem in modum rogo ſignifices. Arbitror enim ad te meas, quibus junctae erant ad *Rumphium* & *Schefferum* litterae, Clariſſimum *Ter Borchium*, cui redditae ſunt in itinere & domum reduci, recte, prout affirmavit, curaſſe, Vale Dav. a. d. XI. Kal. Feb. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCCCXXII.

NICOLAUS HEINSIUS

Gisberto Cupero.

Daventriam.

PRoxime copioſas ad te dabam ſuper locis nonnullis Arbitri Petronii male adfectis, Vir Ampliſſime, nunc ad eas reſcribo, quas *Henricus Terborchius*, vir ornatiſſimus, ex illo mihi tradebat. *Deducta fronte* apud Naſonem Epiſt. XXI. vſ. 165. contrarium videbatur *τῶ ſubducta fronte*, *ſubducto vultu*. poſtea opinatus ſum legi oportere, *adducta fronte*, quae aliis eſt *frons adſtricta*. Nec propterea tamen rejiciendam cenſeo tuam conjecturam de *deductis coronis*. Amoris VIII. 28. *ſigno nunc Venus apta tuo*, pro *ſuo*, errorem reor eſſe typographicum. Eleg. XIV. de *Haemonia aqua* locus eſt ſubobſcurus, ad quem nonnihil curis ſecundis annotavi, cujus nunc non recordor, qui ne Naſonem quidem habeo in promptu, adeo primus ſtudiorum impetus in me refrixit. lib. II. El. IX. 35. legendum, *huc tua dextra facit*. lib. III. El. VII. in illis verbis, *Aut te trajectis Aeaea Venefica lanis*, multum diſcrepant vetuſta exemplaria, ut in annotatis meis ſum teſtatus, ſic tamen ut caſtigatiora, aut vulgatum tueantur, aut *ranis* agnoſcant pro *lanis*. Licia illa, quorum Maro & Petronius meminerunt, ad Magicum Rhombum ſunt referenda, nec locum hîc habent, deinde *trajectas lanas* pro *intortis* dici poſſe vix eſt, ut opiner. Duplex erat defixio magica apud Vete-

res, unde poſtea *defigere* pro devovere uſurpari coepit. Aut enim acu pungebant imagines laneas cereaſve, aut e lino formatas eorum, quas devovendos ſibi proponebant, additis incantamentis: aut nomina eorumdem deſcripta nunc in pugillaribus tabellis, nunc in membranis vel laminis plumbeis ſtilo atroci confodiebant. Atque eo referendus videtur hic Naſonis locus, ac propterea legendum una addita littera, *trajectis lammis*. nonnunquam & incondita ipſarum devotionem carmina his laminis inſcribebant. Quo trahebam iſta Apuleji Metam. III. de *laminis ignarabiliter litteratis*. ſed quod praecipue ad rem facit, *Germanici nomen plumbeis tabulis* cum *inſculptum* narrat Tacitus II. Ann. c. 69. de hac magica defixione eſt capiendum, quod & ipſum Dio confirmat, ubi Germanici mortem deſcribit, cui ſunt ἐλασμοὶ μολυβδίνοι ἀράς τινας μετὰ τῶν ὀνόματ@· ἐντὸς ἔχοντες. verum illic devotiones nominis additae, non defixiones. eſt & locus Divi Hieronymi de his laminis plumbeis in re magica uſitatis, quem in adverſariis annotavi. ad defixiones nominis ejuſdem Taciti. trahebam *notas atroces* eodem Ann. libro c. 30. *Uni tamen libello, manu Libonis, nominibus Caeſarum aut Senatorum additas atroces vel occultas notas, accuſator arguebat.* num *occultae* notae ad devotiones videntur eſſe referendae. vides praecipuum Libonis crimen, de magicis defixionibus devotionibusque, quod plumbus debebant illuſtraſſe interpretes. haec cum ita ſint, miror alterum Naſonis locum eadem elegia a *Salmaſio* in Solinianis tentatum,

Sagave punicea defixit nomina cera,
Et medium tenues in jecur egit acus.

legit is, inquam, *defixit numina cera*. At Naſo uno eodemque diſticho defixionem & nominum & imaginum conjunxit. Nam illud *punicea cera* ad pugillares haec eſſe referenda demonſtrat, quae cera rubra ut plurimum illinebantur, ipſe noſter lib. I. Eleg. 12.

At tamquam minio penitus medicata rubebas;
Iſte color vere ſanguinolentus erat.

Sed haec pluribus quam par erat. Sabini Epiſt. II. vſ. 73. opinor curis ſecundis a me caſtigatur, *nec quod ſit tam tibi dives Regia*. Vale, Virorum praeſtantiſſime, & mihi, ut hactenus, ſi mereor, favere perge. Hagae Comit. XVI. Febr. Greg. 1677.

P. S. *Trajecta lamna* acui vel ſtilo nimirum, ſic Celſus lib. IV. 14. *a quibuſdam ad imum acu trajectum.*

EPISTOLA CCCCXXIII.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Negot.

MUltis nominibus me devinctum eſſe ſentio tibi, Vir Ampliſſime, quod binis iisque longe acceptiſſimis litteris, quarum alteras *Ter Borchius*, alte-

terus *Graevius*, licet tardiuſcule, curavit, tot praeclaras res ignarum docere, difficillimaque Ovidii, Petronii, Taciti, nec non aliorum Auctorum verba enodare tam εὐηνίχως animum induxeris. Perplacent ſane omnes conjecturae, &, ne quid me vel gratiae vel favori dare putes, liquido jurare poſſem, nullas unquam me doctiores elegantioresve vidiſſe. Sed tamen meum illud *deducere fronte coronas* firmat locus elegans apud Petronium, qui *deducere vertice canos* parili ratione dixit;

Haec ait, & tremulo deduxit vertice canos,
Conſecuitque genas ——

In Petroniano fragmento legebam olim: *Ivos ſuum propitiaſſe dicebat*, minimum vinum, quo verbo indicare Trimalchionem putabam, ſe ea liberalitate eſſe, ut & Iatraliptae vinum dominicum, id eſt, optimum biberent & effunderent, at tuum illud, *genium propitiaſſe*, vix dici poteſt, quantopere nunc arrideat, maxime quia aliquoties arroganti hac formula Trimalchio utitur. Caeterum cum videam *Rhombum* Radero aliisque exemplo Propertii *rotam* vocari, & orbicularem inſtar ἐκαπικοῦ fere σφαίλου deſcribi, interrogare libet, nonne mecum, Vir Eximie, ſentias, eam *rotam* a Propertio vocari, quia inſtar rotae circumagebatur, & quadrata non orbiculari forma fuiſſe. Nam id quod *Rhombus* vocatur proculdubio *Rhombi* vel *Scutulae* figuram habuit, quae qualis fuerit docet nos Fragmenti, quod Cenſorino additur, Auctor cap. 7. *Scutula id eſt rhombus, quod latera paria habet, nec angulos rectos ſimiles ſcutulae*: qualem rhombum manu tenet, ſi Eruditis Antiquariis credendum, Nemeſis in Numiſmate Juliae Soaemiae a Byzantinis percuſſo. Dubito etiam num recte alii dicant eſſe inſtrumentum Magicum, ex liciis tortis ad conciliandum amorem. Arbitror enim ex aere, cujus plurimus in Magicis uſus fuiſſe, id quod clare docet Theocritus in Pharmaceutria, & eo licia torta, quibus deinde devinciebant homines, uti anus Poliaenum apud Petronium, & maga Daphnidis imaginem apud Virgilium. Apud Arbitrum Petronium legitur vulgo: *Nunc nec quid nec quare in caelum abiit, & Trimalcionis topanta eſt.* Locus hic admodum vexatus, & *Freherus* in Parergis ſcribit, *neſcio quem Trimalcioni τὰ πάντα eſſe: Pontanus* ad Macrobium *Hierophanta eſt*; *Scioppius* in veriſimil. *Sycophanta eſt.* Sed quid ſi reponamus *holopanta*, vel *holophanta*, id eſt omnia mentiens? Hanc vocem, uti non ignoras, multi Plauto reddunt, eamque ante oculos videtur habuiſſe Feſtus, quando *Halopanta* exponit *omnia mentientem*, licet, uti recte *Scaligerum* & *Canterum* puto docere, ea vox potius a Plauto propter marinum habitum ficta ſit. Quadrat ſane valde ὁλοφάντης, quia mox inſigne Fortunatae mendacium ſequitur. Alibi exſtat hic verſus,

Divitis haec magni facies erit, omnia cernens
Qui timet, & ficco concoquit ore famem.

Nunquam illa, *omnia cernens qui timet*, concoquere potui, ſemperque ſuſpicatus ſum nihil haec πρὸς διάνοιαν; & longe praeferendam eſſe lectionem, quae exſtat apud Fulgentium lib. 2. Myth. extremo;

—— —— —— *omnia late*
Qui tenet, & ficco.

Id eſt, qui amplos agros tenet, & tamen avaritia conflictatur, ita ut nunquam ſibi bene eſſe velit; & elegans eſt illud *late tenere*; ita *late ingredi* dixit Ovidius Ep. IX. vſ. 127. & *late movere ſceptra* lib. III. Am. El. I. Ibidem praeterea in praecedente verſu pro *poma aut pendentia carpit*, ſcribitur, *nec poma patentia carpit* elegantiſſimo ſenſu, quia *res patere* dicuntur, quae obviae & captu faciles ſunt, quod miror tot Petronii editores non obſervaſſe. *Fabuloſum ſententiarum tormentum*, de quo olim agere te memini, neſcio an defendat *contorta oratio*, *contortiones orationis*, & *Demoſthenis fulmina numeris contorta* apud Ciceronem, Graecorumque oratio κατεσκαμμένη, quae ἐν τοῖς ᾠδείοις vel *ſententiis* cernitur. Epiſtola III. Sabini vocula exſtat, quae mihi ſenſum turbare videtur;

Nondum Tyndaridos nomen mihi federat aure,
Nec cecinit Grajos illa vocare viros.

Antea canit ſororem Caſſandram, futurorum praeſciam, vidiſſe vel praedixiſſe amorem Paridis & Helenae;

Adde quod hic ſatis amor eſt adjutus, & illum
Praeſcia venturi viderat ante ſoror.

Hinc addit illud factum eſſe, cum nondum Helenae nomen ſibi eſſet cognitum, unde ſcriberem

Et cecinit Grajos ——

Id eſt, cum nunquam Helenae nomen audiviſſem, cecinit tamen illa convocari Graecos ad repetendam Helenam; inde ſequitur, *omnia vera vides*, quod alioquin locum habere nequit, videtur etiam pro *illa* commodiore ſenſu poſſe ſcribi *bella*. Celeberrimus *Reineſius* pag. 603. Variarum Lect. *Ebonem* numen tutelare Neapolitanorum barbatum humana ſpecie taurino corpore exhiberi in Nummis tradit. Apud Macrob. lib. I. cap. 18. Sat. invenio eum barbata ſpecie ſenilique cultum fuiſſe, ſed ne χεὰ quidem de Tauro. Tu qui plurima in Gallicis, & Italia alibi cimeliarchia luſtraſti, quid hujus rei ſit doce, & vide nonne potius *Reineſius*, vel Minotaurum vel Fluvium, qui ita depingi fere ſolent teſtibus Numiſmatis apud *Spanhemium*, crediderit eſſe *Ebonem*. Vale, Vir praeſtantiſſime: Dav. a. d. XIV. Kal. Apr. CIↃIↃCLXXVII. Ampliſſimus *Ter Borchius* & σβασμιώτατος *Vogelſangius* te amantiſſimis verbis ſalutant.

EPISTOLA CCCCXXIV.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Hagam.

LItteras refertas quaeſtiunculis minutis etſi non ita pridem ad te, Vir Ornatiſſime, dederim, tua tamen ſumma erga me benevolentia, cujus perpetuam memoriam ſervo, me hortata eſt, ne amitterem occaſionem commodam atque idoneam, & nova ζητήματα, quae feliciſſime a te interpretando explanari poſſe ſemper exiſtimavi, ponerem. Cum autem conſilium ſit, quae de

Re

Re veſtiaria, materie, uti noſti, admodum intricata, cum in Apotheoſi, tum Obſervationibus qua editis, qua ineditis, aliisque curis ſparſa ſunt, in breve corpuſculum redigere, ſpecimen & cognoſcendi & emendandi cauſa, ut cum Juſtino loquar, transmittere volui. Luciani haec verba ſunt pag. 699. Editionis Bourdelotianae, in Jove Tragoedo: Καὶ τὰς ἐμβάδας, καὶ τοὺς ποδήρεις, χιτῶνας, καὶ χλαμύδας, καὶ χειρίδας, καὶ περιστρώματα, καὶ σωμάτια: id eſt, Interprete Vincentio Obſopoeo: *calceos & tunicas ad pedes uſque porrectas, & chlamydes & chirothecas, & ventriculos & corpuſcula.* Eadem ornamenta Tragica exceptis περιστρωμάτοις recenſet quoque Julius Pollux lib. IV. cap. 18. Onomaſtici: verum σωμάτιον vel σωματῖον ipſi non exponitur *corpuſculum*, ſed *ſtola*; καὶ σκευὴ μὲν ἡ τῶν ὑποκειτῶν ἑῶν, ἡ δ' αὐτὴ καὶ σωματεῖον ἐκαλεῖτο: & iterum libro II. extremo: σωμάτιον ἡ τῶν ὑποκειτῶν σκευή: videturque ita haec veſtis dicta eſſe, quia totum corpus cingebat & involvebat: περιστρώματα redduntur *ventriculi*, Minerva itidem, uti arbitror, invita, quia potius fuere ventralia, vel veſtimenta brevia, quae ad inſtar thoracis muniendo ventri tunicae ſubjiciebantur, uti interpretatus *Ferrarius* lib. I. cap. 18. part. I. de Re Veſtiaria. Sed quod idem Vir Doctiſſimus interpretem carpit, quia χειρίδας *chirothecas* vertit, exponitque ipſe tranſpoſita voce, *tunicas talares manuleatas* lib. III. cap. 13. part. II. operis ejuſdem, necdum approbare potui. Quin potius ſuſpicor inter tragicum vel ſcenicum apparatum *chirothecas* etiam fuiſſe. Sane Semus Eleus Grammaticus apud Suidam in v. Σῆμος, *Ithyphallis* tribuit *chirothecas floridas*: οἱ δὲ ἰθύφαλλοι περισωπεῖα μεθυόντων εἶχον, καὶ χειρίδας ἀνθεινὰς καὶ χιτῶνα μιχρὸν τῶν σφυρῶν, quod & idem Lexicographus ſine nomine auctoris tradit in v. Φαλλοφόροι. Omnibus Tragoedis D. Chryſoſthomus Homilia VIII. in Epiſtolam priorem ad Timotheum: τὰς δὲ χεῖρας καθάπερ οἱ τραγῳδοὶ, οὕτω μετ' ἀκριβείας ἐνδιδύσκουσι, ὥστε νομίζειν περιπεφυκέναι μᾶλλον αὐταῖς; *Manus vero ſicut Tragoedi tam accurate chirothecis muniunt*, (virgines ſacrae) *ut natura annexas iis exiſtimes.* Nec dubito idem tradere Pollucem loco admodum eleganti, ſed Viris Eruditiſſimis καλὰ τὴν ἐμὴν κρίσιν parum intellecto. Nam poſtquam loco laudato varia ornamenta Tragica, & cum iis chlamydem chlaenamque recenſuiſſet, addit: ΕΦαπλὶς συρριμμάτιον τι Φοινικοῦν ἢ πορφυροῦν; ὃ περὶ τὰν χεῖρα εἶχον οἱ θηρεύοντες: *velamen quoddam phaeniceum purpureumve, quo manibus involvebant milites vel venatores.* *Vlietius* ad Nemeſianum arbitratur ἐφαπλίδα fuiſſe inſigne hiſtrionum, quo perſona bellica vel venantis agnoſcebatur, quale hodie fere milites in brachio etiam alligant: *Scaliger* in Conjectaneis ad Varronem interpretatur chlamydem, quam brachiis circumvolvebant milites, cum ſcuto carerent. Sed hos refellit ipſe Pollux; illum, ne dicam morem hunc apud neminem veterum reperiri, quia non *brachium*, ſed χεῖρας vel *manus* nominat; hunc vero, quia Chlamydis & chlaenae jam meminit, nec de iis, tanquam de re parvula, ut indicat συρριμμάτιον τι, loqui cenſendus eſt. Neque tamen ignoro ἐφαπλίδα *chlamydem* vel *paludamentum* ſignificare; Nam, ne alios adducam, ita loquitur Euſtath. ad Iliad. π. pag. 1056. Ed. Rom. οὐ μὴν δηλαδὴ καὶ αἱ χλαμύδες, ἃς ἐφαπλίδας Φασὶν εἰρῆσθαι ἀπὸ τοῦ ἐπᾶραι, ὃ ἦν ἔχον περὶ χεῖρας ἐφαπ-

πίδας πολλοὶ ἢ ἐξ ἀλουργέους ζώστας: Auctor fragmenti, quod laudat anonymus, eſt Athenaeus, qui libro quinto his verbis utitur in deſcribenda pompa Antiochi regis, & ex quo conſtat apud Euſtathium ſcribendum eſſe; ἀλουργέους ἐξ ζωστῆς, id eſt, *paludamenta auro texta, & animalium imaginibus variegata.* Quid igitur? puto ἰφαπτίδα Pollucis fuiſſe chirothecas, non tales, qualibus hodie politiores vel ruſtici utuntur, ſed faſcias & lintea, quibus tota manus, & forte ſinguli digiti ſeorſim involvebantur, quaeque chirothecarum loco uſurpabantur. Atque hoc eſt, quod tradit Muſonius apud Stobaeum Sermone primo: *Διὸ τοῦτο οὐδαμῶς καλὸν οὔτε ἱματίοις πολλοῖς καλύπτειν τὸ σῶμα, οὔτε ταινίαις κατειλεῖν, οὔτε χεῖρας τε καὶ πόδας περιδεῖσθαι πίλοις ἢ ὑφασμάτων τισὶν μαλακίαν τινὰ μὴ νοσοῦντας: Quare minime honeſtum eſt veſtitu nimio operire corpus, aut faſciis involvere, aut manus pedesque circumligatis pannis ac linteis quibusdam molles ac languidos reddere, cum morbo non ſunt impliciti.* Ut enim ad Pollucem *συμμανίαν*, ita apud Stobaeum *περίδεσις*, id eſt, *circumligatio* occurrit, utque pedes faſciis, quas *pedules*, & *περισκέλιδα ποδῶν* vocant, involverunt, ita & aliis manus, & quemadmodum dixi, forte digitos ſingulos. Sed otio & patientia tua, *Vir Ampliſſime*, abutor; Vale quapropter quamplurimum, & me, ut facis, amare perge, Dav. Kal. Maji. CIↃIↃCLXXVII.

Cum Apparitoris noſtri iter nimis diu differatur, haſce commiſi tabellario publico. A. D. xv. Kal. Jun. Vale iterum a me & Ampliſſimo *Ter Borchio.*

EPISTOLA CCCCXXV.

NICOLAUS HEINSIUS

Gisberto Cupero.

Davantriam.

IN perditis numero illa tempora, quae tibi me ſubducunt, Gisb. Cupere, Vir eximie, adeo libenter abſens utcumque tecum loquor. neque avelli me abs te paterer per ullas occupationes aut curas, niſi jactarer inter eas tricas, quae me ab omni ſtudiorum voluptate nolentem avertunt. Habes & Petronii auctoritatem, fateor, quo tuearis egregie *deductas fronte coronas.* In eodem Petronio quod tibi videantur non infeliciter verſari conjecturae meae, quas nuperius proponebam, eſt ſane cur non modice gaudeam. Illud tamen, *in tantum repente riſum effuſa eſt, ut timeremus*, non videtur in *Thymelicam* mutandum. Luxatus tamen eſt locus, ut apud Arbitrum complures, deſcriptoris vitio, qui dum excerpit inde ea tantummodo, quae ad guſtum ſuum faciunt, truncavit hîc illic ſententias ac mutilas reliquit. etiam hîc videtur excidiſſe *ne rumperetur*, poſt τὸ *ut timeremus*. de Rhombi forma quadrata ad Theocritum viri eruditi. In altero Petronii loco videtur caſtigandum. *Nunc haec quid? ne quaere, in coelum abiit, & Trimalchioni τὰ πάντα eſt. ne quaere* vetus formula, cum cauſſam rei abs ſe ignorari teſtarentur; ſic apud Maronem, *ne quaere doceri.* Trimalchioni Τὰ πάντα eſt. ſed poſtea vidi id occupatum a *Lipſio* III. Epiſt. quaeſt. 2. videndus

dus idem ad Vellej. II. cap. 103. ubi recte reponit loco luxato, *qua ille omnibus omnia fuerit.* Medea apud Naſonem

Deſeror amiſſo regno, patriaque, domoque,
Conjuge, qui nobis omnia ſolus erat.

in Arbitri verſu de divite pridem legebam, *omnia ſpernens qui timet.* ſcis Tyrannicum illud, *oderint dum metuant. poma patentia* eleganter legi in Fulgentio pridem obſervavi. de *Tormento* ſtatues ut libebit. propono enim tibi conjecturas meas non pro oraculis, ſed ut docear meliora. in Sabini Epiſt. putabam,

Nondum Tyndaridos nomen, mihi federat aure
Ut cecinit Grajos illa vocare toros.

vocare verbum in vaticiniis frequentiſſimum apud veteres. hinc toties in Poëtis occurrit *Fata vocant.* Eboris effigies, qualis a *Reineſio* deſcribitur, in nummis antiquis frequens occurrit. apud *Capacium* Hiſtoria Neapolitana, quales & ego nonnullos poſſideo, ni fallor. Ceterum ab humaniſſimo *Bigotio* litteras habui non ita nuper, qui te ſalute plurima impertit, cupitque, ſi fiet quandoque, ut diſſertationem de Deo Harpocrate tuam juris facias publici auctiorem, & indagari aba te, cur & quinam *Harpocratiani* dicti a Ptolemaeo de Aſtrologia lib. III. cap. 124. Ἑρμαφρόδιτοι καὶ οἱ καλούμενοι Ἁρποκρατιανοί. Proclus pag. 177. paraphraſi ſua eandem ſcripturam agnoſcit, nec interpretatur *Haly* Arabs, & *Cardanus* commentariis ſuis de hominibus praeſagis praeſagioque capiunt. ſed hi non monſtrorum loco haberi poſſunt, ut, Hermaphroditi. aliis duobus locis idem Ptolemaeus Ἑρμαφρόδιτοι καὶ ἄτρητοι. ubi Proclus explicat, qui ſint ἄτρητοι. pag. 212. nempe οἱ μὴ ἔχοντες τρυπήματα καὶ διεξόδους. pag. 261. eidem ἀτρυπάνητοι ſunt. ἄτρητοι medicis dicuntur, quibus membri virilis non eſt pervius meatus: pariter idem de feminis. Ἁρποκρατιανοὶ igitur cenſente *Bigotio*, ſunt Ptolemaeo dicti, quibus omnis meatus eſt obſtructus, qualem fuiſſe natum celeberrimum *Fracaſtorium* ferunt, ita & *Menagius* ſentit: *Petitus* vero medicus Pariſinus haud incelebris, de iis intelligit, qui pedibus ſunt imperfectis mutilisque, qualem Harpocratem fuiſſe Plutarchus in libello de Iſide teſtatur & Oſiride. Vale. Hagae Comit. 16. Maj. 1677.

EPISTOLA CCCCXXVI.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Hagam.

QUemadmodum & quod judicium meum tibi placuit, & quod tot praeclaras res litteris, quas a. d. XVI. Maji dediſti, doces, ſerium in modum gaudeo, ita iraſcor occupationi tuae, quae nos frui non patitur tot doctis eximiisque curis, quas partim, Vir Ampliſſime, mente reconditas, partim litteris conſignatas habes. Petronianum *ne timeremus* olim & mihi placebat, puta-

tabamque commode ea, quae addis vel similia subaudiri, praecipue cum ab ea loquendi ratione nec noster sermo abhorreat; sed tuum illud *ne thymelem crederemus*, ita sensibus meis arridebat, ut probare coactus fuerim. *Ne quaere*, τὰ παίσια & reliqua, quae feliciſſime enodas, perplacent, niſi quod *omnia late qui tenet* videatur effiagitare, *& ficco concoquit ore famem*. Neque enim magis apte divitem avarum deſcribere potuit, neque aliud comparationi Tantali aeque convenit, quia ut ille, licet cibo *pomis*, & potu *aqua*, abundaret, fugacibus cibis eludebatur, quemadmodum loquitur Quintilianus Declam. XII. extrema, ita dives avarus, cujus typus erat, jejuno ore famem tolerare & pati cogebatur, quamvis latiſſimos ditiſſimosque fundos teneret. Quin & τὸ *cernens*, id quod poſtea in mentem venit, non omnino a re, quae agitur, alienum videtur. Nam περιβολικὸν divitem deſcribit, qui quocunque oculos flectebat, agros ſuos poſſeſſionesque videbat. In Sabini verſu gaudeo & me vidiſſe illud *nec* otioſum eſſe. Caeſaris Capacii Hiſtoria Neapolitana careo, adeo ut eam conſulere non potuerim, fruſtraque opinatus ſim Eruditiſſimum *Reineſium* erraſſe. Quae autem praeſtantiſſimus *Bigotius* miſit, vix dici poteſt quantum arrideant. Sed quod exiſtimare videris me viro tam diligenter in Antiquitatis ſtudio verſato perſpicaciorem eſſe, aut quid ulterius conari poſſe, erras, Maxime Heinſi. Nihil enim verius divina ipſius interpretatione, longeque alteri, quam *Petitus* dedit, praeferenda. Fateor quidem & doceo in libello meo, ex Plutarchi libro de Iſide & Oſiride, *Harpocratem* pedibus debilem fuiſſe, ſed quia os occluſum Deus ille habere fingitur, crediderim *Harpocratianos* optimo jure vocari eos, qui ita nati ſunt, idque eo magis, quia debilitas pedum inter partus monſtroſos, de quibus agunt Ptolomaeus & Proclus, quod equidem ſciam, non numeratur. Verum en tibi monſtrum vocabuli, quod exſtat in Interpretatione Ptolomaei Latina, quae Julio Firmico ſubjungitur. *Si Jupiter aut Venus teſtificetur, nati proprietas, quo fuerit illa mutatio, erit ut honoretur & ſublimetur, eo quod ex hoc illa figura Armaſorodhotis* (in Margine, ut vulgo vocant, *Hermaphroditus*) *continget, id eſt figura ex Venere & Mercurio denominata, nec non figura, quae nuncupatur* Arſocarazietu, *& his ſimilia*. Haec vox proculdubio eoſdem deſignat, quos Ptolemaeus Ἀρτοκεφαλους, & paullo aliter Proclus Ἀρτοκεφαλικους appellant, ſed quî interpreti in mentem venire potuerit etiamnum quaero. Praeterea in editione mea Procli (eſt autem *Leonis Allatii*) ii, quibus virile vel muliebre membrum non eſt pervium (qualem deſcribit Jul. Obſequens, *Puer ex ancilla natus ſine foramine naturae, qua humor emittitur.*) non ἀτρυπάνητοι, verum ἀτρύπητοι, licet res eodem recidat, vocantur. Sed age quoniam in eo ſumus, ut Harpocrates meus illuſtretur, locum rogo Arnobii, qui commodiſſime interſeri poteſt, expendas. Exſtat is lib. VI. *Inter Deos videmus veſtros Leonis torviſſimam faciem mero oblitam minio, & de nomine* Frugiferi *nuncupari*. *Laurentius Pignorius* & *Elmenhorſtius* arbitrantur auctorem loqui de Deo, qui capite leonino, qualem exhibet Tabula Iſiaca, deſcribuntque Minutius Felix, & Tertullianus, colebatur. Damnat hoc, modo in hanc, modo in illam partem ſeſe torquens, nihilque certi ſtatuens *Deſiderius*

He-

Digitized by Google

Heraldus, & tandem pro *Frugiferi* (quod nec alii exponunt) reſcribit, *trucis ferae*. Rationes Viri Doctiſſimi non examinabo, ne videar aliorum erroribus operoſe redarguendis gloriam aucupari, iisque ſimilis exiſtimer, qui nomen ſibi acquirunt aliena de eruditione delibando. Vel igitur deſcribitur homo facie leonina, vel leo animal, quo Solem Graeci, Romani, Aegyptii, aliique, licet male neget *Heraldus*, exprimebant; atque ex ea ſuperſtitione totus locus interpretandus eſt. Hinc puto faciem ejus *minio* impleri ſolere, ut rubrum Solis colorem igneosque radios referret, & eandem ob cauſam apud Achaeos Bacchi ſtatuam Cinnabari inunctam fuiſſe teſte Pauſania lib. VII. Hinc & *frugiferum* nominari, quia Sol frugum parens, faecunditatisque praecipua cauſa & ſcaturigo eſt. Atque ita in Albini Numiſmatis Mercurius radiatus, Solis inſigne, occurrit cum Inſcriptione *Saeculo Frugifero*: & Statius lib. I. Thebaidos Oſirim, ſive Solem, *Frugiferum* nominat. Verum quod caput epiſtolae eſſe debuerat, quodque pene praeterieram, gratias & tibi & Ampliſſimo *Bigotio*, quem rogo meis verbis & peramanter & perofficioſe ſalutes, ago habeoque maximas, quod tam erudita me docueritis, enixeque rogo, ut conatus meos ſemper juvare velitis. Litteras, quas ipſis Kal. Maji ſcripſi, quibusque Luciani verba & rem veſtiariam illuſtrare conor, tibi redditas eſſe confido: Vale plurimum, virorum & amicorum ſumme, atque ab Ampliſſimo *Ter Borchio* ſalve. Dav. a. d. III. Id. Jul. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCCCXXVII.

NICOLAUS HEINSIUS

Gisberto Cupero.

Daventriam.

NOn ſatis habeo compertum, Vir Ampliſſime, idemque eruditiſſime, ſintne perlatae in manus tuas, quas Majo menſe, non ita nuper decurſo, exarare memini, quamquam perlatas eſſe augurari licet. Nec multo poſt tradebantur mihi, quas ipſis ejuſdem menſis Kalendis ad me dederas, multa arcanae reconditaeque antiquitatis fruge inſtructas luculentis modis. quibus etſi nihil poteram reponere opportunius, quam aſſenſum tacitum ac religioſam induſtriae tuae admirationem, ipſa tamen humanitatis lex poſtulabat, ne ad eas tanta provocatus eruditione tantaque elegantia inurbanum prorſus in modum tanto ſilerem tempore. Sed is rerum mearum ſtatus fuit hac aeſtate, idque vitae fluctuantis genus inſtabile, ut mutata frequenter ſede nullas admiſerim occupationes, niſi quae ab oblectamentis litterariis me removerent. In poſterum dabitur meliora forſan ſperare, cum moleſtiarum partem potiſſimam jam profligarim, quae res etſi deſideriis meis plenius reſpondebit, dubitare non debes, quin litterae frequentiores tibi a me ſint exſpectandae, & commercium mutuae ſcriptionis epiſtolicum inter nos frigere nonſinant. Nunc hîc a *Rumpfio* habes, qui tuas, quas per me ad Cl. *Schefferum* curatas voluiſti, Holmiam

recte perlatas esse nuntiat. Vale cum Amplissime *Borchio*, *Perizonioque*, ac amicis caeteris. Hagae Comit. 1677. XXI. Septembris Gregor.

EPISTOLA CCCCXXVIII.

NICOLAUS HEINSIUS

Gisberto Cupero S. P. D.

Daventriam.

QUas Quinctili mense perferendas ad me dedisti Leidensi via, earum Octobri demum proximo compos sum factus, nulla *Ryckii* nostri culpa, sed illius, cui eas permisisti curandas. Ex illo morbus habuit me exercitum, qui cum ne nunc quidem prorsus abigi se patiatur, haud inique, spero, feres, pro caetera tua indulgentia ac morum facilitate, si breviter tecum agam. de loco Petroniano, *omnia late qui tenet* amplius a me cogitabitur. De *Harpocratiacis* sententiam tuam diu est, quod aperui Cl. *Bigotio*. sed is pridem non scribit, totus in moerore ob ereptum fratrem, quem luget inconsolabiliter, uti colligo ex Menagianis litteris. Locus Arnobii lib. VI. plurimum me exercuit aliquando, quem membranae regiae sic exhibent. *Inter Deos videmus vestros Leones noviſſimam faciem mero oblita minio & de nomine frug. . . ferio nuncupari.* ita, inquam, codex Regius, qui unicus Arnobium conservavit. Ejus enim excerpta cum editione Heraldina accurate collata a *Salmasio* penes me sunt. Hinc aliquando videbatur scribi debere. *Inter Deas videmus vestros leones torviſſimam faciem mero oblitos minio, Deae nomine Frugiae fere nuncupari.* Vel, *de Dominae Frugiae imperio nuncupari. Leones* mutari in *leonis* nil necesse. nam Cybele aut Leoni insidens, aut currui binis juncto leonibus insidens exprimitur in nummis & marmoribus antiquis. *Dea Frugia* Cybele per Archaismum Arnobio familiarem, ut *Dea Suria* Venus in antiquis marmoribus. sic & *Aeguptus* in nummis Augusti. *Frugia* pro *Phrygia* etiam in veterrimus Maronis membranis offendi, ut *cumba* pro *cymba*, & *Cumaea proles* &c. *Frugiferio* pro *Phrygio imperio* ita codex illic peccat non semper. *Ferio* pro *perio*, id pro *imperio*. Vale. Kal. Decemb. 1677. Hagae Comit.

EPISTOLA CCCCXXIX.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinsio S. P. D.

Hagam.

NIhil est, Virorum Maxime, quod literarum tuarum, quae mihi semper sunt acceptissimae, moram excuses; cum quia certior factus eram tarde admodum Juvenem, quas ipsius fidei commiseram, ad praestantissimum *Ryckium* curasse, tum quia ex *Gronovio* non sine singulari animi dolore intelleram,

ram, te difficillimo corporis morbo laborare, & occupatam tricis moleſtiisque forenſibus vitam agere. Sed eſt quod ſerium in modum & meo & Reipublicae literariae, quae tot praeclaros ex te percipit quotidie fructus, nomine laetor, ſanitati te & integritati reſtitui, ſperoque δωτῆρα ἰάων eam propediem incorruptam largiturum. Valde me oblectavit Illuſtriſſimi pariter & Doctiſſimi Avunculi tui imago, eaque vehementiſſime ad Eruditionem accenſus fui. Et veniebant commode in mentem, quae τὰ ἐς ἀγίους *Gronovium* memini familiari colloquio mihi narrare; Nobiliſſimum ſcilicet Tranſiſalaniae decus *Schelium*, cum, poſtquam ex ephebis exceſſerat, haereret quam viam in evolvendis antiquis auctoribus ſequeretur, perlectis diligenter *Variis* & tanta doctrina refertis Avunculi tui *Lectionibus*, eam inſtitiſſe, qua in magnum virum evaſit, & ad ſummum Eruditionis culmen, ni morte acerba ereptus nobis foret, perveniſſet. Recte igitur facis, ſi perſuaſiſſimum habes, admodum gratum & acceptum munus fuiſſe, meque illud dum una cum Epigrammate inſpicio & admiror, nihil aliud optare, quam ut & tuos, Nobiliſſime Heinſi, vultus aeri incidi jubeas, ut ea via cum libris Europam peragrare, atque in bibliothecis juxta avunculum dedicari poſſint. Quas ad me dedit Doctiſſimus *Schefferus*, diligenter curatae ſunt, ſed cum eas, ſimul recepi, petierit legendas *Ter Borchius*, & adhuc ſervet, nondum reſpondere potui. Scilicet affligitur magnus ille vir mortifero & deſperato fere morbo, nique Deus benignus adſit, conclamatum eſt de columine Patriae, legum, libertatis. Quid quaeris? Aquae intercutis metus, ſine lacrymis haec non ſcribo, inteſtini dolores & cruciatus, continuata per plus quam x. hebdomadas, niſi quod breviſſima nonnunquam requie refocilletur, inſomnia parum nobis ſpei reliquae, & quae ratio ineunda ſit ut neſciamus faciunt. Si ſuperſtes, quod utinam faxit ὁ κύριος! manet, non niſi longinquitate grave hoc malum removeri atque depelli poſſe οἱ ἰατρῶν παῖδες, qui non deſperant, uno ore affirmant. Quartum mearum Obſervationum librum, ſimul exierit, ad te deferendum curabo; inde Apotheoſi novas quaſi manus adhibebo, atque ad eam non modo ut alienum opus accedam, ſed ex parente fiam Areopagita. Gratias habeo quod miſeris excerpta Salmaſiana, & locus ille forte majorem requirit, licet non diſpliceant conjecturae tuae, medicinam. Nunc, qua es facilitate, doce me, quid ſibi velit, *aris altaria imponere*, cujus phraſeos mentio apud Quintil. Decl. XII. *Tranſeo tormenta noſtrae inopiae, maciem corporis, vulſos terra deſtrictosque ramis cibos, quod aris altaria non impoſuimus, quod populus corporibus ſuis vias ſtravit, quod mendicus quem rogaret non habuit*: An intelligit partem arae, quam *Scaliger* ad Manilium ſcribit vocari altare, quaeque arae imponebatur, & a Graecis βαθμὸς exponitur; qualia etiam his verbis prodit *Turnebus* in Adv. *Ejus ſuperficies, in qua prunae collocantur, dicitur* καυτήρ. *Baſis altaris* τὸ βάθρον, *ſupra* καυτῆρα *eſt* βωμίσκος, id eſt, *Altar, locus ipſe prunarum*? an vero ipſa *libamina*, vel, *quae ab altaribus continentur*, vel, *quae in altaria funduntur*, uti ad Ecl. v. VIII. & lib. XII. Aen. ubi poëta canit, *paterisque altaria libant*, obſervat Servius? adeo ut ſignificent cives Legatum apud Quintilianum accuſantes, tantam fuiſſe inopiam, ut nihil

eſſet, quod aris imponere & diis ſacrificare poſſent. Nam & eo ſenſu uſurpare videtur Lucanus lib. III. vſ. 404.

Hunc non ruricolae Panes, nemorumque potentes
Silvani, Nymphaeque tenent, ſed barbara ritu
Sacra Deum, ſtructae Diris altaribus arae.

Grotiana tamen editio neſcio quibus auctoribus MSS. *ſtructae ſacris feralibus arae* exhibet; ſed altera lectio nihil difficultatis in ſe involvit, ſi per *altaria* intelligere licet res illas, quae aris imponuntur, quibusque ſtruuntur, id eſt, altiores fiunt, quomodo *ſtruere menſas* & ſimilia dicimus. Me, quaeſo, his difficultatibus libera, & quis ſenſus verborum Quintiliani, Virgilii, Lucani ſit, edoce; Vir Magne; Davent. a. d. IV. Non. Decemb. CIↃIↃCLXXVII. *Ter Borchius* melius ſe habere incipit, & nocte, quae diem Martis excepit, placide quievit. Morbum celatum cupit, rogoque ne eum divulges: Vale iterum a. d. VIII. Id. Decemb. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCCCXXX.

NICOLAUS HEINSIUS

Gisberto Cupero.

Daventriam.

DEcembri menſe relictis turbis aulicis ac forenſibus caſtra huc tranſtuli, valetudini proſtratae levamen hîc quaeſiturus a ſolitudine. ſed praeter animi ſententiam ſpemque conceptam ratio inſtituti hujus me immane quantum eſt fruſtrata. Vides ſilentii diuturnioris cauſſas, eo moleſtiores mihi, quod litteris tuis longe facundiſſimis ut tempeſtive reſponderem haud quaquam permiſerunt. Has conſtitutus inter anguſtias, nihil curas meas aeque intendit, ac morbus optimi ac humaniſſimi *Terborchii*, quem tamen nunc evaſiſſe diſcrimen omne vitae fert noſter *Graevius*, identidem ſuper capitis tam cari rebus ac ſtatu dubio a me conſultus. Hirundinum proximarum adventum illi ſalutarem fore confido, ac ſi quid reſidet mali profligaturum. Diſtinxiſſe veteres inter *aras* & *altaria* recte vidiſti, emendato & Lucani hanc in rem feliciter loco ad Apotheoſim Homeri, quem & ego pari modo e membranis antiquiſſimis aſſerere memini ad illa Maronis in Bucolicis,

— — En quattuor aras
Ecce tuas tibi Daphni, duas altaria Phoebo.

Haec enim vera illius loci ſcriptura eſt, quam meliores membranae illic adſtruunt, & ego compluribus veterum Poëtarum exemplis confirmavi in obſervationibus ad Maronem meis. Maroniani loci caſtigationem etiam a Servio cognitam ex interpretamento ejus ſatis apparet, etſi locus ille eſt interpolatus. Idem Servius nos docet *aras* & *altaria* dici ſolere, quae diis ſuperis dedicabantur, *aras* tantum, quae Diis inferis erant ſacrae. Ergo *Altaria* pro ſuperficie ararum. nam diis inferis fiebat in depreſſa ſcrobe, quae tamen *ara* diceretur. *Aras* & *altaria*

taria Maronis & Lucani exemplo, conjungunt Lucretius, Prudentius, Plinius in naturali Hiſtoria non ſemel, quorum loca longum ſit huc transferre. Arnobianum locum, de quo nuperius inter nos actum eſt, a *Salmaſio* quoque ad Hiſtoriam Auguſtam tentari video. librum quartum Obſervationum tuarum jam prolatum in lucem, ut ferunt, percupio excutere. Vale, vir Celeberrime cum amicis communibus. Vianae 23. Febr. 1678.

EPISTOLA CCCCXXXI.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Vianam.

QUam elapſi anni menſe ultimo dedi, recte curatam eſſe, atque inde te intellexiſſe quas menti meae tenebras offuderint *ſtuctae diris altaribus arae*, nec non *aris altaria imponere*, credo, Ampliſſime Heinſi. Has rogo, namque potes, nebulas pelle; & quid ſibi inſolitae plane oratoris diſerti, & Poëtae numeroſi loquendi formulae velint, quod commodo fiat, doce. Nunc mitto novum Obſervationum corpuſculum, quod vix dubito quin ſtomachi tui futurum ſit, quia omnia mea, qua es humanitate, probare ſoles. Inſerui literas, quibus loca nonnulla Conſolationis ad Liviam explicaſti, illudque meum conſilium te probaturum confido. Exemplaria deſtinata Nobiliſſimis viris *Bigotio*, *Huetio*, *Menagio*, *Magliabequio*, *Rumphio* & *Scheffero*, ſerium in modum rogo, ut, ſi patitur bellorum tempeſtas, ſimulque ac δύναλον erit, curare velis. Ampliſſimus *Ter Borchius* valetudinem experitur proſperam, & ſanitati atque integritati redditus eſt, nihilque exitum ejus moratur, niſi pedum levis imbecillitas; Deus faxit, ut ſuperſtes diu patriae, amicis, tibi mihique ſit: Vale, Dav. a. d. IX. Kal. Mart. CIↃIↃCLXXVIII.

Literas has cum Hagam mittere vellem, ecce mihi peropportune tuae redduntur; atque ex illis intelligo, te Vianae ad Leccam agere, & doceor *ararum* & *altarium* diſtinctionem, quae & mihi ad Apotheoſin obſervata, quamque, vel ſacra ἀποθέωσια, ut Graeci loquuntur, potius pluribus illuſtro in retractatis Obſervationibus; ſed male me habebat praecipue Quintiliani illud, *Aris altaria imponere*; quod, ut verum fatear, necdum ſatis capio. Accipe nunc mendum, niſi me plane fallo, ex Juliano, quem hoc ipſo tempore obiter inſpiciebam, ſublatum: ita loquitur Orat. v. p. 315. Τίμιοι γάρ φασι τὸν ἱερὸν δένδρον καθ' ἣν ἡμέραν ὁ Ἥλιος ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ἰσημερινῆς ἀψῖδος ἐρχεῖται. εἶθ' ἑξῆς ἀδιαλείπτως ἀκούεσθαι σαλπίγγων. τῇ τρίτῃ δὲ τέμνεται τὸ ἱερὸν καὶ ἀπόρρητον θέρος τοῦ Θεοῦ Γάλλου: id eſt, Interprete Petavio: *Etenim ſacram arborem ſuccidi illo ipſo die ferunt, quo Sol ſupremam aequinoctiorum apſidem attigit. Altero die tubarum clangore perſtrepunt. Tertio ſacra & arcana Dei Galli meſſis putatur*: Sed ego reſcribo μίεος, quomodo membrum, quo viri ſumus, Graeci vocabant, cujusque exciſionem eo die ante Hilaria celebratam fuiſſe non modo ex pag. 317. ſed

ſed etiam ex Calendario a Lambecio in Bibliotheca Vindebonenſi edito conſtat: XI. *Kal. Apr. Arbor. intrat.* X. *Tubiluſtrium*: IX. *Sanguen*, *Dies Aegyptiacus*: VIII. *Hilaria* VII. *Requietio*: VI. *Lavatio*. Quae optime cum Juliani verbis conveniunt, in quibus & mox *Hilariorum* mentio occurrit. per *ſanguen* autem intelligo abſciſſionem, quae ſine ſanguinis miſſione fieri non poterat; ſed quis ſit *Dies Aegyptiacus* plane ignoro; & tu proculdubio, praeſtantiſſime Virorum, optime docebis: Vale iterum; a. d. v. Kal. Apr. Sed, quod pene praeterieram, ita eſt, *Salmaſius* ad Flavium Vopiſcum vulgatam Arnobii lectionem retinet, & parum vel nihil abit a mea interpretatione, niſi quod Mithram deſcribi putet, cujus ſimulacrum facie leonina effingebant, cum tiara: at jurato crede, me te monitore hoc primum diſcere, nec ante ſciviſſe Salmaſianam explicationem,

Exemplaria mittenda *Huetio* & *Scheffero*, continentur faſciculis deſtinatis *Bigotio* & *Rumphio*. Mitto ſimul binos libellos, quibus barbaries Philoſophi noſtri impugnatur.

EPISTOLA CCCCXXXII.

NICOLAUS HEINSIUS

Gisberto Cupero S. P. D.

Daventriam.

QUamquam debita gratiarum actione ſerius apud te nunc defungar, pro miſſo non ita nuper Obſervationum tuarum muſteo atque exquiſitiſſimo libello, non intermiſi tamen, Cupere Clariſſime, oculis haurire totum avidiſſimis, ſimul is ad me perlatus eſt. nam dilati hactenus officii partim valetudo eſt in cauſa, partim & ſpes, quae adfulgebat, quando libelli facta mihi primum eſt copia, mox fore ut lucubratiuncula mea, etſi pertenuis nec ad tuae munificentiae ſplendorem accedente, te remunerarem. Verum ſubitanea *Elzevirii* profectio in Britannos, quae praeter expectationem intervenit, opuſculi editionem moratur, publico exhibendam tamen, ſi quid augurari licet, ante decurſum menſis proximi. Eidem profectioni refero acceptum, quod exemplaria libelli in Galliam atque in Sueciam abs te deſtinata, eo mitti nondum potuere, quod *Elzevirii* opera hîc mihi imploranda, quae in hiſce talibus adhiberi a me ſoleat, quod alium non habeam Amſtelodami majori familiarite mihi conjunctum. Quid vero nunc dicam de ſingulari voluptate, qua perfuſum me ſenſi evoluto Obſervationum tuarum volumine. Eam certe ſi coner verbis adaequare, oratio & dies me deficiant. Atque utinam ejuſdem argumenti reliqua, quae in ſcriniis tuis deliteſcunt, publice donata quamprimum videam. Neque enim dubitari poteſt, quin gloriae plurimum inde acceſſurum ſit tibi. De *aris*, & *altaribus* ſi vera ſunt, quae Servius prodit, ſuperorum tantum eſſe, *aras* & inferorum, videtur inde colligi poſſe, *aras* nonnunquam poni pro ſacrificii ſolo ſive fundo, *altaria* pro ſuperficie aris impoſita,

ſita, ſive ea ex ceſpite ſtrueretur, ſive e lapide. *Solum* autem ſi in ſcrobem effoderetur, ut in ſacris inferis ſolebat, nihilominus retinuiſſe nomen *arae*, quam ſic *altare* non potuiſſe dici, originatio vocum tibi ſatis evincet. in Juliano pulcherrime μίσῳ reſtituiſti. Vale, 18. April. 1678.

EPISTOLA CCCCXXXIII.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Vianam.

NEc tui mandati, nec officii ſui oblitus eſt *Elzevirius*, miſitque ante ſex vel ſeptem hebdomadas una cum litteris tuis Virgilium a mendis, quibus defoedatus erat, repurgatum, ornatumque eruditiſſimo pariter & elegantiſſimo carmine, quod cum omni antiquitate certare ſi affirmo, cave exiſtimes me auribus dare quicquam; quodque Chriſtianiſſimo Rege dignum eſt, quia ut Maximus ille Regibus, ita tu poëtis reliquis facile praeripis palmam, Heinſi Nobiliſſime. Utinam cum valetudine bona fide in gratiam redeas, animumque Eruditorum omnium expleas notis Virgilianis, & tot doctas res, quas ejuſmodi cura ſecum trahit, doceas nos ignaros tandem aliquando! Votis meis, ſpero, Deus annuet, tibique viridem vegetamque tribuet ſenectutem, nec patietur, qua eſt pietate, Virum, a quo tot praeclara in Rempublica Litterariam commoda profecta ſunt, & quotidie proficiſcuntur, perpetuo quaſi morbo conflictari. Sed tamen *Elzevirius* unum tantum ad me miſit exemplar, parsque mandati ejus videtur excidiſſe memoria; unde etiam factum eſt, ut eruditiſſimus *Perizonius*, cujus tres diſſertationes, quarum una ritus Judaeae gentis, altera legem Voconiam, ultima nummos illuſtrat, hîc deſcribuntur typis, illud a me nondum tulerit. Quod autem non reſponderim continuo, tibique meritas pro munere gratias egerim, fecit patris mei matura quidem, erat enim ſeptuagenario major, attamen acerba mors; meque illa coëgit per tres fere menſes abeſſe domo, atque in agro Batavo, cui Superiori nomen, vitam tranſigere. Noſti alioquin me exercere commercia litterarum libentiſſime & nihil habere prius, quam officioſe colere eruditos, eorumque & praecipue ad tuas explicationes, Heinſi Ampliſſime, veluti totidem, abſit dicto invidia, oracula decurrere. Et ſane, ut nunc eſt, multa mihi ſuppetunt, de quibus tecum confabulari cupio vehementer; ſed cum valetudinis tuae habeam rationem, mittam tantummodo quae mea ſit ſententia de *interiore*, id eſt ſiniſteriore, rota Circi, & *interiore* id eſt dexteriore homine ambulante; quae omnia quanquam nec tu ignores, vel ſic juvabit intelligere, te vel idem mecum ſentire, vel docere, namque potes, velle meliora. Igitur *interior*, qui incedit ad dextram eſt, *exterior* ad ſiniſtram manum, uti ex Ovidii Faſtis, Horatiique Satyris recte docuerunt *Lipſius*, *Torrentius*, & *Caſtalio*. At in circo aliter ſe res habet, ibique *interior rota* eſt ſiniſtra, *interius flectere* ad ſiniſtram; putoque male

male *Turnebum* & *Lipſium* commentari dextrum equum interiore gyro flexiſſe, laevum exteriore, equumque ſiniſtrum ampliorem luſtraſſe orbem, quam dextrum, cum omnia potius contraria ſint. Nam quia incipiebant a circi dextra parte committere ludos, neceſſario ſequitur, ſiniſtram currus rotam propiorem fuiſſe metae, quae ad ſiniſtram erat aurigantis, ſimulque ſiniſtrum equum non tantum ſpatii in flectendo feciſſe circa metas, quam dextrum. Hoc eſt quod Ovidius tuus canit lib. III. Amor. El. 2.

Et modo lora dabo; modo verbere terga notabo:
Et ſtringam metas interiore rota.

Silius Italicus lib. XVI.

Sed laevo interior ſtringebat tramite metam.

Et ad Circi ludos clare reſpiciens Maro itidem tuus Lib. V. Aeneidos,

Ille inter navemque Gyae, ſcopulosque ſonantes
Radit iter laevum interior ——

Rurſus vſ. 202.

Namque furens animi, dum proram ad ſaxa ſuburget
Interior, ſpatioque ſubit Sergeſtus iniquo.

id eſt, Siniſterior, uti recte explicat Servius, quanquam *Lipſius*, & *Voſſius* in Harmonia Euangelica culpent eum, quia omnino *interior* eſt dexterior. Scilicet Viri Eruditione praeſtantes confundunt circum & homines, nec animum advorterunt aliam rationem eſſe aurigantium, aliam deambulantium; cujus meae opinionis rationes dare conabor. Illa proculdubio res dicitur *interior* prima ſignificatione, quae eſt inter duas, vel certe aliis undique incluſa; cum igitur equus ſiniſter medius fuerit inter metas vel ſpinam circi & equum dextrum, non ſecus ac rota ſiniſtra media inter eaſdem metas & rotam alteram, recte & equus & rota *interior* vocatur, quippe qui ambo inter duo erant conſtituti. Firmat hanc meam conjecturam mirum quantum Virgilius, quando canit Cloanthi navem inter navem Gyae (finge fuiſſe equum dextrum) & ſcopulos (fuerint illi metae) *interiorem*, id eſt ſiniſteriorem, raſiſſe iter laevum. Atque inde extra circum in jungendis equis aliisve animalibus non aliter locuti ſunt: Varro lib. IV. de L. L. *Oppida condebant in Latio Etruſco ritu multa, id eſt, junctis bobus, tauro & vacca interiore*, id eſt, ſiniſteriore: nam dextrum latus tauro tribuit diſerte Servius, vaccamque *intrinſecus* ſimiliter junctam ſcribit, ad Lib. V. Aen. *Condituri enim civitates, taurum in dextra, Vaccam intrinſecus* jungebant. Imo ad alia quoque transfertur haec loquendi forma, & *intus canere* dicuntur citharistae, id eſt manu ſiniſtra: Aſcon. Act. III. in Verrem: *Cum canunt citharistae utriusque manus funguntur officio. dexra plectro utitur: & hoc eſt foris canere. ſiniſtra digitis chordas carpit, & hoc eſt intus canere*: mox; *Difficile autem quod Aſpendius citharista faciebat, ut non uteretur cantu* (id eſt inter canendum) *utraque manu, ſed omnia, id eſt univerſam cantionem, intus & ſiniſtra tantum manu complecteretur*. Sed quae tandem erit ratio cur homo, qui ad dextram eſt, *interior* contrario plane ſenſu vocetur? tacent Viri eruditi & fluctuant, ego autem ſic exiſtimo. Tribus ambulantibus, medius proculdubio erat inter duos atque

que adeo *interior*; eo, qui ad medii dextram erat, abeunte, qui medius fuerat fiebat dexter, nomenque *interioris* uſu loquendi ipſi haerebat; ſique tertius accederet dignitate minor, ad dextrum ejus latus incedebat. Siniſtro trium diſcedente, medius quidem fiebat ſiniſter, ſed quia dexter locus erat honoratior, is qui abſente tertio ad dextram medii erat, locum, quod inter moratiores gentes hodie etiam fieri amat, ſiniſterioris videtur occupaſſe, & clauſiſſe latus ei, qui fuerat medius; qua ratione ille qui, cum tres ambulabant, fuerat medius proprieque *interior*, incedet a dextra, veterique nomine *interior* vocabitur. Haec, Vir Ampliſſime, mea eſt ſententia, quam tamen meliori ſubmittere pranſus, quod ajunt, & paratus ſum: Vale plurimum a me & Ampliſſimo *Ter Borchio*; Dav. a. d. Id. Jul. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA CCCCXXXIV.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Vianam.

QUam velim literas recte curatas, quas ad me ante aliquot tempus datas a te eſſe ex *Perizonio* noſtro intellexi non ita pridem, Heinſi Clariſſime. Inveniſſent enim me lectulo affixum, & cum quartana, qua necdum bona fide liberatus ſum, conflictantem febri; illique non minorem, quam τ ἰαλρῶν venis concepta pharmaca feciſſent medicinam. Si enim verum Quintiliani verbum, *Non quod datur, ſed quod ſanat medicina eſt*, nihil revera melius animum ex morbo interdum aegrum recreaſſet, corpuſque debilitatum refocillaſſet, quam epiſtola, cujus auctorem ſingulis diebus cogito & admiror. Iniquo quapropter animo fero jacturam, & ſi quid preces meae valent, eam refarcias, novisque litteris vetera & recentia dubia tollas ſerium in modum rogo. Nam nuper publice triumphi pompam explicans incidi in Livii locum, quem non tantum notabilem exiſtimo, quia equorum alborum originem nos docet in triumphis, ſed etiam quia ſervat elegantem, ita ſim felix, comparationem, &, ſi quid video, homini Romano indignam. Camillus nempe Vejentium victor, & triumphans confertur animalibus ſive equis, Lib. v. cap. 23. *Maxime conſpectus ipſe eſt curru equis albis juncto urbem invectus: parumque id non civile modo & humanum etiam viſum. Jovis Solisque equis aequiparari Dictatorem in religionem etiam trahebant.* Sed ego, niſi plane fallor, Livium ſcripſiſſe exiſtimo; *Jovi Solique equis* id eſt, per equos albos, vel quia currum equis albis junxerat Dictator, eum aequari Jovi & Soli, quibus itidem nivei equi, uti de Jove teſtatur Plut. in Camillo, tribuebantur. Atque Camilli triumphus mihi ſimul revocavit in memoriam Suetonii verba, quibus tradit Octavium per quietem vidiſſe filium, *mortali ſpecie ampliorem cum fulmine & ſceptro exuviisque Jovis Opt. Max. ac radiata corona ſuper laureatum currum, bis ſenis equis candore eximio trahentibus*; c. 94. Lectus mihi quidem *deauratus*, *aureus*, & *ebore* conſtans currus, ſed nunquam

laureatus; & bona fide ignoro, num unquam ipsi triumphantium currus laureis sertis fuerint ornati; cumque in Codd. Fulvii Ursini legatur *deauratum*, suspicabar unam vocem propter similitudinem litterarum alteram absorpsisse, & scribendum esse; *ac radiata corona super laureatam, deauratum currum*; vel *super lauream*. Sane sic sensus longe clarior, & verba sibi melius cohaerent, quia hiulcum nescio quid sonabant absolute posita, *bis senis equis trahentibus*. Et ejusmodi corona, sive radiis & lauru ornatus occurrit Cajus Caesar in nummo Smyrnaeorum apud Tristan. Tom. 1. & Rhodiorum Nero apud Patinum cap. 6. Thesauri; Vale plurimum; Dav. a. d. v. Kal. Mart. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA CCCCXXXV.

NICOLAUS HEINSIUS

Gisberto Cupero.

Daventriam.

UTinam minus bene consentiret astrum nostrum, quod de valetudine intelligi velim, quae cum te nuper habuerit exercitum, me quoque ea exercuit multo tempore, & etiamnum, quamquam remittens nonnihil a solita inclementia, habet exercitum. Te quartana, tertiana me plurimum infestavit. nunc a Typographo Virgilii mei exemplar accipies Regi Christianissimo inscripti, quod officium veteris debiti juxta ac promissi religio a me expressit, vellentibus praesertim aurem amicis Gallicanis. Addendum & exemplar curassem, quod Amplissimo *Ter Borchio* destinatum est, si certo scirem, *ubinam* is locorum nunc esset quaerendus nobis. Quare tutiori viae me crediturum sum arbitratus, si illud apud *Graevium* nostrum deponeretur Trajecti, cum eam per urbem amicus noster frequenter, aut Haganam aditurus aulam, aut inde ad vos recurrens, iter moliatur. In Taciti & Suetonii locis feliciter tibi omnino conjectura cessit. Apud Suetonium tamen malim ut ingrati soni vitium caveatur, *Radiata corona super laureatam. Currum bis senis equis*. Nam cum currum designet triumphalem, non potuit nisi deauratus intelligi. Habeo nummos argenteos, in quibus Augustus exprimitur in corona radiata, sed post mortem ejus cusos, quod titulus DIVI AVGVSTI indicat, sic etiam exhibetur thensa per circum vectus e nummo veteri ab Onuphrio Panvino de ludis Circensibus. Haec in lectulo exarabam decumbens, quo magis & brevitati harum; & festinationi venia a te danda. Vale. 12. Maji. 1679.

EPISTOLA CCCCXXXVI.

NICOLAUS HEINSIUS

Gisberto Cupero.

Daventriam.

MAronis mei bina exemplaria ut ad te mitterentur, quorum alterum *Perizonius* noster sibi ferret, in mandatis a me accepisse non diffitetur *Elzevirius*, idque religiose praestitum adfirmare pergit, pertinacem in

in modum. ſed videor poſſe ſuſpicari quid hîc lateat culpae. Ex uno nimirum faſciculo bini ſunt confecti ab ejus famulis (iis enim horum talium curam ſolet demandare) quorum alter tibi, alter *Perizonio* inſcriptus, additis litteris, quas ſatis verboſas ſuper variis Velleji Paterculi locis ad illum eodem tempore exararam. Nautam vero, quod explorare non poſſet in qua urbis regione *Perizonius* eſſet adeundus, pertaeſum moleſtae inquiſitionis projeciſſe curam faſciculi, cum ego pari de cauſa, quod Perizonianas aedes non haberem compertas, ad te librum cum litteris mittendum *Elzevirio* injunxiſſem. Epiſtolae jacturam praecipue deploro, quod non ſine aliquo valetudinis incommodo ſcribendis litteris utcumque properatis ſine multa contentione animi incumbam. De *Interiore & exteriore* inter ambulandum loco, etſi non ſatis meminerim, quid *Lipſius*, quid cum *Caſtalione Torrentius* tradiderint, quae arbitratus ſum ipſe ante perlatas ad me tuas litteras, accipe. Cum coeni lutique apud veteres colluvies vergeret in mediam plerumque platearum partem, utpote depreſſam ac lacunoſam, honoratiorem locum fuiſſe habitum, qui aedificiis magis vicinus eſſet, quod Londini in Britanniis, atque alibi terrarum adhuc videmus obtinere. Itaque ſive laevum latus clauderet comitis ſive dextrum, qui mundiora & aedificiis proximiora occupabat inter deambulandum, *interior* ire dicebatur, ac honoratiorem locum occupabat. In circo autem rotam laevam ſemper *interiorem* dictam, quod illa neceſſariis de cauſis proxima metam accederet, cum intra ſeptem ſpatia a dextro curſum auſpicarentur, non a ſiniſtro. Parem loquendi modum a circo mutuatus eſt in deſcriptione navali Maro Aeneid. v. ubi cum Gyas a laeva ſcopulos praeterveheretur, Cloanthus, qui navem ejus per viarum compendia occupat ac tranſit ſcopulis proximior, *iter laevum interior radere* eſt dictus. Eodem Varronis loca ſunt trahenda, de vacca inter arandum *interiore*, ſive ſiniſteriore, & Servii de vacca *intrinſecus juncta*; tum *intus canere*, & *intus ſiniſtra manu complecti* apud Aſconium. Tribus una deambulantibus *interiorem* vero dictum hunc, qui medius incedebat, legere haud memini. & diſſentire in Faſtis videtur Naſo lib. v. 67. Ubi de reverentia ſenibus praeſtita,

Et medius juvenum, non indignantibus ipſis
Ibat, & interior, ſi comes unus erat.

Ubi fruſtra ſunt, qui malunt *anterior*, e codicibus parum caſtigatis. Et haec quidem hactenus ſuper argumento, ad quod cum tu praemeditatus accedas, facile mihi imparato, ſi aberrem, quae tua eſt animi benignitas, ignoſces. Parentis tui exceſſum vel tua cauſſa indigne tuli & poteram adhibere ſolatium huic vulneri, niſi omne fomentum in tua ſapientia & temporis mora collocatum haberes. Vale, & Ampliſſimo *Ter Borchio*, ſi vobis adeſt, ſalutem plurimam meis verbis, uti & ſuaviſſimo *Perizonio* dicas, rogo. Vianae ad Leccam. Kal. Septemb. Greg. 1679.

EPISTOLA CCCCXXXVII.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Vianam.

IN rationem, cur ſiniſter equus in circo vocatus *interior*, & idem nomen datum ſit contrario ſenſu alteri ambulantium, inquirebam ultimis literis meis, Vir Ampliſſime. Et ſane tu quoque elegantem reddis atque politam admodum; ſed & ſic mihi quodammodo accedis, quia qui propior murum ambulat, ἀναμφιλόγως medius eſt inter murum & eum, qui latus ipſi claudit, ut equus in circo inter alterum equum & metas. Si tamen ratio tua vera, uti arbitror omnino, eſt, pro diverſo inceſſu *interior* modo erit ſiniſter, modo dexter; quique nunc dexter eſt, ubi ſe cum ſocio vertit, & ab eadem plateae parte manet, erit ſiniſter, etſi digniorem locum obtineat; nec proprie ita vocari poterit is, qui ad dextram alterius ambulat; niſi dicamus uſu obtinuiſſe, quia illi, qui *interior* vel prope domus incedebat, ſive dexter ſive ſiniſter foret, honor habebatur; & dexter locus in foro vel locis vacuis incedentibus erat dignior, ut homo a dextra alterius ambulans, & ſic honoratiorem locum tenens, vocatus itidem *interior* ſit. Doleo jacturam epiſtolae ad *Perizonium* datae, cum tua, tum Velleji, quem ea poſt doctiſſimam curam illuſtras, cauſa; ſperoque illam poſtliminio quaſi redditum iri. Sed age, quoniam Paterculi mentio incidit, quid tibi videtur de emendatione Doctiſſimi *Lambecii*. Vellejus l. II. c. 70. & Val. Maximus l. I. c. 7. celebrant *Artorium* medicum; *Lambecius* l. II. p. 591. Bibl. Vindob. reſcribit apud ambos *Antonium*; intelligitque *Antonium Muſam*, medicum Auguſti celeberrimum, & *Artorium* illis tantum, ut videtur putare, memoratum e numero hominum tollit. Sed Euſebius narrat, quibus viri opinionem labefactare queam; *Artorium* nimirum Medicum poſt pugnam Actiacam, quae incidit in annum U. C. 722. periiſſe naufragio; at *Antonius Muſa* vixit adhuc A. U. C. 730. quo Auguſtum periculoſiſſime aegrotantem ſanavit, teſte Dione Lib. LIII. Vale, Dav. Kal. Octob. CICIↃCLXXIX. Occupatio facit, ut plura non mittam.

EPISTOLA CCCCXXXVIII.

NICOLAUS HEINSIUS

Gisberto Cupero.

Deventriam.

MUltus, ut ſolet, de te ſermo mihi fuit diebus proximis apud illuſtrem & utriuſque noſtrum amicum *Terborchium*, quando Graevianis in aedibus una epulabamur. Nondum nos jubet is deſperare de videndis in publico tuis ad Apotheoſin Homericam pererudítis animadverſionibus, quod omen utinam eventus

quam

quamprimum comprobet ac ratum efficiat. *Interiorem* de tribus una deambulantibus non dici, locus, puto, Naſonis manifeſte convincit. nec habeo quod iis, quae de circenſi certamine jam dixi, ſuperaddam. *Jacobi Perizonii* librum muſteum atque eruditione multa refertum accepi, legique plurima ſane cum voluptate. In ſuis, quae librum comitabantur, cum excuſet comem in modum, quod ad ultimas meas nihil reſponderit tanto tempore, videtur inde colligi poſſe, non vanis argumentis, meas, quas Maroni addendas in ſe receperat *Elzevirius*, illi redditas, atque adeo Maronem quoque ipſum. Etſi parum aperte de hac re agat in ſuis litteris. Vellejanum locum adverſus *Lambecii* conjecturam pulchre vindicaſti, & ſane *Artorii* nomen non minus Romanum eſt, quam *Antonii*. *Artorii* hujus medici etiam Dio libro 48. meminit. Velim id genus complura mihi ſuppeditentur, in quibus alii Vellejum aut ſtruſtra aut feliciter caſtigare ſunt aggreſſi, ut inde animadverſis ad illam meis, quae curis ſecundis multum adauxi, cumulus atque ornatus qualiſcumque accedat. Gloſſaria antiqua *Labbaei*, quae nuper in Galliis prodiere, neſcio an uſurparis oculo: qui ea publicavit, *Cangius* Lexicon quoque ſuum Latino Barbarum multae & eruditae molis in tria digeſtum volumina abſolvit. Nunc poſt Meurſium Rigaltiumque de vocabulis Graeco-Barbaris opus luculentum meditatur. *Emericus Bigotius* Collectanea veterum ſcriptorum, quorum indicem hîc mitto, quae diu ſub praelo deſudarunt, ante Kalendas Januarias, ut ſpero, in publicum dabit. Vale, xxv. Octobr. 1679. Vianae.

EPISTOLA CCCCXXXIX.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Vianam.

Licet nihil antiquius, poſtquam in amicitiam tuam admiſſus ſum, habuerim quam frequentes literas, quas tibi non diſplicere ſaepe ſignificaſti, mittere; occupatione tamen mea factum eſt, ut nunc primum excutere obſtinatum quaſi ſilentium, epiſtolaeque tuae, quam xxv. Octobris proximi anni dediſti, longe acceptiſſimae reſpondere poſſim, Ampliſſime idemque praeſtantiſſime Heinſi. De *interiore* autem (licet nullus mihi praeter Terentium And. 4, 4, 38. in mentem veniat auctor, qui docet coeni lutique colluviem in mediam vergere platearum partem) ut plane tibi aſſentior, ita laetor placuiſſe quae inſervire putabam deſtruendae opinioni *Lambecii*; & mecum te ſtatuere, alium *Artorium* (cujus de *Hydrophobia* Caelium 3. Acut. 14. & περὶ μανιοβιοτίας Clementem Alexandrinum laudare arbitratur in epiſtolis *Reineſius*) & alium *Antonium Muſam* eſſe. Et licet arrogantiae quodammodo πτημένεν ſit manus Vellejo poſt elimatiſſimas curas tuas admovere, tamen, quia id te deſiderare ſcribis, mitto, quid mihi de uno aut altero loco videatur; & ſi nihil aliud, occaſionem certe dabo, ſi modo valetudo tua patitur, in dubia mea

inquirendi. Lib. 11. cap. 6. *Longe majora & acriora repetens*; diductis literis formabam *re petens*; uti nonnunquam ſuſpicatus ſum cap. 30. etiam ſcribi oportere, *inter coenam & Oſcae*, ut ſervetur fides hiſtoriae & conſtans codicum lectio. *Re* autem eſt, *re ipſa*, *re vera*; quia civitatem dare omnibus Italicis &c. clare oſtendebant eum majora atque acria re ipſa petere. Cic. IV. Fam. 11. *re praeſtare aliquid*, IV. Verr. 172. *Re ac ratione cum aliquo eſſe conjunctum*; III. Nat. Deor. *in caelum tranſlatos non re, ſed opinione eſſe*, & denique in Catil. *majora omnia re, quam fama eſſe* dixit. Atque ita ipſe alibi auctor noſter loquitur; ut in loco ſatis vexato & obſcuro cap. 125. *priſca antiquaque* (ita Cicero alicubi *veteres & priſcos viros* conjunxit; & alibi dixit *priſcam vetuſtatem*) *ſeveritate uſus, ancipitia ſibi tam re quam exemplo pernitioſa &c.* quae erat, cum ita diſtinguerem, *uſus, ancipitia, ſibi . ? . pernicioſa, &.* ita ut conjunctio more ſatis frequenti ſit omiſſa, idemque foret ac ſi dixiſſet; coërcuit militum gladiis, quibus obſeſſus erat, *ancipitia*, id eſt res ancipites, dubias, incertas; & ſibi tam re ipſa quam exemplo pernitioſas, quia revera erat Druſo admodum hoc periculoſum, & alii exercitus inde exemplum capere poſſent. Cap. 52. *Quam in omnes partes (ut militari verbo & conſuetudine utar) dimitteret*: Videtur *dimittere* fuiſſe vox militiae uſitata, quando aliqui aliquo ablegabantur; ita cap. 70. *Dimiſiſſet evocatum, juſſiſſetque nuntiare ſibi*: Salluſt. Catil. cap. 42. *Namque illi, quos Catilina dimiſerat*, id eſt, in varias partes ad milites & arma paranda miſerat: Sen. l. III. de Ira c. 20. *Adjicere his longum eſt, quod patres quoque occiſorum eadem nocte dimiſſis per domos centurionibus confecit.* Verbum igitur recte militare dicitur, quia cui Impp. mandata dabant ad aliquid faciendum, dicitur *dimitti, & conſuetudo militaris* etiam, quia iidem, ſi ſatis ſanguinis effuſum, hoſtesque victi forent, in omnes partes praelii certos homines mittere ſaepe ſolent, qui juberent caedibus victores abſtinere. Cap. 116. *Nam & Sejanus vir antiquiſſimi moris.* Tu, Vir Clariſſime, recte haec ad Apronium deleto *Sejani* nomine refers; & male puto *Lipſium* ſcribere, *Nam & Junius*; atque *Voſſium*, *Nam & Blaeſus etiam*; quod magis patebit, ſi oſtendero, rationem, quam afferunt, plane nullam eſſe; cap. 125. ſcribit Vellejus, *Junium Blaeſum Hiſpaniae exercitumque virtutibus celeberrimaque in Illyrico militia, ut praediximus, cum imperio obtinuiſſe.* Nuſquam, ajunt viri doctiſſimi, niſi hoc loco, ita ſcil. emendato, tradit auctor Blaeſum celebrem in Illyrico militia fuiſſe. Verum ex mea opinione, *ut praediximus*, non refertur ad Blaeſum, ſed ad exercitum, de quo egerat c. 112. & ſeqq. Illi, qui de jure Pontificio ſcripſerunt, quaerunt num Pontifex Max. *privatus* ſit; multusque eſt in hoc explicando *Muretus* ad 1. Catilinariam, in qua Cicero ita loquitur; *An vero Vir Ampliſſimus P. Scipio Pontifex Max. Tib. Gracchum mediocriter labefactantem ſtatum Reip. privatus interfecit?* Ego ut quaeſtionem *Gutheriis* & *Boſiis* relinquam, arbitror *Muretum* fruſtra fluctuare, & Ciceroni nunquam veniſſe in mentem dicere hoc loco Pontif. Max. eſſe privatum; ſed P. Scipionem, qui poſtea factus eſt Pont. Maximus, cum adhuc privatus foret eam ſeditionem compeſcuiſſe. Sic clare eum & absque ambagibus privatum facit, lib. 1. de offic. *Nec plus Africanus ſingularis & vir*

&

Digitized by Google

& Imp. in excidenda Numantia Reip. profuit, quam eodem tempore P. Naſica privatus, cum Tiberium Gracchum interemit: Et licet Appianus lib. 1. Bell. Civil. ſcribat Romanis ducem fuiſſe Scipionem Pontificem Maximum; ϰ̀ πρῶτ@ αὐτῆς ὁ μέγις@ ἀρχηγὸς λεγόμεν@ ἐξῆρχε τῆς ὁδοῦ Κορνήλι@ Σκιπίων ὁ Νασικᾶς; togae laciniam in humeros & caput rejeciſſe, vel ut pugnae ſignum, vel θεοὺς ἐγκαλυπτόμεν@ ὧν ἔμελλεν δεήσεσθαι, & Gracchanos ceſſiſſe tanto viro, vel κατ' ἀξίωσιν ἀνδρὶ ἀρίςῳ; mihi tamen longe ſecus videtur, & major eſt Velleji tui auctoritas; qui l. II. c. 3. ſcribit P. Scipionem Naſicam *privatum & togatum* haec feciſſe, atque *ob eas virtutes primum omnium Pontificem Max. abſentem eſſe factum*. Compeſcuit igitur ſeditionem privatus, & propter tam egregium facinus Pontificatum Maximum meruit; quod quia non ita multo poſt factum, auctores tempora non ſatis rite diſtinguentes, eum, cum Pontifex Max. eſſet, Gracchum occidiſſe ſcripſerunt. Nam P. Licinius Craſſus Dives Pontifex Max. bello contra Ariſtonicum geſto periit; Epitome lib. LIX. *P. Licinius Craſſus Coſſ. quum idem Pontifex Max. eſſet (quod nunquam antea factum erat) extra Italiam profectus, praelio victus & interemptus eſt*; & quidem Coſſ. Appio Claudio & M. Perpenna, teſte Julio Obſequente c. 87. ſive A. U. C. DCXXIII. Nullo igitur pacto potuit Scipio ſeditione Gracchana, quae repreſſa eſt A. U. C. DCXXI. Pontificatum Maximum gerere, ſed occiſo Licinio Craſſo is honor primum ipſi delatus eſt, & quidem *abſenti*; quippe qui, *ut invidiae ſubtraheretur per ſpeciem legationis in Aſiam ablegatus erat*, uti teſtatur auctor de Viris illuſtribus. Sed nimis diu ſeria tua naeniis meis interpello, & finem facerem, niſi doceri cuperem, num alia loca teſtentur, patres infantes abluiſſe modo natos, eosque faſciis involviſſe, praeter eum, qui exſtat in Inſ. antiqua, quam deſcriptioni aedium Barberinarum ad Quirinalem adjecit *Hieronymus Tretius*,

Ἐκ γαίης με πατὴρ ἱμὸς ἔλατο χερσὶ μεγηθῶς
Καὶ μ' ἀπίλουσι λύθρου, ϰ̀ εἰς σπαργάνα μ' αὐτὸς ἔθηκεν.

Vale plurimum, Vir Nobiliſſime, & me amare, ut facis, perge; Dav. a. d. IV. Id. Mart. CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA CCCCXL.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinſio S. D.

Vianam.

FRequenter mihi ante oculos verſatur exquiſitiſſima tua bibliotheca, & ſplendidiſſimum τῶν Μουσῶν revera καταγώγιον. vixque dies abit, quin vel aliis narrem, vel certe revolvam mecum ipſe & humanitatem, qua me excepiſti, ſingularem, & doctas confabulationes, certiſſimaſque emendationes, quibus qui artus meos regit ſpiritum exhilaraſti. Memini autem me inſpexiſſe librum Italicum in folio, ut vocant; cujus auctor inter ceteros exhibet Domitiani Imperatoris nummum, in cujus una area cernitur πόπυη muliebris, in al-

altera corvus ramo insidens. Quid ille de eo sentiat, non reddit mala memoriae fides; teque serium in modum rogo, ut verba ejus ad me mittere velis, quia forte ansam praebebunt diligentius in similem, quem servat illustris *Hugenius*, inquirendi. Hîc jam serio consilia ponimus de eligendo professore Theologo, sed qui Spartam illam exornare possit, vix invenimus. Laudantur varii, ut *Clingerus* Hanovienſis, *Andre* Marpurgenſis professor, & quidam *van Haelen* Ecclesiastes Ultrajectinus. Tu quaeso da hoc amicitiae nostrae & meae erga te observantiae, ut, si modo num atri an albi sint nosti, quibus ingenii dotibus commendentur homines, scribas; meque quamprimum certiorem facias, num ultimus, illum enim te ignorare vix patitur locorum vicinitas, literarum, in quibus tecum absque interpellatione versor, amans; & Theologiae solidae veraeque cognitione imbutus sit. Si quem praeterea alium, cui tuto tanti momenti provincia mandari potest, cognosti, ut es natus ad rempublicam literariam juvandam, eum ne celes; & judicium tuum non apud me solum, verum etiam apud alios magni erit ponderis, ac nescio qua permotus animi divinatione spero nos tua opera dignum ἱεροφάντην vel μυσταγωγόν, fas sit a tacita Eleusi voces petere, adepturos: Vale plurimum; Daventr. a. d. vi. Id. Aug. CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA CCCCXLI.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinsio S. P. D.

Vianam.

LItteras hasce ad *Emericum Bigotium* ut cures, & quae de Theologis, quorum dotes me vehementer velle cognoscere proximis significavi, comperta habes, mittas, quod commodo fiat, quamprimum, rogo serium in modum, Heinsi Amplissime. Ceterum cum nuper tecum & apud te essem, varias emendationes explicationesque auctorum summa cum voluptate ex ore tuo hausi; verum quae de *Astyriis*, vel *Asteriis*, ut & *Aradio Rufino* monebas, utpote longiuscula, exciderunt plane, cumque forent eruditissima atque certissima, maximo me beneficio afficies, si quae de iis observasti, nec non Virgilii membranis vetustis additam epigraphen mittere velis. Cumulabis sic tua in me merita, faciesque ut quotidie nanciscar occasionem laudandi & eruditionem immensam, & humanitatem, qua praeditus es, singularis exempli. Quae in litteris a. d. $\frac{\text{VIII}}{\text{XVIII}}$. Cal. Junii ad me datis notas ad Vellejum Paterculum, placent valde; nisi quod illud *exemplo perniciosa* mutandum esse nequaquam censeam; quare alio tempore pluribus tecum agam. Nunc accipe conjecturam unam aut alteram, & si tibi quid oneris impono, des hoc, quaeso, amori extendendae eruditionis: Latinus Pacatus cap. XLI. *Vel longior poena ferro incumbere, & corpore vulnus onerare*; fluctuat hîc valde Clarissimus *Schefferus*, nec satis capit, quid sibi velit *corpore vulnus onerare*: mihi illi hoc facere videntur, qui, ut ante

te

te dixi, ferro incumbunt, qui ſe dum ipſi occidunt, inclinando corpus in enſem, onus quaſi vulneri vel gladio, quo vulnus infligitur, cujuſque capulus in terra poſitus, imponunt; & ut eleganter aeque Seneca loquitur, *inſtant ferro & tela corpore urgent*: Cap. 46. *Vidiſti civile bellum hoſtium caede, militum pace, Italiae recuperatione, tua libertate finitum*: valde & hîc ſe cruciat vir Doctiſſimus, & quo ſenſu Theodoſius *liber* poſſit dici, inquirit: at ut mihi videtur, alloquitur adhuc Romam Pacatus, eamque ait vidiſſe bellum civile *finitum libertate ſua*; quia Maximo tyranno, qui Italiam occupaverat, victo, *libera* quaſi facta erat. Sed quod me magis cruciat eſt Graeca inſcriptio apud *Jacobum Sponium* in indice populorum Atticae Num. XXXII.

ΤΟΝ ΥΙΟΝ ΜΥΗΘΕΝΤΑ
ΑΦ ΕΣΤΙΑΣ ΤΑΙΝ ΘΕ
ΑΙΝ. ΑΝΕΘΗΚΑΝ

Nec non alia Num. CXLI.

- - - ΘΥΓΑΤΕΡΑ ΜΥΗΘΕΙΣΑΝ
ΑΦ ΕΣΤΙΑΣ ΔΗΜΗΤΡΙ ΚΑΙ
ΚΟΡΗ ΑΝΕΘΗΚΕ.

Illam vertit vir Doctus, *initiè au foyer ſacrè des Deeſſes*; hanc ſimiliter, *initiatam myſteriis ſacri foci Cereris & Proſerpinae*. Verum uti ex ſecunda inſcriptione patet, *ταῖν θεαῖν* non eſt genitivi, ſed dativi caſus, adeo ut jungi debeant, *ἀνέθηκαν ταῖν θεαῖν*, & *ἀνέθηκε Δήμητρι καὶ Κόρῃ*; atque in ambabus *μυηθέντα ἀφ ἑστίας*. Hoc quid ſit, ut verum fatear, mihi perobſcurum eſt, arbitratus tamen nonnunquam ſum Athenienſium pueros dici *μυηθέντας ἀφ' ἑστίας*, quia illi tales myſteriis Cereris initiare ſolebant, ut ex Terentio & Donato obſervavit *Meurſius* c. 16. Eleuſin. Quo proculdubio pertinet Suidam ſcribere illum, qui *ἀφ' ἑστίας* initiabatur, Athenienſem fuiſſe; *ἀφ' ἑστίας μυεῖσθαι, ἀφ' ἑστίας μυούμενος Ἀθηναίων ἦν*; quia ſcilicet non niſi Athenienſium liberi ea aetate initiabantur. Et ita forte Graeci loquuntur; quia id primum videtur eſſe factum, poſtquam puerum natum curriculo circa focum, *περὶ τὴν ἑστίαν*, ſacris, quae *ἀμφιδρόμια* vocantur, uti Heſychius, Harpocration, Auctor M. Etymol. aliisque docent, tuliſſent; vel quia *ἀφ' ἑστίας*, propter Veſtam, cui primum ſacrificabatur, proverbii vicem obtinet, ſignificatque nihil aliud, quam *ab initio*; & in illis inſcriptionibus, *a prima pueritia, a prima infantia*. Exſtat & haec loquendi forma apud Ariſtidem T. I. Orat. in Herculem: *Ἀρξάμενος ἢ ἀφ' Ἑστίας ἐκάθηρε τὴν Ἑλλάδα*, id eſt, vertente Cantero: *A Veſta deinde exorſus*; at ego malim, *a lare, a patria, a Thebis*; quia Heros ille primo patriam liberavit, fecitque ne amplius Orchomeniis tributum penderent Thebani; inde Graecos & tandem alias gentes adiit. Idem Orat. *περὶ ὁμονοίας πρὸς πόλιν*, *De concordia ad civitates*. Tom. II. *πρῶτον μὲν ἀφ' ἑστίας, ἀρξάμενοι τὴν ὁμόνοιαν ἐνδείκνυσθε*; *primum a Veſta concordiam vos oſtendetis auſpicatos eſſe*; imo dicit Orator, Graecos primum a ſe ipſis incipere, vel primum debere eſſe concordes inter ſe; quomodo Euſtathius ad Odyſſ. H. hoc proverbium explicat; *ἐκ τῶν πρεπόντων* id eſt, *a diis*; *ἢ ἐκ τῶν οἰκείων i. a propriis, a ſeſe*. Rurſus T. III. p. 690. *τὴν δ' οὖν ἀρ-*

χὴν ἀΦ' Ἑστίας ἄναγμοι, χ πείθειν ἐμαυτὴν πρῶτον; ita tamen ut initium a Veſta ſumerem, ac mihi primum ipſe perſuaderem: cum ſenſus flagitet; *ita tamen ut a me ipſe inciperem*: quae loca vel ideo adduxi, ut clare pateat *ἀΦ' ἑστίας* ſignificare tempus, vel aliud quid, a quo res quaepiam incipit, nec poſſe verti in laudatis inſcriptionibus, *initiare myſteriis ſacri foci*: Tu, Vir Maxime, Vale; & mihi favere, ut facis, perge: Daventr. a. d. IX. Cal. Sept. CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA CCCCXLII.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Vianam.

BInae, quas ad me pr. Non. & $\frac{VII}{XVII}$. Sept. die dediſti, literae probe curatae ſunt; quodque iis non ante, ut aequum erat, reſponderim, occupatione mea factum eſt. Gratias autem habeo maximas de miſſa explicatione numiſmatis Domitiani, verſibus vetuſtiſſimo Maronis Codici adſcriptis, *Q. Aradio Rufino*, *Aſteriis*, nec non novis Paterculi emendationibus, quae una cum aliis omnibus *ἀρίστου κόμματος* ſunt. Illud autem Vellejanum, *& re & exemplo*, ita putabam nonunquam poſſe defendi; quia haec ipſa rebellio exercitus erat periculoſa Druſo re vera, utpote qui a militibus tumultuantibus *occidi* poterat, & apud Tiberium acculari, tanquam dux inexpertus, & neſcius tractandi militum animos, quod magis credidiſſet ſuſpicax Imperator, ſi alii apud Rhenum exercitus idem tentaſſent; adeo ut & *exemplum* Druſo nocuiſſet; cum invidia fere in eum redundet, cujus culpa, ut non deſunt optimos etiam accuſandi cauſae, primus tumultus exoritur. Apud eundem Paterc. l. I. c. III. *Urbis Romanae* putabam ſanum eſſe; quia non aliter loquitur ipſe lib. I. cap. 6. Juſtin. lib. VI. cap. 6. Florus lib. III. cap. 20. & quia *civitas Spartana* pro Sparta apud Val. Max. III, 3, 5. Extern. & *urbs Attica* pro Athenis apud Vellejum lib. I. cap. ult. occurrunt. Sed, virorum *ἀρίστου χ πλουμαθίστου*, quid eſt *τ κορώνων χρησμὸς* apud Diod. Siculum lib. XIX. pag. 697. Ed. Rhodom. an locus fuit in Graecia, ubi corvi oracula dabant; an intelligendum oraculum Dodonaeum, de quo huc pertinentia narrat Strabo lib. IX. pag. 401. an Delphici Apollinis, cum ejus tripodibus frequenter corvus addatur; & Statio vocetur, *comes obſcurus tripodum*; an vero tandem omen, quod ex volatu vel garritu corvorum ceperant Thebani? Praeterea aveo cognoſcere, quis ex veteribus praeter Hyginum *Boëtiam* in Propontide ponat: ita enim ille loquitur Fab. 186. *Qui in Propontide ex ſuo nomine condiderunt, Boëtus Boëtiam, Aeolus Aeoliam.* Alii Graeciae regionem ab eodem Boeotio Melanippes & Neptuni filio nomen accepiſſe ſcribunt; uti videre licet apud Diodor. Pauſan. & Strabonem; ſed quis *Boëtiam*, ſive *Boeotiam*, uti apud Hyginum ſcribi oportere judicant eruditi, Propontidi adſcribat adhuc quaero. Suſpicio tamen oborta Hy-

Hygino designari Βοιωτίαν ἐν Θράκῃ, uti urbs quaedam Stephano, quem male mutat vir doctus, appellatur; & quia Aeolia Asiae regio mari Aegaeo adjacet, scribi mox debere *Aeolium*, quo nomine urbs fuit Chersonesi Thracicae; teste Stephano & Theopompo lib. XXIII. Philipp. apud quem forte pro Ἀσίης legendum Θράκης, Cum autem pars Chersonesi septentrionalis fuerit Propontidi proxima, binae hae urbes potuerunt hoc in tractu fuisse; ita ut recte Huginus *Boeotiam* Thraciae attribuerit. Tandem quae *Icaria* fuit, cujus rex vocatur fab. laudata *Metapontus*? neque enim insula Aegaei maris videtur posse intelligi; imo scribi debere *Italiae*, quia *Dianae Metapontinae* mentio fit; quam a Metapontinis Italiae incolis cultam fuisse verosimile admodum est; maxime quia *Metapontus* Metaponti conditor a Barbaris, teste Stephano, *Metabus* appellatur: & Strabo lib. VI. tradit illi loco fabulas, Metapontum & Melanippem, hujusque filium Boeotium tribuere. Sed nimius sum; tu, Vir Clarissime, nisi morbus articularis, quem te exercere serium in modum doleo, obstat, facem, ut soles, his tenebris praefer; & quid de splendidissima provincia futurum sit, si tanti, ex literis ad praestantissimum *Graevium* datis a me cognosce. Vale plurimum; Davent. a. d. x. Kal. Dec. CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA CCCCXLIII.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinsio S. P. D.

Vianam.

POstquam litteras a. d. x. Cal. Dec. & cum iis varia Σοτρήματα misi, coepi diligentius paulo in vocem *penaces*, quae in Turcii Rufii Aproniani Asterii carmine occurrit, inquirere; videorque si non veram, at saltem verisimilem ejus significationem invenisse. Celebrat igitur Asterius tria ludorum genera nimirum ludos scenicos, agitationes bigarum & quadrigarum in circo, & feras in eodem depugnantes, vel inter se, vel cum bestiariis, uti patet ex hoc disticho;

Ut ludos, currusque simul, variumque ferarum
Certamen junctim Roma teneret ovans.

Inde & mox canit se *ternum fores* meruisse, *terna populi agmina* ipsius in honorem plausus edidisse; ac tandem uno die *tria festa* fuisse exhibita. Ad unum horum spectaculorum, me judice, pertinent *penaces*; &, nisi plane fallor, ad scenam referri debent, cujus eodem versu mentio occurrit;

Tempore, quo penaces circo subjunximus, atque
Scenam Euripo extulimus subitam.

Id est, cum subitario opere in ultimo circo super Euripum exstruxi ex tabulis theatrum vel scenam, atque in ea ludos scenicos exhibui. Nam *penaces* sunt Graecorum πίνακες vel *tabulae* mutato I. in E. Et ne gratis hoc videar adfirmasse, audi *Carolum de Fresne* in Glossario suo Doctissimo ita commentantem

[PENAX. Codex Croylandiae ſub Joffrido Abbate apud Spelmannum: *pulcherrimumque penacem per incendium illuc tunc perdidimus, & valde ſumptuoſum de omni genere metalli pro varietate ſiderum & ſignorum mirabiliter fabrefactum. Saturnus enim* (videtur aliquid & forte *aereus* excidiſſe) *Jupiter autem aureus, Mars vero ferrugineus, Sol de auricalcio &c.* Ubi *penax* eſt pro πίναξ tabula, hîc autem pro ſphaera coeli. Hucusque ille; qui ſi veram vidit loci illius explicationem, proculdubio & noſtra a vero non erit aliena. His adde ſcenicos ludos in circo nonnunquam fuiſſe exhibitos, uti docet Suetonius Aug. cap. 43. ſi optimum *Torrentii* Codicem ſequimur. Hujus autem, nec non quod Sedulii codicibus adjicitur, quodque etiam edidit *Labbeus* part. 1. Bibl. Novae pag. 23. carminis, eundem *Aſterium* eſſe auctorem tecum ſentio, ſuadentque plane eodem ſpiritu animati verſus; nec dubito quin *Onuphrius*, *Turcium Ruſium Apronianum Aſterium*, & *Aſterium Secundum* confuderit. Sed doce me, amabo, quae marmora teſtentur hunc conſulem ſuffectum fuiſſe; nam quod *Onuphrius* faſtis inſeruit, atque ex iis edidit *Gruterus* pag. 92. nihil tale videtur tradere; cum *Turcius Secundus Aſterius. V. C. Pontius Atticus & Servilius Aedeſius V. C. P. P. Hieroſ. Hec.* poſſint diu aliquid vel erexiſſe vel feciſſe, quod injuria temporis ex marmore eraſit, Coſſ. Valente v. & Valentiniano, ſive A. U. C. MCXXVIII. *& Turcius Secundus conſul*, celebratus in Inſ. 7. p. CCCCLXXVII. alius, nec hujus temporis eſt. Praeterea, quod commodo fiat, mitte, quae urbs fuerit *Crema* nomine; *Goltzius* & *Ortelius* ex antiqua inſcriptione faciunt *Cremam* provinciam; verum jam vidit *Scaliger* in Indice *Gruteri* ſcribendum eſſe *Cretae*, quia *Creta* & Cyrenaica una provincia erat, & ab uno Procos. regebatur. At idem Vir Illuſtris *Cremam* vel ſimilem vocem, uti ex ordine literarum patet, videtur repperiſſe in Inſ. 10. pag. LXXXII. & 1. pag. DLXX. in quibus tamen *Crem.* ſignificat *Cremonenſem*, vel *Cremonta domo* fuiſſe M. Caſſium & M. Volumnium; adhaec *Cremates* populum ex Inſ. 9. pag. DCXXXIX. laudat; quae vox quid ibi ſignificet, tu optime expedies; cum etiamſi ea abſit, ſalvus ſit ſenſus; ut, *Fourius A. L. Fouria. A. L. Seleucus Mag. Quinque Conlegi Aurificum*; niſi potius ita digerenda ſit; *Fourius A. L. Seleucus. Mag. Quinque Conl. Aurif.* ita ut *Seleucus* non ſit perſona tertia, ſed cognomen *Furii*. Tandem doce, quid ſibi haec Macrobii verba lib. v. Sat. cap. 17. velint. *Ut pictores fictoresque, & qui figmentis (al. filamentis) liciorum contextas imitantur effigies*; & num quis alius narret effigies hominum ex liciis contextis, ut hoc loco Didonis & Aeneae, factas fuiſſe; numque huc pertineant ad fingendi modum *laneae effigies*, quas memorat Horat. lib. 1. Sat. 8. & Feſtus in voce *Pilae* & *Laneae*; quia ex laneis vittis poſſunt videri factae eſſe, Vale, a. d. XII. Cal. Jan. CIↃIↃCLXXXI.

EPI-

EPISTOLA CCCCXLIV.

GISBERTUS CUPERUS

...*Nicolao Heinſio* S. D.

Vianam.

LIcet quae acceſſiones factae ſunt meae dignitatis ex fama proculdubio intellexeris; tamen non potui non eas ad te mittere, & ſignificare, me ſucceſſorem τῷ μαχαείτῃ *Ter-Borchio* datum, atque ſummis patribus patriae adſcriptum eſſe. Peccarem enim in amicitiam noſtram, ſi operas meas tibi non offerrem, teque certiorem facerem tunc primum fructus me percepturum Ampliſſimi honoris bona fide, ſi qua re commodis tuis inſervire potero; cujus meae perpetuae erga te voluntatis has litteras veluti obſides mitto. Quas a. d. x. Cal. Dec. & a. d. XII. Cal. Jan. poſui quaeſtiones, velim quod commodo fiat, illuſtres; neque enim mihi vel in emendando Hygino, vel explicatione vocis *Penaces* ſatisfacere poſſum, niſi tuum accedat ſuffragium. Non ignoras I. ſaepe in E. mutari, & *Pinacothecam* occurrere apud Petronium, *Pinacem* apud Tertull. libro de Praeſ. Adv. Haereticos; *Meus quidem propinquus ex eodem poëta, inter cetera ſtili otia Pinacem Cebetis explicuit.* adeo ut mirum nihil ſit, poſterioris aetatis ſcriptores ea voce uſos eſſe. Sed ut *Penaces* Turcii me diu torſerunt, ita non minus male habent *Cadaliſtae* Proſpero, utor editione Colonienſi A. 1540. laudati in peroratione Libelli de Gloria Sanctorum: *Habes quoque*, ait, *in ſancto ſpectulo non mimicas turpitudines, ſed Chriſto ſacratas Virgines. Habes Cadaliſtarum loco, Rebeccae geminos myſtice ludentes.* Videntur quidem operae theatrales eſſe, ſed qualis vox ſit, quave origine deſcendat juxta cum ignariſſimis ſcio. Amicus mecum communicavit Alexandri Lycopolitae librum adverſus Manichaeum, quem ex Bibliotheca Medicea deſcriptum teſtamento ipſi reliquit *Rulaeus*, verbi quondam Divini prope Harlemum interpres. Titulus operis hic eſt: Ἀλεξάνδρου Λυκοπολίτου ἀπηρίθμησις ἐξ ἐθνῶν πρὸς τὰς Μανιχαίου δόξας; & initium, Η' Χριστιανῶν Φιλοσοφία ἁπλῆ καλεῖται; αὐτὴ ἡ ἀπὸ τὴν τῦ ἤθους κατασκευὴν τὴν πλείστην ἀπὸ μελέτας πεῖται. Hic auctor num editus ſit velim me doceas: fieri enim poſſet, ut eum, ſi non eſt vulgatus, Latinitate donatum & notis illuſtratum luce publica donem: litteras haſce ad *Magliabequium* cures rogo: Vale, Daventr. pr. Cal. Apr. CIↃIↃCLXXXI.

EPISTOLA CCCCXLV.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Vianam.

DEvinxiſti me plurimum, quod horas aliquot, quas tam feliciter illuſtrandis & emendandis veteribus auctoribus impendis, dederis curae meae,

magne Heinſi: ſed, quod reſtat, rogo vehementem in modum; ne me celes quae πυγμοῦ κέμματα eſſe, & limam doctrina praeſtantium virorum non ſuſtinere poſſe viſa tibi ſunt. Paginas nonnullas animadverto notari; ſed quid monſtri alant juxta cum ignariſſimis, ita ſcilicet foetibus noſtris blandiri ſolemus, ſcio. Recte igitur mihique gratiſſimum facies; ſi docueris, quid emendandum vel addendum ſit locis, quibus ago de *Furiarum* vel *Eumenidum alis*; de *corona civica* & verſibus Ovidii tui, *Augeat imperium* &c. *de Matronis Vediantibus*, & *Fano Herarum Auſcarum*; de *Diana Maga*, *Artibusque Dardaniis*; de *Cultris Lampſaciis* & *victima Priapo* oblata. Ea enim omnia video te ὀβελίζειν; & ut optimus Ariſtarchus es, ita nullus dubito, quin merito haec vel eliminanda vel mutanda judices; quod te ſignificaturum fidem facit ſingularis illa, qua me complexus jam dudum fuiſti, benevolentia. Quid, quaeſo, ſentis de Gemmis imagine Socratis ſignatis, quas edidit *Chifletius*? an hae omnes ad eum, qui Deorum hominumque judicio ſapientiſſimus eſt judicatus, poſſunt referri? an ſerio ſculptae; an potius Comicae perſonae ſunt, & Socratem deridendum propinant? an tandem nonnullae ad Baſilidianorum figmenta & nugas meliori jure poſſunt referi? *Bomius* jam Apotheoſi manus admovet; ſpero illam brevi abſolutum iri. Vale plurimum; Hagae-Com. Cal. Jul. St. Gr. CIↃIↃCLXXXI.

EPISTOLA CCCCXLVI.

GISBERTUS CUPERUS

Nicolao Heinſio.

Vianam.

NOn in hunc uſque diem rejeciſſem reſponſum, quod literis tuis debeo, niſi interveniſſent negotia, quae, cum fuerint alicujus momenti, me in Gelris longiuſcule agere, inde Hagam excurrere, parilique feſtinatione exactis ibi diebus XII. redire coëgerunt, Heinſi Illuſtris. Te autem mihi gratulari ſplendidam provinciam habeo gratias, & voluptatem ex ea magnam capere gaudeo ſerium in modum. Quae de *Aſteriis* miſiſti eruditiſſima perplacent; *Penaces* pro *Pinaces* poni, donec, qua vales ingenii felicitate, certiora doceas, perſuaſus ſum. De *Boeotia* & *Aeolio* nihil monet *Munckerus*, & eſt quod laeter, non plane tibi diſplicere conjecturas meas. Alterius *Bomiorum* mors Apotheoſeos editionem moratur; ſed tamen propediem praelo ſubjicietur. Junxi illi varia monumenta antiqua; quibus illuſtrandis cum valde inſerviturum ſit marmor, quod in libris Roma ad te paucos ante annos miſſis exſtat, & in quo Hercules ſagittis aves, ut reor, Stymphalidas petit, rogo, ut ectypum ejus una cum Saliis in iiſdem voluminibus, quae nihil niſi marmora continent, & una tecum tabulae in inſtructiſſima bibliotheca adſidens evolvi, ancilia portantibus mittere, quod commodo fiat, velis: Vale plurimum, Vir magne, & me amare perge: Dav. ipſis Cal. Juliis, CIↃIↃCLXXXI.

EPI-

EPISTOLA CCCCXLVII.

GISBERTUS CUPERUS

Stephano le Moyne S. D.

Leidae.

VErbis vix exprimere poſſum, quam incredibilem voluptatem ceperim in legenda magna Variorum Sacrorum parte, quae hoc anno juris publici feciſti. Delectarunt me certe immenſum cum Antiquitates eccleſiaſticae & profanae eleganter adeo & praeclare explicatae; tum utriuſque generis auctores, qui eas memoriae & poſteritati conſecrarunt, emendati tam feliciter. Et cum animadverterem in prolegomenis ad examen revocari Themiſtii intricatiſſima verba, facere non potui, quin ad te mitterem, quae mea de iis ſit ſententia. *Joh. Harduinus* in nova Oratoris illius editione, putat illa inutile gloſſema eſſe, & nullo modo cohaerere cum loquentibus; verum ego, *οὐμὰ Δια, ἐκείνου τοῦ παλαιοῦ* liberali aſſero cauſa manu. Nęque tamen exiſtimo Themiſtium vel ad Chriſtum cum *Petavio*, vel ad Peregrinum cum *Petito*, vel ad Polycarpum, vel denique ad Juniorem aliquem & novum Empedoclem reſpexiſſe, ſed ſolum ſibi ante oculos habuiſſe veterem illum philoſophum, cujus vitam Laërtius nobis conſervavit. Vertunt quidem Graeca Eruditi interpretes, *non veterem illum Empedoclem intelligo*, & ita videntur alios induxiſſe, ut crederent novum vel juniorem Empedoclem celebrari, cujus exemplum imitabatur Jovianus Imp. Sed eos falli plane perſuaſus ſum, & particula etiam negativa retenta arbitror longe alium horum verborum ſenſum eſſe. Scilicet poſt ultimum οὐ repetendum *φαυλότερον ἐξηγεῖται*, & Graeca verti debent, *Sed & ipſorum jura non deterius Empedocle explicat*; *non*, *per Jovem*, deterius explicat Empedocle *illo vetere*. Adjicit admirandi & affirmandi formulam Themiſtius, ut magis imperatorem extolleret, nec reſpicit mea equidem ſententia ad alium juniorem, verum Empedoclem *παλαιὸν* appellat, quia revera talis erat; quomodo apud Catullum occurrit, *Batti veteris ſacrum ſepulchrum*; & priſcorum hominum eruditio praecipue admirationi eſt. Quid autem olim quoad religionem vel ſuperſtitionem gentilium conſtituerit Empedocles, mihi equidem latet; & quamvis huc quodammodo referri poſſit *ἰσότης πολιτικὴ*, quam ille Agrigentinis ſuaſit, aliud tamen quid ſignificare Themiſtium voluiſſe ut credam facit cultus, de quo loquitur, divinus. Ex Suida quidem notat *Harduinus* Empedoclem conſuetudine Deorum eſſe uſum, & iis didiciſſe, *ὅπῃ τοῖς ἀνθρώποις χαίρουσι, καὶ ὅπῃ ἀχθονται, quibus ritibus & obſequiis placare Deos homines poſſent, quibus offendant*; cum ceteri mortales in explicanda Deorum natura & cultu conjectura ſolummodo & opinione aut omnino errore ducantur: ſed Suidas Viro Doctiſſimo impoſuit. Exſtant quidem illa in voce Ἐμπεδοκλῆς, ſed non referenda ſunt ad Empedoclem, verum ad Pythagoram, uti ſatis ſuperque patet ex lib. 1. cap. 1. Philoſtrati de vita Apollonii, ex quo haec verba deſumpta ſunt, & unde conſtat pro Ἀπολλωνίῳ ᾧ, reſcribi apud Suidam debere, *ἑαυτῷ δὲ*, uti etiam

etiam ad Pythagoram referatur. Veniam, Vir Magne, dabis ſpero libertati, quam mihi non ſumpſiſſem, niſi cognitum haberem & perſpectum, te libentiſſime eos docere velle, qui ejuſmodi ſunt mentis caligine, ut luce, quam huic loco affudiſti, necdum frui poſſunt: Vale plurimum: Hagae-Com. Cal. Aug. 1674.

EPISTOLA CCCCXLVIII.

RADBODUS HERMANNUS SCHELIUS

Nicolao Heinſio S. D.

Holmiam.

QUod Claudianum tuum nobis dediſti, vir nobiliſſime, multum tibi debeo publico nomine, multum meo: cum enim tantus Poëta purus, incorruptus, & jam ſui ſimilis, ingens beneficium, tum tuis hoc erga me meritis adjiciendo, & me tam egregio opere donando effeciſti, ut ego quidem quidquid in Claudiano intelligerem, & proficerem, hoc omne ut muneris tui agnoſcere debeam. Cnm tamen te dignum, quo tibi gratias agam, praeter gratam voluntatem, nunc nihil inveniam, parum abeſt, quin plebis more faciam, quae ſolet a bene de ſe meritis nova munera poſtulare. Oportet enim vos paucos, qui hodie ſuſtinetis labantes litteras, illuſtrare hoc noſtrum ſeculum, tum ſimilibus ſcriptis, tum veſtris meditationibus, quibus etiam antiquos redditis, aut actum erit de literis. Nec vero ſirit illa divina veſtra Princeps (ſed cur non & noſtra, cum in literis etiam regnet, & ab omnibus, qui eas amant, merito adoretur) ne illa inquam ſirit, ut beatos & caeleſtes illos Spiritus, quos quotidie a ſacro ejus ore hauritis, & vobis jucundiſſima veſtra pectora ſubjiciunt, nobis invideatis: ſed tu, quidem ſcio, nos jubes ſecuros eſſe; *Voſſius*, quid rerum agat plane ignoramus: confido tamen fore, ut brevi oſtendat nobis ſcriptis ſuis, maximam Reginam non relegaſſe beneficiis ſuis ad ſeptentrionem eruditionem & ingenium ejus. Saluta eum quaeſo meis verbis. Vale, vir eximie, & me ama. Zwollae XVIII. Decemb. CIↃIↃCL.

EPISTOLA CCCCXLIX.

R. H. SCHELIUS

Nicolao Heinſio S. D.

Hagam.

CUm alia ex aliis mihi hîc naſcantur negotiola, quae me adhuc tenent diſtrictum, &, ut nunc ſe res dant, ad Idus uſque Jan. retentura, illud certe effectura videntur, ut meum mihi in Hollandiam iter in longiorem, quam velim, diem ſit conferendum; volui has ad te dare, quo abs te peterem, ut me de tuo itinere, ſi tibi illud brevi ſuſcipiendum ſit, faceres certiorem.

In-

Digitized by Google

Intellexi enim nuper, quamvis non ſatis certo auctore, te praemiſſis bibliotheca & impedimentis media hac anni hyeme in Sueciam properare, & ad viam jam accinctum eſſe; nolim hoc quidem verum eſſe, ſi tuae tamen publicaeque res ita jubent, illud te etiam atque etiam rogo, ut tuum hac transeuntis complexum nobis ne invideas. Quando enim erit deinde ut te videam, quem nobis ultimi ſeptentriones jam poene eripient, divident certe cum patria. Neſcio an tanti ſint, quae illic geruntur. Quod ſi mihi ratio itinerum atque dierum tuorum nota eſſet, Zwollae certe, qua tibi eſt tranſeundum, te viderem: nam totum jam menſem Januarium in illo tractu mihi agendum, deinde in Hollandiam eſt excurrendum. Sed res tuae, uti ſpero, lentiores erunt, tuo tamen commodo. Princeps hujus ditionis urbs etiam nunc obſidione premitur, magnis etiam operibus circumplexi ſunt obſidentes, multis aggeribus, quo hiberno amnis torrente inundetur, ſed commeant ultro citroque nuncii, & jam ſpargitur iterum aliquid de conditionibus: Hîc populus collationibus, & tributis attritus, interim luit hujus furoris poenas, unde nec ordo, nec poene homo quisquam cauſae huic favit, praeter ſatellites, & Lojolitas paucos, quos ajunt ſtrenue clamare, non Rempublicam tantum, ſed ſummam religionem agi. Nubem illam ſeditionum gravidam haereſim parturire, ac brevi, ni obviam eatur, parituram, & ſimilia, quae apud paucos fidem invenient. Dum haec ſcribo nuntiatur mihi Monaſterienſes heri tres legatos Coesveldium ad Epiſcopum miſiſſe, qui de pace agant, ſub illis conditionibus, ut putant, quae antea Hagae ſcriptae fuerunt. *Wilachius* legatus, qui praeeſt exercitui, comitatur eos. Vale, Vir eximie, meque amare perge. Ante diem IV. Kal. Januar. MDCLX. Si quid ad me litterarum dare volueris curabit plurimum bibliopola, ut recte perferantur.

EPISTOLA CCCCL.

R. H. SCHELIUS

Nicolao Heinſio S. D.

Hagam.

BInas abs te accepi literas, quibus adhuc reſpondere ſuperſedi, non ſolum quod ipſe ad vos cogitarem, ſed etiam ea de cauſa, quae me maxime ad reſpondendum poterat impellere: videbam enim te paulo amantius, quam par eſt, de nugis meis ſentire, eaque abs te extolli, quae corrigi mallem & emendari, quamvis enim a te laudato viro probari gauderem ſane, & paene triumpharem, non is tamen ego ſum, qui adeo mihi placeam, ut non intelligam, quid inter judicium & benignitatem tuam interſit: utinam iſta veſtris paucorum oculis digna eſſent, caeterorum ego judicia haud magnopere timerem. Sunt autem talia, tum librarii tum typographi, tum etiam mea negligentia, ut multis in locis eorum me pigeat pudeatque: ſed haec omittamus, illud gaudeo, & jam gratulor Reipublicae literariae, quod brevi intelligo fore, ut tuas in ingenioſiſſimum Poëtarum curas videamus. Et tu hîc excuſas μικρολογίας,

ζίας, & in tenui laborem, quasi illa parva sint, quae quia recondita sunt, nec cuivis obvia, vulgo videntur, nos certe eo plus tibi debemus, quod non perfunctorie hoc egisti, quodque ea etiam sanasti vulnera, quae quia cicatricem duxerunt, abscondunt deformitatem suam & fallunt eos, qui oculos non habent, quibus veram Scriptorum pulchritudinem sanitatemque intueantur. De Urbicio, quod ad amicos scripsisti; multum tibi debeo. quamvis enim non levi conjectura ductus eum Africani, Mauricii, Leonis, quam veterum Romanorum similiorem esse, omnino mihi persuadeam, nec quicquam expectem miri ab istis Graeculis, quibus ut plurimum extera placuisse, ne minus disciplinae, quam linguae Romanae pertaesum fuisse, comperior, attamen, quum haud paulo pleniorem illis alteris esse, & magnum nomen, Hadriani Imperatoris praeferre intellexerim, vellem sane videre mihi eum contingeret, priusquam ea, quae in hoc genere habeo annotata, digeram ipse, aut librario tradam describenda. Quod si *Schefferus* jussu Reginae editionem hanc suscepit, nolin amicis in Italia ultra molestus sis. Tibi autem pro tuo illo erga me meaque animo etiam atque etiam gratias ago. Munus Residentis apud Suedos, quamvis novum non sit, quia tamen iterum suscepisti, tibi patriaeque faustum, & felix esse volo. Equidem mallem patriam aliter agnoscere bona sua, & hoc rerum tempore domi potius quam foris virtute & consilio tuo uti, quia tamen neque aliter illa sapit, neque res tuae ab illo honore videntur alienae, feremus sane. De consensu deputatorum nostrorum noli dubitare, siquidem, ut spero, res per absentiam illorum nondum peracta est: *non enim novo honore* augeris, sed pridem tibi delato munere fungi juberis. Si quid interea ope vel opera mea tibi utilis esse ulla in re possum, fac illud, quaeso, ne ignorem, novo beneficio me tibi obstringes. Vale, nobilissime & celeberrime Vir, meque amare perge, raptim Amstelodami 19. Novemb. 1660. Volebam sane Hagam venire, sed jam suscipientem hoc iter revocant, ecce domestica quaedam negotia, a quibus ubi me expedivero, ad vos, ut spero, recurram: Iterum Vale.

EPISTOLA CCCCLI.

R. H. SCHELIUS

Nicolao Heinsio S. P. D.

Holmiam.

CUm te nuper ad iter Suecicum parares, jamjamque a nobis discessurus, non potui non irasci tum molestissimis occupationibus tuis, tum meis, quorum dies adveniebat, negotiis, quod neque tu eo, quo constitueras die Amstelodamum venire, neque ego ibi diutius commorari & adventum tuum praestolari possem, haesi quidem quantum licuit moras usque nectens, & sperans fore, ut mihi unum illic atque alterum diem tecum ponere, aut saltem videre te iterum & intelligere contingeret, si qua in re tibi absenti utilis esse aut gratum facere possem: sed utrumque frustra, non licuit tum mihi tam beato esse:

ſo: Tu tamen tantis diſtrictus negotiis mei non fuiſti immemor, & cum ipſe adeſſe non poſſes, egregium ingenii tui foetum nobis dediſti; miſit enim ad me tuo nomine *Elzevirius* incomparabiles iſtas tuas in Ovidium curas, nondum quidem perlegi totum opus (nam paucis ante diebus, quam in Hollandiam navigarem acceperam) legi tamen ex parte, nam & antea inſpexeram, & nunc eſt mihi aſſiduus in itinere comes, in cubiculo contubernalis, nec mihi ullus fere dies abit, ut non abs te multa diſcam. Putidiuſculus tibi viderer, quae tua eſt modeſtia, ſi quod res poſtulat hîc dicerem, neque ſane opus eſt; dicet hoc melius literatus orbis, dicet grata poſteritas, quando tuum nomen ita cum Ovidiano conjunxiſti, ut alter ſine altero celebrari non poſſit. Chriſtinam Reginam te in itinere vidiſſe intellexi, addunt, quod verum nolim, nihil illam praeter verba blanda & magnifica dediſſe. Legatio ex Britannia domum revocata, per cauſam itineris, quod Rex ſuſcepturus eſt, ſed nihil eſt actum, videtur iſtuc genus more ſuo ſuperbum & intractabile, & jam novo connubio inſolentius: ferunt enim praeter ea, quae praeſtare Luſitanus debet, eſſe in pactis dotalibus, ingentem belli cum vicinis populis materiam, Africae, imo Occidentis & Orientis portus non paucos alienae plerosque ditionis, & vana alia, niſi armis quaerantur. *Tanaquillum Fabrum* diem ſuum obiiſſe credo te jam accepiſſe, ſi quid hîc in opera aut re mea eſt, quod pro te poſſem, fac, id ne ignorem, mihi nihil certe gratius facere poteris, quam ſi libere & antiquo more amicitiae jure utaris. Vale, & me, ut amas, ama, Amſtelodami 2. Julii 1661.

EPISTOLA CCCCLII.

NICOLAUS HEINSIUS

Radbodo Hermanno Schele, Viro Illuſtriſſimo S. P. D.

NAſonem meum, perilluſtris & Nobiliſſime Vir, ſicut juſſeram a bibliopola *Elzevirio* tibi traditum fuiſſe, laetor, ut qui maxime: non quod aliquam lucubrationibus iſtis gloriam captem, praeſertim apud te, cui imponi non poteſt, ſed quia affectum meum unice probatum tibi ac perſpectum eſſe cupio. Satis enim magnum laboris praemium videor tuliſſe, ſi terſiſſimum ſcriptorem locis nonnullis caſtigatiorem emendatioremque, quam hactenus eſt circumlatus, erudito orbi ſiſto. Auguror fore, ut ejus aliquando praeſtantiora exemplaria inveniam, quorum ope primam editionem ſecundae tertiaeque curae plenius exornent. Hoc ſi non ſuccedit, attentius certe perpendam atque accuratius, quae nunc properanter & tumultuaria opera chartis illevi. Urgent interim Claudianum *Elzevirii*, quem typis majoribus nunc edant. Recenſebo igitur ſcriptorem non inelegantem, & ſi potero, notis meis hîc illic intexam, quae ex Vaticanis exemplaribus poſt primam editionem obſervavi. Utinam noſter *Graevius* ex Germania copias auxiliares mihi, quas promiſit, adduc-

cat. Sed opinor illum a nugis meis nuper adeo nauſeabundum diſceſſiſſe, ut malit ineptiarum me tandem deſinnere. Promiſerat, inquam, membranas Claudiani haud contemnendas ex Erfurtana bibliotheca, quas an impetrarit mihi non ſcio. Quicquid ſit, mos gerendus erit flagitatori *Elzevirio*, quem totos quatuor jam annos traho, & vana expectatione Claudiani jacto. In itinere Suecico ne opineris otioſum me fuiſſe, Lucanum cum ſatis multis ſcriptis codicibus commiſi, qui quanquam ſperatam opem non ferrent, ſunt enim in eo ſcriptore naevi plerique admodum inveterati, nonnulla tamen poſt magnum *Grotium* reſtituiſſe mihi viſus ſum, quae tibi fortaſſe non inprobabuntur. Atque hoc Sereniſſimo Electori Palatino a me datum eſt. Poſt Claudianum editum, Valerio Flacco & Silio Italico, poëtis minime contemnendis, manum admovebo. Ubi ſolis fere conjecturis locus erit, cum ſcripta horum exemplaria nulla aut rara admodum inveniantur. Habes de quisquiliis meis, plura etiam, ni fallor, quam velles. Praeclarus ille tuus de Re militari veterum commentarius jam Thraſonicas manus hîc perambulat, ne tu opineris, ſolis illum viris eruditis notum eſſe. Exemplar, quod tua munificentia poſſidebam, praedae ceſſit ſummis imperatoribus, ut ſibi videntur, & Pyrgopolinicae Plautini aemulis, nec retrahi hactenus ex fuga poteſt. Sed ut jocari deſinam, *Wurtzius* peditatui regis nuper praefectus, qui Cracoviam & Stetinum adverſus hoſtiles inſultus egregie defendit, literarum minime rudis, legit & laudat commentarios iſtos tuos, quos me ſuggerente noſſe primum coepit. De republica ut aliquid addam, videntur Sueci ab amicitia foederatorum Belgarum nequaquam nunc abhorrere. Arctioris etiam foederis ineundi ſpes non vana affulget. Sed noſtri homines, quam illud e re ſua arbitrentur eſſe haud ſcio. Doleo vehementer non licuiſſe mihi ſtato die apud Amſtelodàmenſes tibi occurrere. Sed quibus tricis laqueiſque tunc circumventus atque implicatus eſſem non ignoras: veniam itaque dabis, quod promiſſis defuerim. De ſtudiorum tuorum ratione ac inſtituto doceri nonnihil cupio. Scio enim otioſum te nunquam eſſe. Proximis meis aliquid criticarum fortaſſis nugarum, quod aut Lucanum ſpectet, aut Valerium, aut Silium (nam recens ſum ab illis perlegendis) tibi obtrudam. Vale, Vir Perilluſtris, & *Graevio* noſtro abſentium amicorum lentulo ſalutatori, plurimam, ni moleſtum eſt, meis verbis dic ſalutem, ſi quando hominem habebis obvium. Dabam Holmiae Suecorum A°. CIↃIↃCLXI. a. d. XVII. Auguſti Juliani.

Morte *Tanaquilli Fabri* multum rixarum ac jurgiorum compendium erit. quo nomine quanquam gaudeo, ſum enim litium fugitans omnino, ac putidas ejuſmodi contentiones odi vehementer, eſt tamen quod eo e vivis ſublato doleam, idque literarum nomine, quas ornare potuiſſet, atque augere, homo terſus ac politus.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCCLIII.

R. H. SCHELIUS

Nicolao Heinſio S. D.

Holmiam.

ETſi moleſte fero te tanto terrarum mariumque ſpatio a nobis disjunctum, in extremo ſeptentrione vitam agere, teque hîc deſidero quam qui vehementiſſime, tuo tamen & literarum nomine non poſſum non gaudere. quod illic in libera propemodum legatione, & a conſpectu iſtorum malorum averſus, quibuscum hîc tibi erat conflictandum, certiſſimam nobis ſpem facias, fore brevi, ut videamus lucubrationes eas, quas & promiſiſti literato orbi, & jam debes. Nos certe jam omnia de te exſpectamus. Claudianum *Elzeviriis*, Lucanum Electori Palatino debes. Valerium, Silium, alios nos amici petemus, & ſi ita neceſſe ſit, frequenti potius convicio flagitabimus, quam Muſas Heinſianas ſilere patiamur. Nam Ovidius quidem hîc nos adeo non ſatiat, ut quotidie ſalivam moveat & concitet ad plura poſtulandum ejus generis. Vide, quas gratias tibi agamus, de meis autem ineptiis, quid eſt quod quaeras? ſeculum eſt cum literam nullam facio, non tam quod occupationibus aliis fuerim diſtrictus, quamvis fuerim interdum diſtrictus, quam quod ſpecie libertatis ſubeat deſidiae quaedam dulcedo, & neſcio quomodo jam me juvet nihil agere; ne tamen putes plane me deſiiſſe nugari, dedi nuper librario deſcribendas conjecturas aliquot meas in Tacitum & dialogum de Oratoribus, non illas quidem plerasque veſtris dignas oculis, ſed quaſdam tamen, niſi me mea fallunt, veri non abſimiles. De meis commentariis quod ſcribis mihi jam non eſt novum, perſuaſiſti jam pridem Gallis aliisque hominibus doctis eſſe aliquid nugas noſtras, quin illic invenias quoque, quibus imponere poſſes, nullus dubito, praeſertim cum jam iterum in ordinem illorum hominum adlectus ſis, qui qualeſcunque cauſas & agere & obtinere ſoleatis. Tu tamen deinde ex Thraſonibus indoctiſſimos quoſdam potius legas ſuadeo, nam quo quiſque minus haec intelliget, eo facilius tibi credet. Sed omiſſo joco, agnoſco hîc iterum illam jam toties perſpectam mihi benevolentiam, qua non me tantum, ſed etiam mea complecteris. *Tanaquillus Faber* revixeritne, an diem ſuum obierit illic, dubitamus. *Graevium* tuis verbis & amico illo convitio ſalutavi, agnoſcit culpam & emendaturum ſe promiſit. Is jam eſt Profeſſor Ultrajectinus, paucos intra dies Daventria diſceſſurus. Urbicius Chriſtinae in quas terrarum oras, & in quas manus ſit delatus, & an brevi proditurus ſit velim ſcire. conjecturas tuas, quas promittis, avide expecto, Vale, decus noſtrum. Zwollae $\frac{10}{20}$ Septemb. 1661.

EPISTOLA CCCCLIV.

NICOLAUS HEINSIUS

Perillustri Viro Radbodo Hermanno Schele S. P. D.

CUm tenerrimo semper affectu me prosecutus sis, Vir Perillustris, otii negotiique omnis ni rationem exacte tibi reddam, injurius omnino sim in singularia illa monita, quorum nodo arctissimo me jampridem adstrictum tenes. Quapropter quod postremis tuis in occupationes meas, quo loco essent & quid potissimum molirentur, inquirebas, id in eo curiositati tuae respondebo primum, mox ad alia sermonum translaturus sum. Claudianum scis me promisisse *Elzeviriis*. Quo tamen invitus curas confero, quod frustra speravi hactenus subsidia veterum librorum in promptu futura novam scriptoris elegantis editionem molienti, quae pro expectatione mea nulla omnino adsunt. Nisi quod optimum codicem Vaticanum mihi contigit evolvere, cum secundo Italiam perlustrabam. Quem quoties in notis meis testem appello, quod facio frequenter, toties *Livineio* credendum fuit, qui eo usus erat satis negligenter. Commisi praeterea quinos ejusdem bibliothecae aut senos codices cum vulgatis libris. *Pricaei* quoque & Farnesianas membranas excussi. denique collationes Pulmannianas Belgicorum codicum, quas in vasto commentario tanto opere crepat *Barthius*, *Langermannus* a *Barthio* redemptas mihi tradidit utendas, additis scripturae discrepantiis ex Helmstadiensi libro collectis. Sed in his nihil fere, quod primam Claudiani editionem longe ornatiorem possit reddere: speraveram a *Gudio* excepta ex optimo Cujaciano libro, quod ea apud Bituriges dicerentur extare, quo ille itineris cursum praeterito vere sese directurum pollicebatur, sed cum nullis ille literis me postea convenerit, vana spe lactatum me fuisse opinor. Quare cunctationem abrumpam, meque typographorum desideriis commodum tandem praestabo. Interim L. Apulei Metamorphoses evolvebam nuper, scriptum sane perquam ingeniosum, sed Deus bone? quam mendosa omnia, quam foede depravata? idque eo magis mirandum censeo, quod summo ingenio summaque eruditione viri in eo scriptore castigando jampridem desudarunt. Ducenta plus minus loca emendavi in transcursu, & aliud agens. Sed solis conjecturis indulgendum fuit, rei, ut scis, parum certae, etiam cum videtur certissima! Si membranae veteres ac fidae se offerent mihi, auderem post plurimos aliorum conatus ego quoque fortassis in hac palaestra luctari. Verum nullas vidisse me recordor, praeter Mediceas, quibus *Lindenbrogius* est usus, sed ni fallor, minime diligenter. Post Claudianum tamen absolutum de Valerio Flacco Silioque cogitabitur. Nam ad Lucanum etsi satis multa observavi, consultum tamen minime videtur, ut eo manus admoveam, ne Spanhemianam messem involasse videar. Cui tam observata mea libens committam, sive ea in lucem proferenda, sive supprimenda arbitrabitur. Nasonem e manibus necdum possum deponere. Offerebat se mihi nuper locus ille Fast. 1. vs. 452. qui curis prioribus me fugit. *Er-*

Digitized by Google

Ergo saepe suo conjux abducta marito
Uritur in calidis alba columba focis.

Est enim scribendum, quamquam membranis omnibus invitis,

Uritur Idaliis alba columba focis.

Sequentia confirmant: quibus anserem Isidi, Deae nocti Gallum immolatos fuisse innuit. Cur hoc loco praetereat, quibus avis columba consecretur? Possit etiam legi, si vestigiis Mazariniani codicis insistamus, in quo *ignitis focis* exaratum erat,

Uritur in Gnidiis alba columba focis.

Veneri enim caedebatur columba. Scis illa Propertiana,

Nunc cape torquatae, Venus o Regina, columbae,
Ob meritum, ante tuos guttura secta focos.

Addam alterum locum Trist. I. eleg. II. vs. 102.

Si satis Augusti publica jussa mihi.

Monui notis in vetusto codice *visa* extare scriptum. in nonnullis etiam *tuli* pro *mihi*. Opinor antiquitus exaratum fuisse, *publica visa lus.* unde *tuli* & *mihi* factum sit, cum *salus* fieri debuerit, pro *satis* etiam *laris* ex pari conjectura repono, *Si laris Augusti publica visa salus.* Si salutem domus Augustae cum salute publica censui conjunctam esse. In antiquis inscriptionibus ista formula non semel occurrit, SALUTI DOMUS AUGUSTAE. in vulgata scriptura nihil commodae sententiae aut sensus est. Plura in Nasone poteram, quibus nunc congerendis supersedeo. Tertius tamen Claudiani locus, sed levioris momenti huic cumulo accedat. is est libro primo in Eutrop. vs. 140.

— — — pro quisquis Olympi
Summa tenes, tantone libet mortalia risu
Vertere?

Durum & insolens videtur, *risu mortalia vertere.* quare minimum abest, quin pronuntiem scribendum esse, *tantone libet mortalia nisu vertere?* quomodo apud Luc: *tantisne evertere dixit, Me superis labor est.* Sed desino ineptiarum. De meis in Silium & Valerium conjecturis alias a me agetur. Tuas in Tacitum avide videre desidero. Accepi proximo diebus a *Johan. Scheffero* viro doctissimo epistolam, in qua cum aliis in Cornelium Nepotem & Apulejum has in Tacitum mihi proponit, quas tui facio arbitrii, necdum enim licuit attentius loca examinare. Vita Agricolae cap. XII. *patiens frugum, fecundum.* Vocem *fecundum* glossema esse censet, quod sequens suadeat *mitescunt.* Ibid. cap. XXIII. *inventus in ipsa Britannia terminus.* legit, *in ipsa Brittaniae.* Ib. cap. XXXI. *Neque enim arva nobis, aut metalla, aut portus sunt.* legit *aut pastus sunt.* Cum de portibus & eorum exercitio nil legerit; de pecore vero ex Brittannia copiose misso doceat Caesar v. Belli Gallici CXLI. Mox, *Et libertatem non in praesentia laturi.* Vetusti libri Rhenano laudati, *& in libertatem non in praesentiam laturi.* Scribit, *& in libertatem, non in praesentia mala duri. Duri in mala,* pro ad mala. Cap. XXXIII. *& vix monitis coercitum militem adhuc ratus.* Ursini liber vetus, *& vix munimentis coercitum militem accendendum adhuc ratus.* Scribit

& vix munimentis coercitum militem adhortatus. nam *accendendum* natum ex proximis *adhuc ratus* exiſtimat. male; Urſiniani libri proba lectio. Sic *martem accendere cantu* Virgilio: reddidi id verbum ſemel iterumque Silio, pari ſignificatione: militi ſponte in pugnam prono ſtimulos addidit oratione hortatoria. Cap. XXXVI. & *in aperto pugnam*, legit *in aperta*. & exponit de Brittannis inermibus nec ſatis munitis propter breves cetras. cap. XLII. *paratus ſimulatione*. mallet *parato*. Prandebat nuper mecum vir optimus, quando aurem illi velli de edendo Urbicio. At ille videbatur malle de Philoſophia Pythagorica prius publico committere, & Phaedri fabulas. Non deſinam tamen inſtigare vel tua cauſſa, cujus doctiſſimas de Re militari veterum obſervationes apud me vidit primum, & valde laudavit. A *Graevio* & *Gronovio* diu eſt, quod nullam vidi literam, Hujus occupationibus ignoſco facile, illius non poſſum. Gratulor tamen fortunis, quas jam ſecundas nuper expertus eſt. *Voſſium* noſtrum de Luce commentarios praelo commiſiſſe intelligo. Mathematicos ne hoc ſcripto, irritet valde metuo, cui multa paradoxa inſeruit, quantum audio. Vale, Vir perilluſtris, decus ac delicium Muſarum. Dabam Holmiae Suecorum A°. CIↃIↃCLXI. a. d. $\frac{VIII}{XVIII}$ Novemb.

EPISTOLA CCCCLV.

NICOLAUS HEINSIUS

V. Cl. *Radbodo Hermanno Schele* S. P. D.

EXortae nuper inter Suecos ac noſtrates mercatores turbae *in* Africano litore, (quibus componendis totum me diem oportet.) ut curam Muſarum procul nunc habeam, effecere. Lectione tamen literarum tuarum reſpirare mihi viſus ſum, poſt ſummas animi auguſtias, & revixiſſe quodammodo; tantum leporis ac ſuavitatis ille conjunctum cum plurima doctrina prae ſe ferunt. Claudianus meus jacet interruptus, ob cauſſas, quas jam narravi. Auguror tamen fore, ut inchoatum penſum mox detexam, ad Valerium Flaccum inde tranſiturus, quem cum codicibus Vaticanis a *Langermanno* in dies expecto collatum. Non quod praeſidii multum inde lucubrationibus meis ſperandum ſit, eſt enim Vaticanus liber ut veterrimus, ſic mendoſus valde, & ex quo editiones Flacci noſtri primum conflatae videantur, caeteris duobus aut tribus ejuſdem bibliothecae exemplaribus vix duorum ſaeculorum ſenium oſtentantibus, ſed quia cum Carrionis libro in plurimis conſentit, operae pretium fore indicavi, ejus quoque auctoritatem ſi nonnunquam adhiberem. Ad Tacitum quae obſervaſti longe eruditiſſima ac ingenioſiſſima eſſe cenſeo, quaeque de caeteris conjecturis ſalivam mihi moveant plurimam. Utinam ſit, qui Mediceas ac Vaticanas ſcriptoris prudentiſſimi membranas de novo evolvat: quae ſi manibus peritis terantur, fore certus ſum, ut eruantur multa, quae Pichenam aliosque latuerunt. Quod mihi uſu venit in evolvendo Puteaneo Heroidum Naſonianarum codice, quem cum & Scaliger & Salmaſius, & Puteanus *ipſe* Claudius, & Johannes Wouwerius aliique viri minime indocti ante me triviſſent, quorum ſchedae ex illo exemplari exerptae in manus meas pervenere,

non

non pauca tamen inde deprompſi, quae ſagaciſſimas horum omnium nares praeteriere non animadverſa. *Salinerium* Taciti interpretem an videris haud ſcio, cujus conjecturas *Gronovius* a me utendas accepit. De *Moro* quae nuncias feſtiva ſunt, nec hactenus mihi intellecta. invideo felicitati toties impune peccantis, nobis tam beatis eſſe non licuit, etſi nec Theologis, & Venerem adverſam quidem, ſed nuſquam tamen averſam, expertis; cum ille ea ſecunda praepoſtere utatur. Si cathedra Pariſina excidit, Lampſacum vaſa transferat ſuadeo, ubi mutoniatam Theologiam iſtam cum laude exerceat ac profiteatur. Ad Naſonem rarius deverto. Nunquam tamen elegantiſſimum poëtam in manus ſumo, quin obſervationibus meis aliquid de novo accedat. Ut heſterno die, cum in locum illum incidiſſem Met. XII. vſ. 466. quem intactum reliquerant caſtigationes meae, quod nihil ſuccurreret, quamvis de menda certo, quo ulcus ſanare poſſem:

Qui clypeo, galeaque Macedoniaque ſariſſa
Conſpicuus.

Μακεδονία ſyllabam ſecundam corripiat neceſſe eſt. Quare poëtae *Macetarum*, ſive *Macetûm* nomen pro nomine Macedonum paſſim adhibuerunt. Nec veriſimile eſt doctiſſimum ſcriptorem in contraria ſolum iviſſe: quid ergo? ſcribendum opinor

Qui clypeo & galea, Lacedaemoniaque ſariſſa.

Sariſſae quidem proprium Macedonum telum, unde *Pelleas ſariſſas* dixit Lucanus, ſed tamen in uſu aliis quoque gentibus fuere. *Biſtonias ſariſſas* apud Naſonem habes in Triſtibus. Utebantur iis & Lacaedaemonii. Plutarchus in vita Cleomenis, διδάξας αὐτὸς αὐτὸν δόρατος καὶ χερὰς ἀσπίδος ἀμφοτέρων. Recordor & alia huc facientia me legiſſe, quae nunc non ſunt in promptu. In Statii Silvis nuper eram illud agens, & miratus ſum, poſt accuratam amici noſtri diligentiam tam multa caſtiganda ſupereſſe. Adhibebam nonnullis in locis vetuſtam editionem Parmae procuſam A°. MCCCCLXXIII. quam aut ab aliis omnibus ſub id tempus in lucem prolatis diſcrepare multum oportet, aut alias ab amico noſtro ac caeteris Statii interpretibus non ſatis diligenter conſultas eſſe. Ipſo ſtatim Sylvarum initio, Equo Domitiani vſ. 18.

— *Exhauſtis Martem non amplior annis*
Biſtonius portat ſonipes.

Vide quam putida ſit comparatio, qua contendit generoſum Germanici ſui equum ſcriptor accuratiſſimus cum Cantherio Martis fatigato. Deinde ſi exhauſti Martio equo armi, cur addit non tardo curſu illum rapi prope Strymona? vetus, quam dixi editio, *non altius*. Omnino ſcribendum videtur,

— *Exutis Martem non altius armis*
Biſtonius portat ſonipes.

Deſcribitur toto hoc carmine Domitiani ſtatua inermis ac pacata, & ſolo gladio accincta, atque illo quidem quieto, ut appellat ipſe, hoc eſt in vagina condito. non procedet igitur comparatio, niſi & Martem exhibeat nobis haud armatum. Τὸ *non altius* quadrat optime & reſpondet ſequentibus, praeſertim iis, quae

verſu 48. de Germanici equo

At ſonipes habitus animosque imitatus equeſtres
Acrius attollit vultus.

Vſ. 66. *Septem per culmina montes It fragor.* vetuſtae editiones *montis*, unde *Martis* amicus noſter. Ego *molis*, qui has duas voces pari modo confundi frequenter in membranis meminerim. *molem geminatam* verſu primo hanc ipſam ſtatuam equeſtrem nominarat. vſ. 75. *terque ardua merſit Colla lacu trepidus, laetus mox praeſide viſo.* ingratiſſimus ſonus vocum concurrentium *trepidus, laetus*, & quem poëtae limatiores diligenter ſoleant vitare, ſcribo, *merſit Colla lacu trepidum.* pro trepide. Pleni horum Statius ac Claudianus. Sic *laetum rubere, fictum videre &* mille talia. Sed apage haſce minutias. Epithalamio Stellae vſ. 8.

Quas inter vultu petulans Elegia propinquat
Celſior aſſueto, divasque hortatur & ambit,
Alternum factura pedem:

τὸ *factura pedem* ut conetur interpretari vir ſummus, amicus noſter, non ignoro; ſed vix perſuadet. Opinor a Statii manu eſſe, *Alternum tractura pedem: trahere pedem*, claudicare, quod alibi Naſo de Elegia dixit *ſubſidere*,

Clauda quod alterno ſubſidunt carmina verſu,
Vel pedis hoc ratio, vel via longa facit.

Sed & *trahere pedem* idem

Liber in adverſos hoſtes ſtringatur Iambus,
Seu celer, extremum ſeu trahat ille pedem.

Deinde vehementer metuo ne τὸ *celſior aſſueto* mutandum ſit in *laetior aſſueto*, tum quod elegia carmen flebile, tum quod iis verſibus partim amores ſuos deplorarat Stella, partim columbam Violantillae, quod Martialis docet, & noſter hoc ipſo carmine vſ. 102. Mox vſ. 13.

Ipſa toros & ſacra parat.

Malim *& fulcra.* ut vſ. 54.

Fulcra toro que deae.

Vſ. 32.

— *adhuc optas, promiſſaque numine dextro.*

Vota paves. Immo *permiſſaque.* jam enim annuerant Dî votis Stellae. unde ſubjungit, *Pone, tua eſt.* Sic *permiſſi felix injuria voti* apud Claudianum. In Achilleidos libro 11. vſ. 265. pari modo ſcribendum; *eripitur miſerae permiſſus Achilles.* Vſ. 41.

Hanc propter tutum Piſea lege trementem
Currere.

Nihili eſt τὸ *tutum.* amicus noſter curis ſecundis *juſtum*, optimo ſenſu, ſed minus poëtice: vetus editio *licuit.* Credo *libeat* a Statii manu eſſe. Vſ. 61.

— *Cui plurimus ignis Ore.*

Cur vero *ore*, cum de facibus Cupidinis videatur agere, fortaſſis *Torre* ſcribendum, ex ligno enim faces fiebant. Vſ. 80.

— — — *Summa*
Lampade parcentes & inermi ſtrinximus arcu.

Imo

Imo *inerti*. Arcus inermis, cui ſagitta deeſt. *iners arcus*, cui leviter excutitur ſagitta, quod τὸ *ſtringere* confirmat. Naſo, *nec mea ſunt ſumma leviter deſtricta ſagitta Pectora: deſcendit vulnus ad oſſa meum.* Met. XII. 361. *Nec tamen arbor iners cecidit: ſed Crantoris alti Abſcidit jugulo pectusque humerumque ſiniſtrum.* VI. 89. *ſaepe natanti praeluſi*: malim *praeluxi*, ut ad lumen illud alludat, quod Hero ex turri ſuſpendebat. VI. 100. *Hic juvenum lapſus.* Non ſatis aſſequor, forte, *Hinc juvenum plauſus*, & paulo ante, *Sed tibi plectra dedit*, non *Hinc*, nam vetus editio *ſic*. VI. 91. eadem, *tantos duraſſe per aeſtus*, non *ſupereſſe*. quod Statianum libro V. Abaſcantii pietate VI. 136. *tecum omnes animo durata per aeſtus*, & ſaepe alibi. In ſequentibus plurima ſunt longe majoris momenti. Sed nondum te dimitto quanquam charta deficit. Verſus enim nativitati Delphini Gallici a me datos perlegas neceſſe eſt. Locus in Demoſthene feliciſſime a te caſtigatus eſt. Vale, vir illuſtris. Holmiae CIↃIↃCLXII. a. d. XXVII. Januarii.

EPISTOLA CCCCLVI.

R. H. SCHELIUS

Nicolao Heinſio S. D.

Holmiam.

Mihi quoque Welburgii mei requies & altum illud otium, quod pridem mihi praedeſtinaveram, & tandem tenere videbar, cito fuit e manibus extortum. Quum enim ſeceſſiſſem jamque in libros & literas conditus, tum alia nonnulla, tum quae rei militari veterum Romanorum illuſtrandae annotata paſſim & in ſchedis ſparſa habeo, colligerem, cogeremque mox daturus deſcribenda, intervenere ſtatim amicorum & cognationum id genus negotia, quae ſalva officii religione non liceret praetermittere. Haec me a ſtudiis abſtractum exercuerunt in hoc tractu aliquandiu. Inde in Hollandiam fuit excurrendum, adeo quidem feſtinanter, ut nec ſpatii ſatis fuerit ad inviſendos amicos. *Gronovium* tamen vidi, is nunc in eo totus eſt, ut Obſervationum ſuarum διατριβας Φερωνίδας in lucem emittat. Livium cum ejusdem & ſelectis aliorum notis promittunt *Elzevirii*. Tuli & hoc moleſtiſſimi itineris (tempeſtatibus enim valde jactabamur) & inter hanc feſtinationem ſolatium, quod litteras tuas accepi illas doctiſſimas & elegantiſſimas cum iſtis verſibus, teque & Delphino ſuo digniſſimis. Hoc pretio propoſito iterum adverſo auſtro navigem. nunc reducem me exceperunt provincialia aliquot negotiola, ut inſtante jam Ordinum conventu ſolemni, eo peracto decrevi bona fide literis me reddere, & meum tandem agere negotium. In Friſiis diſcidii non nihil obortum eſt. Advocatus fiſci (Procuratorem vocant generalem) magno animo opponere ſe dicitur peſti publicae illic jam pridem graſſanti; munerum munditationi: in eamque rem Haiboſium & Scheltingam agit reos; procerum quidem non paucis invitis, quippe qui ſe peti per alienum latus videant, cum praeda jam parta ſimul & ſperata, ſed plebe valde ſecunda. Foris nihildum quod ſciam peractum.

Hagae tamen ante paucos dies de ſelectis judicibus, ad controverſias inter Belgos & Brittannos finiendas, quae res foedus Brittannicum morari imprimis videbatur, cum *Douningio* convenit. Conditiones in Angliam transmiſſae. Theologo iſti noſtro gratulemur potius, quod ad puellas, ſi vera eſt fama, rediit. Paucis quidem poſt diebus, ſive quod ita jam ante conſtituerat, ſive quo ſubtraheret ſe recenti famae, nec praeſens in ore hominum abiret pro fabula, in Brittanniam conceſſit. ibi jam favor Regis, plauſus aulae, moresque gentis, & preſbyteri verecundia fortaſſis non tantum vindicet eum a ſiniſtris ejuſmodi rumuſculis, ſed hoc etiam praeſtent, ne deinde pro crimine ſit puellas paulo liberius ſalutaſſe. Ferent eſſe ibi ſectam quandam hominum, ſummam religionem in majeſtate ſacerdotii & ſanctitate ponentium, qui pleraque ſacerdotum vitia facile excuſent, nonnulla etiam tueantur, tanquam caerimonias divinas. Iſtas vero ineptias minime omnium vitio vertere hominibus, haud dubie caſtiſſimis & ſanctiſſimis; ſed vero omnem culpam conferre in puellas, profanum hoc genus, quod eo nequitiae venerit & improbitatis, ut tam chara Deo capita turbare, & de ſtatu animi dejicere queat, nec in noxias tantum ſaevire, ſed vel ob unius tam capitalem noxam ſaepe quicquid eſt muliebris ſexus a ſacris & caetu piorum removere, & ut loquuntur, excommunicare. In hanc nationem ſi incidat iſte noſter, Lampſacum, opinor, pro ſua modeſtia non deſiderabit. Valerio Flacco quod ſcribis manum te brevi admoturum valde gaudeo. Eſt enim Poëta meo ſenſu haudquaquam ſpernendus, tum eget praecipue medica ope. De hiſce ejus tibi quod videatur ſcire velim lib. III. vſ. *143*.

Has precor exuvias, o prima cadavera noſtro
Linquite, ait, ferro. potius mihi dextra ferro
Gnavet opus.

Verba haec mihi videbantur imperfecto ſenſu abrupta ab homine ſeſe ſubito corrigente & caſtigante, quod in mediae pugnae mole recurrit ad inertia vota, ideo eandem repetente vocem, quamvis ſic quoque ibidem fortaſſis ſuperſit quod offendat: ſic autem diſtinguebam.

Has precor exuvias, o prima cadavera, noſtro
Linquite, ait. Ferro potius, mihi dextera ferro
Gnavet opus:

Libro ni fallor, (non enim eſt ad manum) VIII.

Nec dare permiſſae, quamvis jubet, ora quieti:

Quamvis juvet: levi, aut verius nulla mutatione; quando haec veterum librorum ſcriptura eſt. Eodem libro non procul a fine.

—— —— *ſeque externa pro Virgine clauſa Objiciat.*

ſcribe, *Claſſi objiciat*. Sed ego noctuas Athenas. Tuae in Papinium caſtigationes, quamvis nunc tam doctae & probabiles videantur, ut eum vel ita ſcripſiſſe, vel ita ſcribere debuiſſe pene dixerim, tamen, quia ipſum inſpicere (neque enim habebam) nondum licuit, ſuſtinebo tantiſper aſſenſionem meam: invidens enim nonnihil felicitati conjecturarum tuarum decrevi eas paulo malignius examinare. Vale, Muſarum Decus. Zwollae die $\frac{11}{21}$ Martii 1662.

EPI-

EPISTOLA CCCCLVII.

ALBERTUS RUBENS

Nicolao Heinſio S. D.

Leidam.

LItteras tuas accepi, quae mihi gratiſſimae fuerunt, quia ex illis vidi adfectum meum erga litteratos laudari, quo uno me cenſeo tibi placuiſſe; utinam tibi illum plenius teſtari potuiſſem, tot praeſertim nominibus patri tuo obſtrictus, quem ut litterarum Antiſtitem veneror, ut patris mei amicum colo. Etenim & amicitiae in haeredes tranſeunt. Accedunt merita tua & variarum rerum ſcientia, qua parentem ſequeris paſſibus aequis. Petii a D. *Chiffletio* catalogum ſcriptorum Tacticorum, quos penes ſe MSS. habet; cauſatur filii ſui *Julii* abſentiam, ut ex litteris ejus videbis, quas tibi mitto, ne me negligentiae reum agas. Syntagma meum de Lato Clavo pene ad calcem deductum eſt:

Sed nos congeries obnubit turbida rerum,
Cauſſidici tundunt, latrant fora, claſſica turbant.

Itaque fere ab hoc amaeniori ſtudiorum genere abhorreo, & quoniam in ea tempora incidi, quibus expediat firmare animum conſtantibus exemplis & praeceptis, ad Senecam ſaepius diverto. Sed non is ſum, qui poſt tot Roſcios hoc theatrum aſcendere praeſumam; Interim tamen ſi quid apud vos eſt, quod me hac in re juvare poſſit, candidus imperti; Parentis etiam tui ſententiam de Lato Clavo ſcire aveo; ſed haec minuta ſunt; illud praecipuum, ut me tibi, Patrique tuo, quam devotiſſimum pari adfectu proſequaris. Vale, Vir Doctiſſime. Bruxellis poſtridie Kal. Februar. Anni CIↃIↃCXLV.

EPISTOLA CCCCLVIII.

ALBERTUS RUBENS

Nicolao Heinſio S. D.

Leidam.

STatueram non ante politiſſimis litteris tuis reſcribere, quam indicem Tacticorum a Cl. *Chiffletio* impetraſſem, ſed quia ille me in dies fruſtratur, officii mei judico non diutius ceſſare. Gaudeo te novam Claudiani editionem adornare, nam cultiſſimus ille auctor tot adhuc mendis ſcatet, ut a nulla, niſi a tua manu ſalutem ſperare poſſit. Eſt penes me exemplar Editionis Plantinianae ex *Pulmanni* recenſione, ad quod patruus meus, *Philippus Rubens*, Variantes Lectiones annotavit ex Codice quodam, quem P. L. litteris ſignat. ſane in Electis ſuis ſe Claudianum cum MSS. Bibliothecae Vaticanae libris contuliſſe profitetur. Si tanti videtur, haſce Lectiones, aut ipſum exemplar mittam. Interim ſpeciminis loco, en tibi ea, quae ad Gildonicum bellum notata

ſunt. A te poſtulo ut ſi quid Gruterianus tuus Senecae codex habet operae pretium, me participem facias. Vale, Clariſſime Domine, & Parentem tuum meo nomine ſaluta. Bruxellis pridie Kal. April. Anno 1645.

Ad Claudianum de Bello Gildonico Variae Lectiones.

Vſ. 21. *Tardique gradus oculique jacentes.* L. P. L. *Latentes.* vſ. 22. *Interius fugere genae. ſedere* legunt alii & mavult Lipſius. vſ. 31. *Non ut proculcet Oaxem.* ita P. L. vſ. 112. *Patriaeque petenti.* ita P. L. vſ. 115. *Quae terras humeris Pontumque ſubegi.* P. L. *armis.* ego *numeris* corrigo. ita legendum cenſuit *Philippus Rubenius* in Electis ſuis, cui non accedo; probo magis τὸ *armis.* vel etiam τὸ *Humeris*, ut *Gronovius* explicat in Statium. vſ. 138. *Et fractum pendebat Ebur.* P. L. *ſtratum.* vſ. 185. *Pubemque canoram. decoram* lib. quidam. vſ. 202. *Iret adhuc in verba dolor. Iſſet.* P. L. vſ. 220. *Undarum verbere motat. nutat.* P. L. vſ. 221. *Deſcenſura ratis. deceſſura.* vſ. 236. *Hoc erat in fratres.* P. L. *in fatis.* vſ. 238. *Tanti ſit cauſa furoris.* P. L. *ſit.* vſ. 240. *Pietas infracta recedat. in fratre.* P. L. a fratre. vſ. 245. *Venere Geloni. fovere.* P. L. vſ. 246. *Solus at hic.* L. 4. *adhuc.* vſ. 252. *Fortuna ſimul cum Marte pependit. mente* P. L. vſ. 255. *Aptarem membra quadrigis. raptarem* L. P. L. vſ. 279. *Auſtrales Gildo condonat.* P. L. *Gildon.* vſ. 282. *Reſtuumque malignus. malignis* P. L. vſ. 287. *Deprecor haec trucibus. ne precor.* P. L. vſ. 290. *An quiſquam nobis devinctior. nodis* P. L. vſ. 297. *Nedum puero rectore quieſcet.* lego, *quieſſet.* vſ. 327. *Tyrio quo fuſus Honorius oſtro. fortis Honorius* L. P. L. vſ. 352. *Tunc jubet acciri ſocerum. Tum* P. L. vſ. P. L. 382 *Decurret Honorius inde.* P. L. *decernet.* vſ. 389. *Eſt illi paribus. patribus* L. P. L. vſ. 390. *Macezer fugiens. Maſcezel effugiens.* vſ. 408. *Si maeſtas ſquallore comas. maeſtae ſquallore comae* P. L. vſ. 413. *Nunc praeceps fugiat. Hunc* P. L. vſ. 418. *Heracleam ſuus Alcides. Herculeam* P. L. vſ. 428. *Si quid pro me meruiſtis. doluiſtis* P. L. vſ. 429. *Oſtentate mihi. nihil* P. L. vſ. 430. *Civiles abolete notas. imbelles* L. P. L. vſ. 434. *Umbonum. umbone* L. P. L. vſ. 469. *Armiger ad liquidam cunctis ſpectantibus Aethram. ab liquida c. ſ. Aethra* P. L. vſ. 469. *Pedibus curvis innexuit Hydrum. intexuit* P. L. Finis deſideratur P. L.

EPISTOLA CCCCLIX.

ALBERTUS RUBENUS

Nicolao Heinſio S. D.

Leidam.

GAudeo ſane penes me aliquid eſſe, quod ſtudiis tuis profuturum credas; Claudianum itaque quem poſcis mittam, quamprimum ſe aliquis obtulerit, qui ad vos excurrat; aut ſi hoc longum & incertum tibi videtur, tabellario committam, nec enim magnae molis eſt. Hiſce feriis Paſchalibus Libros in Eutropium relegi, in quibus verſus ille lib. 11. 451.

Contexit varius penetrans &c.

Diu

Diu multumque me torſit; nec expedire me potui. Itaque ad Pythium tripodem confugio, & te, Doctiſſime Vir, oro, ut tuam hoc de loco ſententiam mihi perſcribere velis; & ut facilius hoc extorqueam, ſtipem adfero, ſed, quae mea eſt tenuitas plane aeream, & quidem paracharaximam. Cum illos Claudiani libros revolverem, feci quod ſcioli fere ſolent, quaedam quae non capiebam correxi; has ariolationes meas tibi mitto; quamvis ſatis ſciam, quam non dignae ſint, quae oculos tuos morentur; cum etiam ſi quid forte aptius exiit, id non dubitem jam ab aliis occupatum eſſe. Nec enim ad manum eſt editio hujus poëtae Claveriana recentior. Tu tamen boni conſule & adfectum, ut ſoles, aeſtima. Vale, Doctiſſime Domine. Bruxellis VIII. Kal. Majas Anni CIↃIↃCXLV.

In librum I. Claudiani in Eutropium.

Vſ. 43. *Nec deſtitit umquam, caepit ſaepe tamen.* interpungendum cenſeo hoc modo,

— — *Nec deſtitit umquam,*
Coepit ſaepe, tamen cunabula prima cruentis
Dedita ſuppliciis — —

Id eſt non deſtitit umquam, ſed coepit ſaepe ſervire Dominos mutans; quamvis caſtratus eſſet &c.

Vſ. 61. *Miles ſtabulis Ptolemaeus in illis notior.* quae ſint *ſtabula illa*, juxta cum ignariſſimis ſcio; an forte legendum? *tabulis Ptolemaeus in illis*, ut de tabulis loquatur Claudianus, de quibus ante

— — *Quot jura, quot ille*
Mutavit tabulas — —

An potius

— — *Miles ſtabuli Ptolemaeus in illis*
Notior. — —

Id eſt, in illis nominibus, ſive inter illa nomina Dominorum, notior Ptolemaeus miles ſtabuli. Milites ſtabuli, ſunt Hippocomi, qui militabant ſub praefecto aut Comite ſtabuli. ita apud Symmachum ſaepe occurrit, *Miles ſacri aerarii*, *miles privati aerarii*, *miles vicarianae poteſtatis* &c. Ptolemaeum autem militem ſtabuli fuiſſe etiam ille verſus indicat

Et ducti toties inter praeſepia ſomni.

Vſ. 65. — *Cum faſtiditus abiret.*
Quae genuit quanto planxit divortia luctu? ita duae editiones meae, ſed errore, ut exiſtimo, typographico, nam cuivis apparet legendum eſſe,

— *Cum faſtiditus abiret*
Quae genuit; quanto &c.

Vſ. 77. *Sic fatus acutum, aggreditur Lenonis opus*; ita diſtinguo, *fatus acutum*, ut Eunuchus, ita paullo poſt

— — *Ne vocis acutae*
Mollities. — —

Vſ. 133. *Sic Paſtor obeſum Lacte canem.* Varro de re ruſtica lib. 2. cap. 9. de Ca-

Canibus, *nec non ita panem hordeaceum dandum, ut non potius eum in lacte des intritum; quod eo consueti cibo uti a pecore non cito desciscunt.*

Vs. 162. *Et cecidit saevi quo dixerat hostia sacri.* Existimo legendum cum MSS. quibusdam, *qui dixerat*; id est, qui ipse hoc oraculum protulerat; *π dicere* proprie convenit Prophetis & vatibus. Hinc *dictio* Oraculum, χρησμος. Accius: *aperte fatur dictio.*

Vs. 194. — *Neglectaque sueverat arte*
Claustra remoliri. ita corrigit *Delrius*, quem sequitur *Claverius*; mihi magis placet

— — *Neglectaque sueverat arcae*
Claustra remoliri. — —

Vs. 201. *Suffixa patenti Vestibulo pretiis distinguit regula gentes.* Quid si *tegula* legis? ut Claudianus alludat ad laterculum honorum, de quo Cedrenus, Η παρ' Ελλησιν ὀπτη πλινθος, λατέρκυλον δε παρὰ Ρωμαίοις λέγεται. ἐν ᾗ πλινθῳ δημοσια ἐφ' ἑ πάντ τ βυλευτῶν, ᾗ τὰ τ στρατηγμάτων ὀνόματα ἀπογράφεται. Nihil tamen mutandum censeo; *Regula* enim hîc est catalogus, κανὼν.

Vs. 210. *Non pudet, heu superi, populos venisse sub hasta Vendentis? certe pudeat.* Haec ita distinguo, *non pudet, heu superi, populos venisse sub hasta? Vendentis certe pudeat, qui jure sepultum Mancipium tot regna tenet, tot distrahit urbes.*

Vs. 308. *Candida pollutos comitatur Curia fasces*
Forsitan & Dominus praebet &c.
Ita locus hic distinguendus, ut censet *H. Valesius* ad lib. XXII. Ammiani.

Vs. 310. *Libertatemque daturus* &c.
Multa de hoc ritu *P. Faber* lib. II. Semestrium. egregius etiam hac de re Ammiani locus lib. XXII. sed insigniter corruptus, *Dein, Mamertino ludos edente Circenses, manumittendis ex more inductis per admissionum proximum, ipse lege agi dixerat, ut solebat, statimque admonitus jurisdictionem eo die ad alterum pertinere, ut errato obnoxiam Decembris auroram & ipse mutavit.* Ita edidit novissime *H. Valesius*, qui testatur in antiquis libris legi, *ut errato obnoxium Decembris auro rem & ipse mutavit.* ex quo divino, *ut errato obnoxium decem libris auri semet ipse multavit.*

Vs. 317. *Exhorruit annus Nomen.* quia scilicet annus nomen a Consulibus sumebat. Pacatus in panegyrico. *Consul creatur, habiturus est nomen annus.* Claudianus, *felicemque uterum qui nomina parturit annis.* adde Salvianum lib. VI. Ennodium lib. I. epist. 5. & alios.

Vs. 356. — *Et quidquid inane*
Nutrit Judaicis quae pingitur India velis.
Nescio quae sint haec *Judaica vela*, nec interpretes me adjuvant. Itaque fere adducor ut credam Claudianum scripsisse,

Nutrit in Attalicis quae pingitur India velis.

Prona est mutatio *J Ju* in *In*, & *J tt.* in *d.* per Attalica vela intelligo Aulaea, quae ignotorum signis animalium variegari solebant, unde *belluata* a Plauto vocantur; quin & Claudiani aetate portabant tunicas & pallia Attalicâ ar-

arte pictas, in quibus Gryphes, dracones, & alia monstra Indica figurata erant. Asterius in homilia de divite & Lazaro. ἀλλά τινα καινὴν ὑφαντικὴν ἐξευρόντες καὶ ποικίλην, ἧτις τῇ πλοκῇ τὸ ζῷον πρὸς τὸ κρόκινον τῆς γεραφικῆς μιμεῖται τὴν δυνάμιν, καὶ πάντων ζώων τὰς πτέρυγας τὰς μορφὰς ἐνημαίνεται τὸν ἀνθινον καὶ μυρίοις εἰδώλοις πεποικιλμένον φιλοπαγέσιν ἐσθῆτα &c. Ammianus lib. XIV. *ut longiores fimbriae tunicaeque perspicua luceant varietate liciorum effigiatae in species animalium multiformes.* Philostratus lib. II. Iconum. ἐν πέπλοις καλῶς μεμιμηται καὶ καλάσιρισιν, ἢ κάνδυσι, ἢ χλαμύσι ποικίλαις μορφὰς, οἷα ποικίλλουσι βάρβαροι. Apulejus lib. XI. Metam. *& humeris dependebat pone tergum talorum tenus pretiosa chlamyda; quaqua tamen viseres colore vario circumnotatis insignibat animalibus, hinc dracones Indici, inde Gryphes hyperborei, quos in speciem pinnatae alitis generat mundus alter.* An haec ζῴδια vestibus & aulaeis intexta sint τὰ Theraphim Hebraeorum, ejus linguae peritis dijudicandum relinquo; certe aliquid hac de re me legisse memini apud D. Hieronymum.

Vs. 369. *Hoc quoque consiliis peperit.* Lego *conciliis*, ut supra

Te magis ah demens, veterem si respicis artem;
Conciliare decet —— ——

Vs. 411. *Ut pereat quicumque tuis* &c.
Ως ὀπόλοιτο καὶ ἄλλος ὅστις τοιαῦτα ῥέζοι.

In lib. 2. in Eutropium.

Vs. 68. *Genitorque vocatur principis.* Philostorgius lib. XI. cap. 4. de Eutropio, καὶ ὧν λοιπὸν πατὴρ ὁ Εὐνοῦχος βασιλέως, ὁ μηδὲ τὸ τυχὸν παῖδα φυῶσι δυνάμενος.

Vs. 155. *Sic erat; in nostro quando* &c. ita de bello Gildonico

Hoc erat? in fratres medio discordia Mauro
Nascitur &c.

Vs. 175. *Geticae dux Improbus aulae.* omnino legendum, *Geticae dux Improbus Alae.* Zosimus de Targibilo, sive Trigibildo, ut ipse appellat; ἦρχε δὲ ἐκ Ρωμαϊκῶν ἰλῶν, ἀλλὰ βαρβάρων ἐνδρυμένων τῇ Φρυγίᾳ ὑπὸ βασιλέως τὴν τάξιν λαβόντων ἐπιμέλειαν.

Vs. 358. *Quis melius vibrata puer* &c. S. P. Chrysostomus Homil. 19. ad populum Antioch. *Quid enim quaeso difficilius sit, quam cum quispiam juvenis volentibus se emollire, & membra sua torquere, seipsum tradens, sedulo contendat rotae more totum flectere corpus, & in pavimento versari, & per oculos, & per manuum circumductionem & aliam revolutionem in faemineum genus transire conetur.*

Vs. 449. *Quantoque cutem distendat Echino. Echinus* Hesychio σκεῦος μαγειρικόν. ut & Polluci lib. 10. cap. 24. Idem lib. 6. cap. 13. καὶ ἐχῖνος δὲ χύτρας εἶδος ἦν.

Vs. 450. *Contexit varius.* versus sine dubio corruptus, quem depono.

Vs. 459. *Et matutinis pellebas frigora mensis.* malim, *pellebas frigora pensis.*

VI. 481. *Socium nobis fidumque ſodalem.* Longe melior mihi videtur lectio, quem e veteri Cod. adſcribit patruus meus *Philippus Rubens*,

Socium nobis, fidumque Saporem.

nam de Sapore Rege Perſarum Claudianus hic agit.

EPISTOLA CCCCLX.

ALBERTUS RUBENS

V. Cl. *Nicolao Heinſio* S.

Lugdam.

LItterae tuae Nonis Januariis ſcriptae. x. Kal. Mart. demum ad me pervenere, quae ſane pluribus nominibus mihi fuere acceptiſſimae, potiſſimum quia te ſalvum & ſoſpitem ad patriam rediiſſe retulerunt, qua de cauſſa omnes Muſarum cultores Fortunae Reduci gratias debent. Mihi quidem (quamvis inter illos locum non vindicem) nihil optatius potuit nuntiari: nam de valetudine tua triſtiores huc rumores allati erant, qui me diu & admodum ſuſpenſum tenuere. Claudiano a te manum admoveri lubens audio, nam Poëta ille non tam facilis & ſanus, ut plerique exiſtimant, ab illuſtri & docto ingenio tuo medicinam flagitat. In Ovidio expurgando minus tibi laboris erit. Quidni enim Authorem illum priſco nitori facillime reſtituas, cujus genius & ſtylus planiſſime in te immigravit, ut teſtantur politiſſimae tuae Elegiae, quae pro Ovidianis cenſeri poſſent; niſi tu maluiſſes facilitatem Naſonis Tibulliano cultu temperare. Ego (ut tibi otii mei rationem reddam) in Seneca hactenus fui, ſed actum egi, ut video; etenim poſt Clariſſimi *Gronovii* operam Philoſophus ille non aliam admittet curationem. *Moretus* noſter mihi retulit, ſe accepiſſe a *Boxhornio*, priſcum & optimae notae exemplar Senecae, a nobili Batavo ex Italia Lugdunum allatum eſſe: qua de re, oro te, me fac certiorem. Te numiſmatum ſtudio delectari gaudeo, & in eodem mecum valetudinario cubare. Vale, Vir Clariſſime & me ama. Bruxellae prid. Kal. Mart. Anni CIↃIↃCXLIX.

Claudianum meum tibi mitto. Dum hiſce diebus panegyricum Manlio Theodoro dictum percurrerem, haeſi ad verſum 200.

— *Lydos, Poenosque ſecunda*
Temperat — —

Tuam de illo ſententiam ſcire haveo. contuli hac aeſtate, dum ruri agerem, libros de arte Ovidii cum MS. D. *Moreti*; excutiam ſchedas meas, & ſi quid aptius exiit, ad te mittam.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCCLXI.

NICOLAUS HEINSIUS

Alberto Rubenio S. P. D.

NOn poſſum non indignari, politiſſime Rubeni, quoties mecum reputo, geminis iſtis in Sueciam nuper ſuſceptis itineribus fieri, ut commercia, quae tecum ſolebant mihi eſſe, literaria nunc interrupta ceſſent. Quid enim tua conſuetudine mihi optatius offerri poſſet? quid epiſtolis jucundius? Sed quia ſic in fatis fuit, ut avelleremur, graviter in id incumbendum nobis omni cura exiſtimo, ne quid locorum, quibus diſtinemur, intervallis in amicitiam noſtram licuiſſe videatur. His quidem ad te exarandis occaſionem oportunam Claudianus meus ſuggeſſit, qui anno fere toto cum typographorum inſigni ſapinitate conflictatus negligentiſſimeque habitus, &, quod aegerrime fero, naevis poſt tot veteres ſublatos novis non paucis aſperſus, lucem nunc tandem videt; adeo arduum illi fuit, tam lentis maxillis ſubduci. Qua de re monendum te duxi, ne arbitreris, mea oſcitantia factum, quod auctore illo jamdudum tibi promiſſo hactenus fraudatus ſis. Si tanti erunt notae, ut a te perlegantur, indulgenter omnino excipiendae ſunt, ut quas feſtinans & aeger & libris deſtitutus effuderim; ne Suecico itineri conſuetudinis tuae ſolam jacturam imputare me exiſtimes. Inter legendum quae obſervabis mecum ut communices rogo, ſive in quibus lapſus videbor, quod non raro contigit, fat ſcio, ſive quae me fugerint; maximi id beneficii loco duxero. Diadema capiti regio imponendum avide hîc expectamus: quae ſolennia ante hyemem fore celebranda, certa ſpes eſt, nec tranſibunt, ut exiſtimo, ſine carminis & quidem ſatis prolixi tributo. nam ne renunciare ſacris iſtis poſſim, quanquam velim, Reginae propenſiſſimus erga Muſas noſtras affectus facit. Si quid parturiero, ad te ut veniat, cura erit. Ovidio emendando hyemem proximam deſtinavi. Utinam ſubſidia meliora ad manum ſint? Vale, vir elegantiſſime, & me tui ſtudioſiſſimum mutuo affectu dignare: Holmiae. CIↃIↃCL. Pridie nonas Septembr. Gregor. Si quid ad me voles Leidam mitte.

EPISTOLA CCCCLXII.

ALBERTUS RUBENS

V. Cl. *Nicolao Heinſio* S. P. D.

NIſi humanitas tua non minor quam eruditio tua, mihi comperta eſſet, vererer ne ingenti ruſticae ingratitudinis crimine apud te laborarem, qui ceſſavi tam diu a gratiis agendis pro ſuaviſſimis litteris tuis, & Claudiani caſtigatiſſimo exemplari. Sed me uxoris cariſſimae continua per aliquot men-

ſes invaletudo totum ſibi avocavit, & ab omnibus aliis officiis ac ſtudiis abduxit. Nunc demum, ad meliorem ſpem, Dei benignitate, erectus, Poëtam a te ſanatum evolvere coepi. & opportune eodem fere tempore *Gaſparis Barthii* ebrius veratro commentarius in meas manus venit. Expectaſne meam de illo ſententiam? certe (ut mitiſſime dicam) ſi umquam nunc verum eſt vetus proverbium, *magnus liber, magnum malum.* At in tuis notis Deus bone! quantum ubique felicis ingenii elucet! quantum ſiccae ac ſobriae doctrinae! quantum acris & caſtigati judicii! Quod vero nomen meum in hoc tam perfecto opere memorari video, ſane non minus glorior, quam ſi Ariſtotelico peplo intextus eſſem. Verſus lib. 1, 155. in Eutropium, quem in MSS. ita legi teſtaris

— — — *ab imis*
Ejectus ſtabulis ſummos invaſit honores.

Me magis magiſque confirmat in veteri mea opinione, qua Ptolemaeum Dominum Eutropii, militem ſtabuli fuiſſe putabam & vſ. 61. emendabam

Miles ſtabuli Ptolemaeus, in illis notior.

Nam Eutropium in ſtabulis cum Ptolemaeo vixiſſe arguit verſus 68.

Et ducti toties inter praeſepia ſomni.

In laudibus Serenae vſ. 18. ne *fune* pro *crine* ſubſtituamus, prohibet Sidonius carm. 24.

Qualis nec Phrygiae dicata Veſtae,
Quae contra ſatis Albulam tumentem
Duxit Virgineo ratem capillo.

Ibid. vſ. 25. non diſplicet, quod in pleriſque MSS. exſtat

Penelopae (aut *Penenelopes*) *decus eſt, atque uni tanta paratur*
Scaena pudicitiae.

Nunc Ovidium tuum avide exſpectabimus. cujus de arte & Amorum libros MSS. unum *Moreti*, alterum *Claudii de Doresmieux* Atrebatenſis, contuli ſuperioribus annis cum editione Plantiniana. Ea, quae tunc annotavi, tibi mitterem, ni probe ſcirem a te, (qui codicem *Moreti* Antverpiae vidiſti) aut aliis pleraque jam animadverſa eſſe. tamen ſpecimina aliqua addam lib. 1. de arte. *At cum Pompa frequens caeleſtibus ibit Eburnis. Quare age ne dubita cunctas ſperare puellas. Hac magis eſt una fraude pudenda fides.* lib. 11. *cum magicis Marſa venena ſonis. res ſibi ſemper agi. Numidaſque Leones. partes illa potentis agat. Neve cibos prohibe. Vateis ille videndus, adit. Marte palam ſimulat Vulcanum Famaque non tacto corpore. Et albentes jam legit illa comas.* & caetera. Vale, Vir Clariſſime, & me ſtudioſiſſimum virtutum tuarum cultorem pari affectu complectere. Bruxellis xi. Kal. Febr. anni CIↃIↃCLI. aerae noſtrae. *Joachimus. Tortorius* familiaris, ut praedicat, tuus & Clariſſimi *Voſſii*, hiſce diebus opiniones Lutheri ejeravit hîc publice. an religione impulſus, an ſpe opimioris fortunae fuerit, dubitant quidam. Clariſſimo *Voſſio* ſalutem meo nomine dicas oro.

EPI

EPISTOLA CCCCLXIII.

ALBERTUS RUBENS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Leidam.

SEmper quidem litterae tuae gaudio quodam ac dulcedine permulcere me ſolent, numquam tamen ſinceriorem ſenſi laetitiam, quam ex ultimis, quae te longo moleſtoque itinere defunctum reducem in patriam veniſſe nuntiarunt. Etenim & tam carum caput maris ac inclementioris caeli injuriis ſubductum eſſe gaudeo, & mihi ipſi hanc e litteris tuis voluptatem, nunc frequentius obventuram ſpondeo. Immo te coram videre & alloqui videor, dum cogito tam modico te intervallo a nobis disjunctum eſſe, ut ſexto aut ſeptimo die reſponſum habere poſſim, quando de dubiis Ovidii, Claudiani aliorumque authorum locis, tripos mihi tuus contulendus erit. Et ut incipiam reditus tui fructum jam nunc percipere, En verſum Ovidii, qui me diu torſit, lib. II. de Arte

Effugere hinc non eſt, quare tibi poſſit amica
Dicere, non omni tempore ſenſus abeſt, aut *adeſt.*

Quocumque me verto, nullum idoneum ſenſum, ex *ſenſu* illo aſſequi poſſum. Tu, rogo, facem admove. Exemplar *Claudi de Doresmieux* nec a vetuſtate, nec ab ulla alia dote commendandum eſt. Ovidium emendatum, quo nimis diu caremus, a te avide expectamus. De lectione in Claudiano lib. I. in Eutropium temerarius ſim, ſi tecum contendere velim, quem non mirum eſt unum omnium optime poëtam hunc intelligere & emendare, cum omnem ipſius ſpiritum ac mentem poſſideas, prout e Chriſtina tua vere Auguſta apparet, quam ſi dico abſolutiſſimis Claudiani operibus parem eſſe, Claudiano, non tibi adulor. quidam cenſent hîc, nonnulla mitius contra Auſtriacos dici potuiſſe, praeſertim pace jam compoſita. Sed & ille, in Honorii & Stilichonis gratiam, Alaricum Gothoſque plus aequo proterit. Vale, Vir Clariſſime & me Illuſtri D. Parenti tuo commenda, illius tuarumque virtutum cultorem devotiſſimum. Bruxellis a. d. VIII. Kal. Majas, Aerae Chriſtianae. CIↃIↃCLI.

EPISTOLA CCCCLXIV.

ALBERTUS RUBENS

Nicolao Heinſio.

Leidam.

QUod reſpondendi officium tardius exſequor noli, oro, aut negligenti, aut parum grato animo adſcribere, ſed Panaegyri noſtrae anniverſariae, quae plures e conſanguineis & familiaribus meis huc evocavit, & omne ſcribendi tempus, jam per tres hebdomadas praeripuit. Poſt mentem (ſi Deo viſum)

Antverpiam cogito, & neſcio, an non me aeſtus inde in Bataviam deferet, quo me rapiunt non tam inſignia Naturae Fortunaeque dona, quibus veſtra regio ornata eſt, quam Illuſtris Parens tuus cum ſuo Diomede, & elegantiſſimus *Gronovius*, quae Muſarum decora coram videre & complecti aveo. *Gevartium* noſtrum non reor tam delicati eſſe ſtomachi, ut quae a te acrius in Auſtriacos dicta eſſe exiſtimat, concoquere non poſſit. Non enim tam adducte regnamur, ut aliorum nobis libertas gravis eſſe debeat. Locus Ovidii, de quo te conſulueram, etiam nunc me torquet, quamvis non diſpliceat emendatio tua,

Non omni tempore ſenſus adeſt.

Nempe ut nos in idiomate noſtro dicimus: *men is niet altijt wel geſint.* Cogitabam aliquando an non ita diſtingui poſſit:

Effugere hinc (vel *hunc*) *non eſt: quare tibi poſſit amica*
Dicere. non omni tempore. ſenſus abeſt.

Quare tibi poſſit amica dicere: *non eſt hunc effugere. non omni tempore*, ſcilicet tibi vacare poſſum. *ſenſus abeſt.* i.e. ſenſu cares. quod in odioſe importunos jactari ſolebat, ut ſcis, Horatius,

Simplicior ſi quis, qualem me ſaepe libenter
Obtulerim tibi, Maecenas, ut ſorte legentem
Aut tacitum impellat, quovis ſermone moleſtus,
Communi ſenſu plane caret, inquimus.

& iterum

— — num ſine ſenſu,
Tempore num faciunt alieno. — —

In altero: *neve domi praeſume dapes* adhuc haereo. Illa: *caſtaneas non amat illa nuces. Mars Phrecen occupat. Ad medicas artes.* indubitata ſunt, & hoc poſtremum etiam obſervaveram ex MS. *Moreti*, in quo ita plane perſcriptum, eaedem membranae lib. III. de arte praeferunt

— Ruſticus alter
Motus, & inceſſus mollior alter erit.

Quod non rejiculum videtur, nam *inceſſus* de molliori gradu dicitur. Seneca Rhetor: *non ambulamus, ſed incedimus.* Lib. II. Eleg. 7.

Ecce tuum ſolers caput exornare Cypaſſis.

MS. ille longe aliter

Ecce novum crimen, ſolers ornare Cypaſſis.

Solers ornare, Id eſt, ornatrix.

Lib. III. eleg. 6.

At qualem vidi, qualem tetigique puellam.

MS.

At qualem vidi tantum, tetigique.

In Epiſtola Deianirae

Ingreditur late multo ſpectabilis auro.

MS.

In-

Ingreditur late late ſpectabilis auro.

ut in Metamorphoſi

— *Velamina Procne*
Diripit ex humeris auro fulgentia lato.

& Juvenalis

Et latum pictae veſtis conſiderat aurum.

Sunt & alia nonnulla, de quibus proximis litteris. Vale, Vir Clariſſime, & Illuſtri parenti tuo multum meo nomine ſalutem apprecare. Bruxellae XIV. Kal. Julias Anni CIↃIↃCLI.

EPISTOLA CCCCLXV.

ALBERTUS RUBENS

Nicolao Heinſio S. D.

Leidam.

TArdius reſcribo ad ſuaviſſimas tuas litteras, quia ipſe in Bataviam venire, teque coram amplecti deſtinaveram. Quae enim me hîc detinent negotia, intra menſem profligata fore ſperaveram. ſed illa non tam magna ſunt, quam faecunda, multumque negotiorum ſerunt, adeoque nova & multiplici occupatione me diſtrahunt, ut omnem ad vos excurſum hoc anno praecluſum mihi certe videam. Interim oro ut litterarum ſaltem opera te mihi ſaepe oſtendas. Numquam enim epiſtolam tuam accipio, ut non protinus una ſimus. Ovidiana tua, *Jamque ferendo vixerat. Raditur haec Elegis. poliuntur lege mariti.* certiſſima ſunt, ſed ſupra omnia ceminet illud.

Carmina Laiades, non intellecta priorum
Solverat ingeniis —

qua una conjectura omnem Laiadae εὐφυΐαν ſuperas. de loco lib. II. de arte plane tibi acquieſco & legendum exiſtimo

Effugere hunc non eſt, quare tibi poſſit amica
Dicere, non omni tempore ſenſus adeſt.

Scire aveo ſi quid in verſum 277. lib. III.

Conveniunt tenues ſcapulis ameletides altis.

annotaris, nec enim *Scaligeri* conjectura placet. Sed pluribus propediem. nunc enim interpellor. incluſam paginam ſi quid in ea, quod Clariſſimo *Gronovio* uſui eſſe poſſit, inveneris, tranſmittas illi rogo. ſi tanti non videtur, trade Veneris marito. *Gronovium* litteris meis obtundere, & a bono publico avocare metuo. Vale, Vir Incomparande, meque ama & Parentem tuum ſalvere jube. Bruxellae Idibus Juliis anni CIↃIↃCLI.

EPI-

EPISTOLA CCCCLXVI.

ALBERTUS RUBENS.

Nicolao Heinſio S. D.

Hagam.

REſuſcitarunt mē litterae tuae, quibus te ſalvum ſoſpitemque, poſt magnos terraque marique labores Muſis nobisque reſtitutum eſſe intellexi. Priores tuas Holmiae xv. Julii ſcriptas, eo fere tempore recepi per *Silvercronium*, quo *Voſſius* noſter indicavit, navim, qua patriam petebas, tempeſtate in portum Gedanenſem ejectam, teque ibi ingenti & periculoſo morbo detineri. Et quamquam ab amicis per litteras diligenter de ſalute tua exquiſierim, nihil tamen certi relatum eſt. Tandem me tuae exceptatiſſimae litterae hac ſollicitudine liberarunt, quas xv. Januarii datas, xx. ejuſdem menſis recepi. Nam quas eruditiſſimus *Gronovius*, politiſſimusque *Graevius* ad me dederunt exeunte Novembri, quibus te Hagam reduſſe ſignificant, Kalendis Februariis demum ad me pervenerunt. Atrebatenſem Codicem Amorum contuli ante aliquot annos, ſed nullum operae pretium repperi. Liber Metamorphoſeon MS. quem *Graevius* ſe apud me vidiſſe rettulit, eſt ille ipſe *Moreti*, quo uſus eſt. Locus in libr. de arte

Effugere hunc non eſt quare tibi poſſit amica
Dicere ——

divinitus a te reſtitutus eſt, meo judicio. In Claudiano lib. I. ad Eutropium, mallem

Miles ſtabuli, Ptolemaeus, in illis
Notior ——

quam *miles tabulis*. ut olim cenſebam. ſed ut ad Ovidium revertar, locum lib. IV. de Ponto

Eſſe pudicarum te Veſtam Livia matrum

ſincerum eſſe exiſtimo, nec medicina, quam adhibet Doctiſſimus *Gronovius*, indigere: in Auguſtarum enim numiſmatis ſaepe inſcriptum. VESTA AVG, nec a tempore Auguſtaeo abhorret adulatio illa, Liviam eſſe Veſtam pudicarum matrum, id eſt a pudicis matronis adorari, ut Veſtam. de quibuſdam etiam aliis locis Ovidii, quos Vir ille magnus emendat, lib. IV. Emendat. amplius quaerendum cenſeo. De numiſmatis tuis quod ſcribis, Sereniſſimus Archidux numiſmatum conquiſitione mire delectatur, aerea tamen & aurea pluris aeſtimat, quam argentea, quamvis nec ab his alienus ſit. Si verno tempore ad nos excurris, & antiquariam tuam ſupellectilem adfers, credo te inventurum emptorem, qualem deſideras, non prodigum, ſed nec nimis parcum. Vale, decus meum, & me ſolito tuo affectu complectere. Bruxellae prid. Kal. Martias Chriſtianae aerae CIↃIↃCLVI.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCCLXVII.

ALBERTUS RUBENS

Nicolao Heinſio S.

Amſtelodami.

DUlciſſimis litteris tuis Auguſto menſe ſcriptis, a tribus hinc menſibus jam reſponſum pararam, & tantum non tabellario tradi curaveram, cum inopinatus caſus omnium mihi officiorum memoriam excuſſit. Filius etenim unicus optimae ſpei puer, exeunte Julio, canino morſu leviter violatus, quinquageſimo poſt die ὑδροφοβίᾳ primum, deinde Lymphaticis timoribus agitatus, intra paucarum horarum ſpatium mihi raptus eſt. Quo quidem vulnere adeo conſternatus ſum, ut vix adhuc ad me redierim. Noli, quaeſo irridere imbecillitatem animi mei, cum & Seneca (cujus me lectione ſatis munitum adverſus omnes ictus exiſtimabam) fateatur ſe Annaeum Serenum tam immodice fleviſſe, ut inter exempla fuerit eorum, quos dolor vicit. Sed filius meus

— κεῖται μεσηδίῳ θανατῳ,
Οὐκ ἦν γὰρ ζώειν καλὸν αὐτῷ ἔτι γενῦσι.

Gronovium noſtrum, melius contra omnes fortunae inſultus a Philoſophia inſtructum, majori animo calamitatem domeſticam pertuliſſe arbitror. promiſeram illi ante novem circiter menſes lectiones varias, quas ex MS. Sereniſſimae Reginae Sueciae, ad bellum Hannibalicum Livii annotaram. quia neſcio an Daventriam redierit, eas tibi committo, ut, ſi modo tanti eſſe tibi videntur, ad illum perferendas cures. Adjunxi & paginam obſervationum ad faſtos Ovidii, in qua tamen vix aliquid bonae frugis eſſe video, & ſi quid ſit, jam a te praeviſum eſſe reor in editione tua, quam nondum vidi. De loco II. Triſtium vſ. 312.

Nec Domino poenae res ea cauſſa fuit.

dubito. ego explicabam *Dominum*, Lenonem, qui nudas in pergulis aut cellis meretrices, etiam oculis transeuntium Veſtalium exponit; aut, ſi mavis editorem ludorum, in quibus meretrices nudantur ſpectantibus Veſtalibus. ita Plautus in prologo Aſinariae

Gregique huic & Dominis atque conductoribus.

Lib. I. Triſt. eleg. 2. haereo

Quod licet e minimis domui ſi favimus iſti,
Si ſatis Auguſti publica juſſa mihi.

Tu, oro, tuam de hoc verſu ſententiam perſcribe. Legatione Succica exſolutum te eſſe, & Secretarii munere a Coſſ. Amſterodamenſibus ornatum, gaudeo & exſulto. a vicino enim crebrius litterarum commercium exſpecto. *Gevartius* & *Chiffletius* pugnam ſine miſſione *Triſtano Sanctamantio* indixere, qui libello nupero de Liliis Francicis contra *Chiffletium* edito, non hunc modo irritavit, ſed omnes etiam Belgas, quos *Viſionarios* appellat, & ut craſſo ſub aëre natos traducit. Ego occaſione veteris picturae, quae Romae reperta,

deam Romam exhibet, lato clavo ornatam, ſyntagma de lato clavo adornare ſtatui. *Graevio* noſtro incluſas litteras ut mittas rogo. Scripſerat ille ante quatuor menſes, ſe Duysburgum Cliviae a Sereniſſimo Electore Brandenburgico ad cathedram profeſſoriam evocatum eſſe. Vale, decus meum, &

Inter opes & me, rem parvam, pone paternas.

Dabam Bruxellae prid. Kal. Januarias Anni aerae Chriſtianae CIↃIↃCLVII. quem tibi tuisque proſperum felicemque auguror.

EPISTOLA CCCCLXVIII.

CASP. GEVARTIUS

Nicolao Heinſio, Dan. Fil. S.

Leidam.

GRatiſſimae mihi fuere litterae tuae, ex quibus ſalvum atque incolumem Te ex Italia in patriam reverſum eſſe, ſummo cum gaudio intellexi. Pro adjuncto Elegiarum munere gratias maximas ago. Merito ſane *Italiae* nomen illis inſcripſiſti: quippe quae Italiam, ſed illam priſcam, ejuſque alumnos, Naſones & Propertios, ſtyli elegantia & nitore provocent. Nec mirum; cum ab Apolline Genitore in Helicone educatus, incomparabilem ejus Genium repraeſentes. De ejus invaletudine grave mihi fuit intelligere. Sed tuus e longa ἀποδημίᾳ reditus illi pro panacea eſt futurus. Cum Papinio meo merito exclamem:

—— *Quod ſubdere robur*
Illa dies, quantum potuit dempſiſſe ſenectae!

Claudiano gratulor, qui ingenio & ſingulari diligentiae tuae παλιγγενεσίαν eſt debiturus. Poëta ille perfamiliaris olim mihi Juveni fuit: nec pauca in illum obſervaram & adnotaram. Sed forenſes occupationes mox alio mentem avocarunt. Prae caeteris autem ejus Auctoris opuſculis mihi ſemper arriſit divina in *Fl. Manlii Theodori* Conſulatum Panegyris, quae viri politici, ὡς ἐπὶ πᾶν παιδευμένου, abſolutam Ideam exhibet. Atque in eam olim non exiguum Commentarium conſcripſi, quem ubi primum per negocia licuerit, praelo dare conſtitui. Viro ſummo, Parenti tuo, officioſam meo nomine ſalutem dicas, cultumque & obſequium offeras rogo. Inexhauſtum ejus ingenii vigorem e praeclara de Pace noſtra Oratione, cum maximo applauſu nuper agnovi. Mitto Inſcriptiones noſtras *Theatri Pacis* in hac urbe erecti. Inteſtini Gallorum motus non vanos vates nos fuiſſe probant in iſta Epigraphe:

Effera barbarici ſtimulatrix terra Gradivi
Secum bella geret.

At Pacem univerſalem Orbi, ſpero, tumultus illi mox dabunt. In quo omine finio. Vale, Vir Clariſſime, noſque amare perge: longior mea ab urbe abſentia cauſam dedit quod tardius ad tuas reſponderim. Incluſas ad *Rubenium* tum libro recte curavi. Scribebam Antverpiae Idibus Februarii, CIↃIↃCXLIX.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCCLXIX.

CASP. GEVARTIUS

Nic. Heinſio S. P. D.

Leidam.

CLaudianum notis tuis illuſtratum ſub praelo *Elzeviriano* jam ſudare e nuperis litteris tuis lubens intellexi, & avide ejus editionem exſpectn. *Caſparis Barthii* Commentarium novum in eundem Poëtam, cum XVII. (ut jactat) MS. collatum, Hamburgi hoc anno editum, jam credo; vidiſti. Sed non eſt cur ob editionem iſtam vadimonium deſeras. Commentarius enim ille multae lectionis eſt, ſed exigui judicii, ut & vaſtum ejus Adverſariorum opus. *Moreto* litteras tuas exhibui, & num Codices ſuos manuſcriptos certo pretio Tibi addicere vellet petii. Ille vero negat ullo modo velle ſe Membranas illas vetuſtiſſimas abalienare, e quibus velut e Jovis διφθέραις, tot luculentas praeſtantiſſimorum Auctorum editiones, publico Reipublicae Litterariae commodo, Proavus ejus *Plantinus* concinnavit. Quinimo, codices iſtos membranaceos, ut aurea Colchorum vellera, in Muſaeo ſuo ſe aſſervare, mihi dixit. Tuum ad Reginam, Germaniae Pacatricem, Epigramma magna cum voluptate & applauſu legi. De illius Heroinae ingenio, & in bonas litteras affectu & ſtudio, Fama hîc & ubique perſonat. Prorſus ut laudatiſſima illa Gothorum olim Regina, *Amalaſunta*, Theodorici Regis Filia, Graece & Latine eruditiſſima, a Caſſiodoro & Procopio commemorata in hac jam renata eſſe videatur. Clariſſimis Viris Parenti tuo & *Golio* multam meo nomine ſalutem dicas rogo: ut & eruditiſſimo *Voſſio*: cui etiam ſignifices velim, magno me deſiderio teneri videndae primigeniae editionis Manlii mei, cujus ante duos annos ſpem mihi fecit. Vale, Vir Clariſſime. ſcribebam Antverpiae Idibus Junii, CIↃIↃCL. Litteras ad R. P. *Ottonem Zylium* recte curavi: & *Rubenius* Te reſalutat.

EPISTOLA CCCCLXX.

NICOLAUS HEINSIUS

Gaſperi Gevartio S. P. D.

Antverpiam.

LUcem tandem videt Claudianus meus, Vir Ampliſſime, poſtquam anno fere toto cum operis typographicis conflictatur: quas impenſiori cura reſarcituras opinabar, quicquid cunctatione tanti temporis deliquiſſent. Sed magno meo cum dolore deprehendo ex iis, quae ad manum ſunt, pari oſcitantia ac ſupinitate mecum actum. Spero apud aequos tuique ſimiles lectores abſentiam meam pro excuſatione juſta fore: quanquam non dubito in notis mihi multa excidiſſe, quae nimiam feſtinationem arguant, quaeque typographis nullo jure imputari poſſint. Aeger eram & libris deſtitutus, cum eas effunderem:

accedebant interpellationes, quae in hac aula frequentissimae. Instabant interim typographi, qui Claudiano ipsi manus jam admoverant, pensum urgentes. Haec si tibi non satisfaciunt, secunda editione diligentiorem me praestabo, praesertim ubi novis subsidiis instructus ero; schedasque meas accuratius tum excutiam. Te interim elegantissimumque *Rubenium*, ad quem epistolium hîc habes, rogatos vehementer cupio, ut si quid inter legendum observaritis, id ut mecum communicare ne gravemini. Vobis vestra, qua par est, fide abscribentur. *Barthii* immensum commentarium nuperrime demum accepi, nec vacavit hactenus evolvere. Ex paucis tamen, quae inspexi, satis colligo, scriptis exemplaribus non optimis usum. Festi regii solemnia indies differuntur. Dubium tamen non est, fore ut brevi celebrentur. Dederunt ea mihi materiem luculenti carminis, sed quod inter scrinia necdum limatum haereat. Lucem an visurum sit nescio. Nam si modestiam Reginae novi, vix impetrabo editionem; cum laudes latura non sit, quanquam veras & meritis suis inferiores. Si prodibit, exemplar ad te veniat operam dabo. Tu vicissim censuras in Claudianum meum tuas mecum communica. *Elzevirio* in mandatis dedi, quatuor exemplaria ad *Moretum* nostrum uti mitteret; quorum primum tibi offerendum sit, secundum *Rubenio*, tertium *Patri Bollando*, quartum *Moretus* ipse servaret sibi, cujus comitati non parum Claudianus debet. Si quid ad me vultis, Leidam mittite: curabit Pater, ut huc perferatur per tabellarios. *Vossium* ex Gallia Bataviaque reducem brevi hîc exspectamus, ubi venerit, de prima Manlii tui editione, quam promiserat, monebitur. *Salmasius* ante dies octo huc appulit, correptus statim sub adventum defluxione, quae humeros illi invasit: ita fit, ut lectulo affixus Reginam hactenus compellare non potuerit, melius tamen nunc habere dicitur. Tu quid moliaris, quid Antonino Manlioque tuis siat fac sciam, & feliciter rem gere. Holmiae Kalend. Septembr. Gregor. Anno Christi CIↃIↃCL.

EPISTOLA CCCCLXXI.

CASP. GEVARTIUS

V. Cl. *Nicolao Heinsio* S. P. D.

Holmiam.

TUam Claudiani operum luculentissimam editionem nuper a *Moreto* cum humanissimis litteris tuis accepi. Tardius iis respondeo, quod per otium Poëtam istum jam renatum denuo evolvere, & notas tuas penticulatius expendere decrevissem. Sed tot occupationibus obrutus fui, ut ad amoeniores hasce litteras respicere vix licuerit. Itaque tantum ὀλοσχερῶς & saltuatim curas tuas percurri. Inveni autem editionem hanc longe absolutissimam esse, & observationes tuas accuratas, nec publici saporis. Volupe mihi fuit etiam nominis nostri honorificam mentionem factam legere. Non dissimulabo interim, occurrisse nonnulla in textu (ut vocant) quae sollicitata & mutata nol-

lem,.

lem. Sed alias de illis ſententiam noſtram proferemus. Vindicias Manlianas nunc adorno, mox etiam Commentarium in Manlii Conſulatum editurus. Clariſſimo D. *Voſſio* Salutem meo nomine dicas velim, & deſiderare me videre primigeniam Manlii editionem, cujus ſpem ante hos tres annos mihi fecit. Quae *P. Bollando* & D. *Rubenio* miſeras exemplaria, recte curata ſunt. Vale, Vir Clariſſime. Praefeſtine Antverpiae XV. Calend. Februarii CIↃIↃCLI.

EPISTOLA CCCCLXXII.

CASP. GEVARTIUS

Nicolao Heinſio Dan. Fil. S. P. D.

Leidam.

QUod ſerius litteris tuis reſpondeam, Vir Clariſſime, occupationibus forenſibus, quibus aſſidue premimur, imputabit veniamque dabit, ſcio, perſpecta mihi pridem humanitas tua. Interim ſalvum atque incolumem te in Bataviam reverſum eſſe, plurimum gaudeo & gratulor. Panegyricum tuum cum adjunctis Poëmatis, a D. *Wallio* nuper recepi, ingentis ſpiritus opus, & quod recentem te a Claudiano iſta luſiſſe, evincit. Vindiciarum Manlianarum editionem varia impedimenta hactenus ſufflaminarunt. Sed moras abrumpam ubi primigeniam Manlii Editionem a D. *Voſſio* promiſſam inſpexero. Itaque avide eam exſpectabo. Centuriam Urbium Belgicarum a D. *Jacobo Eyckio*, amico meo, editam ad Te mitto. Rogo alterum Exemplar ad D. *Wallium*, una cum adjuncta Oratione Funebri, perveniat. Vale, Vir Clariſſime, noſque amare perge. Viro ſummo Parenti Tuo multam meo nomine ſalutem dicas precor. Scribebam praefeſtine Antverpiae, VI. Junii, CIↃIↃCLI.

EPISTOLA CCCCLXXIII.

CASP. GEVARTIUS

Nicolao Heinſio S. D.

Leidam.

SAlvum atque incolumem e Succiâ in Bataviam Te reverſum eſſe, poſt graviſſima Tempeſtatis morbique diſcrimina, & Patriae tuae & bonis litteris gratulor. Claudiani novam recenſionem a Te ſuſceptam gaudeo. In Sereniſſimae Reginae *Chriſtinae* Bibliotheca, Claudiani (ni memoria me fallat) bina exſtant exemplaria MS. in pergameno, quorum alterum exiſtimo eſſe e Codicibus Petavianis, idque bonae notae. Primo loco ſunt libri in Rufinum. Forma eſt in 4°. Alterum in manus meas nondum incidit. Nam MS. necdum in claſſes ſunt redacti. De Naſonis codicibus membranaceis inquirendis cura mihi erit. Ex litteris *D. Pimentellii*, Legati Regii, Romae exaratis, intelligimus Sereniſſimam *Reginam* Romae ſtabilem & manſuram ſedem collocaſſe. Ita-

Digitized by Google

que exiſtimo ipſam brevi Bibliothecam ſuam & praeſertim MS. Romam advehi juſſuram. Quod autem petis, ut, ſi quid à me in Claudiano obſervatum ſit, id Tecum communicarem; ſane accuratiſſimae & nitidiſſimae editioni Tuae nihil adjici poſſe videtur. Nihilominus tamen, poſt uberrimam emendationum pulcherrimarum ſegetem a Te relatam, ſpicas aliquot a me lectas conferam. In Panegyrico Manlii noſtri, Conſulis, obſervavi poſtliminio a Te reſtitutum Claudiano verſum iſtum: vſ. 278. *Notior eſt Stilicone Domus. Geſtare curules* &c. ſed quid? ut Manlium Conſulem attollat, Stiliconem, ſupremum Militiae Praefectum, Honorii Aug. Tutorem & Socerum, cujus favori Manlius Conſulatum ſuum debebat, unicumque Patronum ſuum Poëta deprimat? Nunquam factum. Omnis comparatio odioſa eſt, ut vulgo dicitur. Movit hoc (ut video) Cl. *Gronovium*, qui in Diatriba ſua Statiana ad Libr. IV. Sylvarum iſtum Claudiani verſum in Leidenſi codice MS. a vobis repertum, primus edidit, ut in omiſſis ſuis ad eundem libellum dicat: *Suſpicari quidem ſe, Claudiani eſſe verſum, ſed ab illo poſtea deletum, in quibuſdam exemplaribus remanſiſſe.* Quare, *obſervandum eum potius, quam in Textum recipiendum* cenſet. At patiamini quaeſo, me quoque in muſtaceo iſto laureolam quaerere, & in partem laudis, locique reſtituti vobiſcum venire. Recipiendus omnino in Textum eſt iſte verſus, quem & in Vaticano codice exſtare ipſe obſervaſti, & ego in *Moreti* noſtri membranis reperi, ſed & ibi, ut in omnibus aliis MS. codicibus, ab imperitis hominibus deformatum. Ex correctione noſtra, ἀναμφισβητήτως legendum eſt:

Notior eſt Helicone domus.

Nihil certius eſt hac noſtra emendatione. Vocum, *Heliconis* & *Steliconis* (ſic a Zoſimo, aliisque Graecis ſemper appellatur) affinitas errorem hunc peperit. Et ex praecedenti vocula *eſt*, litterae binae, *St*, *eliconi* ad haeſerunt. Quod & facile fieri potuit, dum ante natam Typographiam libri e dictantium Monachorum ore deſcriberentur. Paullo ante, Verſu 272. Claudianus dixerat:

Concinuit felix Helicon.

Et ſcribarum auribus *Stiliconis* nomen adhuc inſonabat: nam hoc eodem Panegyrico verſu 162. Poëta dixerat:

— *Quis demens adeo, qui jungere ſenſus*
Cum Stilicone neget?

Et verſu 265.

Nil licet Invidiae, Stilico dum proſpicit Urbi, &c.

In Epithalamio Honorii Aug. verſu 324. ubi Stiliconem Mariae Aug. parentem Poëta alloquitur, ſic vulgo legitur:

— *Vultuſque auctura verendos*
Canicies feſtina venit conſorte remota.
Contingit Gravitaſque ſeni. &c.

Conſortem bonus *Claverius* hîc Aegritudinem, Triſtitiam aut Languorem vocat.

Qua

Digitized by Google

Qua interpretatione nihil triſtius, languidius aut frigidius excogitari poteſt. Nec tibi aſſentiri queo, *Caniciem ſenii conſortem* a Poëta appellari. Barthius legit:

— *Cui ſorte remota*,

Ego non dubito litterulae mutatione, legendum eſſe, & interpungendum:

Canities feſtina venit. Conſorte remoto,
Contingit ſenii gravitas, vireſque juventae.

Conſortem vocat Rufinum, qui ſe Arcadio Aug. Tutorem relictum a Theodoſio Aug. credi volebat, ut Honorio Aug. Tutor datus erat Stilico. Idemque Rufinus Imperii adminiſtrandi *Conſortem* ſeſe Stiliconi affirmabat. Sed Stilico dedignatus Rufinum, ſoli ſibi utriuſque Principis minorennis regimen, ſupremamque & abſolutam exercitus & Imperii adminiſtrandi curam relictam contendebat. Hinc Claudianus, initio Libri II. in Rufinum, ita Stiliconem affatur:

— *Tibi credita Fratrum*
Utraque majeſtas, geminaeque exercitus Aulae.

Idem teſtatur Zoſimus lib. v. de Stilicone agens: *His ita conſtitutis, cum Rufino ſuccenſeret, qui poteſtatem ſuae parem per Orientem habere vellet, ad Arcadium proficiſci cogitabat, cupiens & illius res pro libitu ſuo diſponere. Quippe dicebat ab Theodoſio morituro ſibi datum in mandatis, ut omni cura Principem utrumque complecteretur.* Quin & paucis poſt Theodoſii exceſſum menſibus, Rufinum ab exercitu caedi & diſcerpi curavit Stilico, ut teſtatur idem Zoſimus lib. v. quo Auctore nullus ad Claudianum, illiuſque temporis hiſtoriam illuſtrandam aptior. Reſpexit Claudianus ad illud Papinii lib. I. Thebaidos, de Etheocle, qui, Polynice exule, inſoleſcebat:

Saevior adſurgens, dempto conſorte, Poteſtas.

Ipſe Claudianus in laude Serenae, de Alceſtide ſic loquitur:

— *Conſorte redempto*,
Caſta maritali ſucceſſit Theſſala Fato.

ut quidem ipſe reſtituiſti. Ne longius abeam, in laude Serenae, verſu 48. ſic vulgo legitur, ubi de ejus Natali agit:

— *Necdum moderamina mundi*
Sumpſerat illa Domus, cum te Lucina beatis
Adderet aſtrorum radiis.

Scaliger in libris de Emendatione (ni fallor) aut certe ad Euſebium hunc locum non ſatis cepit. Vita functi *ſideribus addi* dicuntur, non recens nati. Unde Claudian. initio lib. II. in Rufin. de Theodoſii obitu:

— *merita complexus ſede Parentem*
Auctior adjecto fulgebat ſidere mundus.

Haud dubie legendum:

— *cum te Lucina beatis*,
Ederet, aſtorum radiis.

Sic

Sic Papinius, in Coma Earini:

— *ô fidere dextro*
Edite! Multa tibi Divum Indulgentia favit.

Vulgatae Claudiani editionis loca nonnulla, quae in Tua editione mutata nollem, in ſchedula adjuncta obiter annotavi. Et patiare quaeſo, me in paucis iſtis a Te diſſentire, qui infinitis locis a Te feliciſſime reſtitutis calculum meum adjicio. Libros in altera Schedula notatos, in Auctione luculentiſſimae Bibliothecae paternae mihi coëmi optarem. Pretium ubi reſciero, mox ſum miſſurus. Vale, vir Ampliſſime. Quod autem tardius humaniſſimis litteris Tuis reſponderim, graviſſimis occupationibus noſtris imputabis. Ampliſſimo D. *Voſſio* officioſam ſalutem adſcribo. Scribebam iſta praefeſtine Antverpiae, Calend. Martii. CIↃIↃCLVI.

P. S. Claudianus lib. 1. de Laudibus Stiliconis, Verſu 158.

Hic Rhodani procera cohors, hic miles alumnus
Oceani. Ductor Stilico &c. (*Alanus*, non recte.)

Militem Gallum & *Hiſpanum* hoc loco deſignat Poëta. *Oceanus* hic Atlanticus eſt, qui Hiſpaniam alluit. Sic in Panegyrico de quarto Conſulatu Honorii Aug. de Natalibus Theodoſii Aug. Hiſpanis Verſu 22.

— *Cunabula fovit*
Oceanus.

Itaque nihil mutandum. Lib. 11. in Rufin. Verſu 84.

Inſignemque habitum Latii mutare, togaeque. ſic recte (*Coactae* perperam.)

De IV. Conſulatu Honorii Aug. Verſu 439.

Hunc tamen in primis populos lenire (levitate.) feroces,
Et Rhenum pacare jubes. Vulgata lectio ſe recte habet.

De Bello Getico. Verſu 175.

— *per devia rerum*
Praecipites, per clauſtra (clauſa.) ruunt.

Sic *Regni clauſtra* Livius, *Imperii clauſtra* M. Tullius. Epigramma de Theodoro Manlio & Hadriano dubitandum non eſt quin ſit Claudiani. De illo latius egi in meo ad Panegyrium Manlii Commentario, quem non leves remorae hactenus ſufflaminarunt. Quia autem in litteris tuis, ſpem facis hoc vere adventus ad nos tui, tum oportunius & copioſius coram de his aliiſque locis agere dabitur.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCCLXXIV.

CASP. GEVARTIUS.

Nicolao Heinſio Dan. Fil. S. P. D.

Amſtelodamum.

QUod Sereniſſima D. *Chriſtina*, Suecorum Regina ante aliquot menſes Manuſcriptos codices, qui in Bibliotheca ejus ſervabantur, Romam mitti juſſerit, factum eſt, ut Claudiani & Naſonis membranacea exemplaria tecum communicari non potuerint. Claudiani exemplar non magnae vetuſtatis eſſe deprehendi: neque ullum ad curas tuas operae precium ex illo accedere poſſe exiſtimo. Dictam Heroinam initio praeſentis menſis Maſſiliam appuliſſe, & intra paucas ſeptimanas in hanc Urbem venturam eſſe, e Gallia ſcribitur, & hinc Stetinum profecturam. Familiae *Fulvii Urſini*, quae in Bibliopolio fori ovorum venales exſtiterant, pridem divenditae ſunt. *Goltzii* opera omnia nuperae editionis Plantinianae veneunt LXX. florenis. De *Poſſini* adverſus ſententiam meam Diſſertatione quod me monueris gratias tibi maximas ago. Ego in Vindiciis Manlianis abunde illi reſpondebo. Gaviſus fui e D. *Wallio* intelligere, Te Suecica Delegatione abdicata, Reipub. Amſterodamenſi operam Tuam addixiſſe: eoque nomine Tibi Urbique plurimum gratulor. Vale, Vir Ampliſſime. Scribebam praefeſtine. Antverpiae XIII. Calend. Septembr. CIↃIↃCLVI.

EPISTOLA CCCCLXXV.

CASP. GEVARTIUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Amſtelodamum.

CUm praeſtantiſſimus *Moretus* noſter ad nos properaret, committere non potui, quin graviſſimum, quem ex communis Amici obitu concepi, dolorem in ſinum tuum effunderem, atque ita levare paullulum & levire eundem conarer. Heri, ipſis Kalend. Octobr. Bruxellis ex lenta febricula deceſſit D. *Albert. Rubenius*, *Pet. Paulli*, Apellis noſtri, Fil. Regi noſtro in ſanctiore Concilio a ſecretis. Incredibilem ex immatura ejus morte jacturam fecere bonae litterae, & Seneca inprimis, variis locis ab illo illuſtratus. De Lato clavo, univerſaque re veſtiaria accuratiſſimos commentarios editioni adornabat. Praecedenti anno Filius ejus unicus, λυσσοδηκτος, a cane, inquam, rabido morſus obiit duodecennis. Atque acerbiſſimum iſtud vulnus animum ejus graviter exulceravit. Quanti Te, & eximiam eruditionem tuam ſemper fecerit, teſtis ego. Quocirca etiam atque etiam Te rogo, ut ejus Memoriae, brevi aliqua Elegia, (in quo genere Regnum obtines) parentare ne graveris. V. Cl. Pater tuus, ejus parenti amiciſſimus fuit, atque elegantiſſimo Epithalamio

eundem honoravit. Tu Manibus ejus id praesta. Et (ut cum Papinio meo Te compellem)

— *Confer gemitus, paritorque fleamus.*

Sed plura adjungere dolor prohibet. Vale, Vir Amplissime, nosque amare perge. Scribebam Antverpiae, VI. Nonas Octobr. CIↃIↃCLVII.

EPISTOLA CCCCXXVI.

CASP. GEVARTIUS

Nicolao Heinsio S. P. D.

Amstelodamum.

LItteras tuas & elegantissimam in *Alberti Rubenii* V. Cl. obitum Elegiam his diebus accepi: pro qua mecum gratias tibi immortales agit ὃ μανάρτυς ex Patruo Agnatus, *Philippus Rubenius*, Urbis nostrae secretarius, qui filius est *Philippi Rubenii*, cujus exstant Electa & Asterius. Epicedium istud omnibus numeris absolutissimum est & cum Nasone tuo certat: tuaeque in *Rubenianum* Nomen & erga me benevolentiae & affectus perpetuum monumentum. Curae mihi erit, si quae sint adfecta Amici nostri opuscula, illa in lucem prodeant. Interim Achatem Tiberianum sive Gemmam Caesaream, quae Divi Augusti Apotheosin & Imp. Caes. Tiberii, Augustaeque Domus procerum seriem & iconas complectitur, cum Peireskiana & Rubeniana Interpretatione, brevi edere decrevi. Exstat Achates iste incomparabilis in Gazophylacio Regis Galliarum, estque plusquam pedalis magnitudinis & figurae ovalis, aevo Tiberiano caelatus. Nullum pulchrius aut praestantius κειμήλιον ex tota Antiquitate ad nos pervenit. Quod tardius humanissimis litteris tuis respondeo, causa est quod occasione itineris Bruxellensis, Excerpta cod. Atrebatensis ex Ovidio, (de quibus ad me scripseras) a vidua petere, & ad te mittere constituissem. Sed, ecce fragilitatem & incertitudinem rerum humanarum: Viduam nudiustertius ex variolis decessisse, ex *Philippo Rubenio*, Urbis nostrae secretario, hodie intellexi. Auctio Bibliothecae instituetur. Catalogum, ubi impressus fuerit, ad Te mittam. Manuscripta & Observationes in hanc Urbem deferentur: & quamprimum de Excerptis illis inquiram. Claudianum tuum sub praelo esse, gaudeo. Ego *Vindicias Manlianas* nundinis proximis, (nisi inopinae occupationes publicae remoram injiciant) luci dare institui. Pro Appiani Illyricis ad me missis maximas tibi gratias ago. *Moretus* noster, altero post reditum e Batavia die gravissima febri laboravit. Sed (laus superis) modo convaluit, tibique officiosam salutem adscribi jussit. Vale, Vir Amplissime & eruditissime, scribebam praefestine Antverpiae, V. Kalend. Decembris CIↃIↃCLVII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCCLXXVII.

CASP. GEVARTIUS

Nicolao Heinſio Dan. Fil. S. P. D.

Amſtelodamum.

PHilippus *Rubenius*, *Phil. F.* Urbis noſtrae Secretarius, inter ſchedas agnati ſui *Alberti* cognominis reperiſſe ſe mihi dixit *Variantes Lectiones* in Ovidii lib. III. de Arte Amatoria: in lib. III. Amorum, in lib. I. Faſtor. Has *Variantes Lectiones* ex manuſcripto codice *Moreti* noſtri ſe deſumpſiſſe, in fronte exceptorum iſtorum manu ſua adſcripſerat ὁ μαχαίρας. Is *Moreti* codex, ſi, dum ante annos aliquot in hac urbe ageres, a Te inſpectus & collatus non fuerit, excerpta illius a pupillarum Tutoribus in manus meas conſignata, bona illorum venia ad Te tranſmittam, ut ſi quid operae pretium in illis lateat, a te cum honorifica Amici noſtri mentione evulgetur. An dictus *Moreti* codex idem ſit cum Atrebatenſi, collatis per otium cum Autographo Excerptis apud *Moretum* videbo, quem his diebus bis domi quaeſitum non inveni. Quod ſcribis Lib. I. Faſtorum, iſtum de Pompejo verſum in libris priſcis ſic legi:

Magne, tuum Nomen rerum menſura tuarum eſt.
Sed qui te vicit, te quoque major erat.

Acuta eſt conjectura tua:

—— Se quoque major erat.

Sed patere ut & meam adjungam. Puto legendum:

—— Re quoque major erat.

Nomen & *Re* inter ſe opponit Poëta. Et Pompejum quidem Magnum *Nomine*, ſed *Re* majorem Pompejo Caeſarem fuiſſe aſſerit. De *dentoſo buxo* conjectura tua ingenioſa eſt. Sed voculam (*dentoſus*) apud priſcos auctores legiſſe me non memini. Vale, Vir Ampliſſime. & eruditiſſime ſcribebam praeſeſtine Antverpiae III. Nonas Februarii CIↃIↃCLVIII.

P. S. Auctio Bibliothecae Rubenianae indicta eſt in diem XI. praeſentis menſis. Reſcire ex te uno verbo velim, an Euſebius Scaligeri cum poſtumis ejus commentariis apud vos ſub praelo ſit, ut hîc rumor eſt. Alias enim primam Editionem in auctione Rubeniana mihi compararem.

EPISTOLA CCCCLXXVIII.

NICOLAUS HEINSIUS

Gaſpari Gevartio S. P. D.

Antverpiam.

QUanquam remotiſſimus a te & in ultimo ſeptentrione poſitus, cogitationibus tamen frequenter tibi adſum, Vir Ampliſſime. Quin *Elzeviriis* noſtris, ut Naſonis mei recens editi exemplaria ad te ſimul & Cl. *Moretum*

Digitized by Google

mitterent in mandatis dedi. quanquam editio tumultuaria terſiſſimis manibus tuis indigna videbatur, volui tamen obſervantiae meae teſſeram hanc apud vos exſtare. Curis ſecundis lucubrationes iſtas jam percenſere coepi, omnia & limatiora & auctiora publico daturus, ſimulatque ſubſidia nova, quae hinc inde ab amicis exteris ſperare juſſus ſum, comparebant. Interim ſecundam Claudiani editionem hortatu *Elzeviriorum* adorno, qui typis majoribus elegantiſſimum ſcriptorem edendum ſibi propoſuere. Caſtigationes duas tresve, felices illas & ingenioſas, quas poſt primam editionem ſuggeſſiſti, notis inſertas videbis. Si quid praeterea conferre potes, ut tempeſtive facias, etiam atque etiam adhortor. Tum ne verbis vel tribus docere me graveris, quid de Antonino ac Manilio tuis, quid de aliis operibus, quae premis hactenus praelo parata, ſit expectandum. Inter maximam enim hominum eruditorum ſolitudinem hic degenti nihil acceptius hiſce compellationibus poteſt obtingere. Ante meam ex patria profectionem Haga Comitum ad te ſcripſi ſemel iterumque, ſed nullo impetrato reſponſo, quare minimum abeſt, quin pro re certa ducam literas illas non curatas eſſe. Ad Statii tui Silvas amaeniſſimas devertebar nuper, ſed alibi occupatus. Vel ſic tamen ſubnatae mihi conjecturae ſunt complures, quas fortaſſe non improbes, ſi legas. Epicedio in Patrem vſ. 38.

— — *ubi poſt Aeneia fata*
Solatus latiis ingeſſit montibus Albam
Aſcanius.

Cur vero *ſolatus fata Aeneia ob Albam conditam*? Editio Parmenſis A°. MCCCCLXXIII. procuſa, & quae membranarum veterum vicem praeſtet, *Stellatus* agnoſcit, non *ſolatus*. nec dubito quin vere. *Stellatum* enim *Aſcanium* in ſtatuis ac picturis exprimi ſolitum opinor. quod ut credam nummus antiquus facit in gente Tarquinia a Fulvio Urſino editus, qui caput Auguſti Caeſaris ab una parte, ab alia imaginem ſtellatam refert, quam Aſcanii eſſe gentis Juliae conditoris, cum alii alia inter antiquarios commenti ſint, perſuaſum habeo ut credam. Exſtant ejuſmodi numiſmata tria quatuorve apud me, probe conſervata atque illaeſa, ex quibus liquido apparet juvenilem eſſe vultum. Nam in opere *Urſini* parum fideliter nummus eſt expreſſus. Huc accedunt, quae de flamma in Juli capite viſa Virgilius, Claudianus & Sidonius Apollinaris narrant. Plura volebam, ſed omnino incertus, an hae ad te perventurae ſint, abrumpo ſcriptionem. Si quid literarum ad me perlatum cupis, *Ludovico* ac *Danieli Elzeviriis* librariis Amſtelaedamenſibus curandum mitte. Curae illis erit ut ad me perveniat, quicquid miſeris. Vale, Vir Celeberrime, Belgii noſtri decus eximium. Exarabam Holmiae Succorum A°. CIↃIↃCLXII. a. d. XXVII. Januarii Gregoriani.

Has ad Patrem *Wallium*, ut puer tuus perferat, vehementer te rogo.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCCLXXIX.

GODEFRIDUS HENSCHENIUS

Nicolao Heinſio.

Leidam.

JAm pridem accepi humaniſſimas mihi miſſas litteras, quibus diſtuli reſponſum, variis diſtractus occupationibus, potiſſimum quod codicem exaratum manu, de quo hic egeram, neſcirem reperire. Gaudeo Claudianum noſtrum profuiſſe; utinam reliqui aliquam antiquitati lucem praeferant, eos, ubi otio abundabis, cupio tantum conferri. Sufficit uſui poſſe eſſe bonum ſtudiis commune promoveri, neque, quod verebar, dum hi in Bataviam ferrentur, γλαῦκας εἰς Ἀθήνας mitti. Adventus tuus proximo vere gratiſſimus accidet, tum quos abſolveris referri ſufficiet. Plurimum nos tibi obſtrinxiſti, quod ad Acta Sanctorum illuſtranda varias bibliothecas excuſſeris, & catalogum miſeris in ſummo frigore deſcriptum ex volumine doctiſſimi Domini *Iſaaci Voſſii*, cui hinc ſtatuimus ſcribere, ſeu *P. Joannes Bollandus*, ſeu ego. Inter Poëtas Graecos collati ſunt Oppianus, Sophocles, Theocritus, Heſiodus, quos illi accuratius exponemus. Graecus codex manu exaratus in Tacticis eſt Onoſander ille idem, qui a *Nicolao Rigaltio* illuſtratus prodiit anno CIↃIↃC. in officina Commeliana, ut ex quatuor exemplaribus, quibus uſus *Rigaltius*, magis convenire videtur cum codice *Fed. Morelli*, de quo agit pagina 83. in Variis Lectionibus, quarum aliquas ab aliis iſtic obſervatis diſcrepantes notavi. Ὄρεξιν in hoc ſtudio moviſti, audeoque petere, quinam ex illis, quos idem *Rigaltius* in Notis ſuis poſt Praefationem ἀνεκδότους refert, editi ſint. Heronis βελοποιικὰ a *Bernardino Baldo* illuſtrata habemus typis Auguſtanis *Davidis Franci* anni CIↃIↃCXVI. an aliqua ejuſdem Heronis ab aliis eruta extant? Offertur ſubinde occaſio luſtrandi bibliothecas in antiquis coenobiis, in quibus ſimiles ſubinde theſauri latent, eoſque quaſi πρακτὸν ἄξοντες negligimus. Confidenter haec propono, non inſcius mutuum animum hiſce reculis foveri, & propenſiorem reddi. Vale, Vir Clariſſime, & amore coepto perge nos complecti. *P. Joannes Bollandus* officioſiſſimam adſcribit ſalutem. Antverpia. pridie Nonas Februar. CIↃIↃCXXXV.

EPISTOLA CCCCLXXX.

JO. BAPT. VAN STEENBERGEN

Nicolao Heinſio.

DOmine per me non ſtetit, quod ſaluti, quam tuis ad Dn. *Huylenbroek* communem amicum adſcripſeras, hactenus non rependi vices. Nam literae meae verecundatae ſunt adire te abſque admiſſionali. Tentavi nonnumquam,

an poëtico ſermone amorem erga te meum exprimerem, ſed obtorpuerant Muſae meae per forenſes tricas, aliaque negocia procul ablegatae. Itaque in ſtyli pedeſtris humilitatem revolutus ſum, quem & ipſum excuſabis deſuetudine ſilveſcentem. Verum & blaeſis & balbis venia datur ſuo more verba conantibus, & affectui non a lingua, ſed ab opera & fide teſtimonium eſt. Tu experire, & reipſa comperies, an quis te vel ſtudio propenſiore, vel res tuas majore diligentia ſit obſervaturus. Addes & animum, ut fugitivas Deas ſollicitem redire mecum in gratiam. Impetrabo, ſat ſcio, ſi minus deprecationibus meis, at meritis tuis. nec enim, credo, invidebunt mihi guttulam, laudibus tuis impendendam, cui totam indulſerunt Hippocrenen. audeon quiddam? ſed quid ni, cum apud amicum garriam ipſe amicus, & apud filium de parente concivi meo? Veniet in partes favor domeſtici Apollinis tui, Patris tui, inquam, viri ſupra ſeculum ſuum; qui nulli Veterum cedit, & cui Veterum plurimi cum recentioribus cunctis. Niſi quod, cum tua video, excidit mihi Vatis Umbri exclamatio, Cedite Romani ſcriptores, cedite Graji. cetera non adſcribo, ne offendam modeſtiam tuam. Interim perſuade tibi non eſſe hoc affectus mei judicium, ſed judicii affectum. nec meum dumtaxat judicium, ſed omnium, qui (licet in aliis caſtris) veſtra candide aeſtimant. Evenit adeo nuper mihi cum patre quodam Jeſuita ſermocinanti de poëmatis tuis, ut ille enixiſſimo impetu in laudes tuas erumperet, & ſcripta tua collegis ſuis in ſummo eſſe pretio teſtaretur. Quod in homine, qui Te ne vel facie tenus noviſſe ajebat, & ex illa cohorte, quae in ἐπεοδόξων ſcriptis cenſuram non ſatis aequam exercere ſeſe poſtulat, viſum eſt admirabile. Non dicam, quam id mihi perplacuerit. permittam hoc cogitationi tuae. Enimvero jam pudore ſuffundor loquacitatis. Frontem tamen perfricabo, nec deſinam, niſi obteſtatus fuero, ut Patri tuo, cui meis literis meliora ſtudia interpolare ducerem religioni, quemque numinum inſtar ſacro devenerari ſilentio potius eſſe reor, novum me clientem devoveas, tanto in cultu ipſius futurum ardentiorem, quanto ſe ipſum meritorum penuria agnoſcit, & fatetur aliis inferiorem. Precor etiam, ne ſi quid rei literariae heroës moliantur novi, me neſcire velis. item ecquid, & quouſque promoveris in criſi Ovidiana. Vidimus hîc *Salmaſii* diatribam de annis κλιμακτηρικοῖς, maximam de nihilo hiſtoriam. cognatus veſter *Judocus Waſtelius* hodie fato conceſſit. Plus temporis hac vice non audeo tibi ſubducere. & vero, *Pagina judicium docti ſubitura veretur Heinſiadae, ut Clario miſſa legenda Deo.* capis parodiam e poëta tuo. Vale, & crede ſerio te amari ab eo, qui in ſumma felicitatis parte collocat, licere ſibi paae ſe ferre, quod ſit tuus. Gand. XIX. Octob. CIↃIↃCXLIX.

Hic *Stembergius* vir Doctiſſimus, & Parlamenti Mechlinienſis Aſſeſſor & fiſci patronus poſtea fuit. vid. Epiſt. *Hadr Wallii* ad *Heinſium* t. III. pag. 887. & multa ejus mentio in *Graevii* ad *Heinſium* epiſtolis, ubi *Gevartii* Antoninum editurum promiſiſſe ſcribit *Graevius*, qui & Epiſt. LVII. eum in periculo (forte muneris amittendi) verſatum eſſe, ſed deceſſu Praefecti liberatum indicat.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCCLXXXI.

JO. BAPT. VAN STEENBERGEN

Nicolao Heinſio meo. S. D.

Leidam.

NIhil opus erat, ſuaviſſime Heinſi, ſilentio tuo ſemeſtri excuſando obtendere profectionem & aulam Suecicam: praeſertim apud me, qui vel è negociolis meis facile metior, quantum temporis Regia familiaritas debeat ſubducere. Enimvero Muſas tuas cordi eſſe Reginae tam eruditae idipſum gratulor plurimum. Felicem te, cujus verſibus capitur illa ſupra ſexum, aetatem, imo ſeculum ſuum heroina! qui in auguſtiſſima luce fama collocatus ſtudiis dignitatem, literis potes conciliare ſplendorem! quam diſpar fors eſt noſtratium aularum! ubi nullus ingenuae eruditioni jam honos, nulla bonae menti praemia: ubi nihil in pretio praeter pretium. Me *αὐτάρκεια* jamdiu poſſidet, phaleras, & caecae fortunae munera non ambientem, nec aeque habentem in votis, ac doctorum amicitiam & conſuetudinem, quibus ego ſupra humanae vanitatis faſtigia evectis ne vel comparare magnates ſuſtineo. Tuam comiter mihi conſervari peto, ſpondens meis me partibus non defuturum. Hendecaſyllabis tuis minime Septentrionalibus quod reponam, paupertina arcula mea non ſuppeditat impraeſentiarum: niſi vis hoſce loripedes, qui ſub manu excidere.

[1] *Heinſi, paternam cui Novenſiles Divae* &c.

Videbo an foetura proxima quid feret terſius. interim haec habe, quae voluiſti, & quod intriſti, exede. Quod ſi venam mihi commoveris, cave me clamitare quondam neceſſe ſit, Ohe: ſed cur ad amantiſſimum utriuſque noſtrum *Huylenbroekium*, non item ad me ſcripſiſti? Veriſimilium *Schoppii* libri IV. & commentarius de arte Critica, cum *Franciſci Robertelli*, & *Frederici Sylburgii* gemini argumenti lucubrationibus, edita Noribergae anno CIↃIↃXCV, & CIↃIↃXCVI. apud me ſunt. Suſpectas Lectiones ibidem a te editas ipſe teſtatur in Paedia, anno CIↃIↃXCVII. ſed illas mihi hactenus videre non contigit. omnia Antverpiae conquiri juſſi, opperiorque indies, an illic exſtent. quae ſi nactus fuero, Lugdunum curabo: ſin minus, Veriſimilia & Commentariolum de Criſi tantum, quibus (ut & quibusvis aliis) in tui gratiam carere, lucro apponam. ſignifica, amabo, ſi quid illic in re literaria prodeat novi. Vale, deliciae meae, & Dn. parentem meo nomine plurimum ſalvere jube. Scribebam ſumma feſtinatione Gandavi XXVI. Maji ipſo Adſcenſionis Domini CIↃIↃCL.

Obſignaturus eram hanc epiſtolam, cum nunciatur Antverpia nihil Schoppiani illic eſſe. quare, ut dixi, tantum Veriſimilia, & quae adhaerent, ad te eunt. Iterum vale. XXVII. Maji.

1 Hi verſus leguntur in Heinſii Carmin. Adopt. lib. II. pag. 73. Ideoque hic iterare non placuit.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCCLXXXII.

JO. BAPT. STEENBERGIUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Leidam.

Miraberis forſitan, Heinſi amiciſſime, moram in ſcribendo me traxiſſe tam longam, cum Tuis Holmia datis $\frac{5}{15}$ Aug. 1650. jam primum reſpondeo. Sed ſi credis eas ipſas a me primitus receptas $\frac{5}{15}$ Octobris, & quidem (neſcio quo fato) reſignatas, & me poſtea tam mole negociorum, quam titubanti nonnunquam, & non firmiſſima valetudine languentem, adde & comites *Huylenbrouquii* noſtri literas aſſidue expectantem, nec per ipſius nunc in Bataviam veſtram, nunc in aulam noſtram excurſantis abſentiam ante hunc diem impetrantem officium diſtuliſſe, non vereor, ut legitima excuſatione diluere me hanc incuriae ſuſpicionem judex non ſeveriſſimus facile patiaris. Hoc, ne exemplo peccaſſe videar, & ſilentium Tuum diutinum reciproca taciturnitate retaliare voluiſſe. Ingratiſſimus ſane merito meo audirem id agens, qui occupationes meas Claudianeis Tuis lucubrationibus potiores cenſerem, quod, quaeſo, munus cur malo nomini, Scioppianis (inquam) grandi verborum cortice caſſam nucem recelantibus Veriſimilibus ἀντιδώρῳ vicem obtinere voluiſti? Fateor, haec eſt permutatio Diomedis & Glauci. eoque magis, quod ἀντιτορχλεῖ doni Tui nunc temporis haud poſſum, niſi ſola grati animi ſignificatione repenſare. Quare ampliſſimas habeo gratias, & in aere tuo eſſe profiteor ob poëtam tam elegantem, tam doctum. Ita Tecum & Scaligero ſentio. *Lipſius* (non ille quondam Rex literarum, ſed hypobolimaeus ille noſtras) cenſet anguſti ſpiritus vatem, minorum gentium, & (ut loquitur) plebejum. Tuam fidem, Heinſi! nempe ille ipſe Ovidium Tuum nauſeat, & quidquid non ſapit Lucretianum. eadem porro ſententia veſcamur glandibus, reperta fruge Cereris. De Notis quod obtendis, non video quibus illae diſplicere poſſint, niſi forte quibus exoſum eſt nomen Heinſianum. Perge, perge, clariſſime amice, in Criſi iſta, unice mihi olim, dum ſtudiis florebam ignobilis otii, deamata, nunc per alias res prorſus e manibus abrepta. quin nec indulgere illi poſſum a libris calamo deſcriptis, aliiſque eimodi adminiculis, quibus Tu abundas, plane deſtitutus. quod Muſas, & carmen ingeris, admitto id quidem, ſed indies mihi vena non concuſſa magis magisque exareſcit. nec unquam adeo ἐνθουσιάζομαι, ut aliquam juſti operis telam detexere queam, animi calore per inſilientes quoque momento opellae noſtrae flagitationes evaporante nec vero deeſſe convenit Spartae, quae mihi obvenit, ſive delecta eſt. quod & Tu ſtrenue facis, ſed in auguſtiore fortuna, quam ex animo aggratulor, & flagrantiſſimam Heroidis Suecicae gratiam ſtabilem apprecor, aeque ut amicitiam erga me Tuam. Vale, praeſtantiſſime Heinſi, Gandavi $\frac{11}{21}$ Januarii 1651.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCCLXXXIII.

JO. BAPT. STEENBERGIUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Leidam.

CHriſtinam Auguſtam Tuam cum Tuis Lugduno datis XIV. Kal. Junias primitus accepi. cujus poëmatis cum mihi guſtus jamdiu motus eſſet variorum depraedicationibus, ſaturavi me lectione illius, eaque repetita, & ἀπνευσί. Fruſtra deſideras applauſum meum, nactus omnium. Nam quae ſubindicas de quibuſdam delicatulis, qui nonnulla de Auſtriacis malint non ſcripta; nihil eſt. Sane videntur ignorare illi, cui & in quibus oris ſcriptum ſit carmen iſtud, quidve conveniat in Regno, cui potentia Auſtriadarum (ut & Francis) unica belli cauſſa peccaſſes in τὸ πρέπον, ſi Batavus in Suecia aliter de re vulgo illic recepta vel ſentire vel ſcribere viſus eſſes. Non Te latet quidem ſummum virum parentem Tuum in ſcriptis ſuis ἀδιαφορίαν ubique ſervaſſe, an quo ubique & citra offenſionem legerentur? Sed Reſpublica veſtra tum temporis necdum adeo ſtabilita erat. Alia aetas alios mores patitur. Sed parum eſt quibuſdam non ſatisfacere, cum arriſit labor Tuus illi Heroinae, cui ſumtus eſt. Et quomodo non placuiſſet Epos plane Heroicum, Auguſtum, denique Heinſianum? quanquam poſſides, & in elegiis exprimis genium Naſonis, opus iſtud Te manifeſte prodit incaluiſſe a lucubrationibus Claudianeis. Quare, praeſtantiſſime amice, munus iſtud exoſculor, & repono inter κειμήλια. Soſpitet Te Deus, & quemadmodum ſortem Tuam hactenus provexit, ita cumulare laudibus & honoribus vitam Tuam deſultoriam, quam ominaris, porro pergat. Ego Polypus ſum, & ſaxo meo inſidens neutiquam divagor, illud meditans, λάθε βιώσας, & in privata fortuna ſtrepitus Aularum & Magnatum vanitates fortiter contemno. Vale φίλτατον κάρα cum Nobiliſſimo patre Tuo, cui manus quanta poſſum animi ſubmiſſione deveneror. Gand. VIII. Kal. Jun. CIↃIↃCLI.

EPISTOLA CCCCLXXXIV.

JOANNES BOLLANDUS

Nicolao Heinſio.

Leidam.

PAx Chriſti. Quas Holmia ad me nonis Septembris dediſti humaniſſimas litteras, eas ante plures hebdomadas a *Caſperio Gevartio* Viro Cl. accepi. Diſtuli tantiſper reſponſum, dum allatus eſſet Leida Claudianus Tuus; Tuus, inquam, qui plus a Te accepit ſplendoris, quam ab Stilicone olim, vel Olibrio ac Honorio ipſo & aliis, quos coluit. Semper me quidem Poëta ille delectavit; at nunc multo eum legam libentius, tanto a Te, Eruditiſſime Heinſi, ſtudio recenſitum. Tuas certe quidem in eum notas (ignoſce candori meo)

nemo leget, qui non ſublimem quamdam de Te concipiat animo opinionem. Dixi jam ſaepius *Henſchenio* noſtro: Qui in re tantilla eam adhibuit induſtriam ac judicium, nae ille, ſi unquam ad Rempublicam acceſſerit, illuſtre quiddam effecturus eſt. Neque minora auguraturos alios, & veriſſime, autumo. De Actis Sanctorum quod quaeris, ſpero me ante finem hyemis ſubjecturum praelo Februarium. Nullane vero in iſtis provinciis de iis, qui primi fidem invexerunt, aut vitae ſanctitate olim claruerunt, ſcripta extant? Habemus quae *Joannes Vaſlovius* edidit, titulo [1] *Vitis Aquiloniae*; item *Joannis Magni* hiſtoriam, & *Olai* admiranda. Vix de Suedicis antiquitatibus alii nobis noti ſcriptores. Si quid praeter hos extat hiſtoricum, Latina aut communi Germanorum lingua, libenter intelligemus, & qua ratione devehi in Belgium poſſit; pretium repraeſentaturi. Si quid item editum typis in ſapientiſſimae (ut vere eam appellaſti) Reginae inauguratione, quam longe magnificentiſſimam fuiſſe accepimus. Vale, Eruditiſſime Heinſi, & qui tam longuinquo loco dignatus es noſtri memor eſſe, quo Tibi officio gratificari viciſſim poſſimus praeſcribe. Ero certe, una cum *Godefrido Henſchenio* noſtro, in perpetuum ex voto debitoque, Nobilis ac Eruditiſſime D. T. D. ſervus in Chriſto. *Iſacio Voſſio*, ſi e Gallia rediit, ſalutem plurimam uterque adprecamur. Antverpia III. Id. Decemb. MDCL.

1 Hanc, qua vitae Sanctorum regni Sueco-Gothici enarrantur, emendavit & illuſtravit notis eruditiſſimis Vir praeclarus, & magnum hodie literarum apud Upſalienſes ornamentum, *Erius Benzelius* filius, Upſaliae CIↃIↃCCVIII.

EPISTOLA CCCCLXXXV.

JACOBUS VAN DE WALLE

Nicolao Heinſio S. D.

Leidam.

CLariſſime Domine. Quando te feliciter e Suecia rediiſſe, & eandem te rurſus cogitare intelligo, vario affectu animum mihi diffundi quoque ſentio. Nam & longum iter incolumem te confeciſſe laetor, & ut proſpere idem relegas, quoniam ita tibi conſtitutum eſt, precor. Difficilis viae moleſtias ſolari certe poteſt, & omnino debet ſereniſſima illa Regina, cujus conſpectus & contemplatio venerabundum te nuper ſuſpenſumque tenuit, atque iterum ad ſe rapit. Quae cum, ut ex te audio, non tantum litteras ſtudiaque illa noſtra complectatur & foveat; ſed, quod in ſumma illa auctoritate rariſſimi exempli eſt, iiſdem erudita etiam ſit, ſiquid illis dignum oculis ſcripſeris, leget, & aeſtimabit. Ergo quam in Italia *Medicaei*, *Valeſii* in Gallia de erectis ingeniis ac litteris ſibi pepererunt gloriam, eam nunc in extremo Septemtrione rurſus videbimus efflorescere. Quid autem, quando Muſarum conatus attollit ac provehit tantarum Heroidum ſingularis favor, non aggrediantur & poſſint? Itaque cum praeclara ſint omnia, quae hactenus ab ingenio tuo profecta ſunt, neceſſitatem hanc tibi impoſitam gratulor, qua ipſe te poſthac debes vincere,

hoc

hoc eſt, parenti tuo, viro incomparabili, propius accedere. De numiſmatis illis, quae Bruxellis proſtant, ſimul atque *Hadriani Wallii* ad me litterae pervenere, ad *Otbonem Zylium* ſcripſi. Nam ego nunc Gandavum, quo *Sidronius* noſter anno ſuperiore conceſſerat, commigravi, ut ne ſcilicet ſuaviſſima illa deſtitueremur conſuetudine & libertate, qua ex Horatii praeſcripto, ſiquid inter alias, quibus diſtinemur, occupationes interdum ſcribimus, alter alterius auribus judicioque ſubjicimus. Atque hic dum ad Scaldis aut Lizae ripam ſtrati ſubinde aliquid legimus, qua nos voluptate perfundi credis? An tu hanc nobis oblectationem intercipies & invidebis, ut ſi quo te ſpiritu Reginae illius majeſtas veneratioque afflaverit, illum itidem ex te non hauriamus? Equidem ſic Cl. Parentis tui poëmata nos interdum afficiunt, ut non modo a Caeſareis cunis, ſed ab ejuſdem ingenio immortale huic urbi nomen certo auguremur.

Sed nomen. ipſe abivi, abibit hoc quoque,

ajebat de ſe ſapienter in epitaphio ſuo *Lipſius*. Quare cum Deo placere, in quo ſita ſunt omnia, nemo poſſit, qui depravato in religionis rebus ſenſu ac judicio abduci ſe finat, hoc te per Deum rogo, ut de re tanta deliberare ſerio tecum ac mature velis. Et quoniam te antiquitatum cultorem eſſe video, ſi antiquitatem relegas, nonne ipſa nobis ſuffragatur univerſa? Primi illi Caeſares, quorum vultus in nummis expreſſos vides, quam trecentis illis annis inſectati ſunt Eccleſiam? illam noſtram, in qua & ſacerdotes, & ſacra noſtra. Conſtantinus Magnus cui Eccleſiae pacem attulit? illi, quam Silveſter Romanus Pontifex rexit. A quo inſtitutus? ab eodem, quem in Soracte monte deliteſcentem ad ſe evocavit. Quo auſpicio ad pontem Milvium Maxentii tyrannidem fregit? ſigno crucis. Cujus ſe precibus commendavit? Antonii, monaſticam vitam profeſſi. Quem Nicaeno in Concilio ſibi ſumpſit locum? Epiſcoporum & ſacerdotum auctoritatem reveritus, poſtremum. Atque haec, quae tu, ſcio, boni conſules, ut hiſce litteris adderem, fecit partim amor in te meus, & ingenii tui atque eruditionis aeſtimatio, partim aeternitatis, quae nos manet, immenſitas, & felicitatis illius, qua nunc *Kinſchotium* noſtrum frui ſpero, magnitudo. Ceterum quia poëtis jucundius accidere nihil poteſt, quam in tanta eorum, qui rem penitus introſpiciunt, paucitate, ab iis, qui id conſecuti ſunt, legi, his adjungo [1] poëmation, cui jam nunc poſtremam manum adhibui. in quo quid parenti tuo debeam, ipſe facile per te aſſequere. Ut mi-

1 Legitur in *Jac. Wallii* Heroic. Lib. II. pag. 89. in opuſculum poſtumum *Leon. Leſſii* de quinquaginta Dei nominibus. Ceterum ex hac epiſtola apparet, quam Jeſuitae ſemper conentur mentes eorum, qui cum illis commercia inſtituunt, depravare, & videtur hic *Jac. Wallius* cum ejus cognomine, neſcio an conſanguineo, *Hadriano Wallio*, collatis operis id egiſſe, ut *Kinſchotium*, *Heinſium* & alia ſeculi proximi divina ingenia a verae religionis profeſſione deducerent. de *Kinſchotio* vidimus Tom. III. pag. 883. ad Had. Wallii Epiſt. XXV. Oppugnantem mox Epiſt. 496. Heinſii conſtantiam videbimus, etiam *Papebrochium*. Utinam quid illis reſponderit Heinſius ſciremus, ſed defuerunt nobis priorum annorum Epiſtolae pleraeque, quas ad amicos miſit, fere ad Annum CIↃIↃCLXI. Non magnifice autem de Heinſii eruditione & ſtudiis ſacris ſenſiſſe debuit *Wallius*, qui obſoletis illis, & centies falſi convictis de Conſtantino & Silveſtro fabulis, fidem habiturum virum doctiſſimum, animum inducere potuit. Publice vero prodeſt tales epiſtolas edi, ut videant juvenes, quo in periculo verſentur, qui hoc hominum genere familiariter utuntur.

nutiora omittam, in illa comparatione, quae ſub finem lib. 1. de Cont. mort. legitur, *Ut cum flumina vaſta*, &c. conatus ſum cum illo contendere. Scripſit idem *Leſſius*, cujus opuſculum poſtumum hîc laudo, Conſultationem, quae fides & religio ſit capeſſenda, qua multorum animi ad ſanctiora traducti ſunt. Tu, quaeſo, libellum illum, qui obvius eſt, (neque enim diffiteri potes, quin tanti id ſit) inſpice, & expende. Vale, & a me & *Sidronio* parentem tuum V. C. quem ſuſpicimus, ſaluta. Gandavi. Kal. Junii, MDCL.

EPISTOLA CCCCLXXXVI.

JACOBUS VAN DE WALLE.

Nicolao Heinſio S. D.

Leidam.

CLariſſime Domine. Litterarum commercium, & cum eo amicitiae fructum, nuper tanto locorum intervallo nobis ereptum, nunc reſtitutum laetor. Quare ut primum de tuo e Suecia reditu factus ſum certior, meum eſſe duxi ad te ſcribere, tum ut de fama, quam tuae tibi Muſae non in Italia & Gallia tantum, amoeniſſimis Europae regnis, ſed etiam in Arctoo frigore pepererunt, tibi gratularer; tum ut gratias agerem de Poëmate, quo me & *Sidronium* noſtrum donaſti. In eo uterque laudavimus magnificum & robuſtum ſcribendi genus, quale plerumque affectat animus, cum ſe ipſo major ad panegyricos aſſurgit, urgetque praeſentius aliquod Phoebo

Numen, & incurſu mentem graviore fatigat,
Attonitoſque ſui perſultat imagine ſenſus.

De verſiculo uno alterove, in quo nimium ſibi Muſa permiſit, nihil dico, propterea quod id aulae, in qua verſabaris, moribus potius tributum, quam ex animo profectum eſſe credam. Mihi ſane placuit ſemper ille perennis & innoxius Ovidii candor, quo nulli, niſi ſibi, nocuiſſe Muſas ſuas profitetur. adeoque ſcribere ego ſemper velim, quae legere omnes itidem velint, & ut velint, amorem omnium benevolentiamque mereantur. Tu modo perge, ut Parentem tuum Virum incomparabilem proxime conſequaris, &, quod, ut ait Poëta tuus,

— *magis eſt optabile, vincas.*

parentis imitatione, quam Reginae gratia futurus illuſtrior. Sed & in illa ſatis admirari non poſſumus, quod etiam in Regibus rarum omnino eſt & ſingulare, eam & eleganter ſcripta intelligere, & aeſtimare, & honeſtiſſimis praemiis munerari. Cujus exemplo ſi ii, qui rerum alibi potiuntur, ingeniis ignes ſubderent, melius cum Muſis ageretur. Verum numquam non cum voluptate mecum ipſe recolo jocum illum plane feſtivum, quo Parens tuus V. C. uni tantum rei a natura diligentius proſpectum eſſe voluit, ut quemadmodum cicadae, ita ſolo quoque rore victitarent poëtae. De opere poſtumo *Kinſchotii* quo loco ſit, ipſe nunc coram vides: neque, quod me nuper monebas,

quin

Digitized by Google

quin per te nunc editionem urgeas, dubito. Age videamus brevi delicias nobiliſſimi Juvenis, tibi nobiſque amiciſſimi, & erepti deſiderium hac ſaltem parte ſolemur. Verumne eſt, iterum te Galliam, iterum Italiam meditari? Quid Ovidio tuo fiet? priusne ille, quam iter longinquum ſuſcipias, ſubjiciendus praelo? *Sidronius* notam unam alteramve non malam ſuggeret: tu opus aggredere. Cum nuper Antverpiae eſſem, diligentiam plane accuratam apud me inter alios complures laudavit *Bollandus* noſter, quam in Claudiano recognoſcendo notae tuae demonſtrant, ex eaque facile conjecit, ſi ad majus aliquod opus eadem conferatur, fore ut nihil lector in eo deſideret. Tanta etiam contingit gratia operae curaeque non maximae. Quamquam quid ego illam extenuo? cum curioſe, & feliciter, & ex vero multa in priſcis bonisque auctoribus emendare, requirat expoliti limatique judicii acrimoniam, qua ſibi nomen fecerunt, ex quo coeperunt renaſci litterae, tot eruditi viri. Solido enim iſta inveſtigari ac detegi nequeunt, niſi ab eo, qui proprietatem linguae, latentium ſenſorum vim, artem, decorum penitiſſime introſpexerit. Quare cum id quod a te profectum fuit, magni ſemper pro eo ac par eſt duxerim, tibi de illuſtrato Claudiano gratulor, majori id ſenſu facturus, ſi illum, qui nobis frequentius in manibus eſt, emendando interpungendove reſtitueris ſibi, aut juveris. Et quidem niſi ante iter Italicum opus iſtud abſolveris, nae tu fruſtra tibi a Romanis Muſis civicam coronam ob creditam tibi Naſonis tui vitam promiſeris. Irrito, certe in longum diem rejecto, promiſſo, tuum iſtud uſurpare quî poteris?

Tu quoque Taenariis, Ovidi, laetare ſub umbris:
Hoſpes, barbariem qui tibi tollat, adeſt.
Te teſtor, nec parva tuos mihi numina Manes,
Officium cura nil caruiſſe ſua.

fidem igitur tuere & actutum ſolve, priuſquam hinc evoles. Clariſſimum Parentem tuum avide hîc exſpectamus: pietati defueris, niſi illi in patriam venienti comitem te adjunxeris. *Hadrianum Wallium*, ubi videris, a me & *Sidronio* ſaluta. Vale. Gandavi, XIII. Junii, 1651.

EPISTOLA CCCCLXXXVII.

JACOBUS WALLIUS.

Nicolao Heinſio S. D.

Leidam.

CLariſſime Domine. Amicitiae, quae inter nos coire nuper coepit, fructum nobis ſuaviſſimum jam diu ademit itinerum tuorum ratio, quibus & Suecia & Italia ſecundo a te perluſtratae ſunt. Nunc dum, ut opinor, natali in urbe tibi & ſtudiis vacas, ut, quam eruditiſſimus parens tuus neceſſitatem tibi honeſtiſſimam impoſuit, ejuſdem famam pari laude tuearis, laetor eſſe mihi ad manum aliquid, quo intermiſſum conſuetudinis noſtrae commer-

cium inſtaurem.[1] Munuſculum quippe a me habes literarium, quod, ubi auguror, aeſtimabis, propterea quod in praeſtantibus rebus magna quoque ſunt ea, quae ſunt optimis proxima. Ego certe ad me pertinere illud credidi, quo parens tuus, cum Virgilium emendatiorem a ſe factum tibi inſcriberet, exemplo tibi fuit, quantum ad judicium interſit, ut qui maxima affectant, paucis ac praecipuis aſſueſcant. Illis aſſuefacti, ad hunc, quem in his libellis animadvertes, pervenimus ſcribendi cultum. Siquid tamen fuerit, quod aut tuo aut aliorum judicio fieri melius poſſit, id indicando & amicitiae noſtrae integritatem probaveris, & me beneficio non vulgari obſtrinxeris. Optaſſem Sereniſſimae Chriſtinae laudes, quarum materiam ipſa mihi, quam tibi, uberiorem nunc dedit, libello meo inſerere: ſed hoc alterius erit temporis. Illa ſane, quam prudentiſſimam eſſe noſti, hanc tibi, hanc omnibus, qui tecum de religione ſentiunt, mentem injiciat neceſſe eſt, ut ſaltem deliberandum putetis, num quod illa nunc profitetur, profitendum & vobis ſit. Vale, & me ſana ſuadentem ama. Antverpiae, 21. Martii, 1656.

1 Credo Poëmata ſua miſiſſe, quae hoc anno ex officina Plantiniana *Balthaſ. Moreti* prodierunt Antverpiae.

EPISTOLA CCCCLXXXVIII.

JACOBUS WALLIUS

Nic. Heinſio S. D.

Amſtelaedamum.

AMpliſſime & Clariſſime Domine. In benevolo illo tuo de libellis meis judicio te valde amo, non quod neſciam, quantum ipſe diligentiae praeſtiterim, ut tibi tuique ſimilibus, quorum exiguus nunc eſt numerus, placerem, ſed quod ipſe mihi facilius perſuadeam fore, ut noſtra ab iis expetantur, qui veterum & tuo exemplo ſcribunt. Neque enim aut amori tantum, aut ſtudiorum ſimilitudini acceptum refero, quod ita ſentias. Eſt illa in te eruditio cum ingenuo candore conjuncta, ut de aliorum judiciis ſecurus eſſe poſſe videar, qui laudatus fuerim tuo. Ut autem ad amicitiam noſtram aliqua fiat acceſſio, novo te munuſculo proſequor, quo, ſi viveret, auctor te donaret. Ego illius mentem probe aſſecutus, &, ut ita loquar, teſtamenti exſequendi curator te hoc legato muneror, in quo defuncti benevolentiam & eruditionem, & meum adhuc ſuperſtitis in te amorem ut praecipue aeſtimes, rogo. Neque accidere opportunius potuit, quam ut id amica Cl. V. *Hadriani Wallii* manu tibi traderetur, qui quod huic epiſtolae deeſt, ſua comitate & affabilitate ſermonis, cum te redux ſalutaverit, cumulate ſupplebit. Cum autem ſic noſtra laudaveris, Ovidianum illud in rem noſtram verbo unico leviter immutato accommodabo:

Quam mihi das, Heinſi, laudem, partire duobus:
Dimidium toto munere majus erit.

fuit

fuit enim *Sidronius* mihi, quod Polluci Caſtor, cui & natura me, & voluntas, & conſuetudo, & religioſi inſtituti amor aſſuefecerat, intimeque conjunxerat. Qui quo in honore ac Pretio parentis tui viri clariſſimi lucubrationes una mecum habuerit, ipſe teſtis ſum: nunc cum uterque vita ceſſerit, an pariter in illo beatorum domicilio laudes Deo concinant, tuum eſt attente cogitare. Ignoſce (nam aliter amare non novi) commonitioni meae, in qua aeternitatis propediem nobis imminentis res agitur. Interea tibi gratulor, & mihi gaudeo, quod Reſp. Amſtelodamenſis te ſcribam nacta ſit, qui non, ut quidam, forenſes tantum & capitales cauſas ſcripto conſignaturus ſit uſitatis ac vernaculis formulis, ſed ad ingenii cultum etiam ea, quae erudita poſteritas excipiet, & laudabit. Quamquam, ut ſenſum meum eloquar, metuo, ne hoc munere diſtrictus illud mihi occinas:

Nos alio mentes, alio diviſimus aures.

At tu te reſpice, & otio literato interdum te involve, eoque perfruere, & a tot viris ampliſſimis, qui Remp. ſic tractarunt, ut Muſas non negligerent, tibi exemplum cape. Age, videamus poſt illas, quibus interdum paſcimur, ingenii tui primitias aliquid, quo publicis negotiis implicitus te tibi imperare, & ad priſtinas amaenitates ſecedere potuiſſe teſteris. Porro quanta tibi, cum Romam perluſtrares, amicitia cum Illuſtriſſimo *Furſtenbergio* fuerit, e libellis tuis animadverto, quam mihi tecum communem eſſe non e meis tantum deprehendes, ſed multo etiam magis ex inſigni benevolentiae ſignificatione, qua mihi aditum ad Pontificem Maximum aperuit, fratrisque mei filio opulentum ab eo ſacerdotium impetravit. Tu vero uſus illo es valde familiariter.

[1] *Una domus, mens una duos ſociavit amantes,*
Et chelys alternam non ſemel una manum.

Teſtantur id praeterea Eſtenſes horti, qui eleganti ſane & amoeno epigrammati materiam praebuerunt. Quod ſi igitur mihi, qui amiciſſimum vultum numquam vidi, perſcribere digneris aliquid, quod meam in illum benevolentiam ſtudiumque augere poſſit, facere mihi gratius nihil poteris. Scis ipſe quam juvet eorum, quos diligimus, & ſtaturam, & vultum, & colorem, & multo magis ingenii ſuavitates virtuteſque cognoſcere. Quare per amicitiae ſacra te rogo, ut mihi de illo ſcribas aliquid, & me, quod facis, amore pergas. Antverpiae, 21. Aug. 1656. Salutant te plurimum PP. *Bollandus* & *Henſchenius*. *P. Otho Zylius*, quem, ut puto, Bruxellis aliquando in bibliotheca noſtra videris, abhinc dies paucos naturae conceſſit.

1 Eſt ex N. Heinſii Elegia ad Ferdin. Furſtenbergium, quae lib. II. El. IX. legitur. de Eſtenſibus hortis, quos ſimul cum Furſtenbergio perluſtrabat, eſt carmen lib. III. Silvar. pag. 199.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCCLXXXIX.

NICOLAUS HEINSIUS

Jacobo van der Walle S. J. T. S. P. D.

Antverpiam.

PRaeterita aeſtate poſt meam ex patria profectionem, cum manus ſuprema edendo Naſoni a typographis eſſet impoſita, quem notis meis illuſtratum ex fide veterum membranarum plurimis in locis correctum *Elzevirii* Amſtelaedamenſes typis ſuis deſcripſerant, injunxi illis, ut quatuor exemplaria mitterent Antverpiam, quorum bina tibi ac R. P. *Johanni Bollando* cederent, bina *Gevartius* ac *Moretus* Viri Clariſſimi auferrent. Libellos vobis oblatos eſſe ne dubitem explorata mihi multis argumentis *Elzeviriorum* fides ac ſedulitas facit. Ut dubitem veſtra taciturnitate adducor; ſi mandato fideliter perfuncti ſunt, fac, quaeſo, verbis vel tribus id ex te intelligam. Omnia curis ſecundis ad limam revocare coepi. Multa ſubnaſcuntur de novo hactenus mihi non animadverſa, ſed otium votis meis non reſpondet. Miratus es ſine dubio audaciam meam & temeritatem, qui verſus frigidos ac jejunos maximi poëtae ſcriptis praefigere plus uno loco non erubuerim, ſed jacta alea eſt. Poëmata tua luculentiſſimum ac terſiſſimum opus mecum ubique circumfero, & manibus aſſiduis tero volumen, quod tua munificentia poſſideo. quo magis videre exopto, ſi quid novi iis acceſſit. ita enim intellexiſſe, neſcio unde videor, nec credibile ſit ſecundum illud ingenium tuum poſt tam felices ſucceſſus ceſſare. Pluribus te compellabo, ſi has tibi redditas eſſe intellexero. Vale, Vir ſumme, & me, quod facis, nominis tui ſtudioſiſſimum amare perge. Si quid litterarum ad me dabis, id Amſtelaedamum perferri ac D. *Ludivico Danielique Elzeviriis* tradendum cura. Operam dabunt illi, ut faſciculus haſce in terras tuto ad me perveniat. Exarabam feſtiva manu Holmiae Suecorum. Anno CIↃIↃCLXII. a. d. XXVII. Januarii Gregoriani.

EPISTOLA CCCCXC.

JOHANNES BOLLANDUS

Nicolao Heinſio.

Hagam.

PAx Chriſti. Nihil mihi poteſt jucundius accidere, quam ut Clariſſimae Dominationi Tuae quacumque in re deſerviam. Cum igitur heri epiſtolam Tuam accepiſſem, qua ſignificat ſe poſt varias peregrinationes quieti tandem redditum, denuo admovere manum recenſendis edendisque veteribus poëtis; inque eam rem commodari ſibi ad tempus cupere Silii Italici, quod habemus, exemplar, olim a *Grypbio* excuſum, cui additae ad marginem cujuſpiam viri docti manu variae lectiones; illud mox charta involvendum accepi in manus, miſ-

Digitized by Google

missurus prima opportunitate vel amici Hagam proficiscentis, vel farcinae librorum a quopiam bibliopola isthuc destinandae. *P. Jacobum Waltium* vestro nomine salutabo, cum occasio feret, ut vel ego ad eum ad collegium Convictorum, in quo degit, vel ipse ad hanc domum veniat. *P. Godefridus Henschenius* profectus nuper est Romam, ut bibliothecam Vaticanam aliasque perlustret, & quae de actis SS. nos hactenus fugerunt, eruere possit, tum Latina, tum Graeca. Invitatus ego illuc fui ante annos complures ab aliquot Praepositis Generalibus Societatis nostrae, sed ut venirem, cum mihi opportunum videretur. Dum in annos differo, ut aliquot meditati operis tomos protruderem in lucem, interea sic afflicta valetudo mea est, ut omnino tam longinquo itineri ferendo non sim. Obtinui igitur ab admodum Reverendo Patre Generali nostro, ut *P. Henschenio* cum alio comite venire illuc liceret. Idque eo celerius fieri volui, quod D. *Lucae Holstenii* saepius jam gravi morbo tentata valetudo sit, cujus tamen favore, dum licet, utendum, ne quis ei submorosus ac difficilis in praefecturam bibliothecae Vaticanae succedat. Scripsit mihi postremo *P. Henschenius* Francofurto XXVIII. Augusti: satagit enim delibare, si quae in itinere occurrant scripta antiqua. Cum ei scribam multam verbis vestris salutem nuntiabo: & ero quo ad vivam, Servus in Christo. Antverpia Nonis Septembribus MDCLX.

EPISTOLA CCCCXCI.

DANIEL PAPEBROCHIUS

Nicolao Heinsio.

Hagam.

CLarissime Domine. Accepimus Prudentium tuum, gratissimum munus; in quo quod excusaremus invenimus nihil, praeter solicitam excusationem tardius exolutae promissionis: quae ut minime apud amicos necessaria fuit, expressionem tamen continebat affectus, & animi officiosissimi. Ego observationes vestras ad Hymnum IV. *θεὶ σφαιῶν* statim consului, quo ipsum ad XVI. Aprilis correctionem ederem: neque id frustra fuit. Quod si Dominario Tua praeter istic notata etiam invenit, quo meam in versu 46. correctionem seu potius conjecturam fulciam, gratum erit subsidium.

Ingeret Tingis sua Cassianum
Festa Massylum monumenta Regum.

Quid si pro *festa* legatur *Fessa*, urbs Regia in mediterraneis Tingitanae provinciae? si ibi sepulti credantur Massylitani Martyres, quorum memoria agitur 9. Aprilis, quique Regiae stirpis fuerint, ut propterea etiam Reges vocentur? Correctione certe aliqua videtur opus esse, quia nullum commodum sensum alias assequor, nisi eum me doceas. Aprilis noster ad praelum hîc Antverpiae datus est mense Majo: & progreditur tam celeriter, ut cum jam nunc 150. folia habeantur impressa, certo sperari possit finis in autumno sequentis

anni. Mihi incumbit praeparare materiam, ſupplere deficientia, emaculare typos, impreſſa recognoſcere, conficere indices, ut a ſpinoſioribus minuſque amoenis liber ſenior magiſter meus componendo Majo jucundius occupetur. Iſtis ergo occupatus, & ultra non inveniens quod hiſce addam, finio cum voto publicae privataeque quietis, tum meo, tum P. *Henſchenii* nomine, qui pridem litterarum ſcribendarum partes in me tranſtulit. Antverpiae 14. Auguſti 1673.

EPISTOLA CCCCXCII.

DANIEL PAPEBROCHIUS

Nicolao Heinſio.

Hagam.

AMpliſſime Domine. Praeſentia Domini *Auſelmi* noſtri, admonet me officii diu dilati, quo volui cum Amplitudine Tua communicare Soteria Furſtenbergica, ſimulque indicare, quo in ſtatu ſit opus noſtrum. Ea igitur vel ſero nunc mitto, cum apprecatione feliciſſimi anni; ſignifico etiam Majum noſtrum quinque tomos impleturum, jam ab anno verſari ſub praelo, unde exiturum ſpero anno 1680 aut ſequenti. Valet ad ſtudia aeque ac alias P. *Henſchenius*, quamvis annos cum ſeculo numeret: ne tamen eo citius fortaſſe quam optemus eripiendo, ſolitarium me deſtitui contingat in molitione tam vaſta, proviſum a ſuperioribus noſtris eſt adjunctione P. *Danielis Cardoni*, perquam idonei ad haec ſtudia & optime animati. Itaque jam tertium famulum tuum Antverpiae habes communi nobiſcum vinculo adſtrictum tibi, quod proteſtor hac 28. Januarii 1678.

EPISTOLA CCCCXCIII.

DANIEL PAPEBROCHIUS S. J.

Nicolao Heinſio S. P. D.

Vianam.

MEas, quamvis tarde, perlatas gaudeo: elegantiſſimis tamen munuſculis Tuis quod reponam ſuppetit nihil, praeter hoc tenue Euchariſticon: cui accedit ſpecimen Kalendarii Muſcovitici, paulo elegantius, quam ex Muſcovia informi plane celatura expreſſum in ligno allatum eſt, repraeſentati, ad ornamentum Maji: cui hujuſmodi duodecim tabulae, cum ſua explicatione & collatione ad faſtos Graecorum, praeludent. Sed bene! quod cum propria deficiant, gratificari poſſim de alienis, mittendo *Wilthemii* Annotationes ad diptycha & horum appendicem, nec non diſſertatiunculam de Iconibus Conſtantini Imp. & Helenae matris. Haec ergo accipe, quo mittuntur affectu. Mora in Silio Italico remittendo nobis neutiquam fuit incommoda; quare nec de-

Digitized by Google

debuit excuſari. Majus noſter procedit ſub praelo, ad quod hoc autumno vel ſaltem hieme adducetur quartus ejus tomus, duobus primis jam fere abſolutis, tertio aliquatenus progreſſo. Valet optimus ſenex *Henſchenius*, & ſenis adhuc horis ſtudet quotidie, Junio eminus praeparando vacans: *Danielem Cardonum*, quem toto triennio jam formaveramus in ſpem ſucceſſionis, abſtulit feralis anni ſuperioris Autumnus, qui ex hac una noſtra domo intra dies octodecim ſuſtulit Euangelicos operarios quatuordecim, dum diu noctuque, requie nulla indulta, ipſe aeque ac ceteri aſſiſtit aegris moribundiſque: quae res etiam mihi altera jam vice morbum letalem attulit. Quod conſiderantes Superiores, exemerunt me a communi ceteris onere audiendarum ſtato in loco feſtis Dominicisque diebus confeſſionum, eo quod huic curae inſeparabiliter connexa ſint impendenda ſanis conſilia, aegris ſolatia, auxilia morientibus, cum grandi impendio temporis, nec non vitae periculo quotidiano, quoties ſolito gravior mortalitas ingruit. Ego huic Superiorum voluntati eatenus acquieſco, quatenus meliorem victimis obedientiam eſſe intelligo: alias quis deſes in Muſaeo, in ejuſmodi publica calamitate (quam utinam diu avertat ab hac urbe Deus!) reſidere poſſit, neque malit pro fratribus, extremae opis indigis, animam exponere, & ſi vocaverit Deus, ponere? Sed quo ego? pene oblitus me epiſtolam ſcribere. Verbum igitur addo, & finio. Quereris de contumacia valetudinis? doceat haec terrena deſpicere quae praetereunt, & amare coeleſtia quae durant aeternum. Huc dum mea pro Te amiciſque omnibus vota fero, non deſinam interim praeſtare obſequia, etiam in levioribus rebus, quoties occaſionem dederis. Nunc vale. Antverpiae v. Kal. Septembr. 1679.

EPISTOLA CCCCXCIV.

NICOLAUS HEINSIUS

Danieli Papebrochio.

Antverpiam.

MUnuſcula tu vocas, quae luculenta ac plane aurea plumbeis meis reposuiſti dona, ne quid pluribus excurram in eorum commendationem. Certe delector immane quantum ejuſmodi antiquitatibus. Diptycha etiam Wilthemiana praeter oblectationem non parum emolumenti ſtudiis meis ferunt. quo impenſius optem copiam mihi fieri, ſi ſine ullo veſtro incommodo confieri queat, ectypi illius, quod Aprili veſtro, ſi quid *Wilthemio* credimus, a ſe ſuppeditatum vos inſeruiſtis: id enim in ſuis hujus argumenti commentariis ille non expreſſit, & pagella, qua id exhibetur, veſtris in ſcriniis alicubi fortaſſis otioſa & a magno opere divulſa oberret. Hactenus enim tres tantum primos menſes operis veſtri in armariis meis poſſideo. Aprilem unde mutuari detur, notus eſt hîc terrarum mihi nemo. Cauſſam curioſitatis hujus audi. *Wilthemius* prolato Diptycho *Flavii Aſtyrii* Conſulis ordinarii; cum bini in faſtis Romanis Conſules Aſterii occurrunt, priorem *Aſtyrium* ſive *Aſturium*, poſterio-

riorem *Aſterium* eſſe dicendum contendit, adverſus virum ſummum *Jac. Sirmondum*. Ego poſteriorem fuiſſe *Aſtyrii* nomine inſignitum ex ipſo Diptycho convinci poſſe opinor, quod volebat *Sirmondus*. Priori nomen fuit *Turcio Rufio Aſterio Aproniano*. Id me docuit vetuſtiſſimus omnium, quotquot exſtant hodie, Maronianus Codex Mediceae Bibliothecae, qui hunc ipſum Aſterium poſſeſſorem quondam habuit, eundem plane, cujus beneficio Sedulii poëmata ſunt conſervata & ad poſteros pervenere. Qua de re ad ipſum Maronem pluribus. R. P. *Henſchenio* crudam viridemque apprecor ſenectutem, & vitis ſanctorum pertexendis parem. Vale, mi pater, & inanem frugis epiſtolam boni conſule. Vianae XVIII. Octob. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA CCCCXCV.

DANIELI PAPEBROCHUS

Nicolao Heinſio.

Vianam.

AMpliſſime atque Eruditiſſime Domine. Pax Chriſti. Mitto prompte, quod poſcor San. Maximianaei diptychi ectypon, obligatus novo beneficio, quo feciſti, ne circa *Aſterios* omnia crederem *Wilthemio* noſtro, libenter poſtea intellecturus, quomodo *Sirmondi* ſententia ex ipſo Wilthemiano Diptycho probetur: huic interim epiſtolam veſtram jungo, ut ſemper ad manum ſit, ſiquando uſus aliquis ejus erit. Significo praeterea quod Pariſienſium plerorumque Eruditorum concordi ſuaſione perſuaſi ſimus partiri editionem noſtri Maji, atque primos tres tomos luci publicae dare ſtatim, ac potuerint impreſſi haberi, poterunt autem Majo proximo: aliorum vero trium tomorum non prius inchoabimus impreſſionem, quam plene perfecta ſit compoſitio; atque ita poſtea conſtituimus pergere; ne evenire poſſit, quod nuper fere accidit, ut mortis aut alio caſu ſuperveniente, vel nos vel typographus incurrat grandis jacturae damnum, propter moram coeptae ſemel impreſſioni fortaſſis interponendam. Salutem his addit ὁ παυκράτιος noſter ſenex, cum quo maneo. Antverpiae 30. Octobris 1679.

EPISTOLA CCCCXCVI.

DANIEL PAPEBROCHIUS

Viro D. Nicolao Heinſio S. P. D.

Vianam.

VEſtras quidem Vianae datas Kal. Octobr. reperi Antverpiae illuc initio Novembris revertens e Weſtphalia: ſed reſpondere diſtuli, cum quia ipſae reſponſoriae erant, & non habebam circa *Aſterios* quod addere poſſem praeter nudum aſſenſum, tum quia accumalata per abſentiam negotia urgentiora, & in-

invaletudo *P. Henſchenii* jam octogenarii, ſuadebant in aliam occaſionem differre ſcriptionem. Nunc a noſtro *P. Engelberto* poſtulatus certuſque Dominationem Tuam adhuc Viane reperiendam breviter reſcribo: veſtram de *Aſteriis* ſententiam mihi placere, circa Epigramma vero illius occurrit dubitare, an in pentametro ultimo non melius legeretur *partas opes*, quam *parcas*. Doleo interim per veſtram invaletudinem praeſcindi ſpem colloquii & conſpectus mutui; interim opto ut dum corpus infirmatur convaleſcat ſpiritus ad abrumpenda ea vincula, quae Te fortaſſis adhuc retinent, ad Catholicam fidem, quam unice ſalvificam eſſe non puto quod poſſis ignorare, publice profitendam: atque huc lubens vota & preces addam ſalutis & proſperitatis tuae praeſertim aeternae cupientiſſimus. Antverpiae 17. Februarii 1681.

EPISTOLA CCCCXCVII.

ADOLFUS VORSTIUS

Nicolao Heinſio.

ἐν πεζάθεν.

Holmiam.

NObiliſſime & amiciſſime Heinſi. Cum ſpem nobis feceris tui videndi intra paucas hebdomadas, tribus modo lineis in praeſens te compellabo. Scripſi ante menſem unum atque alterum ad cognatum *Moucheronem*, tuiſque incluſas meas tranſmiſi. Nullus dubito quin optima fide illi fuerint per te traditae. Reſponſum hactenus accepi nullum; quamvis inprimis id deſiderarem. More ſuo Lentulus eſt. quaeſo velle ei aurem, ut torporem iſtum excutiat. Pro exemplari tuorum Poëmatum gratias tibi & debeo, & habeo maximas, relaturus ubi occaſio ſe obtulerit. Pergis poëta eſſe inſignis ac patriſſare. Nolim tamen ſemper, hoc eſt tota vita, poëtam te agere. Cauſas praeſenti exponam, ſi Deus volet. Orationis funebris in Illuſtris *Salmaſii* exceſſum exemplar una mitto. tui id facio juris. ſi legere nolis, abjice mox, aut Coripedi Deo uſtulendum trade. Niſi forſan malis cognato *Moucheroni* donare. *Voſſio* ut des veto, nimis enim male de me & defuncto *Salmaſio* meritus eſt. Ea eſt hominis maledicentia, ut ante annum praeter propter in aedibus meis, praeſente *Holſtio*, cum verba inter nos commutaremus, & querelam meo etiam nomine contra illum inſtituerem, non veritus fuerit tantum virum, cui plurimum obſtrictus erat, vocare mendacem, ſceleſtum & nebulonem. Vide hominis impudentiam & malam linguam ac effrenem. Notum illud Euripideum; *Ἀχαλίναν στομάτων χ' ἀνόμου ἀφροσύνης τὸ πάλαι δυσχέρεια.* Dolet ex animo quod tanti patris mihique amiciſſimi ſit degener filius. Sed mitto ingrata iſta, & te ſalvere jubeo cum cognato, uxore ejus ac Doctore *Wullenio*. Deus bone! in quae tempora nati ſumus. Regibus cum ſceptro vita eripitur a ſubditis. Reginae ſponte ſceptra deponunt, ac privatae eſſe volunt ſibique ac Muſis vivere. Cujus rei Carolum V. poenituit, eodem quo id fecerat die. Meum non eſt eorum arcana curioſius inquirere. Non deſinam interim Reginarum maximam ſive

imperet, ſive non, venerari ac colere, cum omnia in illa ſint ſumma & captum noſtrum excedentia. Iterum Vale, & Illuſtriſſimum Comitem *Bantirium* meo nomine officioſiſſime ſaluta, cui opto proſpera omnia cum matrimonio nuper, ut audio, inito. Raptiſſime & ſtans pede in uno. Lugd. Bat. A°. CIↃIↃCLIV. IX. Maji.

EPISTOLA CCCCXCVIII.

ADOLFUS VORSTIUS

Acad. in praeſens Rector,

Nicolao Heinſio F. S.

Hagam.

VIxit *Scriverius* noſter, exacto aetatis anno octuageſimo & quarto, parentis tui, τῷ μακαρίτου, amicus olim ſummus, craſtina die efferendus. Feci equidem ego officium hodie meum una cum Cl. *Golio* in domo demortui. Filii autem de patris optimi honore ſolliciti, ſero licet, deſiderant id unice, uti verſus nonnulli hominum eruditorum in exequiis, & poſt ductum funus, compareant, atque defuncti amicos inter diſtribuantur: ſuccurrebas unus tu, vir doctiſſime amiciſſimeque, inter alios & quidem praecipuus, qui praeſtare id poterat quam cumulatiſſime. Sed quid faciam, dicamve? obſtare temporis videtur anguſtia. Attamen quae ingenii tui induſtriaeque eſt tum magnitudo, tum promptitudo, qui amor in *Scriverium* τὸν ἐν ἁγίοις, dubito nullus, quin tu, promptus qui es ad extemporalitatem uſque, defuturus neutiquam ſis tanti viri haeredum deſiderio. Si cras circa meridiem ad me miſeris tuarum aliquid cogitationum, tempeſtivum adhuc ſatis erit, uti, me procurante, id imprimatur, &, poſt ductum ad ſepulchrum cadaver, exhibeatur iis, qui pompae funebri interfuerunt. Nihil impero, aut imperare poſſum, mi Heinſi, verum rogo ut amicus tuus ac paternus, tum beati *Scriverii* noſtri, quem ad plures abiiſſe multorum conſtat teſtimonio, ſuffecerint haec ipſa viro ſapienti ac cordato, hoc eſt tibi. Nec dubitandum eſt mihi, quin exſpectationi meae ac filiorum optimorum Scriverii, lubens, niſi vis quaedam major interveniat, ſis ſatisfacturus. Itaque aut epicedium aliquod eruditum, aut reſponſum ſaltem tuum exſpectabo in craſtinum. Vale & Salve, virorum amiciſſime, & me tuum ex aſſe eo, quo te proſequor, affectu identidem proſequere. Cl. *Voſſii* & *Wallii* noſtri Muſam, ſi potes, excita. Iterum vale amice magne. Lugd. Bat. Anni CIↃIↃCLX. V. Maji.

Scripſit *Heinſius* Epitaphium *Scriverio*, quod legitur libr. III. Silvarum pag. 203.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCCXCIX.

ADOLFUS VORSTIUS

Nicolao Heinſio.

Hagam.

CLariſſime & amiciſſime Vir. Ignoſce, quaeſo, ſeni mihi, quod heſterna nocte quietem interturbaverim tuam intempeſtivis, aut potius importunis meis literis. Accepi hodie menſae accumbens egregium Epitaphium tuum, cum epiſtolio opiſtographo elegantiſſimo. Placuit illud, placuit & hoc: quin imo ingentes tuae humanitati debeo gratias, quod tanta promptitudine, non dico mandatis meis, quae nulla dedi, ſed rogatui feceris ſatis. vivat Heinſius meus, & cum illo quidquid eſt politioris literaturae, ac verae genuinaeque Poëſios. Imprimi Epitaphium tuum non potuit, quod tempus deſtitueret typothetas. Interim non privaberis honore tibi debito, cum Clariſſimus *Gronovius* noſter orationem funebrem in obitum communis amici noſtri, *Scriverii*, τῷ ἐν ἁγίοις, habuerit. Recepit enim in ſe id onus, ubi exactis hiſce feriis, Daventria ad nos redierit. Uxor ejus, quae uti noſti, πόλαμος eſt, eum iſtic praeſtolatur, jam ab aliquot ſeptimanis ſecubantem. Deus bone! quam acris futura eſt prima illa coitio. Noli dubitare quin acerrima erit. nam ſucci plenus noſter eſt, & antehac in caſtris Veneris militavit miles haud inſtrenuus. *Baudius*, ut eleganter pater tuus ſcripſit olim, poſt ductum uxoris funus, vinum guſtare voluit, aut ſi id mavis, Rhenenſe nectar, cui illo ſeculo tribuebat plurimum eruditorum natio. ego a funere b. m. *Scriverii* redux, accepto calamo nugari tecum cepi, quo animi mei moeſtitudinem abſtergerem. De filiis defuncti quid dicturus ſim, neſcio. Ruſticis ſatis moribus eos eſſe comperio, neque ad paternas accedere virtutes. Cum Collegium Profeſſorum ad exequias ſolenniter vocaſſent, poſt Magiſtratum civicum, e quibus nullus ibi comparuit, & Doctorculos nonnullos, voce praeconis, aut Nomenclatoris citati ſumus. Generoſo tamen ſtomacho concoxi iſta, & contemptu ſolo illatae injuriae me vindicavi, ordinemque noſtrum. Mitto ad te carmina, quae a ducto funere nobis fuerunt obtruſa. Agnoſces me quoque principibus permiſtum Achivis, ſed Poëtam diobolarem, & archaïcum, priſci ſcilicet moris ac aevi. Belgicum, quod vides carmen, Satyricum plane ac Scriverianum *Vondelii*, quantum ego quidem conjicere aut ſubodorari poſſum, foetus eſſe videtur γνήσιος. Adderem plura, niſi hora quae inſtat ſemi ſeptima; qua navis abituriens ſolvitur, me moneret brevitatis. Salve igitur ac vale, delitium meum, & credo nihil eſſe mihi prius, quam uti abs te amer, qui te amo ſine fraude doloque, aut ut vetere graeca utar formula, quae *Baudio* familiaris erat, ἄνευ δόλου καὶ ἀπάτης. Lugd. Bat. A°. CIↃIↃCLX. VI. Maji. Si quid me amas, me filiumque meum Illuſtriſſ. Galliarum Regis Legato *J. A. Thuano*, commendabis, eique ſalutem a me dices officioſiſſimam plurimamque.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA D.

ADOLFUS VORSTIUS

Nicolao Heinſio.

Holmiam.

NObiliſſime & ampliſſime Vir. Quantam ex literis tuis ceperim voluptatem, vix eſt ut verbis ullis exprimam. Conſtantem enim animum tuum in nos amando, noſtrisque rebus bene cupiendo, ſicuti iis teſtatum voluiſti luculentur, ita mihi eo nomine gratulor ſerio. Facis, mi Heinſi, quod pectus tuum generoſum candidumque decet, cum parentis tui, τῦ πάνυ χ) ἐυ ἀγίτις, amicos veteres tam impenſe diligis ac religioſe colis. Utinam ego aliquid adferre poſſem ad te ex virtutibus tuis ac meritis ornandum. Non enim neſcis quanti te faciam, quamque tuis gaudeam commodis. Doleo familiaritati, quae tibi jam multis ab annis cum *Moucherone* noſtro fuit, nubeculam interceſſiſſe aliquam, e publicis exortam litibus inter Suecorum & noſtrae gentis mercatores. quarum cura cum ad utrumque veſtrum ſpectet, contrariis tamen id agitur partium ſtudiis. Interim erigis me iterum, cum ſpem facis, compoſitis hiſce diſſidiis, ad priſtinae conſuetudinis uſum vos redituros. Quod, niſi jam factum, ut propediem fiat opto magnopere, qui familiae iſti ex animo bene volo. Perculit me nuper haud leviter optimae ſororis tuae, matronae ſuaviſſimae, repentinus obitus. Novi ego quid ſit tam cari capitis amiſſio, utpote anno proxime elapſo ſimile expertus damnum. Solatia hoc triſti in caſu vera is tibi largiatur, cujus nutu ac voluntate haec nobis eveniunt. Domi meae ſalvae nunc res ſunt, ſupremi Numinis favore. verum a quatuor fere menſibus exercuit me graviſſimus morbus filiae meae natu minimae, atque ejus etiam, quae hanc ipſam aetate antecedit. Quin me quoque inviſere voluit inviſa & ingrata hoſpes, Diva Podagra, ſed ad breve tempus. Si mei voti res eſſet, juberem illam in perpetuum res ſuas ſibi habere & Domo noſtra exulare. Clariſſimo *Golio*, qui cum adverſa luctatur valetudine, de libello Arabico, Pythagorica complectente dogmata, aurem vulſi, & a te ſalutavi. Verum reſponſum tuli ejuſmodi eſſe id ſcriptum, ut neque tranſcriptionis, neque tranſlationis, mereatur laborem. Tam variis, vir amari digniſſimus, diſtractus hactenus fuit negotiis, ut vix cogitandi ea de re habuerit otium. Scis quam ſoleat eſſe occupatus. Reſalutat interim te quam officioſiſſime. Gaudeo *Meurſii* noſtri τῦ μακαρίτυ opuſcula varia in optimas, hoc eſt tuas incidiſſe manus. Te etenim procurante, quae edita nondum ſunt, tum quae relicta auctiora, lucem, ut ſpero, videbunt aliquando in commune orbis literati bonum. Vale & ſalve, Vir Nobiliſſime, a me meiſque & *Ferrerio* itidem Doctore, qui jam ſecundo experiri voluit manum ophthalmici, cum de viſu in totum periclitaretur. Dabam Lugd. Bat. A°. CIↃIↃCLXII. XXVII. Julii.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA DI.

NICOLAUS HEINSIUS

Adolfo Vorſtio.

Leidam.

REſponderi jampridem a me oportuit ad ſuaviſſimam Epiſtolam, quae venire te in partem doloris, quem ex morte intempeſtiva optimae unicaeque Sororis haud modicum contraxi, peramanter teſtatus es. Nec defuiſſem ſane officio huic, niſi occupatum me tenuiſſet aeſtivis feriis divinus ſcriptor P. Virgilius Maro. Quippe dum fomenta ac ſolatium acerbo moerori circumſpicio, rogatu Typographorum, quae ad maximum Poëtam jam olim annotaram, coepi paulo diligentius perpendere, adhibitis in hanc rem cum aliis vetuſtis codicibus, tum ſchedis luculentis, quas Florentiae ex Mediceis membranis omnium antiquiſſimis optimisque conſarcinaram. Huc ut curas converterem impulit me praeſertim Chriſtina Alexandra, cum in itinere anni proxime elapſi mihi occurrebat, priſtinamque pollicitationem ut praeſtarem tandem aliquando operoſe flagitavit, oblata hanc in rem omni veterum Maronis exemplarium ſupellectile, qua bibliothecam ſuam ubertim inſtructam eſſe aſſeverabat. Feci quod voluit, & ducentis ad minimum locis Poëtarum principem meliorem feci, quam hactenus circumfertur, etiam in caſtigatiſſimis editionibus, talemque ad *Elzevirios* jam ablegavi, typis deſcribendum. Obſervationes ipſas premendas adhuc duco, dum membranae cum aliae, quas ab amicis ſperare juſſus ſum, tum a Regina promiſſae comparent. Miraberis Criticos noſtros tanta animi contentione deſudare in Scriptoribus obſcuris perpurgandis, praecipuorum principumque quorumvis ſecuros eſſe, nec iis manum admovere. Solus enim poſt renatas literas *Johannes Pierius Valerianus* centum & quadraginta propemodum abhinc annis operae pretium ſe facturum eſſe credidit, ſi vetuſtos Maronis codices evolveret. Qui conatus etſi viro doctiſſimo non infeliciter ceſſit, aliorum tamen diligentiae ſpicilegium reliquit longe uberrimum. Atque haec verboſius enarravi, quam fortaſſe velles: ſed diuturni ſilentii rationem a te ignorari nolebam. Finem, ut auguror, jam ſpectat lis illa, quae negotiatores noſtros colliſit cum Suecis in Africa. Quidvis rerum novarum pariat per me licet regio monſtrorum ferax, dum negotium mihi ne exhibeat in poſterum ob ejuſmodi contentiones, quarum ſum fugitans, ſic ut nemo magis. *Moucheronem* cum tota familia valere ac ſalvum eſſe nuntio. ſi valere dicendus eſt, quem ſtipendio pacto jam multos annos Succi proceres inique defraudant. Auguror arriſuram illi eſſe meliorem aliquando fortunam, & parem viri virtutibus. *Golii* noſtri viri praeſtantiſſimi profecto me miſeret, cui per occupationes neſcio quas haud vacat de amicis bene mereri. Itaque novis in poſterum flagitationibus hominem alibi occupatum non obtundam. Vellem tamen aut ipſe operam hîc ſuam non obtuliſſet, aut ignorarent Itali libellum de dogmatis Pythagoris Arabicum in Bibliotheca Leiden-

sis Academiae publica asservari. Opuscula *Meursii* postuma divulgari omnino rei literariae interest. Hic terrarum tamen ut id fiat, minime sperandum est, ubi typographum nequicquam quaeras. Si sunt apud vos, qui pollicentur huc curas a se convertendas esse, non erit arduum libellos ipsos ab *Edmundo Figrelio*, Regiae bibliothecae custode, impetrare. Est nunc in hac civitate *Nicolaus Witte*, patria Livonus, medicus apud suos magni nominis, quem olim, si quid memini, discipulum habuisti. Is de lare in Batavos iterum transferendo cogitat, quamquam & uxore & dote luculenta auctus praxin feliciter Rigae exerceat, non sine multo emolumento. Studiis hoc a se dari affirmat, & literarum amori, quas in ultimo Barbariae angulo non nisi eminus colere & venerari potest. Vellet tamen conditionem qualemcumque offerri, ne privatam vitam cogeretur sequi, & artis medicae professionem abrumpere per intempestivum otium: videsis, quaeso, si quid hominis multa rerum cognitione instructi commodis invigilare potes. Quo officio & me & illum egregie demereberis. De Theologo, quem a vobis discedens domesticum mihi adscisci flagitabam, nec obtinebam, solis Hollandiae Provinciae rectoribus voto meo refragantibus, nunc res est in proclivi, quando manum illos hic dedisse repetitis precibus intelligo. Si quem novisti ergo virum dotibus facundiae & doctrinae non vulgariter instructum, eum ut *Beuningio* aut *Wittio* heroibus commendes peto. Qui reformatam religionem hic terrarum profitentur, stipendium, illi a Patribus offerendum, altera parte sese aucturos, atque adeo geminaturos esse pollicentur, si quem dotibus, quas dixi, egregie instructum consequantur. Cui si sermonis Gallici accesserit cognitio tanta, ut hac lingua ad populum perorare possit, florenos 250 aut 300 praeter haec annuos Galli in hac civitate habitantes se numeraturos illi promittunt. Vale, vir Amplissime, & amicos communes meis verbis officiose saluta. Holmiae XVIII. Octobris MDCLXXII.

EPISTOLA DII.

JANUS DELLY

Cl. V. *Nicolao Heinsio* S. P. D.

Leidam.

EGregium vero Philosophum, Clarissime Heinsi, Psoraleon istum Scribonium, qui dum reges, id est generis humani genios, (si reges τῷ ὄντι forent) tuendos suscipit, meros tyrannos, & alastoras finxit; Busiridas scilicet, Antaeos, Phalaridas, Dionysios, & quae alia portenta olim fuere. *Regi*, inquit gravis auctor, *quidquid lubet, illud & licet*; &, *Perjurium est quodammodo legitimum*. Itaque adeo rex iste Salmasianus, aequum anne iniquum imperet non cogitabit; & hydris in ranas licebit usque & usque saevire. Quam male cum rebus humanis ageretur, si hujusmodi mancipia sibi παιδοτρίνεται haberent reges? Quod utinam, mi Heinsi, optimo principi liberet, aut certe simula-

ret

ret velle ſeſe, auri talentum Scribonio imperare! mihi quidem dubium non fit quin jam-jam integrum librum retexeret. Sane eum librum cum video, non poſſum non exclamare, δότε μοι λιπαίνειν. ſi vacat, audi, & compone togam.

Dii magni, horribilem, & ſacrum libellum,
Quem pro purpureis, pudor! tyrannis
Scripſiſti! interea Britannus ardens
Inverno premit & quatit duello,
Cui favent ſuperi, vagaque victor
Fertur claſſe furens, libellulorum
Securus, mihi crede, vel tuorum,
Vel quotquot ſimiles erunt. Sed, heus tu,
Vulgi cymbalon oſcitantis, heus tu,
Ob librum horribilem atque peſtilentem,
Quodnam ſit pretium tibi apprecari,
Niſi ut quos dominos probas, haberes?

Addam amplius; Scin' tu eſſe quoſdam palato adeo faſtidioſo, & tanta judicii moroſitate, ut & Latinitatem in eo deſiderent, & ei cum ratione male convenire praedicent?

Si vel Latine ſciret hic Scribonius,
Quem literarum Principem fatui ferunt,
Aut ſi vel una judicii mica huic foret,
Non inficete ſcriberet Scribonius,
Quis hoc negare poſſit aut contra hiſcere?
Sed quia Latine neſcit, & collutulat
Miſeram papyrum, nec ſolidum huic caput crepat,
Ineptiarum plenus eſt Scribonius;
Quis hoc negare poſſit aut contra hiſcere?

Quis autem credat debere ipſum magiſtellis riſum & quidem ἄσβιστον? nondum edidicit Maronem. neſcit ille, mi Heinſi, (ut patet ex notis illius ad Plaut. p. 8. edit. Hakianae anno MDCXLV.) quid ſit, *Dic mihi, Damoeta, cujum pecus.* Quanto conſultius feciſſet, ſi politicas tractationes, & ſtudia iſta graviora, vel patri tuo, qui in iis literis ſubactus eſt, vel tot aliis clariſſimis doctiſſimiſque viris, quibus Gallia noſtra Bataviaque nunc florent, reliquiſſet?

Scriboni mihi crede, diſce quid ſit,
[Dic cujum pecus] hocce nam fugit te,
Te hoc, inquam fugit, inde ſi tuendis
Te locare operam juvet tyrannis,
Saltem dicere Livor hoc nequibit:
Scriboni, mihi crede, diſce quid ſit
[Dic cujum pecus] hocce nam fugit te.

Magna nos ſpes tenet fore, Cl. Heinſi, ut inſolentem hominis audaciam frigida perfundas. ea certe provincia tua eſt fine ſorte. Si quid a te ad nos allatum fuerit cum libris Elzevirianis, quos advehi curat *Lerpinerius* bibliopola Sal-

murienſis, polliceor tibi plauſus pluſquam Neronianos, cirratos equites, imbrices, teſtas, noſti cetera. Scripſit ad me nuperrime *Burdelotius*, quem, ut opinor, probe noſti, ingentem Lutetiae Naſonis tui expectationem eſſe. Per ego te Camoenas oro, ut columbuli illius Dionaei delicias, ſi per te eum nitorem cultumque ſunt conſecutae, quem illis olim afflaverat Venus, tandem publici juris facias, ut ejus ſcriptoris opera diſcant omnes, quanta a te in poſterum par ſit expectari. Vale, &, quamvis audaciuſculum ſit, nos ama. Salmurii apud D. Lerpinerium bibliopolam, VIII. Kal. Jul.

EPISTOLA DIII.

SAMUEL TENNULIUS

Nicolao Heinſio S. D.

Hagam.

VIro bono, & magno homini, multaque humanitate temperato in ſumma animi magnitudine, *Capellano* ſic me placere ſtudui, ut hunc uſque diem illius aedes librique pateant, commendatio, quae multum ponderis habet, pro me apud claros intercedat, unde illum & fronte & mente (ſi quid odorari poſſum) mihi ſtudere collegi, non quia merui, ſed quod ille niſi bene velle omnibus non poteſt; quamquam mehercule non minus amarer ei, ſi minus eſſem commendatus. Quae res quam grata externo contingat, noſti expertus peregrinantium incommoda & ſolitudines. Natura πολιτικὸς, dum illi (videtur enim cum Socrate coelo in mores philoſophiam deducere) conor ἐμφιλοσοφῆσαι, hortatus eſt juſſitque, ut has quaſcunque quiſquilias tranſmitterem, illa tamen lege, ut nec bonam voluntatem a te reprehendi, nec reprehenſionem ſemper judicium putari promitteret. In oceanum igitur rivi cecidere minores, dum moroſi judicis obruſſae ſubjici ὁ πάνυ voluit etiam has nugas, in quibus nihil mihi permiſeram, verum appoſueram, tranſpoſueram, deſcripſeram, induxeram fideliter omnia, ut Segueriani Codicis differentia conſtaret. Cuperem vultum tuum videre, cum leges: amorem ſperare ſi eſt nimis ſuperbum, irae tamen cauſam dare nugae non poſſunt: ſin cum ludibrio (quod Ithacus velit) faſtidis, ſcito tuum amicum illiuſque in me benevolentiam eſſe tanti; nec me tam molliter a meis habitum, ut nullam contumeliam ferre & concoquere ſcirem. At, inquit, quare non cum alia editione contuliſtis? intra conſtitutum aliam non inveni, & maturandum erat, ne, qui ſe capitis periculo commodaſſe affirmabat, cum Cancellario, qui proſcribere poteſt, luſiſſe videretur. D. *Mentelius*, quod de munere conditionem non acceperis, ſibi gratulatur, &, quemadmodum ab aegrotis diripitur, ſic ſuae in remittendo morae culpam ad negotia transfert; quia tamen te ſuae gloriae συμφιλοδοξήσειν ſperat, ſpem magnam fecit multa a ſe irī adhuc ſubminiſtratum, dum circumrodis quod erit tandem devorandum. Clariſſimus & elegantiſſimus *H. Valeſius* tibi vobisque omnibus multum ſalutis dicit. Si Demoſthenes fabri digito demonſtrarier non male

male tulerit, ipſe quoque a peregrinante adorari te patiaris precor. Lutetiae Pariſiorum, A°. CIↃIↃCLX. a. d. 5. Idus Decembres.

EPISTOLA DIV.

SAMUEL TENNULIUS

Nicolao Heinſio S. D.

Hagam.

QUisquilias placituras magis optaveram quam ſperaveram, jam tua conſilii ſummaeque & benevolentiae & prudentiae plena epiſtola triumpho. Lumen enim tuo accendi de lumine, quo erranti via monſtratur, veriſſimaque de Manuſcriptorum notis monentur. Menteliani codicis, quem a te viſum negant, ſpecimen ſolum mitto, non quia laborem, qui nullus hic eſt, ſubterfugiam, ſed ne legentem nequicquam onerem. Cum tua editione ſunt haec commiſſa. Epiſt. Penel.

Trepidaeque puellae: *Timideque puellae. Atque aliquis*: *Jamque aliquis. Hic eſt Sigeïa*: *Hac eſt ſingeima. Hic lacer admiſſos*: *hic alacer miſſos. At ille mihi*: *& ipſe mihi. Rheſum*: *Reſum. Cautus eras*: *Captus. Micuere*: *metuere. Diruta ſunt*: *obruta. Morandi*: *morandi eſt. Puppim*: *Pupen. Lentus abes*: *lentus abeſſet eras. Vaneſcat in auras*: *marceſcat in aures. Increpet*: *increpat. Frangitur*: *Flectitur. Ipſe*: *ille. Zacynthos*: *Jacintos. Piſandrum Palybumque Medontaque*: *Piſſandrum Polidumque Meduntaque. Antinoi*: *Antonoi. Melanthius*: *Melancius. Pene eſt mihi*: *dele τὸ eſt. Invitis*: *invictis. Hoc jubeant*: *Haec faciant. Ara tuis*: *Ara mihi. Lumina condas*: *Claudas.*

Epiſt. 2.

Demophoon: *Demorphum. Actaeas Sithonis*: *ateas Simoys. Invita n. e. a. nocent*: *Invicta n. e. amente noces. Hebri*: *ebri. Cana*: *liquida. Sum p. thuricremis de. v.*: *cum p. turmonis ſum v. Faventes*: *Secundos. Per mare quod totum*: *per tumidum. Fictus*: *Falſus. At Laceras*: *ha L. Nominibus*: *Numinibus. Quo j. t. p. nobis*: *Quid j. t. p. proſunt. Parte ſ. p. q. inde*: *Per te ſ. p. q. arte. Ante ſuis*: *tuis. Scyron*: *Chiron. Et ſinis*: *& ſenis. Poſt illum*: *P. illos. Armiferam Thracen*: *Armig. Tracem. Notanda*: *Notata. Phylli fac*: *Filli face. Demophoonta*: *Demorphunta. Sit ſolo*: *ſ. longo. Excidimus*: *excedimus. Satis apta*: *ſatis* al. *valet a. Ad Aemum*: *ad Hebrum. Frigida l. ſid.*: *ſidera lucent F. Intumulata*: *Intumulanda. F. ut ſuperes*: *Ferrum ſuperas d. ut. Libet*: *juvat. Ipſa*: *illa.*

Codex antiquior & melioris, quam Seguerianus, notae videtur. ſed *Tuus p Regina*, caetera noſti. millies D. *Gudius* ad vos ſe daturum dixit. Illorum, quae margini annexueras, alterum praeſtiti (multam quoque ſalutem remittunt illi par nobile fratrum) alterum non intellexi, cum illud ſperare nefas eſſe huic putem aetati. Non committes, credo, ut velis infanti aptari cothurnos: Quid, quaeſo, dicturum putas Roſcium, ſi ſe ſpectante in theatrum (licet non ſuum) prodirem, cum ab Hortenſii foro prius petitos geſtus in

hanc ſcenam ſe retuliſſe fuerit oblitus? Quid ſi olim fallerem judicium tuum? non illi certe, ſed meae ignoſceretur infirmitati. Indignus ergo illa hactenus benevolentia videor, niſi cum tuo Naſone decentiorem faciem judicaveris, cui naevus adeſt aliquis. Viſum eſt Domino meo Jamblichum de vita Pythagorae componi: *H. Valeſius*, cujus interpoſita fides in codicis MS. ex Memmiana bibliotheca deprompti poſſeſſionem me miſit, illum & conferendum & reliqua deſcribenda cenſuit. In λόγῳ ejus τούτῳ περὶ τῆς κοινῆς μαθηματικῆς ἐπιστήμης ſum plurimus: Poſſet ille ingenii & virtutis excercendae materiam praebere, imo prodire; elegantiſſime enim de animo & mente ab ipſis rebus abſtrahenda diſputat; Verborum tranſlatio expedita; ſenſus autem difficilis, & moleſta argumentatio. Quomodo enim omnia in numeris (quod autor docet) conſiſtere, ipſamque adeo virtutem numerum eſſe populo probabitur? Non liquet. te rogo ſententiam, ſecundum illam dabitur, & certe vel aliud agenti ſpes temere concepta concidet[1], vel in diligentiam animus addetur. In Frontini ſtrategematibus a me aliquid praeſtari poſſe ut credam, adducunt quatuor MSS. Regii. Luparam forte adornari audiſti, quam ipſi coelo minaturam & octavo inter orbis miracula nomine gaviſuram dicebant. Die Sabbathi, dum in illa ornanda pictores contendunt, operae illorum quatiendo candelam, ſcintillam jecerunt in tabulatum. Haec, neſcio quo caſu, corripiens ceram, qua inductae ſunt tabulae, deinde materiam & omnia ſui alimenta, quintam fere Palatii partem in cinerem miſit: diei dominicae hora quarta ſopitus ignis, ſed ſub cinere doloſo latens, & veſpertino vento motus flammam reddidit civium ſanguine exſtinguendam. Ridentem vidi reginam, cum ruinam contemplaretur. Hoc autem refero, quia illuc transferenda eſt Bibliotheca R. Deum T. M. veneror, ut quam diutiſſime in patriae decus & gloriam, reipublicaeque literariae ornamentum incolumis ſerveris, meque in tuorum clientum numero latere ſinas, & in *Capellani* (cujus inter inſignes urbis ab arte viros veſtigia adoro) gratia confirmes. Dabam ſtatim poſt tuas. Lutet. Pariſ. CIↃIↃCLXI. 5. Id. Febr. Reverendus Pater *Coſſartius* & elegans *Menetius* plurima te ſalute impertiunt.

EPISTOLA DV.

SAMUEL TENNULIUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Hagam.

CElleberrimi *Capellani* aedes, quanquam ſint aditu facillimae, verecundia tamen impeditus, ſeptimo decimo poſt tuas in urbem allatas die intravi; ibique inveni meas delicias, tuaeque erga me mihi perſpectiſſimae benevolentiae argumenta, quibus ad properatas, ne pigri nomen ſubirem, has quisquilias extemplo remittendas impellebar. Tuo de Naſonianis Codd. judicio ſubſcribunt omnes: τὸ *aura* eſt in Menteliano & Jeſuitarum; quia autem interpres

1 Vid. Ovid. Heroid. 1. 110.

pres ejuſdem manus appoſuerat *τῷ aura τὸ ſolatium* (quae eſt explicatio *τῦ ara*) & lectionem tuam hanc in Gallia paſſim laudari audiveram, hanc differentiam neglexi & diſcrepantiam *τῶν mihi* & *tuis* notare volui. Meae oſcitantiae ignoſces, nec illa Segueriana tam negligenter quoque collata inde colliges. Aliud, mihi crede, agebam, cum codicis ſpecimen dabam; quem ante menſem transmiſſum videbam; nunc bonum nomen, quod ſecus fieret malum, ita compellabo, ut ille proxima ſeptima ad te perferendus curetur; dignus eſt quem inſpicias. Tibi enim poſt verſum duodecimum Oedippes, haec

Si tamen ut perhibes, fugerem perjuria vitae
Mittis adhuc dubie perceret illa mihi,
Nec dea nec precibus potuit nec vulnere flecti,
Utque quae medear eſt mihi ſola ſalus.
Hoc etiam victam tamen eſt quandoque [1] *neganda,*
Ut juvis inpertum ponere ventris bonus.
Audiet & quaeret, de quo ſim conjuge praegnans,
Et niſi ſim de te jure negabit opem.

Hic eſt finis totius codicis, forte aliqua pagina abrupta eſt; ſolum ad te transferendum curabo, quoniam ex agro Turonenſi codex alter nondum eſt allatus, ut mihi heri *Menagius* narrabat, qui te Diogene Laertio Roma ſibi miſſo donabit. Societatis Jeſu codex eſt nitidus & perelegans, aetatemque aliquam prae ſe fert, quod ex his concludes, quae praeſente R. V. D. Ph. *Labbaeo* (nam illi Conſcripti patres graeca mercantur fide) notavi. Epiſt. v. Oenone Paridi.

Mycenaea: *Micenea*. *Phrygiis*: *Phrigiis*. *Laeſa*: *leſa*. *Indigno poena*: *indigne pena*. *Contenta*: *contempta*. *Nympha*: *nimfa*. *Defenſa eſt*: *Depreſſa eſt*. *Conſita ripa*: *conſita rivo*. *Surgite rite*: *S. recta*. hoc a. diſtichon erat in margine in fine poſitum poſt *τῦ populus*. *Dixit ab illa*: *duxit*. *Oſſa tremor*: *timor*. *Eſſe nefas*: *nephas*. *Caeſa abies, fractaeque*: [2] *caeſaeque*. *Caerula ceratas*: *cadis*. *Et fleſti, & noſtros*: *madidos*. *Ah quoties*: *ha* & ſic infra. *Cum te vento*: *vento cum te*. *Lintea*: *Linthea*. *Nereidas oro*: *Nereides*. *Rediture rediſti*: *dediſti*. *Pellice*. *pelice*. *Terrasque cita*: *Terraque*. *Non ſatis*: hoc & ſeq. diſtichon non ſunt in MSS. textu, ſed in extrema pagina ſola ponuntur. *Implevique ſacram*: *implevi ſacram*. *Iden*: *Idam*. *Ipſa ferat*: *tuat*. *Tibi conveniunt*: *tecum veniunt*. *Sequantur*: *ſecuntur*. *Deſtituantque*: *deſtituuntque*. *Non tamen aut*: *ut*. *Decere manus*: *tenere*. *Nec me*: *non me*. *Apta toro*: *thoro*. *Tibi nulla*: *mihi*. *Tyndaris*: *Tindaris*. *Deiphobo Polydamanta*: *Deiphebo Polidamanta*. *Antenor*: *Anthenor*. *Facta cadunt*: *volant*. *Nam recolo*: *refero*. *Perdat io*: *Perdet yo*. *Quamvis inſignis*: *praeſignis*. *Hoſpite capta*: *Hoſpita*. *Ante ſua*: *arce*. *Nomine veles*: alii *celes*, *veles*. *Sylvis ego*: *ego ſilvis*. *Tumet Ida*: *Patet yda*. *Meas — minus*: *manus — meas*. *Medicabilis*: *Sanabilis*. *Deficior*: *Deſtituor*. *Pheraeas*: *perhebas*. *Ypſiphile Iaſoni* VI. *Fulva manu*: *Frā*, vel *fulva*. *Re-*

1 Superſcriptum *reganda*.

2 Laudabat Coſſartius repetitionem *τῦ Caeſa*, negabatque dici, *frangi trabes*, in hac materia, ſed *caedi* vel *dolari*: haec *Tennulius* margini adſcripſerat.

Recepta tori: *futura thori*. *Haemoniis*: *emoniis*. *Mihi jurare*: *eum*. *Vix mihi*: *vix bene*. *Ut rediit*: *utque redit*. *Abenipedes*: *a euripides*. *Populos civili*: *homines*. *Devicto ſerpente*: *devictus ſerpens*. *Vivat*: *vivit*. *Facta tuo*: *tecta ſuo*. *Heu ubi*: *Heu mihi*. *Adfuit*: *affuit*. *Quid tibi*: *mihi*. *Tiphy*: *Tiphi*. *Nec ſ. Aeetae*: *non Oete ſenis*. *Sed me mea fata*: *ſin me madata*. *Caſtra manu*: *raſa*. *Urbe virum*: plane ut in tua editione. *Sed dent*: *ſi dent*. *Conſcendis in argo*: *Argon*. *Addo preces*: *adde*. *Vota timori*: *verba timore*. *Quod Iaſona perdo*: *quid I. perdam*. *Concidat*: *Concidet*. *Argolidas*: *Argolicas*. *Abdere ſolis*: *addere*. *Paſſis*: *ſparſis*.

Haec cum tua editione accurate compoſui, plura notaviſſem, ſi per tempus licuiſſet, quod a Patre omnia ad Dei gloriam & Domus noſtrae conſervationem faciente concedebatur. Elegantiſſimus *Vavaſſor* ſe aliquas ſcedulas paratas, quae tibi inſervirent, habere mihique perferendas traditurum dicebat: Colligam quae potero. Doctiſſimi & reverendiſſimi *Dallaei* de pſeudepigraphis liber modo prodiit: non omnia in illo Clariſſimo *Voſſio* arridebunt. Hominis, cui bellum indixiſti, poenae multi favent, gloriae invident: Caſurus enim dicitur Aeneae magni dextra, dum ſilentium ipſa fecit exſpectatio. Certe non iniquum judicem tibi promitto illum, qui in opere a te laudato verba illa Joſephi ante Euſebium a patribus citari tam feliciter probarat. Nil illo viro juſtius, nihil benignius: ſed

Τὸν μὲν ἐγὼν ὦ ξεῖνε καὶ ἀπέτ' ὀρῶντ' ὀνομάζειν
Αἰδέομαι, περὶ γάρ μ' ἐφίλει καὶ ἐκήδετο λίην.

D. *Gudius* ante tres ſeptimanas diſceſſit, poſtquam orationem Hippolyti ſine interpretatione typis mandaſſet. faciam eum proxima occaſione certiorem illorum, quorum moneri volebas. Quod de Porphyrio ſcribis, de Jamblicho intelligendum, illius libros duos ab *Arcerio* editos cum Memmio & Regio Cod. compoſui, librum tertium περὶ κοινῆς μαθηματικῆς ἀπιζήμης, & quartum περὶ ἀριθμητικῆς Νικομάχου ex Memmiana bibl. deſcripſi, & cum Regia contuli. nunc tertio omnes quatuor cum Jeſuitarum codice committam, quod ut liceret, maxima ambitione contendi. Animum enim mihi addiderat aliquis amicus, licet olim meus Ajax in ſpongiam. ſumma votorum meorum, vir celeberrime, eſt tua ſalus. raptim, Lutetiae Pariſiorum CIↃIↃCLXI. III. Cal. April. dabam. omnes ad unum amici te ſalvere jubent.

EPISTOLA DVI.

SAMUEL TENNULIUS

Nicolao Heinſio S. P.

Hagam.

QUorundam in Hieroclem notatorum uſum mihi conceſſerat Cl. *Menagii* benignitas; quae dum hodie reddo, extemplo meae liberandae fidei nata eſt occaſio. Tranſmittendos enim accepi hos duos Virgilii, unum Lucani MSS. Codices, cum Romana D. Laertii editione, quos omnes volentibus cum

cum magnis Diis tibi dono dedit. Ego vero non tacita voluptatis (mihi enim bene eſt, quum amicis & patronis bene fit) conſcientia contentus tranſvolo ad cariſſimum *Mentelium*, qui, dum amici tui benevolentiam & magnanimitatem oſtento, a verecundia non impetravit, ut dictis non maneret. Igitur hos Lucani & Ovidii de Triſtibus, de Faſtis, Pontoque & Heroidum codices manu exaratos ſimul huic faſciculo includendos permiſit. De praeſentibus quaeſo gaude, & in lucro pone, quod poſthac mittetur: Illuſtriſſimus *Beuningius* pridie Regiae Bibliothecae aderat, atque ipſe in ſuperiori tabulato aliquid nugarum mearum committebam; ſed deterruit me ſplendoris praeſentia, quo minus deſcenderem, officioque occurrerem: credo viſum ab illo Codicem, qui *Puteani* haereditate ad Regem venit; ſpecimen codicis in Societatis Jeſu domo ſervati a me miſſum te accepiſſe quoque reor. Jamblichum, vel potius Porphyrium de myſteriis Aegyptiorum cenſesne dignum, qui deſcribatur? Ex epiſtolae de temporis brevitate judica: Vale & ama. Lutetiae Pariſ. CIↃIↃCLXI. III. Non. April.

EPISTOLA DVII.

SAMUEL TENNULIUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Holmiam.

MAndata tua, Domine, peregi, ut potui & debui. Nam XVII. Cal. Majas iſti juveni, qui tibi quondam operam dederat, jam a manibus illuſtriſſimi *Beuningii*, dedi *Jacobo van Campen* omnia, quae Pariſiis convaſare potueram, octo nimirum MSS. cod. Lucani, Virgilii & Ovidii, & Romanam Laërtii editionem: in quibus te monitum volui, Lucani codicum alterum oblongum eſſe τῦ πάνυ *Menagii*, alterum quadratum barbaro charactere exaratum pertinere ad amiciſſimum *Mentelium*, cujus notae ſex reliquorum Cod. poſſeſſores diſtinguunt. Admonitionis hujus obliviſci me cogebat colligendorum vaſorum feſtinatio. Ante enim Syrium aeſtum cogitabam intrare Italiam; & intravi per mare Tyrrhenum τύχῃ ἀγαθῇ. Reverendi patres *Poſſinus* & *Fabrius*, qui me, ut Homerici baccharum ſuavitate Lothophagi, multiformibus humanitatis officiis retentabant, ut & *Leo Allatius*, cujus latus tegere ſolebam, plurimum te ſalvere jubent. Vidiſtin' unquam Theodori Antiocheni fragmentum in prophetam Oſeam? in Latio mihi deſcripſi. Patrono meo Pariſienſi attuli Theodori Lectoris tripartitam hiſtoriam, quod exemplum mea manu eram conſecutus. Salvus per omnem Pannoniam ſuperiorem divagatus, intravi gaudia meorum. Quae res quanquam magis voti quam ſpei mihi fuerit, maturati tamen itineris temeritate damnor ab illo, qui ſi mecum eadem ratione & ſumptu iter idem habuiſſet, a pediculis dudum eſſet devoratus. Sed haec lapidi. Secundo Maeno dum devehimur Moguntiam, incidi in hujus ornatiſſimi *Moſcheroſch* colloquium, cujus literas vides, a conſiliis Comitis Hannoviae

& Electoris Moguntiae, qui gloriatus familiaritatem tuam & *Boecleri*, sibi quondam Argentorati conceſſam, cum rogaret an te quoque noviſſem: amari me a te probavi. vocavit ilico ad caenam, promiſi; poſt in domo ſua me dormire juſſit, parui: poſtero die ad prandium me revocavit, non negavi. Tantorum beneficiorum pondere cum me tandem ſuffunderet verecunda memoria, diſceſſi cum omnibus bonis verbis. Tua ſunt iſta beneficia, vir clariſſime, quae augebis, ſi ignoveris liberaliter accipienti: Maximi autem facio illam, quam per te nactus ſum, nobiliſſimum virum familiarius colendi occaſionem. *Arnoldus* paſtor diſertiſſimus Norimbergae profert integrum librum de ſolo teſtimonio, quod Joſephus perhibet de Chriſto. Pater & mater, ambo Septuagenarii, vigent florentque ad invidiam inimicorum, omniaque maxima obſervantia obſequia tibi deferunt. Vale, ornamentum patriae, & me ama. Daventriae CIↃIↃCLXI. XV. Cal. Octob.

EPISTOLA DVIII.

SAMUEL TENNULIUS

Nicolao Heinſio S. P. D.

Hagam.

HActenus mihi inter ludibria, verbera, incendia, caedes & cadavera verſato nihil minus vacabat, quam ſequi Muſas minus ſeveriores, ſatis habebam, quomodocunque addiſcere, quas dedidiceram, majorum meorum artes, paupertatis tolerantiam & mortis contemtum. verum ubi affulſit melior patriae ſpes, coepi redire ad ſacra noſtra, & ubique adorare eorum ſacerdotes; quorum tu, virorum elegantiſſime, Pontifex cum hîc adeſſe dicereris, religio fuit, non occurrere officio. Bis tibi adfui, bis mihi peccavi. Et me peccaſſe docuit ditiſſimi viri filius, cujus ſtudia ad tempus rego, & ſpem foveo in ſolatium mei exſilii. Suſtinui temerarius terſiſſimis auribus offerre Julianum. Peccavi, inquam, ignoſce. Exemplum enim (ut ab adoleſcente accepi) datum non correctum: pag. 18. *Juſtino Martyri* habetur non inductum, quod ἀσυνδιάνυστον, contra meam mentem ſponte correctoris, inter tumultus belli, longe a domo irrepſit. Quod per te ego Charitas noſtras oro deleatur, ne mihi imputetur, plurimum ſollicito, dum ſe undique pandit ſeries malarum artium, & impudentium animorum conſcientiae denudantur. Quid enim facient me abſente? cum tibi palmarias emendationes recitanti & divina docenti reſpondebam, τὰ *aurum ex ſtercore erui*, homo meus eſt interpretatus, *ſtercoream emendationem* a me vocari; quanquam verborum ſenſus ſecundum ἀληθείαν τῶν ὄντων non poſſit eſſe alius, quam *auream emendationem elici* ex ſtercore, hoc eſt, parte puerili. Quod erat alterum peccatum: En ego liber, ille ferox tacui, ad ea, quae nunquam aequis locis alioque ſub judice, cui verecundia minor deberetur, auſus fuiſſet. Tu mihi ſi veniam dederis, in ſinu gaudebo: & veniam ſpero, quod centenis ſuis epiſtolis ὁ θεῖος μακαρίτης de tuo in me amo-

re

re reddiderit certiorem. Illa venia tanto laetior erit, quanto magis Vir ſummus mihi miſero, innocuo & optime de ſe merito in Anglis ad Jamblichum, Leidae ad Stephani fragmentum hoſtes quaerit & jam immiſit. Si Juliano candidum calculum adjeceris, triumphabo etiam, & efficiam ut propediem videas meliora, quanquam nihil ad decora illa ingenia & habentia latitudinem Platonicam. Verum tu pro ſingulari humanitate, qua omne hominum genus complecteris, me licet ignobilem inter cultores tuos admittes, exemplo Principum Romanorum, qui etiam homines municipales in tutela ſua toleraverunt animo non imbecillo. Caeterum Valerii M. editionem nil aeque moratur: quam avunculi tui verba Lib. 6. Var. 1. *Legebam his diebus Val. Max. Non eſt mihi unquam verius dixiſſe viſus Joſ. Scaliger, quam cum eum ineptum verborum & ſententiarum affectatorem appellat.* Ecquid noſti, quo minus in ea diſceſſionem facias? ſin autem fuerit ipſe auctor ineptus, quanto ineptior ego commentator? *Jacobus Lydius*, quem octo annos jam experior diſertiſſimum, hoc eſt, innocentiſſimum (nam eloquentia Statio Caecilio nihil aliud quam innocentia) ad me mandavit lib. 1. cap. 1. §. 9. pro *futura regimen* legendum: *Ita ſe humanarum rerum fultura regimen* ſenſu ſatis aperto. ſed novem codd. habent τὸ *futura*, minus uno, qui dat *habere*. Non audeo numerum & conſenſum codd. poſthabere autoritati viri. In prologo. *Populi Romani*, decem codd. habent *Urbis Romae*. hoc inſolitum, ſed frequens alterum & placens *Pighio*. Praeter collationes MSS. adſunt mihi Patroni Pariſienſis curae apud me commendatae. Nobile ingenium, *Joannes Ortwynius*, effert caput Bommeliae Salinarum (ubi Rectorem agit) & mihi MS. lectionem ad Frontinum, quem edam, lib. 11. cap. 3. n. 9. *Noviſſime ſic caſtra meditabatur*. cum vulgo & quinque codd. offerant *metabatur*. ſuam lectionem aſſerere nititur ex Plinii panegyrico. *cum in illa meditatione campeſtri militaribus turmis imperatorium pulverem ſudoremque miſceres.* Ut haec jejuna & macra tranſcriberem, impulit tua facilitas, qua prodeſſe omnibus, obſtare nulli ſtudes: In anteceſſum tibi omnium noſtri nomine gratias ago immortales pro cura tua, ad quam pertinuit ὁ χαλκέων & *Jacobus* noſter; Deumque precor, Vir emendatiſſime, ut pedum dolor minuatur, ſufficiens vigori animi compages reddatur, diutiſſime nobis adſis, poſteritati interſis, patriam florentem videas, gratamque ſentias. Tantum quod volebam obſignare literas, nuncius a noſtris, me propediem priſtinae dignitati redditum iri. Amſtelodami CIↃIↃCLXXIV. a. d. III. Non. Februarias.

EPISTOLA DIX.

NICOLAUS HEINSIUS

Samueli Tennulio S. P. D.

NOn ſine tacito rubore te convenio, Tennuli Clariſſime, quil & compellatus per te nuper officioſum plane in modum cum ad Amſtelaedamios

fortuito me contuliſſem, & poſtea litteris, comitate ac doctrina cumulatis, uberrime ad epiſtolare provocatus commercium, per tricas forenſes & rabularias occupationes abductus a meis partibus, conticeſcam hactenus agreſtem in modum. Omitto alia complura, quae jam olim tibi debeo, quando & Lutetiae Seguirianum Naſonis codicem membranaceum cum libris editis conferre meos in uſus non es gravatus, & monumentis ingenii tui exquiſitis non ſemel ex illo donatum me voluiſti. Ea cum tantum merito apud me poſſint, ut intelligam pulcherrime, quid in rem viciſſim a me tuam praeſtari oporteat, intervenit tamen, nolente me prorſus, ac perquam invito malignior fortuna, ac ſaepius parantem litteras ad te debitas alio avocavit. Ita dum dies diem ducit, & ego majus otium praeſtolor, totum poene menſem hac procraſtinatione nobis interceptum ſerus nunc agnoſco, ac cum maxime indignor. Nam quod videris ſubvereri, ne quid in familiari nuper colloquio exciderit tibi, quod acceperim ego ſequiorem in partem, ac ſiniſtre ſim interpretatus, nolim profecto credas eum eſſe me, cujus aures amicorum ſermonibus, utcumque liberrimis, quos tu tamen non permiſiſti apud me tibi, cum poſſes, inſidientur aut maligne occurrant, praeſertim cum & ego ſoleam nonnunquam jocari exporrecta fronte, quo nubem animo detergeam, & a curis defaecatum me praeſtem: quos innocentes riſus ſi quis in partem malam voluerit detorquere, nae is profecto me ac mores meos parum intelligit: hos enim ut omni ex parte emendatos non vendito, infirmitati, tanquam homo, plus ſatis obnoxius, ita caveo tamen, ne obrepat illis malignitatis naevus ac invidiae. Julianus tuus mihi perlegenti adeo placuit, ut geſtiam plura lucubrationis tuae ſpecimina videre. Quin tu igitur Valerium Maximum nobis ocius, ad veterum membranarum fidem abs te caſtigatum, largiris. Plurimum ſane illo in ſcriptore permiſerunt ſibi oſcitantes librarii, dum acute & breviter in eo non pauca dicta minus capiunt, ac pro libitu intervertunt. In quibus argutiis etſi ludit frequentiſſimus, ſic ut nimius quandoque videatur, tamen hiſtorias non paucas vindicavit, aſſeruitque ab injuria temporum, ut mereatur omnino legi. Nam quod *Joſephus Scaliger* acerrimi, ut minime ignoras, vir judicii, & illum ſecutus *Johannes Rutgerſius* meus avunculus, ineptum ſententiarum affectatorem appellabant hunc Valerium, metuo ego ne illius potius iſta ſint vitia, qui Valerium nobis contractum dedit, quam Valerii ipſius. Habeo enim perſuaſum, ut credam in compendium redacta exemplorum pleraque, quae Valerius aliquanto fuſius enarrarat; ſive a Julio Paride, ſive ab alio quocumque, Annaei Flori tempora propius accedente, quia non diſſimile ſcribendi genus profitetur in Hiſtoriae Romanae compendio. Sed tu, qui ſcriptorem illum lectione continua jam triviſti, melius iſta nos docebis. Potuit genus dicendi ſecutus eſſe Valerius non optimum, vel ſi mavis inepte affectatum nonnunquam, unde tamen non ſequatur totum id ſcriptum pro inepto eſſe habendum. Quid affectatius Appuleji Mileſiacis. Adſunt tamen adfectationi ſuae Veneres & Genius, qui lectorem invitent. Quod ais *Jacobum Lydium* lib. 1. cap. 1. apud Valerium legere *rerum humanarum fultura regimen*, affirmo ſancte mihi quoque

id

Digitized by Google

id ipſum veniſſe in mentem, quando in Germania nuper auctorem illum a *Johanne Vorſtio* recens editum perlegebam, quomodo *imperium benevolentia fulcire*, ſi recordor probe, Tullius Officiorum tertio dixit: erant alia quoque quorum non ſatis memini. conquiram ſchedas & videbo, ſi quid lateat in iis, quod editionem tuam poſſit adornare. Vidi & Trajecti ad Rhenum codicem nuperius chartaceum in Muſeo *Goyeri*, hunc credo jam ſibi vindicavit noſter *Graevius*, audio enim *Goyeri* libros eſſe diſtractos. Conſenſus codicum ſcriptorum ſicubi pro vulgata ſtat pertinacius, quam tamen ipſa ratio reddat ſuſpectam, nolim nimium iis a te tribui: ſunt enim recentioris notae plerique, & qui ad unum puto omnes profluxerint ex eodem exemplari. Mihi certe pervetuſtum exemplar nullum Maximi Valerii hactenus videre contigit. *Caſtra meditari* neſcio an vere, ingenioſe profecto eſt excogitatum. Sic in Silio, *Lenti meditamina belli Cautus ama*. *Jacobo Gronovio* ſtipendium annuum eſt aſſignatum ducatonum, ut utar voce barbara, quadringentorum praeter liberam habitationem & alia emolumenta. Vale, mi Tennuli. Hagae Com. A°. CIↃIↃCLXXIV. XIII. Martii.

EPISTOLA DX.

JOANNES COLINUS

Nicolao Heinſio D. F. S. P. D.

Helmiam.

EX Anglia redux lubentiſſime ex *Plumario* intellexi ſalvum te in Sueciam adveniſſe, quanquam dolebam vehementer, non licuiſſe viro, apud me maximo, dicere ultimum vale: crevitque etiam tui deſiderium, ex quo a te *Elzevirius* mihi tradidit exemplar Ovidii, quem & uſu & correctione plane feciſti tuum. Ille mihi nunc ſaepe in manibus eſt, quem antea negligebam, tanquam non intellectum multis in locis, interdum etiam vix Latine loquentem. Ergo tibi ego, amice, & privato meo & publico nomine gratias habeo maximas, ob reſtitutum ſibi, mihi, publico Naſonem. At dum ego etiam mihi hac de cauſa valde gratulor, corripuit me tertiana febris, quae in me per ſeptem hebdomadas tyrannidem exercuit reddiditque tam ignavum, uti nec libuerit nec licuerit manum tabulae admovere. Niſi quod una nocte, quam inſomnem ducere juſſu ejus debebam, illa ſuſtoles & diaſtoles interturbatrix, mihi hoſce verſiculos dictavit, quos ego lecto exiliens, in pugillares recepi, & tibi qualeſcumque nunc reddo, quos etiam ſic claudere juſſit:

Hos ſi frigidulos cenſes, ut ſunt mihi, verſus,
In promptu cauſa eſt, quam tibi noſſe licet:
Grata ſuperveniant, quae nec ſperare licebat,
Febre calent ſola, Muſaque febris erat.
Grande mihi dederas munus, Nicolae, recoctum
Naſonem, qualis cum loqueretur erat,

Cultor & antiſtes pereuntis docte Poëtae,
Cujus ab ingenio redditus ipſe ſibi eſt.
Fatali natusque loco, rurſumque renatus,
Qua propius terris Maenalis urſa patet.
Cauſa prope eſt eadem, cur alter & alter hic eſſet,
Viderat hic aliquid, ſenſerat ille aliquid.
Aſt huic nec viſus, nec tactus noxius illi,
Lingua utriusque fuit, cauſa utriuſque mali.
Hoc modo diſſimiles, nimium quod fidus amator
Hic fuit, aſt illi garrula lingua fuit.
Ah male fidus amor! qui ſub lodice relictum
Ludumque atque jocum juſſerat eſſe ratos;
Septima quam ſextae propior cum luna renaſceus
Non cuſtodito ludere nempe dedit.
Ludere nempe dedit ventri, mollique avidoque,
Qui non ſic meritum perdidit Heinſiadem.
Quodſi non alia potuiſſet ſorte renaſci
Quin elegi vatis, quin epos intereat,
Parce precor, Nicolae, tuo damnoque maloque
Atque labore tuo, ſi fruor ipſe dolens.

xxv. Novembr. CIↃIↃCLXI.

EPISTOLA DXI.

NICOLAUS HEINSIUS D. F.

V. Cl. *Johanni Colinio* S. P. D.

Amſtelodamum.

NIhil moleſtius accidiſſe poterat in Septentrionem hunc abituro, quam quod accidit, nimirum ut complexu tuo fraudarer, hominis longe mihi amiciſſimi, & cui res meae tantum deberent, quantum mortalium vix ulli. In procinctu cum jam ſtarem, anxia ſedulitate ad aedes tuas me contuli, Tibi vale dicturus: inter prima quippe officia hoc praecipue agendum mihi intelligebam. Sed ex familiaribus tuis animo ſane perquam invito edoctus ſum, in Britannias profectionem ſubitariam Te inſtituiſſe, ut Regis illic terrarum inaugurandi ſolemnibus ſpectator intereſſes. Mente igitur dejecta viam ingreſſus ſum, de cujus ſucceſſu peſſime, fateor, ominabar, quod prima ejus auſpicia praeter ſpem ac votum ceſſiſſent. Eluctatus tamen ſum per itinerum moleſtias, quae a latronibus ubique inſeſſa plurimum infeſtabantur. Poſt inſtauratas utcunque vires, & refotam laſſitudinem, quam ex longinqua via & diuturna equitatione haud modicam contraxeram, arripui non ſemel calamum, ut abſens ſaltem, quod praeſenti non licuiſſet, de illibata atque integerrima affectus mei conſtantia ſecurum te redderem: Sed neſcio quo caſu factum eſt, ut cum

cum identidem jam totus eſſem in hoc officio, intempeſtivae & inopinae amicorum interpellationes inchoatam ſcriptionem mihi abruperint ac procraſtinarint. Volucre nimirum fata, ut hic quoque ſolida comitatis laude Tibi cederem, quem in eadem paleſtra toties jam ante victum meminiſſent. Praeventus igitur ſum, nec ſalutatrici tantum epiſtola, quod plus ſatis erat, ſed diſertiſſimis quoque, quod omnium minime expectabam, verſibus. Nam quanquam de ingenio tuo quaevis ſumma mihi promittebam, hominem tamen curis forenſibus immane quantum diſtractum, ac denſiſſimis circumventum negotiis, Muſis feriantibus tam indulgentem ſe praeſtare quî crederem? Reponerem jam nunc nonnihil ineptiarum mearum tuis elegantiis, ſed quamvis ad occupationes tuas meae non accedunt, tamen toto vix anno Deas Parnaſſias in contubernium admiſi, ſive quod poſt infelicem rei amatoriae ſucceſſum faeminas ac ſequiorem ſexum minus faventes experior, ſive quod ingenium caeli hujus frigore adſtrictum obtorpeſcit. Ulciſcar nihilominus me aliquando, & cum delreias tuorum carminum pari urbanitate aequare non poſſim, multa loquacitate, quae mea laus eſt, contendam praevertere. Interim verſiculos nonnullos mitto, quos nuper admodum ſub primum nuntium, qui de Nativitate Delphini Gallici huc advolabat, effudi, non bonos quidem illos, ſed paucis ineptientes. Eos, ubi commodum erit, Ampliſſimo *Grotio* legendos trades: Solet enim ille nugis meis poëticis aliquid deferre. Sed heu funeſtum rivalibus meis annum proxime elapſum! qui *Vincentium Genegium*, *Ewoldum Voſſium*, & alium praeterea extulerit, quem nominare nolo, fortaſſis & plures, ſed mihi hactenus ignotos, ut noſti praeclara ingenia in occulto ſaepe numero latere. Supereſt tamen etiamnum *Margaridi* tam larga Venereorum nepotulorum meſſis, ut neque illi a viduitate ullum immineat periculum, nec mihi metuendum ſit, ne rivalibus meis ſupervivam, aut cum ſolitudine horum mortalium aliquando conflictor. Quo loco res Gothicae ſint, ſi quaeris: faeminas etiam hîc imperare ſcito, minus tamen impotentes quam apud vos. Nam una *Horniana*, ut ſcis, multarum inſtar Reginarum habet; Gothos quae moderatur, virilibus conſiliis adeo totam ſe permittit, ut conſularem credas. *Chriſtinam* Heroinam in itinere ipſo obviam habui, quare coactus ſum relegere mea veſtigia, & illam comitari ad ſextum miliare, quod ſic poſtularet. Comitantem curru, quo vehebatur ipſa, excepit, menſae etiam ſuae admovit, multiſque profuſae comitatis argumentis eſt proſecuta abeuntem, denique promiſit fore, ut ex aere meo quamprimum ſeſe expediret, iterata poſtmodum per literas pollicitatione, ac ſtrenae loco miſſa imagine ſua vivis expreſſa coloribus. De lite coram me percunctabatur, ſi tertium quartumque vincerer bis jam victus, manumne judici daturus eſſem. Cum negarem, laudavit conſilium; mihique & hoſpitium apud ſe & ſtipendium, quale nunc a Patribus obtigiſſet, paratum ſemper fore aſſeveravit. Haec in ſinum tuum effundo non jactabundus aut oſtentator, ſed ut mecum mireris inventam eſſe faeminam, cui cauſam meam probarim, in qua talpae judices tam parum videre. *Piſo* frugi noſter quid rerum moliatur, & ecquid aurum ex ſepulchretis pergat eruere, fac

ſciam.

ſciam. Tum *Laminius* ac caeteri amici, ut valeant. *Moucheronius* cum omni familia commode ſe habet: niſi quod deprehenſus in negotio Africano Geriis operam reipublicae noſtrae minus utilem navaſſe, ignorari a Collegio rerum Indicarum noſtrate id mallet. Vale, amicorum optime.

Exarabam Holmiae Suecor. A°. CIↃIↃCLXII. a. d. XXVIII. Jan. Gregor.

EPISTOLA DXII.

JOANNES COLINUS

Nicolao Heinſio D. F. S. P. D.

Holmiam.

AT, at, quam male cecidit, quod, purgando bilem pridie, quam litterae tuae mihi ſunt redditae, liberatus ſum febre, quae iterum me bis corripuerat. nam ſi encomium ſuorum verſuum in his legiſſet febris, proculdubio mihi luculentiores dictaſſet. itaque ex eo tempore eam ego, non tantum minore ſum odio proſequutus, ſed & eam atque eos amare coepi, qui deam illam fecerant. Nunc ſubſedit furor atque ad me redii, & hoc ambitioſe doleo: his enim paſſibus ſpes erat magna, futurum ut nomen famamque poëtae nanciſceremur, praeſertim vere tam propinquo. Quas ineptias tuas vocas, pergratae mihi fuerunt, earum ego tamen participem facere ampliſſimum *Grotium* non potui, propter ejus diſceſſum Hagam, ad comitia DD. Ordin. Pie tu quidem doles, quod rivalium tuorum memoria propediem ſit interitura. ſed tamen in tua manu eſt poſitum, ut eos ab oblivione vindices, ſin minus, procul dubio eodem erunt fato, quo fuiſſet Uliſſes ille, *multorum qui hominum mores cognovit & urbes, Ilias aeternum ſi latuiſſet opus.* Recte tamen atque ordine factum eſt, quod principem eorum praeivit ſociorum agmen levis armaturae equitatus, non tantum ut viam parent, impedimenta omnia tollant, ſed & ut equeſtrem pompam adornent, venientemque novum & egregium civem magnifice excipiat Regina Cytheres. Quid enim nunc minus illi praeſtet dea, quam nuper praeſtitit magiſtratus noſter Domino *Marſevenio* redeunti ex Hanonia, cum Principi eorum ſacro fonte lavato adſtitiſſet? Et hoc anno uno memini in chronico annotatum, qui poſt calendarium edebatur ab *Otthone Bernardi Smient*, poëta parietario, cujus hymni atque odae ſolent in pontibus, triviis atque quadriviis cani, magna ſtipante caterva, ſed habebat etiam ille praetorium in campis martiis. &c. ſi tibi fortaſſe id carmine facere nimis moleſtum eſt futurum, adverſis praeſertim Sicelidibus, ſicut eas tibi eſſe narras, poſſet eodem etiam modo celebrari memori Dominae *Margaretae*, quando certum erit, quot illa, nunquam nupta, viros tulerit, aut poſt ipſius obitum, aut cum lenae vel perductricis honorem detrita meruerit. Neque id ſane ſine exemplo futurum eſt, nam ſic aeternitati donata eſt mulier Sloterdicana, quae maritos (ſi bene memini) viginti quatuor tulerat extuleratque. De *Chriſtina* heroina, quod tibi bona verba praeſenti, ore ſuo, & abſenti per litteras dedit,

Digitized by Google

dit, gaudeo. gauderem magis si argentum dediſſet, eoque magis, quam promiſſis, onuſtum dimiſiſſet. Recte tamen reputanti, tu jam dives es, ſi verum cecinit tuus poëta: *Promiſſis dives quilibet eſſe poteſt.* Sed hoc male profecto, mi Nicolae, quod excuſatione opus credidiſti, ſcilicet ut ne apud me pro jactabundo habereris. Quippe hoc argumento ego collegi non eſſe tibi perſpectum ingenium meum, neque credere te, quam bene ego te, amice, norim. Interim ego haec, & quaecunque apud me ſecreto deponere dignaberis, in ſinu meo geram, neque diſcingar unquam, niſi cum bona venia tua. Abſit tamen omen, ut tibi ab Heroinae ſtipendio ulla ſit ſalus expectanda. quin potius auguror ſecundum te judicaturos ſupremi Conſilii Senatores, quos *Rebuffus* in tractatu ſuo de Litter. civilibus dicit eſſe ſacroſanctos, neque fallere neque falli, nec aliter propter ſingularem eorum induſtriam judicare, quam ipſe Princeps judicaturus eſſet. *Piſo* atque *la Minius*, uterque per aliquot dies adverſa uſi ſunt valetudine. de *la Minio* nihil habeo quod ſuſpicer. *Piſo* dubium eſt bona fide aegrotaverit an non: puto prudentem ejus animum metuiſſe, ſi ille ſemper vegetus valensque audiret, fore uti tot medici uno anno enaſcerentur, quod fungi una pluvia, & ſic fortaſſis ipſius luminibus officeretur. nempe etiam publice claudicavit, & traha vectus eſt per urbem. Illud certe verum eſt, quod eorum uterque totus eſt in corradendo argento: credo, hereditatis ſummam curabunt incidi ſepulcris ſuis, tam obnixe rem faciunt. Si apud *Moucheronium* aliqua adhuc ſupereſt noſtri nominis memoria, oro ut eum a me officioſe ſalutes. Amſtelodami prid. Cal. April. A°. 1662.

EPISTOLA DXIII.

JOH. COCCIUS

Rector Scholae Zuollanae,

Nicolao Heinſio S. P. D.

Helmium.

SCio tibi ſummam amicitiae conjunctionem eſſe cum nobiliſſimo *R. Hermanno Schelio*, eoque acerbiora futura, quae ſum narraturus. Et licet ipſe ſine vellicatione & exulceratione mei vulneris non poſſim eorum meminiſſe; tamen & lex humanitatis, & aeſtimatio tui, me non patiuntur ſilere. Fuit *Schelius* eis hebdomadas decem Iſſelmudenſis Satrapa creatus cum ſummo plauſu bonorum; qui conſiderantes hominis ſapientiam & eximias virtutes, optabant terris noſtris perennare illud excellens decus, & praeſidium unicum. Verum, quam miſere hi de ſpe deciderunt, & ipſe *Schelius* ſua deſtinatione! Quid enim magis ei in votis fuit, animoque agitavit, quam patriae ſuae quacunque poſſet ratione commodare, aliamque dare formam? Jamque cum dotes ejus apud omnes coepiſſent innoteſcere, eripuit eum nobis, qui ſupra nos negotium curat: adeo ut dicere poſſimus, hunc tantum terris oſtendiſſe fata. Na-

ctus est ante dies circiter decem febrim, quam ardentem vulgo vocant. Non tamen decubuit ex morbo, nisi biduo ante fatalem diem. Tum vero invasit eum febris ea vi, ut corpus labefactaret penitus, & plurimum infirmaret mentem. Excessit autem e vita Zwollae, in diversorio publico Henrici Mensingii, hora undecima noctis, nonis Juliis, inter solis & lunae diem. Priusquam perseveraret cubare in morbo, dissimulavit eum ut potuit, adeo ut pridie etiam interfuerit consilio nostrorum nobilium. Post, cum tam vehemens esse coepisset febris, nec mente, nec lingua satis uti potuit: adeo ut nihil ipse, quod noverim, constituerit in rebus suis; nec ego, quia serius de morbo ejus rescivi, interrogare potuerim, quid fieri vellet de Dissertationibus reliquis, quas prelo paratas dixit ante, modo describerentur. Egi cum fratris ejus filio, ne scripta illa sine dubio rei literariae utilissima futura pereant, sed ut edantur; ad quam rem & obtulimus omnem operam nostram. Ille autem promisit omnia benigne. Tua interesse putavi, Nobilissime Heinsi; ne nescius esses casus amici veteris, quîcum plurimus tibi fuit usus, quique plurimis flebilis occidit, ut singulare decus Transisalaniae nostrae, & omnis Belgii. Vererer alioquin ad te, virum ejus amplitudinis & dignitatis scribere. Si quid ultra petis de excessu Nobilissimi *Schelii*, scribam per otium prolixiore manu, & cum fide. Et digna sane est ejus vita & obitus, quae tanquam exemplum proponantur omnibus. Vellemque existeret aliquis, cui familiarius innotuit, qui vitam ejus viri latius nobis explicaret. Vale, Vir Nobilissime, & si quid per festinationem commisimus, boni consule. Sum enim occupatior. Editionem etiam Virgilii matures, quaeso, quam te adornare ex compluribus manuscriptis codicibus nuntiat per literas *Graevius*. Dabam Zwollae a. d. VII. Idus. Julias, anni CIↃIↃCLXII.

EPISTOLA DXIV.

NICOLAUS HEINSIUS

Johanni Coccio.

Zwollam.

IGnoscas peto pro cetera tua comitate atque indulgentia, quod literis a te provocatus suavissimis nihil hactenus repono praeter intempestivam silentii diuturni contumaciam. Fateor ingenue post acceptos de morte *Schelii* mei nuntios longe funestissimos multo tempore me meum haud fuisse, & invisum habuisse odioque persecutum esse omnem vocis dolori tanto imparis usum.

Curae leves loquuntur, ingentes stupent.

Fuit tamen pro solatio, quod ex cinere amici incomparabilis alius repente emersit, qui ejus vices suppleret, & jacturam maximam mihi redderet leviorem. De Te loquor, vir humanissime, quem vivente *Schelio* cum ignoraverim mei studiosum esse, nunc amicitiae Schelianae postumum hunc fructum fero, ut, quod superstiti beneficium acceptum referre maluissem, eo conci-

lian-

liante benevolentiam tuam me consecutum esse serus intelligam. Quapropter obsecro, quaesoque ut luculentum munus, quo me tam prompto obvioque praeter spem donasti, perpetuum mihi porro ac perenne saxis. Non defuerunt quidem nuntio rei ingratae *Graevius Gronovinsque* ac alii, quorum tamen officia tu sedulitate tua praevertisti, primo inter nuntiantes occupato loco. Reliquum nunc est, ut quam abunde mihi hîc probasti pietatem tuam, etiam defuncto probes, atque ab injuria oblivionis ac tenebrarum vindices τῶ μακαείτω schedas, quibus, qua es industria, summam manum facile impones. Tuum praesertim est effectum dare, ne fraudentur usu publico, quae de re veterum militari, argumento nobilissimo, in scriniis habebat jam propemodum perfecta noster. Castigasse se non pauca cum in aliis scriptoribus antiquis, tum in Valerio Flacco, ultimis penultimisque literis significabat, quorum mihi copiam sese facturum esse spondebat, quod ex me cognovisset, Flacci editionem esse mihi prae manibus. Horum si quid ab haeredibus poteris obtinere, magni beneficii loco operam tuam interpretabor. Conjecturas, quas dico, Valeriani Codicis margini haud dubie illeverat, ut solent, qui literas cum cura tractant. Virgilium plurimis locis a me veterum membranarum ope emendatum ad Elzevirium misi edendum. Observationes, quas eram additurus, adhuc premo. Vidi & legi Epicedium Schelio nostro datum idiomate vernaculo, & apud vos editum, quod mirifice placebat. Erat enim succi & nervorum plenum, multaque refertum elegantia. Auctorem ejus Theologum civitatis vestrae inquilinum esse intelligo. Vale, mi Cocci. Exarabam Holmiae Suecorum a. d. x. Octob. Gregor. A. CIↃIↃCLXII.

EPISTOLA DXV.

JOH. COCCIUS

Nicolao Heinsio S. P. D.

Holmiam.

PRotrahimur tandem e latebris, in quibus perpetuum delitescere cupiebamus, ne quid ex opinione nostri apud te minuatur. Fatemur equidem saepius nos optavisse inter cultores tuos admitti. Sed postquam in rem praesentem venimus, & tua singularis humanitas tam prolixe se offert obviamque praebet, ac naturali quodam & inimitabili candore pulchritudineque scriptionis nos invitat ad amicitiam mutuam; praestincta est acies nostrae mentis, quae se non dignatur hoc honore, ac ne familiarius cognosceres, quantum mea tenuitas infantiaque subsidat infra sublimes tuas dotes, ambitiose tacui; satis astute cogitans interim frui amore, quo nos per errorem complecteris. Nunc cum Plumerus bibliopola tuo jussu per literas, & praesens etiam hîc de responso nos monuerit, cogimur ad te scribere, quod ad alios nobis facilius, ut non temere quisquam de tarditate scriptionis nostrae conqueratur. Accipe tamen, quo colore responsionis inertiam defendere simus meditati. Dicere possumus,

nihil habuisse nos, quod tua scire interesset, nec decere vacuas literas mittere in terras tam longinquas. Officii quoque nostri rationem non negleximus, ut adipisceremur tibi Valerium Flaccum, cujus margini *Schelius*, jam beatus, emendationes suas adnotavit. Eaque de caussa bis ad *Carolum Othonem*, fratris τῦ μακαρίτυ filium scripsimus. Is vero occupatus in haereditate sibi vindicanda & acquirendo rerum dominio, nostras interpellationes facile contempsit, nec quidquam responsi dedit: & nosti quid esse soleat ὁ σχολαστικὸς, τὸ ζῶον scilicet, ὃ πάντες καταγελῶσι. Ad viduam deinde *Lintelii*, sororem beati *Schelii*, cum dedissem literas, rescripsit illa satis humaniter. Sed quia tam infestis animis dissidebant haeredes, & vi, hominibus armatis se invicem de Welbergae possessione deturbabant, interposuit se Episcopus Monasterienssis disceptatorem, causslam eam ad se pertinere praedicans, quod regno suo subesset hoc praetorium; eoque nomine custodia sua obsedit, nec quidquam exportari patitur. Ibi & servari credo eum Valerium Flaccum, cui *Schelius* noster inscripserit suas notas. Est ergo τ ἀδυνάτων librum illum, ut nunc est, consequi: & vides quid ex parte scriptionem ad te meam remoratum sit, spes nempe brevi adfuturae quietis pacisque inter haeredes. Id quoniam longius jam trahit negotium, vereor ne serius adipiscar Valerium. Audio enim te jamjam eum editurire. Quam autem primum nactus ero, ocissime ad te transmittam. Scripsit & *Gronovius*, noster praeceptor, de emendationibus Livianis, quas complures habuisse τ μακαρίτυ *Schelium* noverat. Sed non nisi sex septem missi acceptas a *Vollenhovio*, qui eas apud *Lintelii* viduam inter alia quaedam scripta repererat. Idem accepturus etiam est alteras dissertationes de castris, quod jam factum oportuit. Nam ecclesiastes *Haxbergensis*, quem penes est is liber scriptus, affirmavit utrique nostrum sancte ante bimestre circiter spatium, se, cum domum reversus foret, eum librum quantum posset ad *Vollenhovium* missurum. Nondum liberavit eam fidem, qua se obstrinxit: at brevi tamen nos nacturos spero, & ejusmodi reperturos ea scripta, ut sine magno negotio typis mandari queant. Audivimus id ab ipso *Schelio* paullo ante excessum: licet pejus ominetur ille *Haxbergensis*, & pleraque confusa dicat, ut saepe nec caput, nec pedes. Ubi comparebit liber, videbimus. Ante viginti hosce dies Trajecti ad Rhenum fuimus; ubi cum *Graevium* non inveniremus profectum Hagam, domi ejus reliquimus elegantem libellum *Everardi Feithii* Elburgo Gelri, quem inscripsit auctor *Antiquitates Homericas*. Praeterea & unum librum de *Antiquitatibus Atticis*, cui materiae sex vel octo libros destinarat *Feithius*. Est autem hic scriptor eruditus & tersus. Docuit publice literas Graecas Rupellae circa annum sextum vel octavum hujus seculi; & triginta plus minus annorum cum esset, putatur clam caesus ob consuetudinem cum nobiliori femina. Miramur nullam nos reperisse mentionem de hoc auctore in *Scaligeri*, *Casauboni* aliorumque ejus temporis scriptis, iis dico quae legimus: nec videtur tantum ingenium in occulto potuisse latere. Sed promisit *Henricus Brumanus* adolescens ex inferioribus meis collegis, cujus fuit avunculus magnus hic *Feithius*, & a quo accepimus hos libellos, se curaturum nobis Elburgo serinium ple-

Digitized by Google

plenum epistolis aliisque scriptis, unde spero compleri posse libros Atticarum Antiquitatum, & reperientur quoque forsan eruditissimorum ejus aetatis virorum epistolae. Hosce, inquam, libellos reliqui apud *Graevium*, ut edat, si probet, typographumque ei rei nanciscì possit. Quem *Graevium* quod domi non invenerimus, etiam eo nomine nobis dolet, quia carmen videre non potuimus, quo te prosequutum audio *Schelii* manes. Apparebunt in eo tua Venus & dotes, cum naturam etiam, credo, excitaverit desiderium amorque defuncti. Nos Musarum cultores ex infima plebe, & solo capite censendi, quod potuimus quoque fecimus, magis adeo ne pietas nostra desideraretur, quam ut haec quidquam collatura putaremus ad tanti viri ornamentum. Carmen Epicedium autem est imperfectum & impolitum, propterea quod cum aliquamdiu meditando satis amplam concepissemus materiam sine ullis dum versibus, intervenienti cessserimus *Vollenhovio*, qui posterius apud typographum, quem hìc habemus unicum, suum carmen imprimi voluit. Ita plus quam triduum mihi ablatum, & praecipitare meum carmen coactus sum. Ac dum pango hoc epicedium, trado edendam Gratulationem, quam animi caussa feceram, cum *Schelius* esset Satrapa creatus, quamquam ipse nunquam vidit: maluimusque intempestivi, quam non officiosi videri, cum hìc eum heroa laudibus percurrere sumus conati. Correctiones, quas vides, fuerunt ita in autographo nostro: nam dum festinantius describitur, vox pro voce fuit sumpta perperam. *Vollenhovii* carmen etiam hìc admirati sunt homines, nec quisquam horum poëtarum fuit, qui ad summam ejus potuerit adspirare. Quam vellem ut pro concione dicentem audivisses cum virum: laudares eloquentiam, quam ille alit ac robustam facit sapientissimorum scriptorum lectione, purpuram quaerens e Tullio, Seneca, Plutarcho aliisque veterum, quam adsuat simplici ac tristiori sacrae scripturae panno. *Schelius* eum ut fratrem amavit, cui in supremis adfuit, & ante per morbum prope adsiduus. Plura de hoc ne scribam, verecundia retineor, quia, quae comitas est hominis, ab eo quo praefuit ecclesiae nostrae, (annus is jam nonus agitur) nemo nobis vivit animo & familiaritate conjunctior. Salutat autem te *Vollenhovius* quam officiosissime, & quam diutissime commodo rei literariae servire posse mecum optat. Virgilium tuum tandem accepimus missum eis paucos dies a *Plumero*, cum semel & iterum ante per bibliopolas nostros Amstelodamo petiissemus frustra. Vidimus erranti oculo aliqua optime a te restituta. Laudabimus rectius, ubi perlegerimus totum; si tali auxilio vel defensoribus istis eges. Vale, vir nobilissime, & perge nos amare, qui te veneramur & colimus ut ipsas Musas. Dabam Zwollae a. d. VII. Idus Quintiles, stylo Juliano, anni CIↃIↃCLXIV.

EPISTOLA DXVI.

NICOLAUS HEINSIUS

Johanni Coccio.

Zwollam.

IGnoſcas aequum eſt, & in bonam partem interpretere, ſi parum ſeduli aut minus diligentes videmur eſſe, mi Cocci, in exercendo mutuae ſcriptionis, & alloquii alterni commercio. Ex quo enim apparuere publico ſcintillae qualeſcumque incendio illi praeviae, quod nobis bellum Britannicum minabatur, alia ex aliis mandata, quaſi concatenata a Proceribus Belgarum Foederatorum ſupervenere, per quae de ſtudiis atque amicitiis privatis cogitare vix permittebatur. Dum meliora ſpero, & votis ardentiſſimis Deos poſco nequicquam, multum temporis effluxiſſe ſerus agnovi. Arrepto igitur ſtylo non potui a me impetrare ut ſalutationis debitae ac procraſtinati hactenus reſponſi officio diutius deeſſem. Tu ſi paucioribus verbis, quam humanitatis leges poſtulabant, apud te nunc videbor defungi, id omne temporibus difficillimis acceptum refer, per quae mihi verboſo non licet eſſe. Virgilium, fateor, locis plurimis caſtigaveram, vocata ad partes Elzeviriana editione, quam a parente meo recenſitum meminiſſem omniumque emendatiſſimam eſſe opinarer. Sed adeo in plurimis operas typographicas a mente ac manu Senis noſtri diverſas abiiſſe invitus deprehendi, ut abſit minimum, quin omnium mendoſiſſimam Maronis editionem nobis dederint. Multa irrepſere nimirum, non tantum adverſus publicam veterum membranarum, ſed etiam contra editionum typis exemplarium auctoritatem, quae legentes ſub umbra ſpecieque ſcripturae genuinae turpiter fallant. Horum quidquid reſtabat in noſtra illa, quam laudas tanto opere, editione, reſtabat autem non parum, id omne curis poſterioribus, quas in promptu habemus, amotum ſublatum nunc eſſe ſperamus & confidimus, modo fideliter ab operis Typographicis exprimatur. Poëmatis meis, altera propemodum parte nunc auctioribus, diu eſt, quod manum abs ſe fore admovendam Bibliopola Elzevirius pollicetur, cujus cunctationis me jam taedet. In Valerium Flaccum & Silium Italicum annotata percenſeri a nobis par eſt, priuſquam praelo Typographico committantur. Quod ut cum cura fiat, otio majore mihi eſt opus. Ea res & Maronem differt ac moratur. De poſtumis *Schelii* noſtri operibus edendis Te & *Vollenhovium* ſerio cogitare cupiam. Quando nec ab haeredibus τῦ μακαρίτυ id ſperari poteſt, nec a *Graevio*, cui ſi militia amici noſtri adminiſtranda permittetur, Fabium cunctatorem reperiret. Nam qui in ſuis proferendis tam lentae tamque ignavae eſt operae, quid in alienis ſit praeſtiturus divinatu non eſt arduum. Quae tu manibus Schelianis dediſti, ea mire polita mihi viſa ſunt. *Everardum Feithium* ne ex fama quidem compertum habebam. Hoc igitur age ut memoriam doctiſſimi Viri ab oblivione vindices, & eruditis ejus ſcriptis poſteros demerearis. Vale Exarabam Holmiae Suecorum Eid. Febr. CIↃIↃCLXV.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA DXVII.

THOMAS BARTHOLINUS CASP. F.

Nicolao Heinſio Dan. Fil. S. P. D.

Lutetiam.

QUànquam gratiſſima mihi ſemper viſa ſit Lutetia, nuper tamen ſolito magis placuit. Non quod rerum fuerit mutata facies, & aedium ſuperbarum additamentum, ſed quod magnis Viris, quibus urbs abundat, tu quoque acceſſeris, mihi ex aequo addictus. In quo ſane, ne alias attingam dotes, quibus Parentem feliciſſime exprimis, admiratus ſum eruditionem magnam pari candore junctam, tanto in te eminentiora, quanto ſeculo noſtro invidiae pleno & fucatae doctrinae, videntur rariora. Gratulabar ſaepius Belgio veſtro ingeniorum feraciſſimo, quod te in ſpem maximam genuerit, nec minus orbi noſtro literato, quem feliciter adeo illuſtrare coepiſti. Parenti quoque inter ſumma famae dudum collocato aeternitatem augurabar, quam dudum meruit, non ſolum quod divinis ſcriptis orbem impleverit, ſed potius quod in te expreſſam magnarum virtutum imaginem tranſtulerit & perfectum ſummi animi exemplar, quod ſibi, parente olim inter ſidera relato, aevum ſervet ſequuturum. Inprimis autem meam amicitiam optime ſperare juſſi, cui tu acceſſiſti non uno nomine chariſſimus. Nolo in laudes tuas ire, quas mecum recolo non tacenda veneratione. Novi enim genium tuum, amicos magis amare, quam laudatores, quibus ſubinde nefandum adulationis crimen conjungitur. ſat erit ad laudem tuam, ſi te Heinſium dixerim. Quid huic ſubſit nomini, me tacente, loquuntur omnes, quibus literae innotuerunt. Tuae tamen laudi & hoc accedit, quod connatam famam & eruditionis majeſtatem haereditario quaſi jure a parente traductam, majori exemplo juves. Perge igitur de Naſone tuo, ut coepiſti, porro bene mereri, nec diuturniori mora ſpem noſtram illude. Pro Claudiano digno tuae induſtriae Heroe, pariter intercedo, & Aurelio Prudentio, quo aurei tui ingenii prudentia eluceſcat. Locus apud hunc dubius mihi occurrit, de quo judicium tuum exſpecto. Is eſt de Hippolyti Martyris Paſſione: in Hym: XI. vſ. 65.

— — *crux iſtum tollat in auras*
Viventeſque oculos offerat alitibus.

Quid *in auras tolli* ſit, mihi cum *Lipſio* non convenit, qui lib. 1. de Cruce cap. 4. alluſiſſe arbitratur Poëtam ad ethymon τῦ σταυρῦ ab Heſychio traditum. Heſychius autem vocat σταυροῦς, ἐκ τῦ εἰς τὸν αὔρων ἵστασθ, *quod ad auram conſiſtant*. Verum meo judicio diverſo ſenſu ab utroque dicitur, *tollere in auras*, & *conſiſtere in aura*. Stauri enim ad auram conſiſtunt a nullo vicini fulcri ligno ſuſtentati, ſecus quam patibula ſeu furcae, quae adpoſitis lignis ad latus fulciuntur. Crux autem niſi quod in terra haereat fixa, ad auram libera conſiſtit, nullo ambiente corpore. Cujus contrarium, quae in aura non conſiſtunt

ſtunt forſan trabes cenſentur, quibus verberandi flagellandique ſuſpendebantur apud Romanos pariter Graecoſque uſitato ſupplicii genere. Unde *in auras tolli* Prudentio forſan dicitur is, qui ſupra hominum regionem crucis altitudine ſublatus omnibus, quibus exemplum eſt, ſit conſpicuus. Ut crucis altitudinem deſignet, a qua ὕψωσις illa apud Joannem ſacrum Vatem, & *cruciſalus* apud feſtiviſſimum Plautum. Μετάρσιος quoque, hoc eſt ſublimes, eleganti joco *Caſaubonus* tales vocat, & *cruce ſublimem ſpectare ab alta* Regulum Poeni Silius decantat. Liguum ſane crucis notione preſſa ἡμιόδρομον ξύλον ab Auctore Tragoediae, quae inſcribitur Chriſtus patiens, venit, nec abludit Nonnus Johannis Interpres;

Εἰς δόρυ πτερόπλευρον, ἐπήορον, ὑψόθι χαίης
Ὄρθιον ἐξετάνυσσαν. — —

Et *excelſa crux* Tertulliano, Lactantio de Vera ſapientia *exaltari* dicuntur rei ex ſacri textus mente. De quibus data induſtria egi fuſius in [1] Diſſertatione mea de Latere Chriſti aperto, brevi lucem viſura, ſi tuam ſymbolam contuleris. Apud eundem Prudentium *Lanciniatores* maximorum gregum neſcio an dicantur Medicorum filii, quorum manus *lanienam Hippocraticam* ibidem Hymn. x. vſ. 498. appellare amat. Alii apud eundem legunt *Laniantes*, alii *lancinantes*, quod ex Celſi praefatione mutuati ſunt, in qua Herophilus vereſque vivorum profectores *Latrocinantes* audiunt. Idem ſane Herophilus Tertulliano *profector*, & *Lanio* nuncupatur, Aſclepiades *tortor* Celſo, & Medicus Archagathus *carnifex* Plinio. Tu de loco Prudentii quaeſo aliquid mone, dum ego Medicorum incumbo defenſioni. Verum nimis in otium Tuum forſan pecco, quod aliis deſtinaſti. Amicitiae id condonabis fiduciae & Prudentii amori, cui curas tuas partitus es. Ex Claudiano tuo pauca delibarem, ſi epiſtolii anguſtiae permitterent. Unum tantum de Phoenice decerpo, cui vſ. 17.

Arcanum radiant oculi jubar.

Radios hos non oculis, ſed temporibus contribuit Auſonius:

Ales cinnameo radiatus tempora nido,

Seu *nimbo*, ut *Scaligero* placuit. Lactantius in Elegia Phoenicis toto capiti applicat: vſ. 139.

Aequatur toto capiti radiata corona.

Ubi membranae meae MS. habent: *Aequataque noto capiti radicata corona*, qua veri ſpecie, per otium indicabis. Neſcio an huc reſpexerit Solinus: *Capite honorato in conum plumis exſtantibus.* Quid ſi *capite coronato* reponamus ad Lactantii imitationem? quanquam & *honoratum* caput dici poſſit, ut apud Claudianum tuum

— — — *igneus ora*
Cingit honos rutilo cognatum vertice ſidus &c.

Sed haec cum aliis hujus commatis ſuſiori calamo perſequor in Commentariis [2] de Luce Animantium, ad proelum paratis, & in publicum orbis conſpectum

1 Cap. VII. pag. 69.
2 Vid. lib. II. cap. XIV. pag. 220.

Digitized by Google

ctum prodituris, ſi, quid tibi ſuper loco Claudiani ſit animi, perſcripſeris & epigrammate feliciſſimae tuae Muſae, opus lucidum proſequutus fueris. Caeterum iter, quod magno animo in Latium ſuſcepiſti, ut ex voto ſuccedat, votorum meorum eſt ſumma. Ego patriam meditor diu deſideratam. Tu, quaeſo, bonas aves precare & amorem mihi perenna. Vale, amicorum decus, & publicum bonum, ut coepiſti, promove. Scripſi Lugd. Bat. 18. Mart. 1646.

EPISTOLA DXVIII.

MARCUS MEIBOMIUS

Nicolao Heinſio.

Leidam.

Clariſſime ac Eruditiſſime Domine. *Caroli Sprotii*, reverendi ac doctiſſimi viri, litteras magna nuper cum voluptate accepi, perlegi. Illas ſecum attulerat Reverendiſſimus item ac Doctiſſimus Doctor *Broun*, Regiae principi a Sacris privatis. Tua vero, Eruditiſſime Heinſi, merita, ut priora ſunt, ita & antiquiora mihi eſſe debent. Certe abs Te fuiſſet, nunquam his in terris, vel Ptolemaei nomen Graecis litteris exaratum, vel Bryennii monumenta videre licuiſſet. Etſi enim, ex litteris ad te, ante novem ferme menſes ſcriptis, quas humaniſſime tum inſpiciendas dabas, cognoveram, codices illos eſſe mutilos, fore tamen rebar, ut, ubi Galliam aliaſque provincias adirem, major antiquos libros, manu praeſertim ſcriptos, inſpiciendi facultas daretur. poſſe me illa occaſione facilius, quae his in libris deſunt, ſupplere, quam ut denuo integros exſcriberem. Ptolemaei tertius deeſt totus; nec bini priores ſatis integri. Bryennii aliquot τμήματα in principio deſiderantur. Quod non admodum in ejuſmodi ſcriptis mirum eſſe debet. quippe quae Latinorum adhuc in hac diſciplina barbarie latius graſſante, meliori dicam fato, an ingeniis divinioribus vitam omnem ac ſui conſervationem ſe debere fatentur. Horum Tu, Clariſſime Heinſi, veſtigiis inſiſtis, qui veteribus Codicibus, magna diligentia collatis, uberem ejus curae fructum litterato orbi promittis. A quo ut immortalem tibi gloriam ſpondere debes, ita, quod poſſum ac debeo, ſummas Tibi pro hoc in me officio gratias ago; ea me cogitatione oblectans, quod, quam in Summo Viro, Patre tuo, in me benevolentiam eadem in re ſum expertus, eam a Te, nobiliſſimo illius filio, continuatam videam. Vale, Clariſſime Domine, meque Patri ampliſſimo ac Tibi habe. Anno CIↃIↃCXLIX. III. Idus Octobris.

P. S. Litteras hiſce incluſas ab Amico habes *Carolo Sprotio*, quas ut a D. *Broun* accepi, Tibi mitto. Prima quaque occaſione gratias pro commodatis libris perſcribemus, omnibus officiis noſtram gratitudinem declaraturi. Libros Muſicos prelo jam fatigant Typographi, qui, ubi illorum curis fuerint liberati, ad Te, tuumque *Sprotium*, atque alios amicos convolabunt. Iterum Vale, atque hiſce feſtinatis ignoſce.

Digitized by Google

EPISTOLA DXIX.

MARCUS MEIBOMIUS

Nicolao Heinſio.

Helmiae.

Literas tuas, quas XVI. Cal. Junii ad me dediſti, recte quidem accepi, ſed qua via ad me pervenirent, divinare tum non potui. Nuper huc advenit Nobiliſſimus atque Ampliſſimus Vir, *Jacobus le Maire* ablegatus Ordinarius Ordin. Generalium Helſenorae, uti noſti, habitans, qui de literis tuis, a ſe Helſenora ad me miſſis per amicum, interrogavit, num illas recepiſſem; ſimulque tuas ad ſe nuper ſcriptas literas oſtendit. Dixi, non ſolum recte me illas accepiſſe, maximaque laetitia earum lectione fuiſſe perfuſum, ut quae a vetere amico, celeberrimoque in literis viro, & quod caput eſt, candidiſſimo virtutis omnis aeſtimatore, ſcriptae eſſent; ſed & ſtatim reſponſurum fuiſſe, ſi mittendi literas viam certam ſciviſſem. Metui enim, ne forte literae in aliorum manus pervenirent. De negotio autem illo quid ſtatuere poſſem, ipſe pro tua prudentia facile perſpexiſti. Quod ſi propoſitum eſt, certam vivendi rationem, & habitationis locum tandem eligere, certe apud Reginam Suediae, optimam quidem ſapientiſſimamque Principem, ſed pro negotiorum incidentium varietate locum commorationis ſaepius mutantem, pingue illud ſtudiis meis, valetudinique conveniens otium non ſum inventurus. Jam vero Romae in bibliotheca conſeneſcere quis poſſit, absque religionis mutatione? de qua vir conſtans, rerumque humanarum non omnino imperitus, quidquam audire nolit, cum nunquam ferme ſine famae aliqua labe a doctis viris ſit admiſſa. Interim, quemadmodum coram tibi multis expoſui, commodam quandam viam ac rationem hinc diſcedendi mihi oblatam vellem. Et video metuendum eſſe, ne difficilius, quod volo, impetrem, ſi Sereniſſimae Reginae auctoritas interponatur, praeſertim quod Sereniſſimus Rex Daniae, Dominus meus Clementiſſimus, Reginam, cum hac tranſitura eſſet, excipiendam non curarit. Hoc tandem conſilii mihi capiendum video, ut absque dimiſſionis literis hinc diſcedam. Neque enim ſalva conſcientia diutius hîc haerere poſſum, ut qui nec Deo nec hominibus ulla hîc re inſerviam. Nunc in bibliotheca Excellentiſſimi quondam *Gersdorffii*, quam vivus Regi ſuo legavit, ad praeſcriptum catalogi ordinem recenſenda & Sereniſſimi Regis nomine recipienda, horas bonas perdo & me macero, ſine ulla tanti laboris mercede, quam quidem certo ſperare poſſim. MSS. Hiſpanicos & Italicos, paucos quidem ſed egregios, heri ex bibliotheca illa Sereniſſimo Regi obtuli. Si catalogum illorum videre cuperes, quem notatis libri ſeu voluminis cujusque ſingulis tractatibus ſatis accuratum confeci, eo tibi gratificari ſum paratiſſimus. Haec in hoſpitio Ampliſſimi Domini Ablegati ſcripſi. Vale, vir Ampliſſime, & rebus meis favere perge. Hafniae Nonis Auguſti, anno CIↃIↃCLXI.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA DXX.

MARCUS MEIBOMIUS

Nicolao Heinſio S. D.

Hagam.

Tardius, fateor, ſcribendi officio, quo tu non ſemel me ornaſti, defungor. neque id factum, aut literarum faſtidio, quas me deamare non ignoras; aut ſocordia quadam, qui me ad hujuſmodi labores ſuſcipiendos impigrum fuiſſe teſtes ſedulitatis producere poſſim; ſed neſcio quo ſemper praeſentem rerum mearum ſtatum dedignante animo. Non facile dixero, quam tu me hujus anni initio ſermonibus de literariae reipublicae ſtatu hoc tempore recrearis. qui non tantum quid in Belgio agant eruditi viri ſcias, ſed literarum commercio Galliae & Italiae doctos viros tibi devinxeris. Vitae quidem meae ratio ea fuit hactenus, ut literarum oſoribus oſtenderem, non temperantis vitae inſtitutum, aut Sapientiae amorem impedimento eſſe, quo minus publico munere cum probitatis laude bene functi videri poſſimus; nec everti poſſe debitum literis honorem, niſi omni honeſtati ſimul nuncium remittere velint: hanc tamen laudem invidiae virus ac calumnia paullatim depaſcere atque abſumere tentant. Caeterum de edendis reliquis Muſicis quod mones, eo ſum animo, ut, niſi majus quoddam impedimentum Deus objecerit, hac aeſtate deſcribendis iis inſudare velim. Manuel Bryennius, facilis, ſed egregius, ſcriptor vix interpretem requirit. Ptolemaeus majores conatus deſiderat, ſi nativum eruditionis decorem lectorum oculis oſtendere velimus. Huic accedet commentator Porphyrius, candidus variae eruditionis amator, ſed ſtylo obſcurus. De typographo, qui haec edere velit, diſpiciendum. Quod ſi in Belgio honeſtior vivendi conditio mihi offerretur, parvo labore in procurandis editionibus defungerer: nunc bis ſunt omnia ſcribenda, ne, ſi exemplar pereat, idem labor denuo ſit ſuſcipiendus. quae quidem potiſſima cauſſa eſt, cur quaedam mea, Muſica praeſertim, lucem nondum viderint, ut quae accuratiſſimam diligentiam deſiderent. Exemplaria MSS. eorundem auctorum inſpicere velim, quae tua auctoritate obtinere poſſem, uti nuper ſua liberaliter promiſit *Marquardus Gudius*, vir eruditiſſimus, qui cum eximio ſuo comite me inviſere dignatus eſt. Manethonem Graecum poëtam inſpicere vellem, quem tu mihi diebus aliquot utendum procurare facile poſſes. Porro ſi quid librorum nuper editum eſt, quod lectionem mereatur, de iis quaeſo me moneas. praeterea quot Muſicorum meorum exemplaria reliqua habeat *Elzevirius*, quem, & praeſertim magna nomina, *Voſſium*, *Gronovium*, *Golium*, meo nomine ſalutare velis. Vale & me ama. Hafniae die 27. April. A°. 1667.

EPISTOLA DXXI.

MARCUS MEIBOMIUS

Nicolao Heinſio S. D.

Hagam.

NUper hîc a profeſſore quodam humanioris literaturae utendum accepi utrumque epiſtolarum volumen *Tanaquilli Fabri*. legi nonnulla. placuere quaedam. nec pauca ſunt praecipitantis ingenii indicia. Modus ille condendi varias lectiones, auctorumque emendationes non placet. praeſertim ſtylo adeo inaequali & invenuſto. *Muretos*, *Victorios*, alios, gratiam ſcriptis ſuis conciliaſſe videmus. Vidi quid in Ovidio tuo, temere ſaepius, tentet. Sed temeritasne magis an impietas ſit nominanda, prurigo illa emendandi ſacros codices, alii dubio procul accurate jam expenderunt. ſi mihi hîc typorum facultas eſſet, quae mihi & forſan etiam aliis merito diſpliceant, monſtrare poſſem. In Heſychio emendando non parum ſaepius hallucinatur. uno capite XIV, ſi recte memini, loca emendaſſe gloriatur; omnia, quod mirum, conatu irrito. quae, cum ad nos veneris, monſtraturus ſum. In explicando Ovidii diſticho admodum laboravit; quod ita ſcribo.

Inter tot populi, quot ſcripti millia noſtri
Quem mea Calliope laeſerit unus ego.

Inter tot millia populi Romani, quot millia literarum (haec vox praecedente verſu legitur) ſcriptum noſtrum de arte amandi habet, unicus ero, quem verſus illi laſciviores laeſerint. Poſt diſceſſum tuum praeterito anno Ovidium tuum in manus ſumſi, & quaedam notavi. nec dubito quin veriſſimam hanc emendationem ſis judicaturus. Saepius ſignate *Scriptum* vocat illos de arte libros. De Clariſſimo viro *Marquardo Gudio* quid factum ſit coram ex te audire aveo. Si Hagae moratur, meo nomine quaeſo ſalvere jubeas. Manethonis verſus Aſtronomicos ſcriptos aut impreſſos libenter viderem. Sed hîc abrumpendum, quod tardius ad ſcribendum calamum arriperem. Vale, & domum meam praeſentia tua dignare, cum huc es tranſiturus. Hafniae d. 14. Mart. 1668.

EPISTOLA DXXII.

MARCUS MEIBOMIUS

Nicolao Heinſio S. D.

Vianam.

LAngui per hos dies, aëris foetidi contagio. Praecipua enim graſſantium febrium cauſſa in his locis eſt foſſarum foetor. Nec remedium ejus mali, quamvis aequiſſima conditione a me oblatum, ſcire valde deſiderant plerarumque urbium magiſtratus. Mira enim importunitate exceptus ſum a Leidenſium, δημηγόρῳ dicam an δημοβόρῳ, *Burgerſdicio*. Neque enim Conſules, quod mi-

mirum mihi valde accidit, hujuſmodi publica urbis negotia curant. Ad Penſionarium ſuum ea remittunt. qui, tanquam urbis regulus, aut dictator, pro animi lubitu ea acceptat, aut rejicit. Niſi multitudinis miſeratio juſtam indignationem minuiſſet, loqui amplius hujuſmodi hominibus detrectaſſem. Indigni enim ſunt, qui procurandae rei bonae manus adhibuiſſe dicantur. Miſera certe vitae meae conditio eſt, qui ab hujus urbis potentibus, iis, qui factioni conſulis *Gillis Valckenier* adhaerent, hic premor. Coeptis meis omnibus ſe opponunt. Scripſi ſuper hoc ſacro Bibliorum negotio multas literas ad Archiepiſcopum Cantuarienſem. nihil unquam reſponſi tuli. Scripſi etiam aliis, & exemplaria miſi; pereunt ea omnia, quae ad me redire deberent. Enimvero intercipiuntur literae. forſan etiam in Angliam eas ire non patiuntur. Annon ſumma haec miſeria eſt, impeditum ſe ſentire ab iis, qui ſummam juſtitiam adminiſtrare videri volunt. Quotidie enecor. etiam calumniis, & male-ſanorum juvenum convitiis, quod ex *Gronovii* libello jamdudum cognoviſti. Quaeſivi, per amicum, librarium, qui reſponſioni meae imprimendae ſumtus faceret. inveniri nequiit. Haec certe & alia multa adverſa, etiam animi languorem inducunt. Tu, clariſſime vir, tranquillius vivis, &, ut diu vivas, opto. Multa ſunt, quae accurate a te in hoc libello examinari vellem. ſed unum praeſertim, de pardi ſe erigentis conſuetudine, quam Prophetam notare voluiſſe exiſtimo. & juvat Juvenalis locus. Num plures loci apud veteres auctores exſtent, dicere nequeo. Leges hoc, ſi placet, ſpecim. tertii pag. 10. Pauci nunc ſunt, qui recte de hujuſmodi quaeſtionibus judicare valeant. Certe nobis juvenibus majori in aeſtimatione erant hae literae. Si tale quid aliquis promiſiſſet, omnium in ſe oculos & ſtudia convertiſſet. Omnium enim veterum aeque ac recentium interpretum curas in difficilibus V. Teſtamenti locis, vanas eſſe demonſtrare poſſum. Totam S. Hieronymi explanationem capitis 31. Ezechielis frivolam eſſe, adeoque delendam, promiſi me oſtenſurum, ſi ſubſcriptores, uti vocant, ſtudiis ſuis me juvare vellent. Sed in his terris pauciſſimos ſacrarum rerum amatores deprehendo. Deus tamen excitare aliquos in aliis terris poſſet. Vale, vir clariſſime & me ama. Amſterdami die v. Cal. Novemb. 1679.

EPISTOLA DXXIII.

NICOLAUS HEINSIUS

Marco Meibomo.

Amſtelodami.

ET accepi proximis diebus munus lautiſſimum, ſpecimen, inquam, tuarum in Vetus Teſtamentum obſervationum, & vix acceptum intente avideque perlegendo exhauſi. Transpoſitio tua in Jobo, ut perquam ingenioſa eſt, ita locum omnem ex obſcuro luce meridiana liquidiorem ac egregie perſpicuum reddit. Utinam ſint, qui operi huic edendo impenſas ſufficiant pares,

ut aliquando plenius tot tantisque deliciis atque ad satietatem nos ingurgitemus! e tribus, quae misisti exemplaribus, uno in usus meos sepositio, sic enim te velle arbitrabar, duorum reliquorum alterum in Gallias V. Cl. *Emerico Bigotio*, sacrarum litterarum mire, ut scis, studioso destinavi: alterum in Germaniam *Benedicto Friderico Carpzovio*, qui fratrem habet orientalium linguarum cognitione praestantem, nec ipsum earum prorsus ignarum. Princeps ille Monasterienſis, ut sunt tempora, nova dignitate auctus, in rebus suis constituendis atque ordinando reipub. statu, quem decessor ejus turbatissimum reliquit, est occupatissimus. praeterquam quod illi (quod neutiquam te fugit) qui Romanae Ecclesiae decretis sacramentum dixerunt, vulgatae Bibliorum versioni adhaereant aliquanto pertinacius. Jacere studia bonarum artium negligique hac tempestate, praesertim apud nos, jure expostulas, atque indignaris: neque hîc pernicies illa stabit: plenis velis properamus ad profundam ignorantiae noctem, quam cladem amoliri quando non est in nobis, ab ipsis studiis solatium petamus, ac tranquillo toleremus animo, quod averti non potest, est necesse. Ad Livium quod paratum habes scripti apologetici, apud Leidenses puto facilius, quam vestra in urbe typographum invenerit, praesertim si illuc loca nonulla ex illustrioribus, quae in auctore illo castigasti plurima, congesseris. In Juvenalis loco de *hiatu pardi* etiam feliciter es versatus; *latos* tamen *orbes*, non pro patinis aut lancibus capiebam, sed ipsas mensas, quae orbiculatae ut plurimum, interpretabar. Praecipuus Romanorum luxus in mensis Citreis versabatur, quos fulcra ut plurimum sustinebant eburna. hae autem mensae cum non e ligni citrei coagmentatis aut conglutinatis tabulis, sed ex solidis constarent citri orbibus, quo latiores erant ac maculis interstinctiores, sive nodosiores, ut alii loquuntur, eo pluris aestimabantur, utpote quibus ab ipsa arboris in latum mensura pretium accresceret. *Orbes* autem pro mensis poni nihil novum. En apud eumdem Juvenalem *latos orbes* denuo commendatos Satyra I.

Nam de tot pulchris, & latis orbibus, & tam
Antiquis una comedunt patrimonia mensa.

de fulcris mensarum eburnis habes apud Martialem lib. 11. ep. 44.

Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes;
Fulcitur testa fagina mensa mihi.

per *Libycos orbes*, mensas Citreas innuit haud dubie. sic Tertullianus de Pallio, *adigo cauterem ambitioni, qua M. Tullius quingentis millibus non unum orbem citri emit, qua bis tantum Asinius Gallus pro mensa ejusdem Mauritanis numerat.* Nec aliter capiendus locus longe vexatissimus. sic Juvenalis Sat. XI. 173. loco vexatissimo, cum *Lacedaemonium orbem* dixit, mensam e marmore Lacedaemonio factam designavit, ut puto,

Qui Lacedaemonium pitissmate lubricat orbem.

Lauti enim nepotes illi interdum jam saturi pinsiando, aut etiam Diis libando, nonnihil vini effundebant in mensam. docet Naso Epistola Helenes,

Or-

Orbe quoque in menſae legi ſub nomine noſtro,
Quod deducta mero littera fecit, Amo.

Multa ex Athenaeo atque aliis ad hanc rem illuſtrandam proferri poſſent, ſed doctum non doceo. Apud Martialem quoque lib. III. ep. 31. puto legendum

Et ſervit dominae numeroſus debitor arcae,
Suſtentatque tuas citrea menſa dapes.

Non *aurea*, de aureis menſis nihil lectum mihi memini, ſed de argenteis Lampridius de Heliogabalo. *Primus menſas & capſas argenteas habuit.* Vale. Viannae ad Leccam Octob. 1679.

EPISTOLA DXXIV.

THEOPHILUS HOGERSIUS

Nicolao Heinſio Dan. Fil. S. P. D.

BImeſtri meo conſulatu; hoc eſt illo tempore, quo meae in ſenatu praeſidendi vices fuerunt, quoque, ut facile cogitare potes, Vir illuſtris, tot negotiis obrutus fui, ut nullam omnino Muſis operam dare potuerim, exacto, ad vitam, quae maxime eſt ad naturam, ut Cicero loquitur, & literas & ſtudia noſtra, quantum per occupationes licuit, me retuli; ſtatimque carmine, quod inchoatum & interruptum depoſueram, reſumpto ut paulum expolirem, denique perficerem, materia ſub manu in tantum excrevit, praeſertim mutato rerum ſtatu & pace prorogata, ut non modo aliam inſcriptionem adjungere, ſed ipſum opus in libros, uti vides, dividere decentius exiſtimaverim. Omnia autem judicio tuo permitto; ure, ſeca ad arbitrium. Sed te, ut amicorum optimum atque unicum patronum, etiam atque etiam rogo, ut de tota cura & ſingulis membris quae ſentias libere mihi quamprimum ſignifices. Quantopere ſemper ſim peroſus domeſtica noſtra jurgia novit Deus ille καρδιογνώστης. Sed quid facias? Improbi illi homines, qui antehac omnia ambitioni ſuae dando, vel rempublicam praedae habendo civitatem noſtram miſerandum in modum divexaverunt atque perturbaverunt, nec dum quieſcere poſſunt: ſed ſive dolentes adhuc ſe conſenſu bonorum civium a gubernaculis ejus nuper fuiſſe excluſos, ſive verentes ne ſibi eripiantur ditia rapinarum ſuarum emolumenta, non deſinunt praeſtantiſſimos & reipublicae amantiſſimos viros mille mendaciis & calumniis proſcindere, odium tam Principis, quam procerum & vulgi in illos concitare, immo illorum bona, famam, vitam denique ipſam in extremum diſcrimen adducere. O fortunatam rempublicam! libet mihi exclamare cum diſertiſſimo & optimo Romanorum, ſi hanc ſentinam hujus urbis ejecerit. Neque enim illa olim Romae hac perniciosior extitit. nam Catilinam & Catiliniana prodigia

Noſtro etiam in populo videas noſtroque ſub axe.

Hi aut in ordinem redigendi, vel de civitatis adminiſtratione ſubmovendi, aut

ab

ab omnibus bonis neceſſario prodenda eſt reſpublica. Nam citius quis

Caelum terris permiſceat & mare caelo.

quam illa animorum diſſidia componat. Nos quod attinet, nullius nobis criminis conſcii ſumus, amore & ſtudio in patriam nulli mortalium cedimus, debitum Principibus honorem & reverentiam lubentiſſime praeſtamus, nunquam tamen illorum favori damno & pernicie reipublicae volificaturi. Sancte autem (ut omnis calumniae occaſio praecidatur) adjurare poſſumus, illos, qui nuper clavum reipublicae Batavicae tenuerunt, & nunc vel extra patriam degunt, vel miſerrima morte occubuerunt, nec beneficiis nec injuriis nobis unquam cognitos fuiſſe Quod reſtat, cum Venuſino vate, fortunam

Laudo manentem: ſi celeres quatit
Pennas, reſigno quae dedit, & mea
Virtute me involvo.

Vale, mearum *Grande decus columenque rerum.*

Daventriae a. d. IV. Novemb. CIↃIↃCLXXIII.

EPISTOLA DXXV.

ANTONIUS BYNAEUS

Nicolao Heinſio S. D.

Hagam.

FAcit ſingularis illa tua & admirabilis humanitas, Virorum Praeſtantiſſime, ut audeam iterum ad te ſcribere, & immenſum indicare gaudium, quo perfuſus fui lectis tuis ad me literis, quas mihi reddidit vir eximiae & multiplicis eruditionis *Joh. Georg. Graevius.* Cum enim ex iis cognoſcerem, te in eorum album me recipere, quos amicitia tua dignaris, & conſtantiſſimum tuum erga me amorem futurum, gaudio, mihi crede, triumphabam. Ubi vero ad illam tuarum literarum partem veni, in qua judicium tuum de noſtris obſervatiunculis promis, & ad aliquid audendum hortaris, tum ſtupere coepi ac mirari, & agnoſcere candorem animi tui, qui tantus eſt, ut cum omnium conſenſu mortalium ſis κρίσιμος, in aeſtimandis illis plus χρησίμος, quam κρίσεως adhibuiſſe videaris. Ita tamen accipio & mihi perſuadeo, voluiſſe te hac ratione animos facere dubitanti, & ſpecie laudationis hortari ad majora. Sequerer libenter & parerem, meique ſpecimen in publicum darem, niſi talia eſſent mea, ut tutius latere videantur intra privatos parietes, quam protrudi foras. Fateor quidem perprurire mihi quandoque digitos, & imbecillem aetatem ambitione corruptam teneri, attamen dum accurato judicio perpendo & conſidero ſingula, animum plane deſpondeo, & ſi umquam aliquis ſcribendi ineptias odi. Nam ut noſtro judicio placeat & faciat ſatis, neceſſe eſt habeat omnes aut pleroſque perfectionis numeros, quod publicae a me luci dabitur, & ab ingenio politum ſit oportet, ab arte limatum, ab induſtria elaboratum, denique profuturum publico, quod a me vulgabitur. Hinc cum non

illa

illa ſim ingenii praeſtantia, neque ad eam judicii maturitatem venerim, neque iis praeſidiis inſtructus ſim, ut ita, quae obſervavi, queam perficere, praeſtare viſum eſt abortivos meos partus domi liberali cuſtodia ſervare, quam eruditis obtrudere. id tamen illa adhortatione effeciſti, ut auctoritate tua fultus, auſurus ſim deinceps ea, quae, abſque te fuiſſet, nunquam aggreſſurus fuiſſem. Quem enim reformidabo, cum Heinſius meas eſſe aliquid putat nugas, cui uni probari malim quam aliis omnibus? Atque utinam, ut errare in judicando de meis diſſertatiunculis coepiſti, decipi porro te ac errare ſic patereris? Quod cum futurum perſuadeat tuus mihi notus amor & perſpecta facilitas, audebo quaſdam ad te mittere conjecturas, quamvis Heinſio aliquid legendum obtrudere, plus aliquanto ſemper putavi, quam publice edere. Apud Ovidium (cujus reſtitutione quantum cultioris literaturae ſtudioſos demerueris, vix dici poteſt) lib. v. Metamorph. vſ. 13.

— *quae te, germane, furentem*
Mens agit in facinus. —

vel invitis membranis legendum cenſes, *quod te.* At ſat ſana mihi vulgata lectio videtur, & ab Ovidio dictum, *quae mens te agit in facinus.* Ita loquuntur praeſtantiſſimi Poëtae. Virgil. v. Aeneid. vſ. 519.

— *quae mens tam dira, miſerrime conjux,*
Impulit his cingi telis. —

Catul. carm. XLI.

Quaenam te mala mens, miſelle Ravide,
Agit praecipitem in meos jambos.

Neſcio an his addi poſſit Florus lib. II. cap. 6. *aut ipſius meus mala & averſa a Carthagine Dii, in diverſum abſtulerunt.* Et Ennius

Quo vobis mentes, rectae quae ſtare ſolebant
Antehac, dementes ſeſe flexere via.

Apud eumdem II. Faſt. vſ. 651.

Inde ubi ter fruges medios immiſit in ignes;
Porrigit inciſos filia parva favos.

pro *porrigit* legendum puto *porricit.* Non hic addam quae Macrobius, Turnebus, Briſſonius, Sigonius, Gronovius aliique de hoc verbo monuerunt, cum ea tibi ignota eſſe minime queant, ſolum judicandum relinquam, utrum hoc loco *porrigit*, an *porricit* legendum ſit. Locum Curtii lib. III. cap. 3. *Contra ſi quis aciem Macedonum intueretur, diſpar acies erat*, miror tam ſecure praeteriiſſe Curtii commentatores, nullique eorum de mendo ſuſpectum fuiſſe. Non dicam jam de inepta & taedioſa repetitione vocis *acies*, quae quandam latere corruptionem poſſet indicare, cum ſenſus jejunus admodum & inſulſus ſit; itaque pro *acies* unica addita literula lege [a] *facies. Contra ſi quis aciem Macedonum intueretur, diſpar facies erat: equis virisque non auro, non diſcolori veſte, ſed ferro atque aere fulgentibus.* Juvat conjecturam praecedens *intueri*, tum verba ſequentia. *Facies* eo ſenſu exſtat etiam lib. IV. cap. 13. *Haec dextri cornu facies erat.*

a Haec etiam emendatio *Scheffero* ad Curtii verba, & ad Phaedr. IV. 5. in mentem venit.

trat. Neſcio cur multo ſuavius haec lectio meas aures feriat, magiſque placeat, quam vulgata.

Verſus 42. in Octavia Senecae manifeſte corruptus legitur,

En qui ora Tanais primus impoſuit jugo.

Joſephus Scaliger, miraculum illud & portentum eruditionis, in Caſtigat. ad Tibullum pag. 159. legendum docuit,

En qui Britannis primus impoſuit juga.

cujus conjecturae ſubſcribunt viri Cl. Gruterus & Commelinus in notis ad h. l. Ego vero ex veteris ſcripturae veſtigiis lego.

En qui orae Tamaſis primus impoſuit juga.

Habes conjecturas quaſdam, Vir illuſtris, quas audacius quam par eſt, ad te mitto. Te tamen boni conſulturum, & me, ut coepiſti, porro amaturum, humanitas tua dubitare non ſinit. Vale, flos eruditorum, lumen ac columen omnigenae doctrinae. Trajecti ad Rhenum. XI. April. A°. CIↃIↃCLXXIV.

EPISTOLA DXXVI.

NICOLAUS HEINSIUS

Antonio Bynaeo ſuo S.

Ultrajecti.

CUm plurimum voluptatis mihi ferre ſoleant tuae litterae, multo melle conditae, multa refertae artium bonarum fruge, Bynaee ſuaviſſime, non indigne, ut ſpero, feres ſi ad illas oppido venuſtas brevius, quandoque reſcribo, quam aut comitatis lex, aut tuus erga me adfectus ſingularis, quo triumpho, unice videntur flagitare. ἄυξον enim quodammodo reddit calamitas temporum, ſi publica ſpectamus, ſi privata, lites domeſticae, parum convenientes ingenio meo, & ab omni diſciplina liberali prorſus alienae. Meam in Naſone caſtigationem Metamorphoſeon quinto improbas jure optimo, & alia tibi ſentienti ſubſcribo haudquaquam invitus. Sed utinam id unum illic peccaſſem. Novit *Graevius* noſter, noverunt alii ex amicis, cum agitarem iſtam Naſonis editionem, alio me per familiares moleſtias & calumniam forenſem avocatum, ut huic cogitationi, quae hominem requirebat totum, minus vacare, ac omnem me tradere potuerim. Poſtmodum attentiore cura complura ad limam revocavi in prioribus obſervatis ac correxi, quibus inſuper habitis, ac me ne conſulto quidam boni Leidenſes ſecundam tertiamque Naſonis editiones in publicum protruſere. De *Porriciendi* verbo, quod ad ſola profecta referri credebam, amplius diſpiciendum. In Curtio ante hoc biennium idem mendum obſervavi peregrinatione Germanica, uti ex ſchedis meis liquebit tibi aliquando. Miror profecto, tantillum mendum tot interpretum diligentiam tanto tempore fruſtrari potuiſſe. Apud auctorem Octaviae v. 42. *En qui orae Tanais primus impoſuit jugo*, recte vidiſti locum eſſe mendoſum, ſed quod reponis *orae Tameſis primus impoſuit juga*, ut de Tameſi aſſenſum praebere poſſum, ita alterum legis me-

Digitized by Google

metricae ratio haudquaquam permittit, ut *orae Tameſis* reponatur: cum pes Spondaeus loco ſecundo non ſit adhibendus. Refingendum fortaſſe.

En qui arta Tameſi primus impoſuit juga,

Arta, non *artĕa* ſcribebant veteres, quod in *ora* mutari non magno negotio potuit. Verum haec tu perpendes diligentius. Vale, vir praeſtantiſſime, meque in tuis, ut coepiſti, numerare perge. Hagae Com. CIↃIↃCLXXIV. XVIII. Maji.

EPISTOLA DXXVII.

JACOBUS EMMENESSIUS

Nicolao Heinſio.

Vianam.

PAce id fiat tua, quod confidenter ſatis, Te, Tuasque ſerenas meditationes interpellare ſuſtineo. Utinam ita tibi conſtent vires, ne tibi his meis maevis moleſtus ſim, vel incommodem. Haeret aqua. Errore me extricare non valeo. Ad te, tanquam ad oraculum confugiendum eſt; quem in reconditis literis fugit nihil. Locus, qui mihi crucem figit, eſt in Virgilii Ecel. IV. vſ. 62.

—— —— *Cui non riſere parentes,*
Nec Deus hunc menſa, Dea nec dignata cubili eſt.

Ea itaque lege, ſi nempe ſine incommodo valetudinis fieri queat (cujus, ſi nos amas, cura erit tibi prima) dabis explanatum Maronis locum, qui, cum mirum in modum torquet eruditos, a tuo divino judicio, & ſummo ingenii acumine, medelam flagitat, & non dubium eſt fore, quin ſi tanti ſim tibi, conſequatur. Unde Muſae praeſidium ſperare habent, quam a ſuo Apolline? Pro eadem ſententia faciunt Quintilianus l. IX. c. 3. Politianus Miſc. c. 89. Turnebus Adverſ. l. XVI. c. 12. & l. XVIII. c. 34. Legentes, *qui*. Pierius vero ex collatis antiquiſſimis Codicibus, *cui*, legendum cenſet in dativo, quod *Nannius* nominativi caſus vult, autoritate forte *Dauſquii*, qui in orthographicis, *cui*, pro, *qui*, inveniri probat in veteribus Catulli libris. Quid *Pimpontius*, *Vives*, aliique, quorum curae in hunc autorem extant, ſentiant, pro explorato habes. Tui etiam muneris ero totus, & beneficii, ſi pro humanitate tua ſuggeſſeris, an hic ſermo de *Vulcano*, de *Salonino* Pollionis filio, an de *omnibus aliis*. Ubi otium erit reſcribas oro, & facies rem pergratam. Liberrimis hiſce poſtulatis dederis veniam. Vale, vir Praeſtantiſſime, Decus & Ornamentum Muſarum. Iterum Vale, & me ama. Lugd. Bat. a. d. V. Id. Sept. A°. Aerae Chriſt. CIↃIↃCLXXV.

EPISTOLA DXXVIII.

JOHANNES BOSCHIUS

Nicolao Heinſio Dan. Fil. S. D. P.

Hagam.

NUllus univerſa in vita mihi dies illuxit unquam laetior, quam ea, cum amabilis veſtra humanitas atque gravitas mihi tuam gratiam impartiri non ſit gravata, quanta ab illa uſque a Te redierunt in me bona? tanta mediusfidius ut pro meritis laudare non poſſet infirmus mentis noſtrae conatus: idonea quoniam animus non ſuppetit verba; calamum quoniam ſupra meum ſunt, ut ſupra ventos & nubes omnes Atlantis vertices. Accipe ergo immortales gratias, dum mei memor, ſemper agendas. Emendaſti ita, Nobilium eruditiſſime, in tuis ad Naſonem Notis hoc Petronii diſtichon:

Dum ſumit creteam faciem Sertoria, cretam
Perdidit illa, ſimul perdidit & faciem.

Doctiſſimus *Thomas* noſter *Munckerus* monuit, primum verſum claudicare, unde & mecum a Typographo male deſcriptum eſſe verebatur. nonnulli ſcripti habent: *Dum creteam ſumit faciem Sertoria* &c. *Dum ſumit cretam in faciem Sertoria* &c. vulgatae editiones. Pace quod fiat tua, quaero, quomodo ſcripſiſti? In Addendis noſtris ad Cap. XXVIII. notavimus, & quidem ad ea verba: *Quum ergo adferretur, ad caput ejus cum minimis Symphoniacus tibiis acceſſit* &c. probam forſan Memmianae codicis ſcripturam eſſe, exhibentem, *efferretur*, ex balneo ſcilicet. Seneca Libro de Brevit. Vitae cap. XII. *Audio quendam ex delicatis (ſi modo deliciae vocandae ſunt, vitam & conſuetudinem humanam dediſcere) cum ex balneo inter manus elatus, & in Sella poſitus eſſet, dixiſſe interrogando, jam ſedeo?* Cap. LVII. Ubi Encolpius Gitoni imperat, ut raptim grabatum ſubiret, & pedes manusque inſtitis annecteret, puto legendum: *ſicut olim Ulyxes ad arietem adhaeſiſſet*, pro eo, quod in vulgatis, *pro ariete*. Hyginus huic conjecturae occaſionem praebuit, idem inter alia de Ulyxe ſcribens Fab. CXXV. *At Vlyſſes ſocios ſuos ad pecora alligavit, & ipſe ſe ad arietem, & ita exierunt ad Aeolum Hellenis filium, cui ab Jove ventorum poteſtas fuit tradita.* Quia ad vos tranſcurrere noſtra non ſinebat valetudo, & quia futura Martis die Notarum paginam una cum Dedicatione &c. mihi tunc pro ultima vice corrigendam, exſpecto: hac animi audacia uſus ſum, quam ut aequi bonique conſulas Te per communia Muſarum ſacra rogo, & ita ut quem maxime. Qua in re ars noſtra unquam Tibi quicquam poteſt, ea modo utare precor, ſic comperies factis, quod polliceor verbis. Vale, Vir Illuſtris & me amore tuo honeſtare perſevera, qui Deum t. o. m. veneror & obteſtor, ut Te ſub remigio alarum ſuae potentiae protegat, animi corporisque vires fulciat, conſilia dirigat, conatus ſecundet, & diu incolumen ſervet. Vale ter & amplius,

—— Maecenas, mearum
Grande decus, columenque rerum.

Scribebam Delphis Batavorum die IV. Kalend. Decemb. A. C. S. CIↃIↃCLXXVI.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA DXXIX.

NICOLAUS HEINSIUS

Joh. Boſchio.

Delphos.

IN catalectis Petronianis olim caſtigabam, *dum ſumit creteam faciem Sertoria*, vel quod tantumdem eſt, *creteam ſumit faciem*, cum id multo Latinius videatur, quam *ſumit cretam in faciem*, ut vulgo circumfertur. Neque eſt quod te ſyllaba offendat, cum ſpondaeus contractione fiat τῆ̃ *creteam*, quomodo & in Naſonis loco, quem pariter reſtitui, & in illo Maronis, *ferreique Eumenidum thalami*. ſed modus exemplorum non eſſet: nihil enim protritius, praeſertim apud hunc ipſum Maronem. In altero Petronii loco forte corrigendum *aveheretur*: nam *efferendi* verbum eſt ominoſum, praeſertim cum agitur de homine: nam Seneca cum *hominem elatum* dixit, *ex balneo* addit, quod ex ſuperioribus in Arbitri loco intelligendum, neſcio an concinne ſatis. Cap. LVII. *pro Ariete adhaeſiſſe*, omnino mendoſum eſt. Putabam aliquando exaratum fuiſſe *ero arietis*, vel *arietino*, abſorpta nimirum priore Syllaba a praecedenti *ſicut*, & Petronium dediſſe *utero arietis*, vel *arietino*. quod hiſtoriae ab Homero narratae congruit. Vale, mi Boſchi, & valetudinem cura diligenter. Hagae Kal. Decemb. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA DXXX.

NICOLAUS HEINSIUS

Johanni Phorbaeo.

HAbitam tui rationem a Goudanis, cum per literas *Thomae Munckeri*, viri praeſtantiſſimi, nuper ſum edoctus, vix eſt ut verbis abunde faciam teſtatum, quam vehementer ſim gaviſus. Nec multo poſt epiſtolam accepi a te peramanter ſcriptam, & orationem diſertiſſimam, quam ut ſine procraſtinatione ulla avidus perlegi, ita animum meum amori tuo ac benevolentiae ſingulari reſpondendi tanto tempore diſſimulatum minime fateor oportuit. Neque dubitandum eſt, quin, ſi jure tuo mecum agis, graviter ſuccenſeas ſive ruſticitati huic meae, ſive ſocordiae, quae te literis meis debitaque gratiarum actione tamdiu fraudatum ſinit. Quod ſi, cum nuper in vicinia eras apud Trajectinos, pedem ad nos promovere ſuſtinuiſſes, & mihi feciſſes profecto rem perquam gratam, & coram valetudinis meae, quam ſolam diuturno ſilentio poſſum praetexere, adflictum contemplatus eſſes ſtatum. De Heſychio parentis quoque mei, quod valde cupiebam, ſermonem contuliſſemus, cujus lucubrationis quod deſcribendae ac publico dandae onus in te recepiſti, heredes τῆ̃ μακαρίτου, me praeſertim immani beneficio cumulatum reddidiſti. Volui quidem

dem non ſemel de tota re tecum agere, cum Delphis nondum emigraſſes, ſed pedum continua debilitate a propoſito ſum revocatus. Aſſiduae peregrinationes, & anni proximi viceni publicis negotiis ac litibus domeſticis dati, adeo me mihi excuſſerunt totum, ut ab hoc ſtudiorum genere alienior ſim factus. Quid, quod futurum vix videtur, ut propriis lucubrationibus ſupremam manum imponam; adeo me premit, & quotannis in pejora vergit valetudo. Interim te enixum in modum rogo quaeſoque, ne ſuſcepti laboris taedium obreptare patiaris: ſi de tuo addideris, quae ipſemet obſervaſti ad hunc ſcriptorem, quaeque Philologorum eruditiſſimi ſcriptis ſuis inſeruerunt, in unum colliges, habebimus tuo beneficio ſcriptorem utiliſſimum omni ex parte caſtigatum. Vale. Vianae. Idibus Nov. CIↃIↃCLXXVIII.

Phorbaeus hic patrio nomine *Verwey*, Gymnaſii Goudani & deinde Hagani rector, *Graevii* diſcipulus, Vir Graece doctiſſimus, ut Grammatica ejus ſive Via nova docendi Graeca oſtendit, *Dan. Heinſii* notas ad Heſychium deſcripſerat, & ſuis additis editioni paraverat, cujus ſpecimen etiam prodiderat. ſed immatura morte interrupto opere, chartae illae poſt ejus fata oberrarunt: ſperamus tamen ejus Heredem brevi rationem inventurum, qua illis frui poſſimus.

EPISTOLA DXXXI.

JOANNES PHORBAEUS

Nicolao Heinſio.

Vianam.

BEaſti me Tuis, Heinſi Nobiliſſime, quas mihi una cum ſuis miſit *Joannes Georgius Graevius*, vir celeberrimus, omni bono de me ſtudiisque meis meritus annos jam plurimos. Apollinem mehercules, cum tuum reſignavi libellum, non Heſiodi tantum, ſed alterius quoque Aſcraei villam fumantem forte aliquando reſpexiſſe credidi. Has litteras vidiſſe, legiſſe, relegiſſe magnificum mihi duxi, Heinſi decus politiorum Muſarum: ſunt enim inſignes notae cum amoris tui & ſtudii erga me incredibilis, tum humanitatis tuae admirabiles: quae ut omnibus jucunda eſt quovis loco, ita mihi multis partibus gratior & illuſtrior videtur, ſi quis comiter & benigne accipiatur ab eo, qui ornat & celebrat uſum omnis humanitatis. Quod me creviſſe laetaris, totusque exſultas, ut es animo generoſo, id mihi dubium fuit nuſquam gentium: at orationem cum laudas, mones pariterque ſtimulum ſubdis, ut me diligentius exerceam in hoc genere. Cum nuper in vicinia veſtra ad Rhenum fui, urbe exiveram in agrum Sicambrorum pietatis cauſſa, ut una cum conjuge viſerem ad parentes imbecillos annisque graves, quibus culpam meam condonabis, ſpero: dum enim illic haereo diutius praeter ſpem meam, ad ſcholas noſtras redauſpicandas recurrere coactus fui. Nunquam itaque poſthac committam, ut pudor me vel ſubruſticus, vel vecordia neſcio quae deterruiſſe videatur ab colloquio, quod tibi pergratum futurum eſſe intelligo, & mihi honorificum: quare primo quoque tempore, cum res nobis fuerint prolatae, Vianam excurram. Deum quaeſo ter O. M. ut vires tuas, quas meo dolore animi

mi bene magno adfectas & debilitatas esse disco, recreet ac refocillet, Teque ad summam senectutem optima valetudine bono publico pervenire sinat. Hesychium, nisi Delphis huc demigrassem, jam pene totum descripseram, & plura observaram: ast sedibus hîc fixis profligatos quosdam & perditos offendi adolescentes, quos ne nervum mihi disciplinae elideren, gregemque reliquum corrumperent, publico exegi auditorio: exactos vero privatim instituere cogor, senis horis quotidie scholas publicas aperiens, domesticas vero ternis, aut interdum quaternis. Istud ver sacrum vere novo procul a me amandabo: interim, quantumcunque possum, operam Tibi surripiam libentissime, manibus clarissimi tui parentis cum primulo diluculo parentaturus. Rogo igitur etiam atque etiam, ut causam mirari desinas meae tarditatis, jure enim indignari potes, quod neque ocius moveam, neque saepius ad te mittam. Verebar homo dento obsitus pulvere me in foro ostentare Criticorum, inprimis coram eo, cui omnes ultro principatum deferunt. Tamen aliquando fortunam periclitabor. Nunc de Hesychii editione Leidensi novissima sic velim existimes, esse omnino vitiosissimam. Quam est illud flagris prorsus dignum? Ἐλέγχειν, ὄνειδος. Scrib. Ἔλεγχος ὄνειδος, &c. neutro genere. Iliad. B. vs. 235. Ὦ πόπποι κάκ' ἐλέγχεα Anonym. κακὰ ὀνείδη. cum enim est ἀρσενικόν, aliud signat. Etym. ἔλεγχος δέ ἐστιν ὁ τὸ πρᾶγμα σαφηνίζων. Et paulo post, ὁ γὰρ ἔλεγχος εἰς φῶς ἄγει τὰ πράγματα. Ecce alium locum. Φθειρῶν, ὄρος πτυῶδες, ὅρος ἀπὸ τοῦ πλεθύνειν ἐν αὐτῷ πίτυας. & sic deinceps. Ubi leges ὀρθογραφίας καὶ συντάξεως turpiter violantur. Ego sic distinguo & refingo, Φθειρῶν ὄρος, πτυώδες ὄρος, ἀπὸ τοῦ πλεθύνειν ἐν αὐτῷ πίτυς; τὰ γὰρ ἐντὸς τῶν προβείλων Φθείρας καλεῖ). Audi paucis amabo brevem illum Homeri interpretem, qui totus hic noster est. Φθειρῶν ὄρος. Τῆς Καρίας περὶ Μίλητον. Διὰ τὸ πολλὰς ἔχειν πίτυς. εἰ δὲ τόποι τῶν πιτύων Φθεῖραι προσαγορεύονται, καὶ τὰ τῶν πιτύων μικρὰ προβόλια ἔτως λέγονται, ἃ καὶ πιτυοκάμπας φασιν. Ἢ, ἀπὸ Φθείρωνος τοῦ Ἐνδυμίωνος· ἢ ὅτι τὰ ἀνθήματα τῶν πιτύων ὁμοιά εἰσι Φθειρσίν. Si tamen Etymologum sequaris legendum erit, Φθεῖρες. Ejus autem locus subobscurus & corruptus hoc loco cum illustrandus, tum emendandus praetereunti. Sic ait, Φθειρῶν τὸ ὄρος ἀκεφαλόφυλλον· ὁ μὲν πτχνικὸς ἀπὸ τοῦ ι γράφειν λέγει ὅτι ἀπὸ τοῦ Φθεὶρ γέγονε διὰ τοῦ ὅτι ἀπὸ Ἐνδυμίωνος. ἔστι δὲ διὰ διφθόγγου λέγουσιν. Hoc dicit, τὸ πτχνικὸν, hoc est, Herodianum sine Diphthongo scribere Φθιρῶν, caeteros vero cum Diphthongo Φθειρῶν. Rationem suae sententiae adferebat Herodianus, quod nomen proprium Φθείρωνος non esset desumtum ἀπὸ τῶν Φθειρῶν a pinis, sed a monte, qui Φθὶρ vocaretur nomine proprio, cujus cultores dicti Φθίρες. Scripsit ergo Etym. Ὅτι ἀπὸ τοῦ Φθὶρ γέγονε κύριον τὸ ὅτι ἀπὸ τοῦ Ἐνδυμίωνος. Sic enim Eustath. circa finem τοῦ β ῥαψῳδίας. Postero tempore plura, & forsan meliora dabo: cursor autem mihi vellit aurem, ut desinam. At quia apertae sunt Musarum januae, scias velim Optimum *Graevium* me commendasse Leidensibus, apud quos Rectoris statio vacat: id si negotium urgere potes apud amicos tuos, gratum memoremque cognosces, nihil enim ipse tento διὰ τὰς ἐν πόλει ἡμέρας. Vale, Poëtarum Homere, & me ama. Gouda Nov. CIↃIↃCLXXVIII.

EPI-

EPISTOLA DXXXII.

JOANNES PHORBAEUS

Nicolao Heinſio τῷ πάνυ χαίρειν.

Vianam.

RAtiones, cur Tibi per ceram & linum ſalutem mittere me poſtulem, nunc habeo bene multas, Vir nobiliſſime. Primum enim omnium, cum me nuperrime τοῖς ἀθηναίοις bona fide, ut ex Graevianis didici, magno ſtudio & ſumma diligentia commendaveris, ſic velim exiſtimes, eam operam, iſtuc, inquam, Tibi beneficium a me eſſe gratiſſimum. Sic ſemper enim mihi viſus ſum me Deorum vitam eſſe nacturum, ſi viris tantummodo honeſtioribus & eruditioribus, qui famam ſuis Scriptis ac meritis condidiſſent immortalem, quique exacte de rebus Muſicis judicare poſſent, aut placerem aliquando, aut certe innoteſcerem. Solum Tuum judicium, amoremque candidiſſimum, quo complecteris immerentem, pluris facio, quam quodvis opum incrementum. Sic ſum, Heinſi Optime: una illa voluptas, quam capio ex clariſſimorum hominum teſtimoniis, animum meum explere potis eſt. Quare, ut ad ſummum caput hujus libelli tranſiliam, neque nocte neque die mens conſiſtet aut acquieſcet, niſi ſi quotidie hoc hiberno ſidere per duas horas ſubſecivas, quam legem mihi tuli, Patris Tui celeberrimi τοῦ μακαρίτου emendationes Heſychii emendatiſſimas diligenter, quod facio, exſequar deſcribere. Quaedam, etſi pauciora, ſunt in illis, quae vix aſſequor: quaedam lineolis ſubductis notata, quae vir diligentiſſimus ſuſpecta habuiſſe videtur, de quibus in utroque codice nihil adnotatum oſtendo: quod genus μεριλυκὴν ἐρεᾴζειν in voce θής. Hoc ego, fateor, nullus intelligo. nonnullis per me ipſe locis video plagam eſſe impoſitam luculentam; niſi male metuo, ut judicium meum non ſatis acre, eam hîc illic curare queat, ut nihil nunc dicam de ſubſidiis, quae maximo meo dolore nequicquam conquiro. In coelo ſum, Heinſi Nobiliſſime, ſi cum Clariſſimo *Graevio*, viro itidem mei ſtudioſiſſimo, quoniam Te Trajectum venturum fore accepi, Goudam excurreris. Quovis tempore mihi & conjugi cariſſimae hoſpes venies gratiſſimus: quod ut primo quoque tempore facias, Te precibus uterque curatiſſimis oramus. Non minus Te, mi Apollo, videre ardeo, quam Parens olim Tuus divinum *Scaligerum*, cum *Scaligeri* monumenta quaedam ſtudioſe lectitaſſet, nunquam autem ſuis oculis ἰτόδεον φῶτα intuitus fuiſſet. Alias de ineptiis meis, ad Muſicam ſpectantibus, garrire, niſi tibi moleſtae fiunt, occipiam. Antequam manum de tabula tollo, precor Deum immortalem, ut, cum tot annos vitam videris minime ingloriam, plurimi deinceps bono publico Tibi defluant anni laetiſſimi ſine omni taedio, moleſtia & acerbitate. Tantum eſt. Nunc vale, Poëtarum Homere, & me, ut coepiſti, amare pergito. Mea Tibi ſalutem adſcribit ſolidam verbis amantiſſimis. Iterum vale, Decus meum, & litterarum omnium praeſidium. Idibus Januariis anni Gregor. CIↃIↃCLXXIX. Ex Gouda.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA DXXXIII.

NICOLAUS HEINSIUS

Joh. Phorbaeo.

Goudae.

GAviſus equidem ſum haud leviter oblata mihi non ita nuper, ut tum videbatur, tibi gratificandi opportunitate nonnulla, Phorbaee doctiſſime, ſed quod literae tuae tardius aliquanto ad me perveniſſent, ut cauſſam tuam coepi agere, invitus intellexi & Conſules Leidenſes, & illos, quos fautores hîc mihi fore promiſeram, pro Rectoris defuncti optione fidem obligaſſe. Quod & ipſum ex me cognoviſſe pridem debueras, niſi res familiaris domo me pridem evocaſſet proximis diebus vix tandem reducem. Adfulgebunt, uti confido, quandocumque tempora deſideriis meis minus inopportuna, quaeque pleniore argumento ſucceſſum officii noſtri & adfectus tibi teſtentur. Nam cum eruditioni tuae aliiſque, quae in te reſplendent adfatim, virtutibus, ut ſtudeatur, non mearum tantum eſſe partium, ſed id ab omnibus praeſtari oportere, qui liberales artes cum interitu jam luctantes tenere fovent ac ſalvas cupiunt, aequum ac par judico; tum privatim eſt, quo nomine me meoſque omnes tibi plurimum debere ultro agnoſcam, quod famae parentis mei poſtumae, deſcribendis ejus in Heſychium doctiſſimum grammaticum lucubrationibus plurimum per te accedit, quas utinam tuo beneficio in lucem proferri aliquando videamus. Nec dubito magnum iis incrementum addi poſſe ex iis, quae *Scaliger*, *Caſaubonus*, *Salmaſius*, *Meurſius* aliique ex hominibus literatis aetate noſtra ad eundem ſcriptorem obſervarunt. nam qui ea proxime caſtigare eſt aggreſſus, operi par non erat. Sed hac de re confabulabimur uberius, quandoque ad nos excurres, vel ſolus, vel cum noſtro *Graevio*: nam te ut domi tuae conveniam, cum velim maxime, praeſertim officioſum in modum a te invitatus, metuo ut per valetudinem detur. Vale. XXV. Jan. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA DXXXIV.

NICOLAUS HEINSIUS

Joh. Phobaeo.

HEſychium Parentis mei tua induſtria ac lucubratione tandem eo perductum eſſe, ut cum publica utilitate proferri in lucem poſſit, Phorbaee praeſtantiſſime, equidem immane quantum, plus etiam quam quod credas, laetor & exſulto, eoque nomine nos τῷ μακαρίτῃ heredes animum tibi gratum ac devotum praeſtare ſemper erimus parati. Ego praeſertim, quem proxime ea tangebat cura, ut ſcriniis defuncti poſtumis iretur conſultum. Sed facultatis meae non erat, id effectum dare, quod tu felicem in modum praeſtitiſti, cum

nulla orientalium litterarum, quam tamen hîc unice requiri videbam, cognitione inſtructus eſſem; ne quid dicam de valetudine, quae non permittit, ut propriis lucubrationibus ſupremam manum imponam, nedum ut alienis, ſi tamen paternae pro alienis habendae, publicandis poſſim vacare. de *Scaligeri* Heſychio te ſpei tuae falſum eſſe, vehementer equidem doleo. paullo ante mortem paternam codicem hunc integrum atque illaeſum vidi. De ceteris in congreſſum noſtrum proximum ſermones differemus. Vale, Vir praeſtantiſſime, & mihi ac paternae memoriae, ſic ut coepiſti, velle in poſterum perge. Vianae VII. Sept. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA DXXXV.

JOANNES PHORBAEUS

Nicolao Heinſio τῷ πάνυ. S. P. D.

Vianam.

NEc opinanti tuum non munuſculum, ὦ κεφαλὴ πιμπάτη, ſed munus adfertur, elegantiſſimus Caſa: quem pluris facio, quod Poëtam eſſe video. Hoc ſtudium cum mirifice mihi puero placuerit olim in artium trivio cognoſcendo, non poſſum dicere, quam poeniteat has meditationes poſtea, quae & animum recreant, & ad divina quaeque & excelſa mentem elevant, quod Philoſophari mallem, plane neglexiſſe & abjeciſſe. Suſpirat quidem animus in illud curriculum, non ut repueraſcam, ſed cum viris ſapientiſſimis reſipiſcam, redire aliquando: verum liber animus requiritur & vacuus. Remitto viliſſimum ἀντίδωρον, luſus meos Feſcenninos, & jam diu miſiſſem ante, ſed extimui rubricas Tuas, Vir Nobiliſſime: ſolus enim vides omnia acutiſſime, & carmina pangis polita, terſa, erudita, & jucunda. Liceat enim mihi dicere quod & orbis litteratus omnis tuas virtutes praedicat, & ipſa laudabit aeternitas. Sed iſta hactenus. Copiam mihi aliquot librorum, qui ſerviant nobis in proferendo Heſychio, facere pollicetur auctio Wevelinkhoviana: illa haſta poſita omni impetu revocamur ad opus, quod nobis accurandum mandaſti, quadrandum. Interea loci, ne deſideremus, in uſum noſtrarum Scholarum edere inſtituimus *Scioppii* noſtri Mercurium, quem ex barbato Latinum feci, pro Italico ſermone noſtro ſubjecto. Huic addo aliquid de meo, Grammaticen ſcilicet, a qua aberunt vitia, ſpero, *Lithocomi*, *Voſſii* prolixitas, & *Scioppii*, ſi qua eſt, obſcuritas. Si qua re noſtros conatus adjuvare potes, ſenties hunc hominem tibi per omnem vitam fore obnoxium. Nemo natus cum diligentius cognoverit antiquos Codices manu exaratos, & veterrima monumenta quaeque, id te, Vir Nobiliſſime, per tuam divinam humanitatem obſecro, & ita rogo, ut mihi reſcribere non dedigneris, ſi forſan opinio mihi mea mutanda, quid exiſtimes de diſcrimine *i* & *u* vocalium & conſonantium, de majuſculis & minuſculis vel in propriis & appellativis, vel dignitatum nominibus ſimilibuſque diſtinguendis. In nummis & lapidibus certo ſcio non obſervari vul-

vulgares distinctiones. Vocor in auditorium meum. Vale, Decus nostrum & totius Europae, & me ama, Gaudae. XV. Nov. CIↃIↃCLXXIX. Salutat Virum Nobilissimum conjux mea. *Comprobo*, *inprimo* atque id genus alia per *n* in Virg. Tuo V. N. An etiam in MSS. solutae orationis? quanquam hoc nihil ad metri rationem. *Quodcumque* & *quodcunque* an utrumque rectum? Extra compositionem & in ea dicitur & *cum* & *con*. An *author* in vetustis membranis? Ignosce quaeso, Vir Maxime, cum istiusmodi quaestiunculis molestus sio.

EPISTOLA DXXXVI.

EVALDUS RULAEUS

Nicolao Heinsio S. D.

Vianam.

QUanquam faucium dolor, quo aliquot diebus laboravi, nondum plane resedit, etsi jam de acerbitate nonnihil remisisse videatur, medicamentumque hoc ipso die sumpsi, ut intestina purgarem, ita ut ob corporis afflictionem animo etiam non satis valeam, tamen cum cogito magnitudinem & vim tuae erga me benevolentiae, qua etiam antequam rogareris, commendandum me sumpsisti viro humanissimo & doctissimo *Emerico Bigotio*, ne statim Tibi gratias agerem, nec ipso morbo sum deterritus, nec singulari tuo judicio elegantiaque in scribendo, quae debent iis, qui ad Te literas mittunt, timorem incutere, ne quid incultum aut alienum a proprietate Latini sermonis scribant; ego certe non leviter commoveor, qui sciam quam nihil dignum auribus tuis afferre queam. Itaque & gratias Tibi ago, quas possim, maximas, &, si quid sit, quod Tibi hîc confectum velles, omnem meam operam industriamque Tibi defero: cum enim Tu me ornandi, commendandi, tuamque erga me voluntatem ostendendi nullum tempus praetermittis, aequum est Te etiam aliquem ex me fructum percipere, quanquam probe sciam nullis meis officiis tuorum in me meritorum magnitudini aliqua ex parte responderi posse. Etsi autem in me ingenii facultas nulla sit, opum autem exigua, ita ut multum Tibi de me polliceri non possim, ea tamen in me est observantia tui, & studium gratum quid Tibi faciendi, ut diligentia & fide sperem me adsequuturum, ne ullum in me hominis, quem plane Tibi beneficiis devinxisti, officium desideres. Itaque, si quid sit, fac me ejus, quaeso, certiorem, & commendare me viris doctis pergas. *Gradius* ex Italia, ut accepi, Lutetiam venit, & moratur apud *Menagium*. Scripsi heri ad Cl. *Graevium*, ut veniam a Te impetrare vellet, quod ad Te, vir nobilissime, nondum scripseram, eas literas *Boschius* imprudens suis, quas ad Te dederat, inclusérat, itaque, si modo ante hae Tibi tradantur, rogo, ut eas perlegas prius, ne ipse iterum forte ad Te mittat, deinde mittas ipsi, & ipse etiam meam causam agas, ut ad tuae commendationis auctoritatem ab ipso etiam aliquod pondus accedat. Hoc autem inprimis velim, ut si quid noveris esse, aut hîc, aut aliis in regionibus, ex quo laboris & itineris maxime fructus constare mihi possit, quid

autem tu non noveris? hoc ut docere me velis. Vale, Vir humanitatis & eruditionis gloria praestantissime, & me ama. Dabam Lutetiae Parisiorum a. d. VI. Non. Octobr. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA DXXXVII.

EVALDUS RULAEUS

Nicolao Heinsio S. D.

Vianam.

PUdore suffundor, nobilissime Vir, quoties cogito, quod certe saepissime facio, tuae erga me benevolentiae & humanitatis magnitudinem, qua Tu unus effecisti, ut me suscepti in Galliam itineris non poeniteat, quod tuis beneficiis nondum ullis ipse officiis responderim: nam quanquam non is sim ego, a quo Tibi pares magnitudine aut numero fructus exspectare debeas, quod ut unum tamen potui, ut saltem literis Tibi gratum meum animum testarer, in hoc me intelligo non nimis fuisse diligentem, quod Te rogo, ut adscribere velis itineribus & negotiis, quibus occupatus fui. Caeterum ita, velim, existimes gratias me Tibi, quas possum, maximas agere, studiaque, observantiam, industriam, operam meam in omnibus tuis rebus semper fore paratam, gratissimumque hoc mihi fore, si illa aliqua in re tua uti velis. Omnino autem vellem posse me loca quaedam ad Te perscribere veterum auctorum MSStorum codicum ope correcta, quo & gratum Tibi facerem, & probarem constare mihi quodammodo fructus mei itineris; sed & ego tam brevi tempore vix quicquam praestare potui, & Tu is es, qui diligentissime scriptos libros pervolutasti, variantesque lectiones omnes probe cognitas & perspectas habes, ut dici Tibi nihil possit, quod novum aut inauditum Tibi accidat. Hoc autem visum est non praetermittere, quod scripserit Pater tuus, vir doctissimus, Oden Horatii, *Laudabunt alii claram Rhodon*, in duas dividi in duobus, quibus usus est, codicibus, alteramque Oden incipere ab illis; *Albus ut obscuro*, &c. itaque fieri debere censere, me hoc etiam in MSS. Thuan. alisque deprehendisse, atque ita & in quodam veteri MSto *Graevii* esse memini, & in meo libro, qui cum quatuor vetustis codicibus est collatus, ita distingui in illis quatuor notari in margine libri video, ita ut de eo vix amplius dubitari sinat hic librorum scriptorum consensus. Cum autem & Justini quaedam loca, quae suspecta mihi semper fuerunt, inspexerim, eorum quaedam ad Te perscribere volui, ut aliquando, si tanti videatur, quid Tu de hisce sentias, ostendas. Lib. IX. c. 5. §. 7. *& confinis domitarum gentium barbaries.* Hoc nunquam placuit. MSS. Vict. & Thuan. duo habent. *barbararum*, alter Th. *barbaria*, unde aut *barbariae*, aut *barbarie* legendum sum suspicatus. Lib. XII. c. 8. in fin. *in eadem reverterunt.* Voss. corrigit *indidem*, Sebis. *via eadem*, sed cum Thuan. unus omittat *in*, ita forte recte legeretur; nam *via* per ellipsin saepe omittitur; aut forte est aliquid, quod in Th. duobus legitur, *eadem die.* Lib. XV. c. 3. per *immensas harenarum moles cursus comes fuit.* Puto legendum, *cursu:* Lib. XIX. c. 1. *mortuorumque corpora crema-*

mare potius &c. in MSS. Vict. & tribus Thuan. erat, *mortuorum quoque*, & in MSS. Vict. fuerat aliquando, *vetabantur*, sed mutatum erat in *jubebantur*, quod verbum si reducamus, rem confectam dabit, quae nunc torquet viros doctos. Lib. XXI. c. 5. *Nam licet tyrannicis vitiis semper abundaret*. Certe haud frustra videtur, quod in MSS. Vict. & Th. duobus legitur: *Nam licet tyrannus semper viciis abundet*, & in Th. tertio, *tyrannis semper vicia abundent*, sed correctum fuerat ab alio, ita ut esset, quemadmodum in aliis Th. & S. Vict. Plura sunt, de quibus cupide intelligerem tuum judicium, sed nec temporis angustia sinit, & vereor ne hisce jam nimium molestus Tibi fuerim. Quod si ita sit ejus veniam des quaeso. Si quid autem Tibi a me vel hîc, vel Hagae Comitis, quo proficiscî intra paucos dies cogito, effectum velis, ejus me, quaeso, fac certiorem, literas autem mitte vel Harlemum, vel Hagam Comitis. Vale, Vir Nobilissime, decus & ornamentum saeculi nostri, & me ama. Optimo *Graevio*, ubi ita occasio ferat, meo nomine salutem aut mittas, aut dicas, rogo. Dabam Harlemi a. d. XV. Kal. Jul. CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA DXXXVIII.

EVALDUS RULAEUS

Nicolao Heinsio S. P. D.

Vianam.

CUm essem Hagae Comitis, qua hodie domum redii, *Leersius* Bibliopola homo probus, & magis in literis nostris versatus, quam quisquam talium hominum, praesertim postquam obiit *Elzevirius*, retulit mihi magnam spem esse, Te adduci posse, ut illa, quae in Petronium es commentatus, in lucem edi patereris, quare, cum meum non sit offendere Tibi homini sapientissimo, quantos ex ea re fructus possis capere, esseque Te adversus Te ipsum non solum non indulgentem, sed ne aequum quidem, quod Te defraudes ea voluptate, quam ex gloria tam praeclari operis vivus posses percipere, quaque lenire aliquo modo molestias infirmioris tuae valetudinis posses, tantum Te oro, ut hoc doctis omnibus, omnibusque, qui a literis non abhorrent, quos hoc a Te flagitare existimare debes, largiri velis, & si ita videbitur, *Leersio* etiam nostro, ut ejus potissimum typis imprimatur: cui si quid in ejus libri editione aut consilio, aut opera, aut industria mea prodesse potero, id praestabo libenter quantum valetudo mea, quam quartana febris frangit, quotidie magis feret. Idem *Leersius* tradidit mihi literas *Huetii* elegantissimas & humanissimas, quas, quod adeo fideliter ad me perferendas curasti, gratias Tibi magnas ago. *Petrus Petitus* vir doctissimus scripsit ad me se Miscellaneas Observationes tuae fidei & curae commendasse, quare non dubito, quin & illis propediem homines humaniorum literarum amantes beabis, quod tamen ut tuis potius operibus facere velis, obsecro Te vehementer: quanquam enim meas preces pondus non magnum apud Te habere existimem, tamen Te a me rogari non inique Te ferre puto. Vale, Heinsi hominum doctissime, & me ama. Dabam Harlemi pridie Non. Decembr. CIↃIↃCLXXX.

FINIS TOMI SECUNDI.

ERRATA IN TOMO II.

pag.	lin.	lege	
23	in fin.	*illas*	*illa*
24	in fin.	χεῖψιν	χεῖψιν
30	in fin.	*ſcriptos*	*ſcriptas*
49	25	*meditorum*	*meditarum*
68	8	διαπρεπέστερον	λαμπρότερον
125	18	θηρδίωνος	θηρδίωνι
141	7	*veſtrae*	*Veſtae*
160	13	*affecta*	*affectu*
	28	*ceteras*	*ceteros*
170	3 & 4	*Vellerio*	*Villerio*
173	15	*ſervato*	*ſervabo*
202	ult.	*ad me illum*	*me ad illum*
206	9	*poſſit*	*poſſis*
216	23	*Ranicum*	*Renſum*
223	14	*ſui*	*ſui*
233	26	*ſeptingentibus*	*ſeptingentis*
279	antep.	*quas*	*quos*
280	29	*Migrationem ibi*	*migrationi mihi*
282	2	*denuum*	*domum*
288	not. 5.	*antiſtibus*	*antiſtitibus*
291	10	*frendens*	*frendeant*
309	12	*narravi*	*navavi*
312	27	*medicines*	*medicinas*
330	ult.	*ſuſtinerit*	*ſuſtinuerit*
340	15	*eos*	*eas*
	18	*ſoſpitabor*	*ſoſpitator*
348	8	Διαφρονῶν	Διαφρονῶν
349	5	πολλαδάμους	πολλαδαμοῦν
354	20	ξὺν θεῷ	ξὺν θεῷ
355	11	διαδειγματίσαι	διαδείγματίζει
357	12	*leſum*	*Jeſum*
358	37	*demtii*	*demeti*
402	21	*at te,*	*a te*
409	23	*admovit*	*admonuit*
415	5	*poëmatum*	*poëmatium*
422	7	*egeras*	*egerat*
445	10	*notas*	*notes*
452	8	*Domino*	*Domina*
453	15	*alia*	*alii*
459	9	*confudit*	*confodit*
482	29	*permittendam*	*permittendum*
489	28	*deteneri*	*detereri*
496	25	*opas*	*operas*
498	30	*licet*	*lucet*
508	ult.	διδασκαλεῖν	διδασκαλεῖον
509	35	*quo*	*quos*

pag.	lin.	lege	
511	11	*emendandi & re-ponendi*	*emendari & reponi*
514	33	*mitio*	*Mitio*
514	13	*doctiſſimus*	*doctiſſimis*
	29	*optima*	*optimi*
538	26	*ſeſſus*	*faſſus*
561	13	ἀντάξιαν	ἀνταξίαν
567	16	*Queriani*	*Zueriani*
580	27	*ſuballione*	*ſubbalione*
595	24	*Statius*	*Taſini*
	28	*praefecturos*	*praefecturos*
599	17	ἀεστία	ἀεστῶα
600	4	*puta*	*puto*
	9	*quam*	*quam quae*
622	15	*linnae*	*lineae*
	23	Λίδυμα	ἔνδυμα
924	39	*quod*	*quos*
635	32	*nemine*	*nemine*
636	1	ἀντιρρήτως	ἀναντιρρήτως
637	13	*deſcriptum*	*deſcriptam*
648	34	πτιόντα	πτίκτα
660	21	πάσῳ	πάσας
	26	πτιχῶς	πτιχῆς
664	42	Βόεσας καὶ ἔχῳ	Βοεῖσ καὶ ἔχῳ
673	17	ἀυτοδίδακτοι	ἀυτοδίδακτον
680	11	*primas*	*primos*
681	20	*denuo*	*domo*
688	8	*Umbroſas*	*Umbroſus*
690	28	*Pompejas*	*Pomponias*
697	30	*Pompeji*	*Pomponii*
699	18	*annotata*	*annota*
707	22	*rhombem*	*rhombum*
708	9	τοῖς	ταῖς
709	22	ἀνθεινὰς	ἀνθεινὰς
729	21	Λίμητες	Δίμητες
740	5	*jacto*	*lacto*
742	6	*morita*	*merita*
743	32	*proximo*	*proximis*
744	22	*ditm*	*dem*
760	10	*exceptatiſſimas*	*exoptatiſſimas*
772	5	*comparebant*	*comparebunt*
776	28	ὑπερεχὼν	ὑπερεχὼν
782	1	*ubi*	*uti*
789	26	*Coripedi*	*leripedi*
814	21	*editionum*	*editorum*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google